241.717
STUDIO ADDICTUS
Province of Holy Cross

SYNOPSIS
RERUM MORALIUM ET IURIS PONTIFICII

SYNOPSIS

RERUM MORALIUM ET IURIS PONTIFICII

ALPHABETICO ORDINE DIGESTA

ET NOVISSIMIS SS. RR. CONGREGATIONUM DECRETIS AUCTA

IN SUBSIDIUM PRAESERTIM SACERDOTUM

AUCTORE

BENEDICTO OJETTI S. I.

« Nulli sacerdotum liceat
canones ignorare ».
c. 4. dist. 38

WITHDRAWN

VOLUMEN II.

D - O

EDITIO TERTIA EMENDATA ET AUCTA

STUDIO ADDICTUS
Province of Holy Cross

ROMAE
EX OFFICINA POLYGRAPHICA EDITRICE
Piazza della Pigna N. 53
—
1911

"PRINTED IN ITALY"

POTEST IMPRIMI

Romae, die 15 augusti anni 1909.

Aloisius Caterini S. I.
Praep. Prov. Rom.

IMPRIMATUR

Romae, die 19 martii 1911.

Fr. Albertus Lepidi Ord. Praed. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Romae, die 19 martii 1911.

Iosephus Ceppetelli Patr. Const. Vicesgerens.

D

1673 **Dalmatica.** — Decet dalmaticam et tunicellam ministrorum conformes esse in pretiositate ornatus planetae celebrantis, quia sacra haec indumenta non ministrorum ornatui, sed ecclesiasticae functionis decori inserviunt. *S. R. C. 31 maii 1817 ad 4 (2578).* Non potest permitti usus, ceroferarios, qui ne tonsura quidem initiati sunt, albam et dalmaticam, etsi non benedictas, induere. *S. R. C. in Pacen. 24 ian. 1890 ad 2 (3722).*

1674 **Damnificator.** — Damnificator iniustus ille est, qui ius alienum laedit, et proximo in bonis suis nocet, nec tamen inde ditior evadit. G. B. *I, 657.* Culpa, qua damnum infertur, alia theologica, alia iuridica; haec lata, levis, levissima. Vid. *Culpa.* — Tenetur damnificator restituere totum aequivalens rei damnificatae et damnis praevisis, praeter damnificationem rei. Cfr. *ll. 35, 75 de verb. sign. D. (L. 16); l. 13. ratam rem hab. etc. D. (XLVI 8).* Ut vero actio damnificans inducat obligationem restitutionis, debet esse vere, efficaciter et formaliter iniusta. Cfr. *l. 3 ad legem Aquiliam D. (IX 2).* Ex culpa tamen etiam mere iuridica, adesse potest restituendi obligatio in conscientia post sententiam iudicis. Lugo *de iust. et iure disp. VIII. n. 41. 46. 54.* Ad inducendam obbligationem restitutionis pro damno illato rei alienae, quae detinebatur ex contractu, requiritur probabilius culpa theologica (Lugo *l. c. n. 106;* S. Alph. *III 554*); item ob damnum alteri illatum n officio implendo, seu in quasi contractu servando. S. Alph. *III. 555.* - Culpa iam per poenitentiam retractata, damnum secutum ex causa culpabiliter posita reparari debet. Lugo *de poen. disp. XVI. n. 445.* - Qui damnum intulit Caio putans inferre Titio, probabilius tenetur ad restitutionem. S. Alphonsus *III. 629* contrarium tenet, eique accedit D'Annibale *II. 232;* quare in praxi possessori favendum. - Si alicuius actio fuit alteri imputata, isque poenas dedit, ille ad damnum reparandum generaliter non tenetur. Vid. *Restitutio.*

Beinsfeld P. In titulos iur. can. de iniuria et damno dato; *Felici Hect.* Tract. de communione seu societate bonorum, de lucro, de quaestu, de damno, de expensis (cum adnotationibus Angelii); *Edeni Brochardi* Tract. de damnorum culpa casuque fortuito, factorum, itemque infectorum praestatione ; *A Siggenhausen F.* Disputatio de damno iniuria dato ; *Hahnius Henr.* De damnis praecipue, quae ex dolo, culpa aut causa proveniunt, deque eorum correctionibus et praestationibus (in eius selectis disputationibus); *Fromageot* De la faute comme source de la responsabilité en droit privé; *Pedrassi* Del danno morale; *Castellari P. G.* Della « lex Aquilia » ossia del

danno dato; *Josserand*, De la responsabilité du fait des choses inanimées; *Muteau*, De la responsabilité civile; *Sourdat*, Traité général de la responsabilité ou de l'action en dommages-intérêts en dehors des contrats.

1675 **Dataria apostolica.** — Incertum omnino est, quo tempore Dataria exsistere inceperit tamquam officium ab aliis distinctum; sed a vero aberrare videntur ii, qui remotissimum quoddam tempus ad hoc assignant, inter quos eminet Amydenus *De stylo Datariae etc.*

Certe tamen iam seculo XIV Dataria apostolica suam habebat distinctam exsistentiam.

1676 Officium principale in Dataria obtinet unus ex cardinalibus, cui prodatarii nomen hucusque datum, post constitutionem vero « Sapienti consilio » datarius nuncupatur. Tanta fuit excellentia huius cardinalis, per quem omnes pontificiae gratiae concedebantur, ut *oculus Papae* dictus fuerit.

Post prodatarium, nunc autem datarium, venit subdatarius, qui unus est ex praelatis curiae et datarium iuvat et supplet fere in omnibus.

Habebantur antiquitus post hos, usque tamen ad nostra tempora, officiales plures, nominibus distincti valde aenigmaticis, ut dicit De Luca (*Relatio rom. Curiae for. disc. IX*), quos hic nominare supervacaneum esset.

His addendi erant plures apostolici expeditores, qui vocabantur.

Iam ante constitutionem « Sapienti consilio » haec Datariae distinctio abolita fuerat et in faciliorem ordinem magisque aetati nostrae consonum redacta. Constitutio nostra, quae multa innovavit circa ipsum Datariae munus, antiquam hanc officiorum distributionem penitus sustulit. Nunc non habemus praeter cardinalem datarium et subdatarium nisi unum praefectum cum suo substituto, aliquot officiales, arcarium, qui simul et diribitorem agit, revisorem bullarum et duos bullarum scriptores, servatis theologis examinatoribus concursuum.

Antiqua Datariae competentia amplissima fuit; ea tamen constitutione 1677
nostra in pluribus restricta est. Limites autem, intra quos ea nunc continetur, exprimuntur clarissime in constitutione ipsa sequentibus verbis: « Ad Datariam in posterum hoc unum tamquam proprium ministerium tribuitur, cognoscere de idoneitate eorum, qui optant ad beneficia non consistorialia apostolicae sedi reservata; conficere et expedire apostolicas litteras pro eorum collatione; eximere in conferendo beneficio a conditionibus requisitis; curare pensiones et onera, quae summus Pontifex in memoratis conferendis beneficiis imposuerit ».

Praxis etiam hodiernae Datariae 1678
probe indicatur in Normis peculiaribus cap. IX art. 2, ubi haec habentur:

« Ob inductam a Const. "Sapienti consilio" novam ordinationem Datariae apostolicae hoc relinquitur munus, quod in beneficiorum non consistorialium collatione versatur. Atque in hoc etiam officio sunt retinendae normae huius legis in iis, quae ipsum attingant.

« In collatione beneficiorum ea ratio servabitur, quam praesens lex

[illegible] praestituant cauto tamen ut hic cum novis praescriptionibus memoratae constitutionis, coniungat, donec, reformatis Cancellariae regulis, aliter provideatur.

« Bullae collationis prima praescriptio (*minuta*) fieri debebit ab uno [illegible] cant, *supplicationis*; eaque in actis [illegible] providendi nonnunquam beneficiis per decretum *simplicis signaturae*, hoc est nullis Bullis expeditis.

« Subscribetur Bullis a cardinali datario, eoque impedito, a cardinali [illegible] *Status*, contra posita subscriptione [illegible] ficio adsit.

« Curabit praeterea Dataria ut imponantur et exigantur pensiones et onera beneficiis Urbis adnexa, ad arcam pensionum, quam vocant, pertin[illegible] exiget solvendam ab iis pecuniam, qui oneribus aut pensionibus gravantur; ac deinde ius habentibus ad pensiones aliave emolumenta debitis modis satisfaciet.

« Trimestri quoquo spatio cardinalis datarius, aut eius vice alius, arcae statum explorabit, supputatisque rationibus, suae auctoritatis testimonium adscribet ».

Amydenus De officio et iurisdictione datariae nec non de stylo datariae; *Macanaz* Memorial sobre abusos de la dataria.

Datum. — [illegible] quae Datariae apostolicae praesentabantur, si gratia concedebatur, subsignabantur ab emo. Prodatario, cuius hoc proprium erat munus, *datare* scilicet omnes supplicationes tam gratiae quam iustitiae. Nec parvi momenti erat haec datatio et subscriptio. Subscriptione enim concessio gratiae habebatur, *appositio datae* vero [illegible] quod ad eiusmodi datam retrotrahebantur litterae postea expediendae sive in forma brevis sive in forma bullae. Et haec *appositio datae* erat omnino necessaria, quia scripturae omnes sine datatione seu sine *data*, fide carebant et probatione. Quum autem a *data* gratia sumeret initium, eius tempus ad validitatem vel invaliditatem gratiae attendendum erat. *Praxis Ap. disp. super imp. matr. n. 228.*

Debita. — Quoad debita et obligationes oeconomicas a religiosis familiis suscipienda attendi debet recens instructio data a S. Congr. religiosorum *30 iul. 1909.* Est autem sequens:

« Inter ea, quae religiosis familiis maius detrimentum afferunt, quaeque sicut earum tranquillitatem perturbant, ita bonam existimationem in discrimen vocant, praecipue est numeranda nimia facilitas, qua aliquando debita contrahuntur.

« Saepe enim aes alienum inconsulto et intemperate suscipitur, sive ad excitandas domos, sive ad eas augendas et ampliandas, sive ad tyrones plus aequo recipiendos, sive ad manum apponendam operibus vel instituendae iuventutis, vel sublevandae miseriae.

« Quae quidem omnia, licet vel in se, vel ratione praestituti finis, sint opera laude digna, quum tamen regulis christianae prudentiae et aequae administrationis non semper respondeant, ideoque apostolicarum praescriptionum verbis et spiritui contraria sint, Deo esse grata non possunt, nec proximo valent permansuram afferre utilitatem.

« Quum autem in dies misere succrescat huiusmodi abusus debita contrahendi absque prudentibus cautelis, et frequenter sine venia sive superioris generalis sive huius Apostolicae Sedis; attentis peculiaribus et extraordinariis sane circumstantiis, in quibus publicae et privatae res oeconomicae versantur; ne domus quaecumque religiosae, ex sua leviori agendi ratione, in aere alieno contrahendo damnum in posterum persentiant, Sanctissimus Dominus noster Pius Papa X, habitis suffragiis Emorum Patrum Cardinalium huius sacrae Congregationis negotiis religiosorum sodalium praepositae, in plenario coetu ad Vaticanum habito, die 30 Iulii 1909 post maturum examen, haec decernere, statuere et praescribere dignatus est, a singulis ordinibus, congregationibus, institutis utriusque sexus, sive votorum solemnium sive simplicium, a monasteriis, collegiis et domibus religiosis, sui quoque iuris, vel Ordinariis locorum subiectis apprime servanda.

I. Moderatores, sive generales, sive provinciales seu regionales, sive locales nulla debita notabilia contrahant, nullasque notabiles obligationes oeconomicas suscipiant, directe vel indirecte, formaliter vel fiducialiter, hypothecarie vel simpliciter, cum onere vel absque onere redituum seu fructuum, per publicum vel privatum instrumentum, oretenus vel aliter:

a) absque praevio consensu consilii generalis seu definitorii, si agatur de curia generali aut de domo vel domibus, immediate iurisdictioni seu directioni curiae generalis subiectis;

b) vel absque praevio consensu consilii seu definitorii provincialis, et expressa licentia moderatoris generalis, si agatur de debitis vel obligationibus a superioribus provincialibus vel regionalibus contrahendis seu suscipiendis:

c) vel absque praevio consensu consilii localis seu monasterii sive domus, quocumque nomine designetur, sub nullo superiore provinciali seu regionali positae, et expressa licentia moderatoris generalis eiusque consilii seu definitorii generalis. Quod si ordo in varias congregationes seu familias, proprium praesidem seu moderatorem generalem seu quasi generalem habentes, divisus sit, huius praesidis seu moderatoris eiusque consilii licentia necessaria omnino erit;

d) vel absque praevio consensu consilii localis, si agatur de monasteriis vel domibus nulli moderatori generali subiectis, accedente tamen licentia in scriptis ordinarii loci, si monasteria seu domus huiusmodi ab ordinarii iurisdictione vere exempta non sint.

II. In debitis vel in obligationibus

oeconomicis contrahendis habenda est notabilis quantitas, quae superat 500 libellas, nec attingit 1000, si agatur de monasteriis vel dominibus singulis; quae superat 1000 libellas nec attingit 5000, si agatur de provinciis vel quasi provinciis; quae superat 5000 libellas, si de curiis generalibus. Quod si domus, provincia vel curia generalis debita vel obligationes contrahere intendat, quae valorem 10,000 libellarum excedant, praeter licentiam respectivi consilii, ut supra, requiritur beneplacitum apostolicum.

III. Non licet per diversa debita vel per obligationes diversas, quae quomodolibet contracta sint vel contrahantur, summam respectivam in praecedenti articulo expressam superare; sed omnia et singula debita omnesque et singulae obligationes, quomodolibet contracta, semper coalescunt. Ideoque nullae omnino erunt licentiae ad nova debita contrahenda novasque obligationes suscipiendas, si anteacta debita vel obligationes nondum exstincta sint.

IV. Pariter nulla erunt indulta seu beneplacita apostolica ad contrahenda debita vel ad suscipiendas obligationes, valorem 10,000 libellarum excedentia, si domus provincialis vel curia generalis oratrix in precibus reticeat alia debita vel alias obligationes, quibus forsan adhuc gravatur.

« V. Si qua autem congregatio et institutum votorum simplicium aliaeque religiosae familiae consilia generalia, provincialia et localia non habeant, illa intra tres menses constituant ad hunc finem vigilandae administrationis oeconomicae. Monasteria autem seu domus, quae sint sui iuris, nec consilium libera capituli localis electione constitutum habeant, illud pariter intra tres menses sibi eligant. Consiliarii autem per triennium in officio permaneant, et sint quatuor in monasteriis vel domibus, quae saltem duodecim electores habent, et duo ad minus in aliis.

« VI. Suffragia, de quibus agitur in articulo I, toties quoties exquirantur, et semper secreta atque deliberativa sint, non mere consultiva; licentiae autem, virtute suffragiorum concessae, nunquam oretenus, sed in scriptis dentur. Acta vero consilii subscribantur tum a moderatore tum a singulis consiliariis.

« VII. Graviter oneratur moderatorum conscientia, ne per se vel oeconomum, vel aliter, consiliariis occultent, ex toto vel ex parte, bona quaecumque, reditus, pecunias, titulos, donationes, eleemosynas, et alia valorem aliquem oeconomicum habentia, etiamsi data sint moderatori intuitu personae; neque de debitis vel obligationibus quomodolibet contractis taceant; sed omnia plene, exacte, sincere, fideliter revisioni, examini et adprobationi consilii committantur; omnia etiam documenta, bona temporalia vel oeconomiam respicientia, pariter consiliariis examinanda tradantur.

« VIII. Nulla fundatio monasterii vel domus, nullaque fundationis amplificatio vel mutatio fiat, si pecunia solvenda non habeatur, et hac de causa debita vel obligationes oeconomicae contrahenda sint, etiamsi fundus vel materia ad aedificandum, vel aliqua

pars aedificii gratuito donetur, vel construatur; nec sufficit promissio pecuniae etiam in magna quantitate ab uno vel pluribus benefactoribus tribuendae, quia huiusmodi promissiones saepe non adimplentur, cum periculo gravis nocumenti materialis et moralis religiosorum.

« IX. Ut pecuniae, reditus aliique proventus legitime collocentur in aliquo tuto, licito ac fructifero, et ut potius in uno quam in alio investimento ponantur, requiritur votum consilii, toties quoties exquirendum, exhibitis praefato consilio omnibus notitiis circa formam, modum et alias investimenti circumstantias. Quod item valet pro qualibet investimenti mutatione, servatis aliis de iure servandis.

« X. Quae de triplici clavi capsam claudente deque ipsius capsae visitatione, necnon de recta administratione rerum temporalium praescribuntur in constitutionibus singularum familiarum religiosarum, si severiori ratione, quam in singulis articulis praesentis instructionis ordinentur, accurate serventur in iis, quae ipsi instructioni contraria non sint. Et ubi administratio temporalis per propria statuta ordinata non fuerit, omnia quamprimum ordinentur, prae oculis habitis quae in *Normis, cap. VI*, dicuntur, quaeque, non solum sorores, sed et viros religiosos respiciunt, ut habetur in *nota in fine, pag. 3* earumdem *Normarum* posita, salvis semper praescriptionibus huius instructionis.

« XI. Fundus, legata et alia quaecumque bona, quae quomodolibet missas adnexas habent, eorumque fructus vel reditus nullo pacto debitis vel obligationibus oeconomicis cuiuscumque conditionis sint, ne quidem ad breve tempus, gravari possunt; et pecuniae pro missis manualibus vel aliis celebrandis acceptae, ante ipsarum celebrationem, nullo pacto nullaque de causa, neque ex toto neque ex parte expendi possunt sed integre servari debent. Qua in re speciali vigilantia procedant tum moderatores tum consiliarii.

« XII. Quae de dotibus monialium et sororum non alienandis ab apostolica Sede iamdudum statuta sunt, erunt apprime servanda. Nullo igitur pacto neque cuiusvis utilitatis intuitu fas erit capitalia huiusmodi dotum consumere, quousque respectivae moniales vel sorores vivant; sub poenis a iure determinatis. Et Apostolicae Sedis venia erit expetenda, si ob gravissimas circumstantias perutilis iudicetur etiam unius tantum dotis alienatio.

« XIII. Donationes, etiam titulo eleemosynae vel subsidii, non fiant, nisi iuxta conditiones a sancta Sede praescriptas, et iuxta mensuram in singulis constitutionibus ordinatam, vel a capitulis, et in eorum defectu, a superioribus generalibus cum respectivis consiliis legitime determinatam.

« XIV. Omnia, quae in hac instructione praescribuntur, non solum ordines, congregationes et instituta virorum, sed etiam monialium et sororum respiciunt. Violatores autem earumdem praescriptionum graviter puniantur, et si violatio sit de iis, quae de iure communi vel iuxta praesen-

tem instructionem apostolicum beneplacitum requirunt, poenis ipso facto subiaceant, alienatoribus bonorum ecclesiasticorum inflictis.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus ».

1681 **Debitores.** — Debitor in sensu iuris ille est, a quo aliquid ex quavis causa debetur, idest a quo invito aliquid exigi potest; et pressius is, a quo invito exigi pecunia potest. *l. 168 de verbor. signif. D.* (*L. 16*). Debitores ex cooperatione, qui eodem modo concurrerunt ad damnum, singuli aequaliter in solidum restituere debent (B. P. *III. 387 sqq*); si diverso modo concurrerint, et agatur de furto, tenetur primo possessor, deinde mandans, raptor, ceteri cooperatores positivi, demum cooperatores negativi. B. P. *III. 392*. Si de damno agatur, primo tenetur mandans, secundo executor, dein cooperatores positivi, postremo negativi. Creditores vero, quibus satisfaciendum primo, sunt privilegiati, deinde hypothecarii et communes. *C. C. aa. 1956, 1963, 2092*. Probabilius debita ex delicto non sunt solvenda prius, quam debita ex contractu. Sed ea, quae sunt ex titulo oneroso, solvi debent ante illa, quae ex gratuito sunt. Lugo *de iust. et iure disp. XII n. 38*. Quid autem, si debitor immemor debiti donaverit creditori? An hoc ipsi in debiti solutionem imputabitur? Et affirmative respondendum est, si memor debiti in solutum dedisset; negative, si adhuc donasset. D'Ann. *I. 166* (*33*). Quod ex circumstantiis desumendum; ut ecce, si quis det dono aliquid tunc, quum ex moribus regionis, etsi non fuisset debitor, daturus esset, praesumendum est illum fuisse donaturum, etsi fuisset debiti memor.

S. Poenitentiaria componit debita incerta; quare ad eam recurrendum est pro huiusmodi compositionibus. At delicta certa componi nequeunt, quum hoc esset contra ius tertii. Hinc, si quis deberet Titio 130 libellas, et Titio mortuo, ad debiti solutionem celebrare fecisset pro eius anima tot missas, quot aequivalerent summae in mutuum acceptae, et etiam plures, non ideo compositio fieri posset, sed integra summa restituenda esset heredibus defuncti. *S. Poen. 7 febr. 1899*. Vid. *Cooperatio, Creditores, Restitutio*.

Lorioti P. De debitore et creditore; *Baetiae G.* De debitore inope; *Dietrich Th.* De aestimatione rei debitae ineunda; *De Apicella L. M.* Tutamen pauperum sive etc.; *Meier I.* De debiti liquidi constitutione; *Cranii H. A.* Disp. inaug. de debiti liquidi constitutione; *Gunther G.* De constitutione debiti, maxime liquidi; *Mevii D.* Discussio levaminum inopiae debitorum; *Manzi G.* Praeludium belli civilis inter rigorosos creditores et calamitosos debitores etc.; *Rodriguez A.* Tract. de concursu et privilegiis creditorum in bonis debitoris etc.; *Sanctii a Melo L.* Novus tract. de induciis debitorum; *Manzi G.* Patrocinium debitorum calamitate belli depauperatorum; *De Villosa R.* Tract. de fugitivis (in 3° t. de debitore suspecto et fugitivo); *Taboris I. O.* Tract. de praediis debitorum; *Carpzovius B.* Asylum debitorum; *Lindner D.* Antinomiae iuris circa rei debitae peremptae praestationem et aestimationem conciliatae; *Manzi G.* Disquisitio utrum debitor censuum et usurarum a solutione excusetur per defectum re-

dituum, fructuum, etc.; *Capmas* De la révocation des actes faits par le débiteur en fraude des droits du créancier; *Pellouin* De la révocation des actes faits par le débiteur en fraude des droits du créancier.

Debitum coniugale. — Vid. *Actus coniugalis.*

1682 **Decalogus.** — Eius notitia explicita ex praecepto omnibus fidelibus necessaria est; sed non necessario memoriter sciendus est et ordine solito. G. B. *I. 201.*

Deceptio. — Vid. *Error, Dolus.*

1683 **Decimae. — De earum natura et divisione.** — Decimae in iure ecclesiastico sunt pars quaedam (initio fuit pars decima) fructuum agrorum, vel industriae, ministris ecclesiae a fidelibus propter cultum divinum et spirituale ministerium persolvenda. Schmalzgr. *in tit. 30 lib. III Decr. n. 1.*

Relictis decimis, quae dictae sunt *dominicae* seu *dominicales,* quaeque erant quaedam tributa temporalibus dominis solvenda ad modum census propter praediorum concessionem (Monitore eccl. *v. X. p. 1. pag. 167;* B. P. *II. 1157*), decimae in sensu definitionis allatae dividuntur in *praediales* seu *reales,* quae nempe ex fructibus agrorum (*cc. 7. 21. de decimis etc. X.* [*III. 39*]); et *personales*, quae ex fructibus industriae constituuntur. *cc. 20. 28. tit. cit. X.;* Schmalzgr. *l. cit. n. 4. sqq.*

1684 **De modo et obligatione eas solvendi.** — Reales iure canonico solvendae sunt, nullis deductis impensis (*cc. 21. 22. 26. 29. 33. tit. cit. X.*), scilicet ordinariis. *S. C. C. 2 sept. 1876;* — decimae personales iamdiu contraria consuetudine abrogatae sunt. Tamburini *de praec. eccl. pr. 5. n. 5;* Lessius *de iust. et iur. l. II. c. 39. n. 12.*

Decimae hoc sensu, quod fideles debent, necessitate exsistente, necessaria subministrare ministris ecclesiae, a quibus recipiunt sacramenta, ad honestam eorum sustentationem, sunt de iure ipso naturae; quare sic intellectae non possunt praescribi. Cfr. S. Th. *2. 2. q. 87. a. 1.* Si vero decimae sumantur, secundum quod dicunt hanc vel illam partem fructuum persolvendam esse, vel aliquid esse persolvendum, necessitate non exsistente, sunt de iure ecclesiastico, et contra eas praescribi potest. Cfr. S. Th. *l. c. et 1. 2. q. 108 ad 2;* B. P. *II. 1163.*

Hinc prius in desuetudinem abierunt decimae personales, postea etiam reales multis in locis, quamvis non ubique. Hac tamen quoque consuetudine exstante, debent fideles facere satis praecepto naturali consulendi sustentationi suorum pastorum, quando nempe hi aliunde sustentationem non habeant. B. P. *l. c. n. 1163.* Semper autem ecclesiae ius est, decimarum solutionem etiam abrogatam fidelibus iterum imponere, quia penes eam est iudicium de ipsius necessitate. Et si potestas civilis decimas suis legibus vel sibi usurpat, vel abrogat etc., invalide agit, quia incompetens est. *c. 25. tit. cit. X.; S. Poen. 25 aug. 1887.* Decimae ex iure canonico solvendae sunt ab omnibus fidelibus (*cc. 2. 8. tit. cit. X.*), qui habent eos fructus, unde decimae sunt colligendae; etiam a regibus, a clericis de suis bonis (*c. 2. tit. cit. X.;* cfr. Suarez *de relig. l. 1. c. 18. n. 23*), a

pauperibus, si possint sine gravi incommodo. B. P. *l. c. n. 1159.* Catholici orientales, qui ex indulto S. Sedis transeunt de orientali ad ritum latinum, tenentur decimas solvere parocho proprii ritus, quem actu profitentur. *S. C. P. F. 2 iun. 1760.* Monasteria debent praediales solvere (*c. 34. tit. cit. X.*; cfr. etiam *S. C. EE. RR. in Patavina 4 mart. 1864*), non vero personales. *c. 47. C. XVI q. 1.* Postea a qualibet decima solvenda religiosi vel iure communi, vel specialibus romanae Sedis privilegiis, fuerunt exempti. B. P. *loc. cit. num. 1160.*

1685 **Quibus eae solvendae.** — Solvendae autem sunt decimae clericis curam animarum habentibus (*cap. 29. tit. cit. X.*), scilicet reales parocho territorii, in quo praedia sita sunt; personales parocho domicilii et quasi domicilii (*cc. 13. 18. 20. tit. cit. X.*), a quo nempe quis sacramenta accipit, unde et sacramentales dictae sunt (B. P. *l. c. n. 1158*), et ex decimis his clericis solutis desumenda est quarta pars, et danda episcopo pro ipsius sustentatione. *c. 4. de praescript. X.* (*II. 26*).

1686 **De quibusdam respicientibus leges civiles abrogantes solutionem decimarum.** — Adnotavimus iam superius, leges civiles abrogantes solutionem decimarum esse nullas ex defectu uris dictionis. Hinc est, quod, supposita etiam huiusmodi lege, fideles tenentur adhuc in conscientia ad decimas solvendas, nisi ab ipsa solutione alio legitimo titulo excusentur. Hinc est, quod s. Poenitentiaria ordinariis Italiae suis litteris significavit, eorum munus esse docendi fideles, eos ad decimas solvendas, post latam legem civilem de earum abolitione, teneri non secus ac antea.

Prospiciens autem eadem s. Poeni- 1687
tentiaria difficilibus conditionibus per eam legem factis, quo facilior pateret via fidelibus suae consulendi conscientiae, seseque ab onere decimarum solvendarum in perpetuum liberandi, voluit eos ab ordinariis excitari, ut ad iustam decimarum redemptionem, vel etiam, ubi casus ferret, ad aequam super illis compositionem admitti peterent; quem in finem de speciali et expressa apostolica auctoritate iisdem ordinariis opportunas concessit facultates. Statuit praeterea, ut, facta decimarum redemptione vel compositione, pretium earumdem, prudenti ordinariorum iudicio, iuxta peculiaria cuiusque casus adiuncta determinandum, collocaretur in tuto, honesto ac fructifero investimento; fructus vero applicarentur beneficiis vel piis locis, quae damnum passa essent. – Declaravit praeterea, eos, qui decimas nec redemerint, nec super illis se composuerint, easque persolvere nolint, non esse absolvendos, nisi plena restitutione secuta, salvis tamen regulis a probatis auctoribus traditis circa illos, qui inopia vel paupertate laborant. (Et confirmatum hoc est responsione s. Poenitentiariae ad episcopum Callien. *20 nov. 1902*, qua declaratum est, parochum interrogatum a fidelibus, an obligatio solvendi decimas adhuc perduret, respondere debere affirmative; quam praeiverat alia responsio ad eumdem episcopum in eumdem sensum die 8 mart. 1898). -

Similiter declaravit tolerari, ut vel ordinarii vel parochi aliique, quorum interest, peterent a gubernio compensationem pro damno sibi illato; ita tamen, ut in huiusmodi petitione nihil contineretur, quod ad ius de decimis disponendi in laica potestate probandum trahi posset, et expresse significaretur, compensationem peti titulo tantum legitimae indemnitatis. *S. Poen. 2 sept. 1887.*

Quae consonant etiam antiquiori responso eiusdem Poenitentiariae, quo ipsa ad quaesitum, an parochi et ceteri ecclesiastici, quibus, decimarum abolitione a gubernio decreta, damnum illatum est, compensationes ab ipso gubernio propositas percipere possint, respondit: « Posse iuxta oraculum SS. Domini, titulo merae compensationis, pro damno sibi a gubernio illato ob impeditam decimarum exactionem, percipere pensiones a gubernio assignatas, facta tamen prius ab ordinario loci in communi, sive a quolibet ex dictis parochis seu ecclesiasticis in particulari, protestatione, per huiusmodi perceptionem nullo modo recognosci aut approbari decimarum absolutionem a gubernio factam, et caute monitis earumdem decimarum debitoribus, eos non esse vi legis a gubernio latae ab onere easdem solvendi liberatos ». *S. Poen. 10 dec. 1860.*

1688 Quid autem, si Parochus a gubernio obtinuit augmentum congruae ob impeditam decimarum exactionem? Potestne in casu in colligendis decimis adhuc persistere? Huic quaestioni scriptor ephemeridis, cui titulus « Monitore ecclesiastico » *vol. XIV. pag. 35,* respondet affirmative, tum quia ex hac agendi ratione nemini iniuriam infert, tum quia ea, quae a gubernio accipiuntur, sunt bona ecclesiastica erepta, quae legitimi domini, si hi ea recuperare non possint, malunt ab aliis ecclesiis haberi, quam ab ipso ereptore gubernio frui. Attamen nota responsionem s. Poenitentiariae ad sequens quaesitum: An parochi, qui non possent decenter vivere solis nongentis libellis, aut illi, qui ante abolitionem decimarum sacramentalium reditum habebant superantem nongentas libellas, obligentur relinquere dispositioni episcopi omnem decimarum reditum, nec eam quidem partem sibi retinentes, quae necessaria esset ad coaequandum antiquum reditum? Respondit s. Poenitentiaria: « Parochos posse sibi ex decimis, quae ipsis de facto solvuntur, retinere eam partem, quae necessaria est ad coaequandum totalem reditum parochiae, quo ante abolitas decimas gaudebant, etiamsi reditus iste nongentas libellas superasset. Parochos autem, qui sola congrua nongentarum libellarum honeste vivere non possunt, teneri idipsum episcopo declarare, qui, si id opportunum iudicaverit, poterit iisdem permittere, ut vel omnes decimas vel earum partem sibi retineant, etiamsi nunc, omnibus supputatis, reditum maiorem haberent quam prius ». *S. Poen. ad Ep. Calliensem 20 nov. 1902.*

Praeterea nota, fideles, qui ex ali- 1689
qua ratione, quia v. gr., gubernium aequivalens parochis solvit, putant se non obligari ad decimas solvendas, non esse inquietandos neque a paro-

chis neque a confessariis, dummodo hae duae verificentur conditiones: 1° quod supplementum, aliunde a parochis acceptum, sit in compensationem decimarum, et illas adaequet; 2° quod ipsi fideles parati sint stare mandatis ecclesiae. *S. Poen. ad ep. Nucerin. 4 maii 1897; ad ep. Montis Alti 7 mart. 1899.* Insuper animadvertendum est, parochum rogatum posse consentire decimarum imminutioni, dummodo et ius decimandi recognoscatur a parochianis, et renuntiatio sit personalis, nec ullum inferat praeiudicium iuribus successorum (*S. Poen. ad ep. Callien. 8 mart. 1898*), quod parochus facere potest, praesertim si ab episcopo facultatem habuerit. *S. Poen. ad ep. Callien. 20 nov. 1902.* Parochus, qui decimas non percipit amplius, non tenetur eas facere praestationes, quae decimis innitebantur. Cfr. *S. C. EE. RR. 15 iun. 1906.* Confer etiam Gennari *Consultazioni mor. cons. 85:* « Mon. eccl. » *1905-06. pag. 313.*

1690 **De legitima auctoritate in causis decimarum.** — Iudicium de causis, quae ad decimas pertinent, si agatur de iudicio in petitorio, quum nempe agitanda est controversia de iure decimandi, secluso casu cuiusdam privilegii apostolici, pertinet ad auctoritatem ecclesiasticam (*cc. 26. 28. tit. cit. X.*); si vero agatur de iudicio in possessorio, iudex laicus potest causam videre. Santi *in tit. de decimis n. 20.*

Poena contra non solventes decimas antiquo iure et ex Tridentino *sess. XXV. c. 12 de ref.* est excommunicatio ferendae sententiae.

Grimandet E. Paraphrases du droit des dîmes ecclésiastiques et inféodées; *Ossanaeus I. R.* Disputatio canonica de decimis; *Rebuffi P.* Tract. de decimis tam feudalibus, quam aliis; item de novalibus; *Canisius H.* Praelectiones academicae in duos titulos singulares iuris canonici, unum de decimis, primitiis et oblationibus, alterum de usuris; *Scaligeri I. I.* Tract. de decimis in lege Dei; *Seldeni* Historia de decimis; *Moneta A.* Tract. de distributionibus quotidianis et de decimis; *Forget G.* Des personnes et choses ecclésiastiques et décimales avec un traité des droits de Régale et des pensions bénéficiales; *Carpzovius B.* Disp. inaug. de decimis, *Markowicz I.* Decima cleri saecularis in Regno Poloniae defensa contra exemptiones patrum Soc. Iesu; *Markowicz I.* Decima c. s. in iudicio S. Congr. Conc. Trid. Interpr. contra e. p. S. I vindicata; *Markowicz I.* Decima c. s. vigore brevis Inn. X P. executioni debitae accomodata; *Cichowski N.* Responsum theolog. ad triplex scriptum R. D. Jo. Mark. contra exemptiones Soc. Iesu de decimis; *Markowicz I.* Replicatio can. ad resp. theol. S. I. Provinciae Poloniae in materia decimarum; *Krolow H.* De iure decimarum; *Hahn H.* Disp. inaug. de iure decimarum; *Castropalao F.* De horis canonicis, oratione, decimis et beneficiis; *Werndle I.* De decimis feudalibus et novalibus; *De la Lande I.* Praelectiones in tit. de decimis, primitiis et oblationibus libri III Decr. Gregorii IX; *De Luca Card. I. B.* De decimis, oblationibus et eleemosynis in Op. omnium vol. 14; *De Marsollier*, Histoire de l'origine des dîmes et autres biens temporels de l'Eglise; *Zesterfleth I.* Diss. iur. de decimis laicorum in terris protestantium; *Redecker Ch.* Diss. iur. de decimis laicorum in terris protestantium; *Slowikowski M. G.* Quaest. iur. de decimis; *von Chlingensperger Ch.* Disp. iur. de decimis ad intellectum Chur. Bayr. Landrecht tit. XXVIII Von den Zehenden; *Blumen I.* Nützlicher Unterricht vom Zehent-Recht u. s. w.; *Syring* Aurea praxis iuris decimandi etc.; *Du Per-*

ray Mich. Traité hist. et chron. des dixmes, suivant les conciles, constitutions can., ordonnances et coutumes du royaume; *Straus Io. Val.* De decimis novalium; *Zalarzovius N.* Iureconsultus in materia censuum et decimarum etc.; *Böhmer G. L.* De origine et ratione decimarum in Germania; *Brunet I.* Recueil des actes, pièces et procédures concernant l'emphitéose perpétuelle des dîmes du Briançonnois; *Sven Bring* De decimis christianorum; *Will I. R.* Diss. de differentia decimarum ecclesiasticarum et secularium praecipue quoad onus reparandi ecclesias; *Horix I. B.* De differentia decimarum ecclesiasticarum et saecularium praecipue quoad onus reparandi ecclesias; *Dürr F. A.* De parocho a perceptione decimarum novalium in Germania excluso; *Schweser Ch. H.* Kluger Zehend-Beamte, oder ausführl. Abhandl. des Zehnd-Rechts nach dessen heut. Gebrauch in- und ausserhalb Theutschl.; *Endres I. N.* De decimatore nobili favoris eccles. parochialium quoad praescriptionem extinctivam participe; *Hedderich Ph.* Diss. de eo, quod circa decimas novales in Germania, ac praecipue in dioecesi et territorio Coloniensi, iustumest; *De Lanjuinais I. D.* Mémoire sur l'origine, l'imprescriptibilité, les caractères distinctifs des différentes espèces de dîmes et sur la présomption légale de l'origine ecclésiastique de toutes les dîmes tenues en fief; *Wagner G. S.* Das Zehntrecht i. sein. ganz. Umfang m. Rücksicht auf d. preuss. R.; *Schein I. M.* Von den Zehenden und dem Zehend-Rechte mit Bezug auf die alten Zehendordnungen u. s. w.; *von Ottenthal Ph.* Der Zenht n. kanon. u. österr. R.; *Jäger* Das Zehentrecht im Königr. Bayern mit bes. Rücksicht auf den Hopfenzehnt; *Zachariä* Aufhebung, Ablösung und Ursprung des Zehnten; *Birnbaum I.* Die rechtl. Natur d. Zehnten a. d. Grundeigentumsverhältnissen d. röm. u. fränk. Reichs hist. entwickelt; *Göschl* Ueber den Ursprung des kirchlichen Zehnts; *Kühlenthal* Geschichte des deutschen Zehntes; *v. Sicherer H.* Der Zehnt n. gem. deutsch. u. bayer. Rechte; *Murmesi N.* Memoria intorno alle decime del regno di Sicilia; *De Lipski I.* De iure decimarum ecclestiastic. in Polonia animadversiones historicae; *Mattei I.* Se siano dovute decime sui frutti dei fondi novali; *Selborne* Ancient facts and fictions concerning churches and tithes; *Minella G.* Le decime ed altre prestazioni congeneri dopo la legge 14 luglio 1887; *Pannunzio A.* Decime abolite e redimibili; *Cassani* Origine giuridica delle decime eccl.; *Banti A.* Le decime a proposito di due recenti decisioni; *Bertolini* Decime; *Gastaldis A.* Le decime costituenti la dote del beneficio ecclesiastico; *Lampertico I.* La legge 14 luglio 1887 sulle decime; *Salvioli G.* Le decime; *Scaduto F.* Decime regie, specie siciliane, dominicane o sacramentali; *Rinaldi A.* Sulla commutazione ed affrancazione delle decime ed altre prestazioni fondiarie perpetue; *Stud* The law of tithes; *Fulci* Sulle decime con riguardo speciale alla Sicilia; *Elliot* Teinds or Tithes; *Manfrin* L'abolizione delle decime; *Durand L.* La dîme ecclés. au 18e siècle; *Meurer Ch.* Zehnt u. Bodenzinsrecht i. Bayern; *Kopp* Zehntrecht u. Zehntablösung i. Baden; *Scaduto* Per l'abolizione delle decime siciliane; *Scaduto* Decime siciliane; *Salvioli*, Le decime di Sicilia e specialmente quelle di Girgenti; ricerche storico-giuridiche; *Perels E.* Die kirchl. Zehnten im karol. Reich; *Hennig F.* Die päpstlichen Zehnten auf Deutschland im Zeitalter des Avignonischen Papsthums und während des grossen Schismas.

Decisiones SS. Congregationum. — 1691 In constitutione « Sapienti consilio » *29 iun. 1908* statutum est, quod « sententiae quaevis, sive gratiae via sive iustitiae, pontificia approbatione indigent, exceptis iis, pro quibus eorumdem officiorum, tribunalium et congre-

gationum moderatoribus speciales facultates tributae sint, exceptisque semper sententiis tribunalis S. Rotae et Signaturae Apostolicae de ipsarum competentia latis ».

In hoc autem habemus immutationem quamdam non parvi momenti relate ad antiquum ius; scilicet ante novam constitutionem valor decretorum seu decisionum alicuius S. Congregationis ex sequentibus principiis deducendus erat, quamvis alii canonistae maiorem etiam valorem et firmitatem iis decisionibus tribuerunt.

Plura harum decisionum genera distinguebantur, prouti et nunc distinguuntur.

Quaedam enim continent interpretationem seu declarationem legis iam exsistentis, quaedam concedunt privilegia vel dispensationes, quaedam statuunt ordinationes quasdam exsecutorias seu administrativas ordinis universalis.

Quaedam antiquo iure praeterea dabantur tamquam sententiae iudiciales. Quoad sententias iudiciales eae iuxta doctores constituebant ius tantum inter partes contendentes: quare partes collitigantes ligabant, sed alios non respiciebant (*l. 2. quibus res iudicata etc. C.* [*VII. 56*]*; de sent. et re iud. X.* [*II. 27*]), hinc per se nullam habebant vim legum universalium. Wernz, *Ius Decr. I. 146.* Imo quamvis huiusmodi decisiones magni habendae essent, non ligabant tamen iudices inferiores, qui non tenebantur eas sequi in iudicando, nisi ex repetitis decisionibus Sacr. Congregationum exortus fuisset usus forensis aut stylus Curiae, quem vocant, quique vim legis habet. Santi *in tit. 31 lib. 1 Decr. n. 52. sqq.* His nunc successerunt decisiones administrativae ordinis mere particularis.

Decisiones, quae continebant interpretationem alicuius legis dubiae et obscurae, non solum habendae erant tamquam interpretationes doctrinales magni momenti, sed etiam tamquam authenticae interpretationes; attamen et ipsae non videbantur habere vim legum universalium, nisi de mandato Pontificis expresse promulgarentur pro tota ecclesia, aut transissent in stylum Curiae. Ligabant vero eos, quibus datae erant. — Cui assertioni adnotabant quidam canonistae, non contradicere decretum S. Congr. Rituum *in una Ord. Praed. 23 maii 1846, cum appr. Pii PP. IX.* (*2916*), scilicet: « Decreta a S. R. C. emanata et responsiones quaecumque ab ipsa propositis dubiis scripto formiter editae (et scripto formiter editae dicuntur, quum subscriptae sunt a Sacr. Rit. Congr. praefecto et secretario ac eiusdem sigillo munitae, *S. R. C. in Romana 8 apr. 1854* [*3023*]) eamdem habent auctoritatem, ac si immediate ab ipso summo Pontifice promanarent, quamvis nulla facta fuerit de iisdem relatio Sanctitati suae » (cfr. B. P. *I. 254*); nec opponi decreta S. Congr. de Prop. Fide, quibus statutum erat, decreta S. Congregationis, quotiescumque essent a praefecto eiusdem firmata, a secretario subscripta et sigillo munita vim habere et valorem constitutionis apostolicae, ac ab omnibus et singulis inviolabiliter esse servanda *S. C. P. F. 30 iul. 1652, 15 maii 1779.* — Nam quamvis ea omnia decreta ha-

berent vim decretorum Pontificis, non ideo tamen censendae erant leges universales, quum et Pontifex dare possit leges non universales. Quare his decretis hae duae Congregationes videbantur his canonistis aequiparatae illis, quae Romanum Pontificem habent praefectum, quaeque proinde dant leges, quae sunt vere pontificiae, quin tamen proinde sint semper universales, ut est ex gr. Congregatio S. Officii. Quare decreta S. Congr. Rituum et S. Congr. de Prop. Fide erant decreta pontificia, etsi edita fuissent non de expresso mandato Pontificis, neque ab eo essent specifice confirmata.

Omnes autem admittebant, decisiones interpretativas legis etiam non clarae a SS. Congregationibus datas vi alicuius praecedentis mandati specialis Romani Pontificis, aut quae ab eodem Rom. Pontifice fuissent specifice confirmatae, et ratione obiecti referebantur ad universam ecclesiam, habere vim legum universalium. Cfr. B. P. *loc. cit.* (*b*); Wernz, *loc. cit. 146, III* (*62*).

Decisiones, quae concedebant aliquod privilegium vel aliquam dispensationem, ex ipsa rei natura non habebant nisi vim particularem, scilicet valebant pro iis tantum, quibus concedebantur.

Decisiones autem, quae statuebant ordinationes quasdam exsecutorias seu administrativas ordinis universalis, nonnisi de speciali mandato R. Pontificis dabantur, qui suis Congregationibus aliquando utebatur ad dandas suas leges.

Nunc omnes decisiones SS. Congregationum egent, ut diximus, pontificia approbatione. Ex hoc tamen non est deducendum, omnes nunc fieri decisiones pontificias; approbatio enim, quae requiritur et quae de facto datur, non est approbatio quaedam specifica, sed tantummodo approbatio communis, quae proinde relinquit decisionem approbatam in sua prima natura. Verum exinde sequitur revocatam esse dispositionem antiquo iure vigentem, secundum quam, ut supra annotavimus, responsiones authenticae s. Congregationis Rituum aut sacrae Congregationis de Prop. Fide, quoties erant subscriptae a praefecto et a secretario et munitae respectivo sigillo, eamdem vim habebant ac si immediate a romano Pontifice promanarent.

Declaratio benedictina. — Vide *Clandestinitas.*

Dedicatio. — **De natura dedicationis seu consecrationis ecclesiae.** — Dedicatio solemnis ecclesiae, quae etiam ecclesiae consecratio dicitur, est ritus sacer ab ecclesia institutus, quo locus profanus per unctionem cum sacro oleo ab episcopo peractam efficitur sacer et in perpetuum deputatur ad cultum divinum. 1693

De ecclesiis consecrandis vel non. — Incumbere debent episcopi, ut ecclesiae saltem cathedrales et parochiales (Cfr. *Concil. Roman. sub Benedicto XIII tit. XXV*) solemniter consecrentur; quoad minores vero ecclesias, si nolint uti iure suo illas solemniter consecrandi, debent eas benedicere vel facultatem tribuere sacerdotibus eas benedicendi. *S. R. C. in Cuneen. 7 aug. 1875 ad 1* (*3364*). 1693

Consecrari vero nequit ecclesia, cuius subterranea pars adhibetur ad theatralia spectacula (etsi haec fiant praecipue in finem ut iuventus honeste exerceatur, et a profanis et periculosis spectaculis retrahatur), quia ecclesia cum sua parte subterranea consecratur per modum unius. *S. R. C. in Taurinen. 4 maii 1882 ad 1* (*3546*). Pariter nisi habeantur sufficientes cautiones, abstinendum est a consecratione ecclesiae, quae, pertinens ad laicam familiam, per vigentes leges potest hereditaria ratione transmitti, aut vendi, aut in usum profanum converti. *S. R. C. decr. nuper cit. ad 2.*

1694 **De ministro consecrationis.** — Unus autem episcopus, qui nempe ordine talis sit, idest iam fuerit consecratus, est minister legitimae et validae consecrationis ecclesiae. Presbyter hoc potest tantummodo ex privilegio Pontificis, quod aliquando indultum est, e. gr. a Pio IV abbati cuidam Ludovico, et successoribus eius in monasterio Eingildensi, certis durantibus circumstantiis. Confer Santi *in tit. 40. lib. 3. Decr. n. 3.*

Consecrationis legitimus minister tum ecclesiae, tum altaris, est episcopus loci, in cuius dioecesi erecta est ecclesia consecranda, etiamsi sit regularium, vel in qua est altare consecrandum (Conc. Trid. *sess. VI c. 5 de ref.; c. 1 de religios. dom. X.* [*III. 36*]; *c. 2 de consecr. eccl. etc. X.* [*III. 40*]), et hoc ius ipsi est etiam prae ipso fundatore ecclesiae, etsi sit episcopus vel abbas. *S. R. C. in Audomaren. 14 apr. 1674* (*1505*). — Episcopus potest eam alteri episcopo delegare, imo debet, si ipse non fuerit consecratus. Vicarius generalis, etiamsi ordine episcopus, non potest consecrationem peragere sine speciali mandato. Pirhing *in tit. 28 lib. 1. Decr. n. 48.* Cardinales in ecclesiis sui tituli ius habent consecrandi altaria ex decr. conf. a Leone XIII *25 ian. 1879.*

Notandum vero hic est, s. Congr. Inquisitionis respondisse, non expedire, ut episcopus alterius ritus consecret ecclesias ritus latini. *S. U. I. 16 iun. 1831.*

De tempore consecrationis. — Consecra- 1695
tio etiam ecclesiae fieri potest quocumque die, sed magis decet eam peragere diebus dominicis aut festivis.

De requisitis ad consecrationem. — Ec- 1696
clesia ad hoc ut capax sit consecrationis, debet esse ex lateribus vel lapidibus confecta; lignea, etsi perpulcre interius exteriusque ornata, consecrari non potest (*S. R. C. in una S. Salvatoris in America 11 apr. 1902*); sed ex *coemento armato*, quod vocant, constructa consecrari potest, dummodo duodecim crucium loca et postes ianuae principalis sint ex lapide. *S. R. C. in una Portus Principis 12 nov. 1909.*

In consecranda ecclesia necesse om- 1697
nino est, ut unum saltem altare simul consecretur (*S. R. C. in Fesulana 12 aug. 1854* [*3025*]; *in Augustodunen. 3 mart. 1866 ad 1* [*3142*]; *in Bellunen. 4 febr. 1898 ad 6* [*3978*]); quod tamen non requiritur ad validitatem, sed ad liceitatem tantum, nisi habeatur apostolicum indultum (*S. R. C. 19 maii 1896 ad 1* [*3907*]), quo

opus est etiam in casu, quod omnia altaria iam fuerint consecrata. Non potest autem ad consecrationem ecclesiae procedi a duobus episcopis, ita ut unus ecclesiae, alter altaris eiusdem ecclesiae consecrationem peragat. *S. R. C. decr. cit. 3 mart. 1866 ad 2.* Patet autem ex dictis, consecrationem ecclesiae validam esse, etsi invalida fuerit ex quocumque defectu consecratio altaris simul facta. *S. R. C. in Fanen. 17 iun. 1843. ad 2* (*2862*); *in Turonen. 28 sept. 1872* (*3286*).

1698 Pars essentialis consecrationis ecclesiae in eo est, ut liniantur sacro chrismate duodecim cruces insculptae vel depictae in parietibus ecclesiae, et proferatur forma verborum. Censetur autem adhaerere muris ecclesiae; quod hodie ex pluribus decretis sacrae Congregationis Rituum certum est contra sententiam antiquitus communiorem, eam scilicet adhaerere ipsi parietum incrustationi. Hinc non indiget nova consecratione ecclesia iam consecrata, cuius tota frons, scilicet sexta pars ipsius muralis ambitus erui debuit usque ad fundamenta, quae remanserunt, et in quibus novus murus pro maxima parte erectus est (*S. R. C. in Marianopolitana 11 mart. 1871* [*3240*]; *20 febr. 1874 ad 1* [*3326*]); vel ecclesia, cuius incrustatio (vulgo *intonaco*), in qua depictae erant cruces, per totum internum ecclesiae spatium decussa fuit tota simul et simul cum crucibus (*S. R. C. in Senien. 4 maii 1882* [*3545*]; *in Nicoteren. 9 aug. 1897 ad 1* [*3962*]); vel ecclesia, in qua tum quaedam cruces penitus amotae sunt, tum reliqui totius ecclesiae muri cum ceteris crucibus consecrationis inalbari rursus, ac ideo novae cruces pictae efformari debuerunt (*S. R. C. in Nitrien. 13 iul. 1883 ad 1* [*3584*]); vel ecclesia, in qua ob necessariam ampliationem dirutum fuit altare maius, intactis manentibus parietibus lateralibus, et interna parietum facies perpolita, et *stucco*, uti vocant, noviter cooperta est (*S. R. C. in Barcinonen. 16 ian. 1886 ad 1 et 2* [*3651*]); vel ecclesia, in cuius parietibus opus tectorium sit renovatum (*S. R. C. 19 maii 1896 ad 2* [*3907*]). E contra nova consecratione indiget ecclesia, in cuius instauratione fieri debuit de novo murus integer et absis, quae per totum novo tectorio est inducta, et in qua affabre instauratae sunt partes quaedam deficientes. *S. R. C. in Aretina 4 sept. 1875 ad 2* (*3372*). Scilicet locum habet exsecratio ecclesiae, si tota ecclesia aut notabilis pars murorum destruatur aut innovetur; non vero si comburatur vel concidat, aut innovetur tantummodo tectum, aut modica pars murorum aut incrustatio (*intonaco*) partim vel integre deiiciatur, aut ecclesia per partes renovetur, etiam simul, etsi ob huiusmodi reparationes nulla pars de priori aedificio supersit. *c. 6 de cons. eccl. etc. X.* (*III. 40*); *S. R. C. in Caesaraugustana 31 aug. 1872 ad 2* (*3269*); Wernz *Ius Decr. III. 441;* Gasparri *de euch. I. 182.* Eodem modo dicendum est, ecclesiam, quae in usus profanos conversa est, eo ipso consecrationem amisisse. Gasparri *l. c. I. 184.*

De quibusdam ritum consecrationis con- 1699

cernentibus. — Ritum consecrationis ecclesiae vide in Pont. Rom. *tit. de eccl. dedicat.* In particulari autem nota,. non esse improbandam consuetudinem passim receptam deferendi crucem hastatam ab initio functionis consecrationis (*S. R. C. in Cuneen. 7 aug. 1875 ad 3* [*3364*]); aspersorium de herba hyssopi adhibendum esse etiam in aspergendis exterioribus ecclesiae parietibus (*S. R. C. decr. nuper cit. ad 4*); sacerdotes deferentes feretrum reliquiarum decere sacris vestibus (amictu scilicet, alba, cingulo et planeta) esse indutos (*S. R. C. decr. cit. ad 5*); episcopum ingredientem ecclesiam cum feretro reliquiarum inungere debere cum sacro chrismate non ipsam portam ecclesiae, sed duos stipites lapideos vel lateritios (*S. R. C. decr. cit. ad 6*); cruces in parietibus extergendas esse a diacono, quatenus oleum sanctum per murum defluat, et statim ac episcopus cuiusque crucis unctionem peragerit; quod si non esset locus ministris sacris ascendendi scalam simul cum episcopo, hoc faciendum esse a ceremoniario (*S. R. C. in Lincien. 17 maii 1890 ad 4* [*3729*]); unctionem crucium incipiendam esse a parte evangelii; in litaniis bis esse invocandos respectivo ordine sanctos illos, quorum nomini dedicantur altaria, et illos, quorum reliquiae in ipsis altaribus reponuntur, si eorum nomina innotescant; non tantum altare maius, sed omnia altaria, quae consecrantur, esse turificanda; episcopum, finita missa (sive solemniter, sive private celebraverit) impertire debere solemniter benedictionem (*S. R. C. decr. nuper cit. ad 5. 6. 7. 9*). Quando ecclesia consecranda non potest circumdari ab extra per episcopum, quod aetate nostra saepe accidit, guberniis per nefas hoc impedientibus, impetranda est a R. Pontifice facultas pro dispensatione ab hac parte ritus; sin minus, quando urget tempus, et consecratio ecclesiae differri nequit, solemnis ceremonia in sacrario sive in atrio vel alio in loco et cubiculis eidem ecclesiae adnexis incipienda est; murorum vero aspersiones, eo, quo fieri potest modo, peragendae. *S. R. C. in Cadurcen. 22 febr. 1888 ad 1* (*3687*): *23 apr. 1895* (*3852*). Notandum autem hic est, in hoc ultimo decreto citato, sacram Rituum Congregationem, in casu, quo ob aliquod loci impedimentum episcopus nequeat peragere extrinsecam circuitionem ecclesiae, rescripsisse, eum debere se gerere eo meliori modo, quo potest, nullam faciendo mentionem de necessitate dispensationis petendae a S. Sede pro omissione istius partis ritus, quemadmodum etiam fecerat in antiquiori decreto *in una Urbis 19 sept. 1665 ad 1* (*1321*).

Si nullo documento vel probabilis- 1700
simo aliquo signo constat, ecclesiam aliquam esse consecratam, ea ut consecrata haberi nequit (Cfr. *S. R. C. in Sagien. 17 dec. 1875 ad 1* [*3385*]; *in Bellunen. 19 aug. 1878* [*3462*]); si vero indubiis documentis constet, ecclesiam esse consecratam, nihil officit, ad hoc ut pro consecrata habeatur, in suis parietibus nullam ex duodecim praescriptis crucibus apparere, quo in casu depingendae et sculpen-

dae iterum essent cruces, omissa unctionis ceremonia. *S. R. C. in Lauden. 28 iun. 1879* (*3498*).

1701 **De ieiunio praemittendo.** — Pridie dedicationis seu consecrationis ieiunandum est et a consecratore et a populo ecclesiae consecrandae (idest ab iis, qui petunt sibi ecclesiam consecrari), et hoc ieiunium est de praecepto, et indicendum est die praecedente consecrationi. *Pont. Roman. tit. de eccl. dedic. seu cons.; S. R C. in Mechlinien. 29 iul. 1780 ad 1* (*2519*); *in Camberien. 12 sept. 1840* (*2821*); *S. U. I. 14 dec. 1898.* Parochus autem sive iam sit, sive nondum constitutus in officio, dummodo designatus, qui consecrationem saltem implicite petat, ieiunare debet. *S. C. C. 3 iul. 1909.*

1702 **De vigiliis celebrandis.** — Celebrandae praeterea sunt vigiliae ante reliquias, idest ante vasculum mundum, in quo reliquiae includendae in altari consecrando cum tribus granis turis et cum chartula pergamenae attestante consecrationem positae sunt. *Pont. Rom. loc. cit.* Vigiliae autem in hoc consistunt, ut ante reliquias, ut nuper dictum est, repositas in vasculo, quod in honesto et mundo loco et super ornatum feretrum decenter collocatum fuerit, cum duobus candelabris et luminaribus ardentibus, recitentur matutinum et laudes de communi martyrum cum oratione de communi sine nomine expresso; nec in alio sensu, ex. gr. ut per totam noctem ante reliquias vigiletur recitando hymnos, psalmos et alias preces, intelligenda sunt verba Ritualis praescribentis vigilias. *S. R. C. in Cenomanen. 7 dec. 1844* (*2868*): *14 iun. 1845* (*2886*); *in Caputaquen. 22 febr. 1888* (*3686*). Notandum vero est tum episcopum consecrantem, tum assistentes omnes ex recitatione istius matutini cum laudibus non solvi ab obligatione recitandi matutinum cum laudibus officii currentis. *S. R. C. in Bergomen. 16 sept. 1881 ad 2* (*3532*). Quod officium, ut statim dicemus, continuandum est usque ad tertiam exclusive.

1703 **De paramentis a ministris assumendis.** — Diaconus et subdiaconus in solemni ceremonia consecrationis ecclesiae nec debent, nec possunt, sumere dalmaticam et tunicellam, uti clare habetur in Pontificali Romano. *S. R. C. 17 maii 1890 ad 3* (*3729*).

Episcopus, si missam peracta consecratione celebret sine cantu, non debet assumere paramenta pontificalia. *S. R. C. in Aquen. 15 dec. 1887* (*3437*).

1704 **De officio dedicationis.** — Officium dedicationis ecclesiae recitandum est ab omni clero, qui addictus vere sit servitio ecclesiae consecratae; imo congruum est, ut etiam consecrator idem officium persolvat: non tenetur tamen, nisi sit episcopus loci. *S. R. C. in Varsavien. 7 maii 1746 ad 3* (*2390*). Officium hoc non est recitandum a primis vesperis, sed tantum ab hora, qua completa est consecratio (*S. R. C. decr. cit. 29 iul. 1780*); quare vesperae diei praecedentis, matutinum, laudes, prima recitandae sunt de officio currente, deinde, hoc officio interrupto, inchoandum est officium dedicationis ab hora tertia. *S. R. C. decr. cit. 7 dec. 1844.* Si con-

secratio fieret die impedito alio officio digniori, officium dedicationis iuxta rubricas transferendum esset, et tunc inchoandum esset a primis vesperis. De Herdt *Sacr. lit. prax. III. 113. 3.*

1705 **De missa diei consecrationis** — In missa consecrationis fiunt commemorationes sicut in festis primae classis, sed nulla fieri debet commemoratio officii, quod eo usque recitatum fuit. Si vero dedicatio fiat diebus, in quibus nequit fieri officium dedicationis, celebranda semper est missa de dedicatione, omissis omnibus commemorationibus (*S. R. C. in Neapolitana 23 febr. 1884 ad 3* [*3605*]), nisi occurrat diebus exemptis per rubricas generales missalis (*tit. 6°*), quibus dicenda est missa officii currentis cum commemoratione dedicationis sub unica conclusione. *S. R. C. decr. nuper cit.*

1706 **De crucibus ecclesiae consecratae** — Duodecim autem cruces, quae sacro chrismate linitae sint, remanere omnino debent perpetuo in testimonium peractae consecrationis, nec evelli possunt, si sint ex marmore, aut deleri, si sint depictae (*S. R. C. in Ianuen. 18 febr. 1696* [*1939*]): quod, si ex ignorantia fuerint amotae, restituendae sunt, sex in parte ecclesiae dextera, sex in sinistra, ita tamen, ut duae sint prope altare maius et duae prope ecclesiae ianuam, omissa omnino unctionis ceremonia. *S. R. C. in Mechlinien. 31 aug. 1867 ad 4* (*3157*).

1707 **De subsolio ecclesiae consecratae.** — — Non licet adhibere subsolium ecclesiae, praesertim consecratae, idest eam partem, quae sub ecclesiae pavimento iacet, ad retinendum ibi vina et alias res mere profanas, quamvis aditus ad illud sit extra corpus sacri aedificii. *S. R. C. decr. nuper cit. ad 5.* Pariter illicitum est adhibere subsolium ecclesiae consecratae ad theatralia spectacula etiam in bonum finem habenda, adeo ut, quemadmodum diximus supra, ecclesia, cuius subsolium ad hunc finem adhiberetur, consecrari omnino prohiberetur. Cfr. *decr. cit. S. R. C. in Taurinen. 4 maii 1882 ad 1.* Toleratur vero consuetudo retinendi in subsolio saltem sacristiae habitationem pro aedituo eiusque familia, etsi in sacristia sit altare portatile. *S. R. C. in Bellunen. et Feltren. 4 feb. 1898 ad 2 (3978).*

1708 **De missa celebrata in ecclesia consecranda.** — Statutum erat, quod in ecclesia consecranda ante consecrationem nullus sacerdos deberet celebrare; sed, si nulla alia esset ecclesia, vel deberet celebrare post consecrationem, vel ea die abstinere. Attamen dubium 6um decreti *in Mechlinen. 29 iul. 1780.* (Gardell. *n. 4400; Nov. Coll. n. 2519*), in cuius responsione hoc statuebatur, in nova collectione decretorum S. R. C. expunctum est cum responsione.

Sacerdotes celebrantes ante peractam consecrationem debent missam celebrare conformem officio, quod recitarunt. De Herdt *l. c. n. 5.*

1709 **De titulo ecclesiae.** — In honorem beatorum ecclesias dedicare non licet. Vid. *Beati.*

1710 **De anniversario consecrationis.** — Praeterea celebranda est quotannis dies anniversaria dedicationis die ipsa

mensis anniversaria; nihilominus episcopo ecclesiam consecranti ius inhaeret, aliam diem fixam vel etiam dominicam, dummodo in consecrationis actu, seligendi pro illius anniversario quotannis solemnius celebrando, exceptis duplicibus primae et secundae classis universalis ecclesiae, nec non quibuscumque dominicis privilegiatis et duplicibus primae classis ecclesiarum particularium *S. R. C. decr. gen. 4 feb. 1896 (3881)*.

Si quando autem episcopus consecrator ad anniversarium dedicationis recolendum assignat illam eamdem diem, in qua consecratio peracta est, eaque sit quaedam certa dominica post Pascha ex. gr., aut post Pentecosten, verba consecratoris intelligi etiam possunt de certa illa dominica, non solum de die mensis (*S. R C. in Gnesnen. 8 iun. 1894 ad 3* [*3829*]): sed, ut puto, semel electa dies iuxta unam aut alteram interpretationem non potest postea immutari.

Praeterea hoc festum est iuxta rubricas festum Domini, hinc solemnius et primarium aliis quibuscumque festis etiam patroni et titularis; quare est per se praeferendum tam in occursu quam in concursu. *S. R. C. decr. cit. 4 febr. 1896.* Permittitur tamen, ut patroni festum, cuiuscumque sit personalis dignitatis, ratione feriationis, anniversario praeferatur. Haec autem de anniversario propriae ecclesiae; nam anniversarium ecclesiae non propriae uti secundarium habendum est. *S. R. C. decr. nuper cit.* Si autem anniversarium dedicationis ecclesiae, sive propriae sive non propriae, occurrat vel concurrat cum festis solemnioribus universalis ecclesiae, haec semper illi praevalere debent iuxta rubricas, personali etiam dignitate posthabita. *S. R. C. decr. nuper cit.*

Anniversarium autem hoc recolendum est sub ritu duplici primae classis cum octava ab omni clero, qui ad eamdem ecclesiam, utpote propriam, pertinet. Quod si alicui dioecesi vel instituto concessum sit anniversarium dedicationis omnium ecclesiarum uno eodemque die celebrare, omnes et singuli de relativo clero, quibus indultum favet, dictum festum, celebrare semel debent sub eodem ritu duplici primae classis cum octava, sive ecclesia propria consecrata, sive benedicta tantum fuerit, cuiuscumque particularis alterius ecclesiae dedicationis festo omisso. Quod spectat autem ad anniversarium dedicationis cathedralis ecclesiae, istud celebrandum est ab universo clero seculari dioecesis sub ritu duplici primae classis, in civitate episcopali cum octava, extra vero sine octava. Idem festum recolere debent ex clero regulari ii tantum, qui in civitate episcopali degunt, sub ritu duplici secundae classis sine octava. *S. R. C. decr. gen. 9 iul. 1895 (3863)*.

Nota autem, quod, si agatur de sede alteri unita, officium dedicationis unius cathedralis non est recitandum a clero, qui ad aliam pertinet, ut expresse declaratum est pro clero civitatis Viterbiensis et civitatis Tuscanellae. *S. R. C. in Viterbien. 8 mart. 1704 (2129)*.

Servari potest consuetudo, ubi

adest, ut in anniversario consecrationis diaconus in missa solemni et celebrans in vesperis turificet cruces, quae positae sunt in parietibus ecclesiae; hanc autem turificationem perficiendam omnino esse stando et non genuflectendo, statuit s. Congr. Rituum. *S. R. C. in Limana 27 iun. 1868 ad 1* (*3175*); *in Sanctorien. 12 sept. 1884 ad 1* (*3621*). Ante cruces in die anniversaria consecrationis lucere debent duodecim cerei, idest unus ante unamquamque crucem, et hoc per integrum et solum diem, incipiendo a primis vesperis (*S. R. C. in Quebecen. 13 dec. 1895 ad 6* [*3876*]); attamen in die octava eiusdem anniversarii lucere pariter possunt duodecim hi cerei, quamvis non debeant. *S. R. C. dec. nuper cit. ad 7.* Si quando autem celebratio officii dedicationis transferenda est, in eam diem transfertur etiam accensio cereorum ante cruces positas in parietibus. *S. C. R. in Agrigentina 28 febr. 1682* (*1686*).

Si quando ecclesia quaedam consecrata destructa fuit, etsi postea alia fuerit substituta sub alio titulo, anniversarium dedicationis non est celebrandum. *S. R. C. in Mechlinien. 27 febr. 1847 ad 1* (*2934*). Anniversarium vero dedicationis alicuius ecclesiae, quae ab haereticis fuerit polluta, celebrandum est. *S. R. C. in Lausannen. 8 apr. 1713 ad 1* (*2218*). Si vero ab ecclesia quadam ablata fuerit dignitas cathedralitatis, anniversarium dedicationis illius ecclesiae non est celebrandum a tota dioecesi, quae tenetur tantum ad anniversarium dedicationis novae cathedralis. *S. R. C. in Balneoregien. 2 apr. 1875* (*3338*).

Etiam de oratoriis consecratis et non simpliciter benedictis recolendum est anniversarium dedicationis. *S. R. C. in Marianopolitana 29 nov. 1878* (*3471*). Vid. *Oratorium.*

Nullibi licet in anniversario dedicationis ecclesiae propriae missam de requie, ne praesenti quidem cadavere, decantare, quemadmodum in patriarchali basilica Lateranensi aliisque praestantioribus Urbis ecclesiis semper cautum fuit. *S. R. C. decr. gen. 11 mart. 1882* (*3541*).

Quaedam alia circa dedicationem seu consecrationem ecclesiae, vide sub *Aedificatio, Altare.*

c. 4. d. LXVIII; c. 28 C. VII. q. 1; c. 26. C. XVI q. 7; tit. de consecr. eccl. vel alt. X. (III. 40); c. 1 de religiosis domibus etc. X. (III. 36); tit. de consecr. eccl. vel alt. (III. 21) in 6°; Litterae Ben. XIV ad Engilbertum Abb. Campidunensem « Ex tuis » de consecrationibus ecclesiarum sine privilegio, quod difficillime conceditur, a solis episcopis perficiendis, 16 nov. 1748; Litterae Ben. XIV ad Engilbertum Abb. Campidunensem « Peracta a nobis » de consecratione ecclesiae S. Apollinaris Romae ab ipso Pontifice peracta 16 nov. 1748; Lettera della Santità di Nostro Signore Benedetto Papa XIV al signor Cardinale Vincenzo Malvezzi arcivescovo di Bologna sopra la consecrazione della sua chiesa Metropolitana ecc.; *Ferrario F.* Della consecratione delle chiese; *Casali I. B.* De veteribus christianorum ritibus cap. 38; *Linckens H.* Disp. de encoeniis templorum; *Linckens H.* Tr. de iuribus templorum; *Durante I. S.* De ritibus ecclesiae catholicae, l. 1 c. 24; *Zapsi N.* De dedication. templor. et altarium; *Siberus U. G.* Schediasma de templor. condendor. ac dedi-

candor. ritibus; *Hager M.* Diss. de dedicationibus templor.; *Galluzzi F. M.* Il rito di consecrare le chiese con la sua antichità, significato, convenienza, prerogative: *Bingham I.* Origines sive antiquitates ecclesiasticae lib. 8. c. 9; *Van Espen* Ius ecclesiasticum universum p. II tit. 16 c. 3; *Zech* De iure rerum ecclesiasticarum sect. 1 tit. 3; *Gerbert M.* Vet. Liturgia Aleman. disq. VI c. 1; *Martène* De antiquis ecclesiae ritibus lib. II c. 13; *Krüll* Art. Dedicatio in Real. Encyklopädie der christlichen Alterthümer; *Gasparri P.* De ss. eucharistia n. 149 sqq.; *Thalhofer* Art. Kirchweihe im KL. tom. VII; *Gaspari* Art. Kirchenweihe in RE. vol. X; *Duchesne* Les origines du culte chrétien c. 12; *Many S.* Praelectiones de locis sacris n. 10 sqq.

1711 **Defectus.** — Rei commodatae defectus nocivos commodatario aperire tenetur commodans, secus tenebitur de damno inde proveniente. *l. 17. Comm. vel contra D. (XIII. 6) § 3; l. 18. eiusd. tit. D. § 3; Cod. It. a. 1818; C. G. a. 1891.*

Venditor tenetur manifestare vitia rei substantialia, tum in se, tum relate ad finem emptoris (S. Th. *2. 2. q. 77. a. 3*), et interrogatus, etiam omnia vitia occulta (Lugo *de iust. et iure d. XXVI. n. 133*), non autem accidentalia, nisi emptor sit valde rudis; secus tenetur de omnibus damnis praevisis ex vitio rei venditae sequentibus; imo, in casu, contractus esset nullus, quia dolus daret causam contractui. S. Alph. *III. 823.*

Iure italico quoad hoc sequentia statuuntur: venditor tenetur immunem reddere rem venditam a vitiis et defectibus occultis, qui eam ineptam reddunt usibus, quibus destinatur, aut qui eius usum ita minuunt, ut, si emptor eos cognovisset, rem ipsam aut nullo modo, aut minoris tantum emisset. *C. It. a. 1498. C. G. a. 1641.* Venditor ad nihil tenetur ex vitiis apparentibus, quae emptor per se ipsum cognoscere potuisset. *C. It. a. 1499; C. G. a. 1642.* Tenetur autem ex vitiis occultis, nisi stipulatus esset, se in hoc casu ad nihil teneri, *C. It. a. 1500; C. G. a. 1643.* In casibus, de quibus quaestio in articulis 1498 et 1500, emptori est optio aut restituendi rem, et recuperandi pretium, aut rem retinendi et recuperandi eam pretii partem, quae erit a iudiciaria auctoritate determinata. *C. It. a. 1501; C. G. a. 1644.* Si venditor cognoscebat vitia rei venditae, tenetur, praeterquam ad restitutionem accepti pretii, ad refectionem etiam damnorum erga emptorem. *C. It. a. 1502; C. G. a. 1645.* Si venditor ignorabat vitia rei, non tenetur nisi ad restitutionem pretii et ad redintegrandum emptorem in expensis, quae ob venditionem factae sunt. *C. It. a. 1503; C. G. a. 1646.* Si res defectuosa periit consequenter ad suos defectus, venditori est quod perierit, qui proinde tenetur erga emptorem ad restitutionem pretii et ad eum reddendum indemnem pro casibus et mensura in duobus praecedentibus articulis indicatis. Ascribitur vero emptori, si res ex fortuito casu perierit. *C. It. a. 1504; C. G. a. 1647.* Actio redhibitoria, quae provenit ex vitiis rei, proponenda est ab emptore, si agatur de re immobili, intra annum a traditione rei; si agatur de animalibus, intra quadraginta dies; si de re mobili, intra tres menses a tra-

ditione, nisi ex particularibus consuetudinibus statuantur termini longiores aut breviores. Actio redhibitoria in animalium venditione locum non habet, nisi propter vitia a lege aut a localibus usibus determinata. *C. It. a. 1505*; cfr. *C. G. a. 1648*. Actio redhibitoria locum non habet in venditionibus iudicialibus. *C. It. a. 1506; C. G. a. 1649*. Cfr. etiam B. P. *III. 795. sqq*. Vid. *Error*.

Sponsus sponsae et vicissim, ante sponsalia, vel iis contractis ante matrimonium, defectus alteri iniuriosos detegere tenetur, alios vero non. S. Alphons. *VI. 864*.

Confessarius tenetur corrigere defectus in confessione admissos; quae autem circa hoc dicenda sunt, vide sub *Confessarius*.

De irregularitate ex defectu corporis vel libertatis vid. *Irregularitas*.

1712 **Defectus dotis**. — Defectus dotis est una ex causis canonicis, quae vulgo enumerantur ad concedendas dispensationes ab impedimentis matrimonialibus. Causa autem haec est multiplex, seu plures diversae et particulares causae sub hac generaliori continentur, idest pro indotata, incompetentia dotis, dos cum augmento, dos cum augmento ab alio, propter dotem litibus involutam.

1713 *Pro indotata* est defectus dotis simpliciter, et est causa minus gravis ad dispensationem, nisi agatur de nobilibus, quia tunc gravior est. Et aliquando ob hanc causam simpliciter etiam conceditur dispensatio; aliquando dispensatio conceditur, addita clausula: « Et postquam eadem oratrix ex integro dotata fuerit ». Quaeri autem potest, quinam sit valor, quaenam vis istius clausulae. Scilicet ante omnia evidens est, exsecutorem pro viribus curare debere, ut de facto dos mulieri constituatur. At si hoc non consequitur, potestne exsequi dispensationem? Porro sciendum est, clausulam illam exprimere tantummodo monitionem, et nullo modo conditionem, ita ut, quando ponitur, semper intelligatur, constitutionem dotis non esse necessariam ad validitatem dispensationis, ut aperte eruitur ex antiqua praxi datariae, quae innotescit ex libello *Praxis apost. dispens. super imped. matr. n. 90*, edito iussu emi. card. Prodatarii, quamque, ut puto, sequitur etiam S. Congr. Sacramentorum in his dispensationibus concedendis. Si quando autem illa clausula omittitur, tunc constitutio dotis erit necessaria ad validitatem dispensationis, si in supplicatione dictum fuerit, dotem constitutum iri (quia dispensatio conceditur sub conditione, « si vera sunt exposita »), secus non est necessaria. Et proinde eo unico casu excepto, quem supra commemoravimus, exsecutor ex non constitutione dotis nunquam impeditur exsequi dispensationem. Quare nunc non potest amplius retineri sententia de Iustis (*de disp. matr. lib. III. c. 3 nn. 11. 17*), Feije (*de imp. et disp. matr. n. 659*), Monitore Ecclesiastico (*vol. XIII. p. 261*), et aliorum dicentium, eam clausulam importare strictam conditionem, qua proinde non impleta, matrimonium esset nullum.

Incompetentia dotis tunc habetur, 1714

quum mulier aliquam quidem dotem habet, sed non talem, quae sit sufficiens ad hoc, ut convenienter, attenta scilicet eius conditione, nubere possit. Quod tamen moraliter intelligendum est; nam si pauci tantum sint, quibus oratrix cum ea dote nubere posset, adhuc causa haec valeret. Quaerunt doctores, an illa, quae ex incompetentia dotis non potest quidem convenienter nubere in suo loco, sed posset in locis vicinis, iure posset dispensationem petere ex hac causa. Et non una erat doctorum sententia. Verum sententia affirmantium, quae iam confirmationem validam habebat ex instructione S. C. de Prop. Fide quoad dispensationes matrimoniales *9 maii 1877* et ex responsione S. Congregationis Concilii ad archiepiscopum Mediolanensem *18 nov. 1570* (confer Sanchez *de matr. lib. VIII. disp. 19. n. 13*) nunc certa evasit ex declaratione, quae habetur in citata *Praxis ap. disp. etc. n. 91.*, ubi dicitur: « Causa secundo est incompetentia dotis, respectu nempe loci, in quo est oratrix, attenta eius civili conditione, licet in vicinis locis pauca illa dos sufficeret ».

Nota etiam, incompetentiam dotis (et idem dicas de simplici dotis defectu) non esse intelligendam tantummodo de incompetentia dotis hic et nunc exsistente, sed comprehendere debere etiam ea, quae sperantur quidem adhuc, sed tamen certo habebuntur: ut ecce filia, quae hic et nunc incompetentem tantum dotem a parentibus habere potest, sed tamen, computato iure, quod habet ad legitimam patris, habet sufficientem dotem, non posset hanc causam ad dispensationem obtinendam adducere. Attamen, ut diximus, debet hoc intelligi de iure certo; quare, si aliquis non obligatus intentionem foveret illam congrue dotandi, et illa, quin hoc aperiret in supplicatione, peteret dispensationem ob incompetentiam dotis, dispensatio valeret.

Incompetentia vero dotis non semper absolute intelligenda est, sed sufficit etiam si relative verificetur, ut ecce si mulier, quia non est integrae famae, difficulter nubere posset aequali cum ea tantum dote.

Causa haec incompetentiae dotis est minus gravis, quam causa pro indotata.

Dos cum augmento tunc dicitur 1715
adesse, quum mulier habet dotem incompetentem, quam tamen orator, qui eam vult ducere, augere intendit. Est causa gravior, quam sit simplex incompetentia dotis. Quoad hanc causam proportionaliter est dicendum illud, quod superius diximus de incompetentia dotis. Nimirum, si nulla clausula apponatur, et in supplicatione expressum fuerit, oratorem dotaturum oratricem seu collaturum oratrici id, quod ipsi deest ad dotem competentem, ad hoc, ut valeat dispensatio, necesse est, ut de facto augmentum dotis praestetur. Si vero apponatur clausula: « et postquam dictae oratricis dos competenter aucta fuerit », vel alia « et postquam dictae oratricis dos usque ad quantitatem, secundum oratricis qualitatem, competenter aucta fuerit », augmentum dotis non pertinet ad conditionem; sed in casu eae clausulae continent

tantum monitionem de praedicto dotis augmento faciendo. Et si prima clausula fuerit apposita, non est necesse, ut orator suppleat integram dotis quantitatem, sed sufficit, eum dotem exsistentem considerabiliter, idest per augmentum alicuius momenti, augere; si vero secunda clausula apponatur, debet orator oratricis dotem augere usque ad eam quantitatem, qua fiat dos sufficiens, ut femina posset convenienter nubere viro sibi in conditione pari. - Quae omnia exsecutor verificare debet, et simul etiam debet verificare, an augmentum dotis sit fixe et stabiliter constitutum, ad quod faciendum requiritur publica scriptura et designatio bonorum, si in immobilibus constituatur.

1716 *Dos cum augmento ab alio* est alia causa, et non differt a praecedenti, nisi in hoc, quod hic tertius quidam, ibi ipse orator praestat augmentum. Quoad hanc causam illud tantum est adnotandum, quod, « si post impetratam dispensationem ex defectu et constitutione dotis, vel ex incompetentia et augmento dotis, orator iam nolit aut non possit dotem constituere aut augere, et alius velit eam constituere vel augere, non ideo dispensationis exsecutio suspendenda est ». *Praxis Ap. disp. etc. n. 94.*

1717 *Propter dotem litibus involutam* est alia causa ad dispensationem eaque gravior. Quoad eam exsecutor verificare debet, an orator sit necessarius oratrici, ut sua dote non destituatur, an sit peritus. an satis potens ad succurrendum mulieri, quoad hunc effectum. - Cfr. *Praxis Ap. disp. etc. n. 89-95.*

Defendentes.—Defendere, ait D'Annibale (*Comm. in const. Ap. Sedis n. 12*) ex Bonacina (*Op. tom. III, disp. 1. q. 21. p. 11. n. 27*), est protegere aliquem ut tuto et libere aliquid facere possit. Non semel actus iste defensionis relate ad criminosos et delinquentes iure nostro censura plectitur, et in constitutione « Ap. Sedis » praeter casus, in quibus feriuntur ii qui ad crimen praebent auxilium vel favorem etc., quique etiam defendentes esse possunt, ter specifice in ipsos defendentes censura lata est. 1718

Incurrunt autem excommunicationem latae sententiae: 1719

a) Rom. Pontifici specialiter reservatam defendentes eos, qui a fide christiana sunt apostatae, et haereticos, quocumque nomine ii censeantur, et cuiuscumque sectae exsistant. *Const. « Ap. Sedis » ser. 1. n. 1.*

b) Rom. Pontifici simpliciter reservatam defendentes quomodolibet libros cuiusvis auctoris per apostolicas litteras nominatim prohibitos. *Const. cit. ser. 1. n. 1.*

c) Rom. Pontifici simpliciter reservatam defendentes sive publice sive privatim propositiones ab apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae; item defendentes tamquam licitam praxim inquirendi a poenitentibus nomen complicis, prouti damnata est a Benedicto XIV in const. « Suprema » 7 iul. 1745, « Ubi primum » 2 iun. 1746. *Const. cit. ser. 2 n. 1.*

Quoad has excommunicationes sequentia sunt annotanda: 1720

a) Defendentes non ii hic intelligi possunt, qui apostatarum et hae-

reticorum doctrinam defendunt. Hi enim in ipsa excommunicatione veniunt nomine haereticorum, quum defendentes haeresim haeretici sint, non tantum defensores haereticorum. Quin imo posset quis doctrinam alicuius haeretici defendere, ipsumque haereticum, non quidem ratione doctrinae, sed alia quadam ratione insectari. Defendentes igitur hic ii dicuntur, qui, etsi pravae doctrinae non adhaereant, aut saltem externe non adhaeserint, defendunt tamen personam errantis seu haeretici, idest eum protegunt. Quae tamen protectio, in quantum hic punitur, debet fieri haeretico qua tali, non autem qua homini, ut si quis eidem egenti eleemosynam tribuit, aut qua excommunicato. Suarez *de censuris disp. XXI. s. 2. n. 8 sq.* Non est autem necesse ad incurrendam censuram, haereticum, quem quis defendit, esse haereticum nominatim declaratum de crimine, sed satis est ut defendenti cognitus sit qua haereticus, etsi sit haereticus occultus aut materiatiter tantum, qui proinde nulla teneatur excommunicatione. D'Ann. *Comm. cit. n. 32.*

b) Defendentes quoad libros prohibitos, de quibus agit constitutio Pii IX « Ap. Sedis » confirmata quoad hoc per constitutionem Leonis XIII « Officiorum ac munerum », ii sunt, qui librum protegunt et tuentur sive materialiter, impediendo scilicet ne codex seu volumen materialiter vel physice destruatur; sive moraliter idest seu verbis seu scripto aut quocumque modo damnatam libri doctrinam tuendo sive absolute, sive quatenus ansam dat prohibitionis. Non autem defendit opus pravum, qui laudat solam partem innocuam vel etiam stilum - modo non arguat laudem vel approbationem libri (Lugo *de fide a. 21. n. 94*). Vermeersch *Comm. in const. « Officiorum ac munerum » n. 48.*

c) Circa id, quod defendentes spectat quoad hanc tertiam excommunicationem vid. *Complex.*

Defensio. — Defensio cruenta licita 1721
cuique est ad suae vitae defensionem (*c. 3. desent. excomm. X.* [*V. 39*]; Cat. Conc. Trid. *de quinto praecepto n. 8*); sed servandum est moderamen inculpatae tutelae. Lugo *de iust. et iure d. X. n. 137.* Non ad solam vitam defendendam, sed etiam ad defensionem membrorum (S. Alph. *III. 380*); vel ad bona fortunae magni momenti (cfr. *c. 6 de sent. excomm.* [*V. 11*] *in 6°*); vel ad pudicitiam servandam (S. Alph. *III. 386*), huiusmodi defensio licet; imo etiam ad defendendam vitam et bona aliena. B. P. *II. 899 sqq.*

Defensor. — Defensor in iudicio ille 1722
est, qui pro reo litem suscipit, sive ex mandato, sive sine eo; quum quis scilicet sine mandato pro reo litem suscipit satisdando iudicatum solvi. Cfr. *l. un. de satisdando C.* (*II. 57*). Distinguunt etiam defensorem in necessarium et voluntarium. Voluntarius ille est, qui sponte defensionem assumit; necessarius ille, qui ex obligatione aliqua erga reum principalem tenetur litem suscipere. Picat *Voc. iuris utr. v. « Defensor ».*

Circa officium defensoris Vid. *Advocatus.*

Defensor vinculi. — Defensor vin- 1723

culi est persona aliqua idonea ab episcopo electa, et si fieri potest ex ecclesiastico coetu, iuris scientia pariter et vitae probitate praedita, quae officium habet defendendi in causis matrimonialibus valorem matrimonii, quod impugnatur. *Constit.* Ben. XIV. «Dei miseratione» *29 nov. 1741.* § *5.* In his causis oportet defensorem in quolibet actu iudiciali citari, adesse examini testium, voce et scriptis matrimonii validitatem tueri, eaque omnia deducere, quae ad matrimonium sustentandum necessaria censebit. *Const. cit.* § *6.* Defensor, sive deputatus ad tempus indeterminatum, sive solummodo ad aliquam certam causam, initio cuiuscumque causae praestare debet iuramentum, officium suum fideliter adimplendi. Quaecumque vero, non legitime citato seu intimitato, vel saltem non praesente, defensore vinculi, in iudicio acta sunt, nulla et irrita habenda sunt ex Const. cit. § *7.* Defensoris etiam est, si sententia pro nullitate matrimonii a iudice lata fuerit, appellare ad superius tribunal. *Const. cit.* § *8.* Defensorem matrimonii exhortatur Benedictus XIV (*Const. cit.* § *12*) munus suum gratis obire; sed, si noluerit, stipendium ei praefiniendum erit a iudice causae, et solvendum a parte, quae agit pro validitate matrimonii, vel, si ipsi haec facultas non sit, ab ipso iudice ex mulctis sui tribunalis erogandis in opera pia; vel si causam agit commissarius, qui proinde nec forum nec mulctas sic erogandas habet, ex mulctis illius episcopi, in cuius dioecesi iudex commissarius ex mandato Sedis apostolicae iudicium exercet. *Const. cit. l. c.* – Defensor matrimonii exhibere debet in causis matrimonialibus interrogatoria clausa et obsignata cancellario seu notario, quae aperienda sunt a iudice in actu examinis, et proponenda partibus et testibus. In actu examinis potest etiam defensor, sicut et iudex, alias interrogationes addere ad veritatem detegendam conducentia. *Instr. S. C. pro confectione proc. in causis matr. 22 aug. 1840.* Ex eadem instructione et ex instructione S. Congr. Inquisitionis *pro causis matrim. 20 iun. 1883.* § *8.* vinculi defensori, semper et quandocumque, acta processus, etsi nondum publicati, communicanda sunt; semper et quandocumque eius scripta sunt recipienda, ac novi termini, eo flagitante, sunt prorogandi, ut ea perficiat et exhibeat. Cfr. Gasparri *de matr. II. 1174. sqq.* Defensor vinculi ex constitutione Benedicti XIV citata necessarius omnino est in omnibus causis nullitatis aut validitatis matrimonii (*S. Ŭ. I. 3 iun. 1889; S. C. C. 26 aug. 1848*), etsi ageretur quaestio incidentalis de competentia episcopi (*S. C. C. 26 sept. 1857*); et ex stylo curiae (nam ex Benedictina constitutione cit. necessarius non esset, ut videtur) necessarius est etiam, sive in iudicio pends S. C. Sacramentorum, sive in tribunali episcopi delegati ad instructionem processus, in omnibus causis, quae respiciunt dispensationem super matrimonio rato et non consummato. Non requiritur autem, ut ex dictis patet, in causis de validitate sponsalium, de separatione tori aut cohabitationis, de probatione status liberi in casu incertae mortis con-

iugis, ut altera pars ad alias nuptias transire possit. *S. C. C. 14 dec. 1889.* Vid. *Causae matrimoniales.*.

Deflorator. — Deflorator ad quid teneatur. Vid. *Stuprum.*

1724 **Defuncti.** — Defuncti missis pro ipsis oblatis certe iuvantur (Conc. Trid. *sess. XXV decr. de purgatorio, sess. XXII. c. 2. can. 3*); poena tamen temporalis non remittitur ipsis certa lege, sed solum per modum suffragii. Cfr. *litteras Leonis X ad Cardinalem Caietanum;* Palmieri *Tract. de poenit. App. de indulgentiis* § *4.* Missa de requie, non quoad substantiam, sed quoad accidentalia, per se magis prodest. S. Alph. *VI. 319;* S. Th. *Suppl. q. 73. a. 9. ad 5.*

Certum etiam est, defunctos, ut plurimum, iuvari indulgentiis; an vero semper et infallibiliter, controvertitur. Cfr. Lugo *de poen. disp. XXVI. n. 5;* Suarez *de poen. disp. XLVIII sect. 3. n. 9;* S. Alph. *VI. 53410.* Ad indulgentias pro ipsis lucrandas, probabiliter non requiritur status gratiae. Cfr. B. P. *V. 791.* S. Congregatio Indulgentiarum interrogata, an fidelis peccato mortali inquinatus lucrari possit indulgentiam in levamen animarum in purgatorio degentium, respondit *22 febr. 1847:* « Consulat probatos auctores ».

Quod diximus de indulgentiis, non est extendendum ad suffragia. Nam offerens suffragia Deo pro alio debet esse in statu gratiae, quia opera bona et laboriosa facta a peccatore, quamvis mereantur ei de congruo iustificationem, non habent tamen rationem propriae dictae satisfactionis; quare ad satisfactionem non valent, neque pro se, neque pro aliis. B. P. *V. 758.*

Tolerari potest praxis conservandi cor alicuius defuncti (agebatur de episcopis aliisque praeclaris sacerdotibus) in ampulla vitrea, in visibili loco et inter flores collocata, dummodo non sit in loco sacro. *S. R. C. in una S. Iacobi de Chile 11 febr. 1898* (*3982*).

Defunctorum officium sub gravi recitandum est ab iis, qui ad horas tenentur, die commemorationis omnium defunctorum. S. Alph. *IV. 161.*

Defunctis detrahere in re gravi, grave est peccatum. Cfr. D'Ann. *II. 259* (*8*).

Quoad missas de requie seu defunctorum, vid. *Requiem.*

Defuncti nequeunt adscribi piis unionibus aut piis operibus. *S. U. I. 6. dec. 1876; S. Congr. Indulg. 14 aug. 1889; 25 aug. 1897.*

A Turre Horat. De mortuorum officio dissertatio postuma; *Brusa E.* L' ingiuria contro i morti nella giurisprudenza francese; *Bianco* Le pericolose conseguenze della morte apparente; *De Rubeis R.* Delle offese ai defnnti; *Bouchut* Traité des signes de la mort; *Ganual,* Mort apparente et mort réelle [2]; *Reinach S.* De l'origine des prières pour les morts; *Berardi,* De doctrina nova circa mortem realem et apparentem relate ad sacramenta; *Ferreres-Geniesse,* La morte reale e la morte apparente in relazione ai sacramenti, alla frequenza delle inumazioni premature, ai mezzi per rianimare i presunti morti e per isfuggire al pericolo di esser sepolti vivi [2]; *Ferreres I. B.* La muerte real y la muerte aparente con la relación à los santos sacramentos (contra opusculum Berardi superius citatum); *Geniesse I. B.* Ad libellum, cui titulus « De doctrina nova circa mortem realem et appa-

rentem relate ad sacramenta auctore Aemilio Berardi » Ioannis B. Geniesse responsio; *Icard*, Le signe de la mort réelle en l'absence du médecin.

1725 **Degradatio**. — Degratatio alia est *verbalis*, quae nempe est prolatio sententiae infligentis poenam degradationis realis; alia est *realis*, seu executio sententiae et solemnis privatio bonorum, privilegiorum, etiam canonis et fori, clerico inflicta; qua, solo remanente charactere ordinis indelebili, ad statum laicalem reducitur. *c. 2 de poenis in 6°*; Ben. XIV *de Syn. lib. IX. c. 6. n. 4*; Suarez *de censuris disp. XXX sect. 2. n. 6 sqq.* Quare sola degradatio realis aufert privilegium canonis et fori. *c. cit. de poenis in 6°*. Non potest infligi, nisi pro immanibus sceleribus. Ben. XIV *l. c. n. 7 sqq.* Sunt autem haec: crimen haeresis et apostasiae cum pertinacia (*c. 9 de haeret. X.* [*V. 7*]); fabricationis vel corruptionis monetarum (Urb. VIII *13 nov. 1627 constitut.* « In suprema » *data solum pro ditione pontificia et pro Italia*); falsificationis litterarum apostolicarum (Inn. X *8 apr. 1653; c. 7. de crim. falsi* [*V. 20*]); assassinii (*c. 1 de homic.* [*V. 4*] *in 6°*); sodomiae non semel admissae (*Const.* Pii V « Horrendum » *30 aug. 1568*); sollicitationis ad turpia in confessione (*Const* Greg. XV « Universi dominici » *30 aug. 1622;* sed teste Ben. XIV *l. c.* numquam de facto poena degradationis ob hoc crimen inflicta fuit); usurpationis ordinis sacerdotalis, praesumendo celebrare missam, vel excipere confessiones, si quis non sit sacerdos (*Const.* Clem. VIII « Etsi alias » *1 dec. 1601; Const.* Urb. VIII. « Apostolatus officium » *23 mart. 1627*); procurationis abortus, effectu secuto (*Const.* Sixti V « Effraenatam » *29 oct. 1588; Const.* Greg. XIV « Sedes Apost. » *31 maii 1591*); furti sacrilegi ss. eucharistiae (*Const.* Alex. VIII « Cum alias » *22 dec. 1590; Const.* Ben. XIV. « Ab augustissimo » *5 mart. 1744*). Ob alia crimina in iure non expressa, etiamsi enormia, imo et expressis graviora, non potest imponi poena degradationis, nisi clericus sit incorrigibilis, idest aliis poenis castigatus non resipiscat, easque contemnat (*c. 10 de iudiciis X.* [*II. 1*]; Ben. XIV *l. c. n. 9*).

Ad degradationem realem seu actualem requiritur episcopus consecratus (Conc. Trid. *sess. XIII c. 4. de ref.*) imo necessaria est etiam praesentia duodecim episcoporum pro degradatione episcopi (sed hodie hae causae episcoporum reservantur Sedi apostolicae), sex pro degradatione presbyteri, trium pro degradatione diaconi vel subdiaconi, unus episcopus degradans sufficit pro minoristis. *cc. 1. 2. 3. 4. 5. C. XV. q. 7.* Hodie ex Tridentino (*l. c.*) loco episcoporum praeter episcopum degradantem sufficit praesentia totidem abbatum usum mitrae et baculi habentium, si commode haberi possint, vel aliorum in ecclesiastica dignitate constitutorum. Hoc ipsum iam concesserat Gregorius XI pro clerico haeretico degradando. *c. 1. de haereticis* (*V. 2*) *in 6°*.

Etiam in infligenda degradatione verbali certus numerus praelatorum et iuris canonici peritorum est adhibendus, qui sint in hoc negotio consi-

liarii non solum, sed vere iudices assessores cum suffragio decisivo. Ben. XIV *l. c. n. 4;* Suarez *l. c. n. 20.* Notandum etiam, ad degradationem verbalem necesse non esse, episcopum esse consecratum; est enim merus actus iurisdictionis, quem alii quoque clerico specialiter delegare potest episcopus. Suarez *l. c. n. 18.*

Forma verbalis degradationis hoc tantum necessarium habet, quod collegiali sententia ferenda sit, ut supra diximus; forma degradationis actualis describitur a Bonifacio VIII in cit. c. 2° de poenis in 6° et in Pontificali romano tit. *de degradationis forma part. 3.*

Degradatus tenetur ad horas canonicas et ad votum castitatis.

c. 3 sqq. C. XV. q. 7; c. 10 de iudiciis X. (II. 1); c. 9 de haereticis X. (V. 7); c. 7 de crimine falsi X. (V. 20); c. 27 de verb. signif. (V. 40); c. 1 de haereticis (V. 2) in 6°; c. 2 de poenis (V. 9) in 6°; Pont. Rom. tit. de degradationis forma; Conc. Trid. sess. XIII c. 4 de ref.; *Schroterus E. Fr.* De degradatione; *Suarez F.* De censuris disp. 30; *Thesaurus,* De poenis p. 1. c. 27; *Christ J. A.* Dissertatio de degradatione; *Stahlkopff* De iure degradation. can.; *Kayser I. F.* De forma degradationis tam ecclesiasticae quam civilis; *Kober* Die Deposition und Degradation nach den Grundsätzen des kirchl. Rechts; *Hollweck* Die kirchlichen Strafgesetze § 92; *Sägmüller* Lehrbuch des kath. KR. § 178.

1726 **Delectatio morosa.** — ***De delectatione rationali.*** — **Quid delectatio morosa et quale peccatum.** — Delectatio morosa est libera complacentia rei malae, per imaginationem exhibitae ut praesentis, sine desiderio. Dicitur autem morosa idest voluntaria, non quidem ob necessariam moram alicuius temporis, sed ex eo quod ratio deliberans circa eam immoratur, nec eam repellit. S. Th. *1. 2. q. 74. a. 6 ad 3.* Hanc dicimus rationalem, ut distinguamus a sensibili, de qua infra dicemus. Porro, eam esse grave peccatum, dicit S. Thomas sententiam communiorem et verisimiliorem contra eos, qui tenuerunt esse tantum veniale. S. Th. *1. 2. q. 74. a. 8.* Ceterum et quoad hoc distinguit S. Thomas. Nam delectatio quaelibet potest ad duo comparari, scilicet ad operationem, quam consequitur, et ad obiectum, in quo quis delectatur. Delectatio de cogitatione ipsa sequitur inclinationem affectus in ipsam cogitationem. Cogitatio autem ipsa secundum se non est peccatum mortale, imo quandoque est veniale tantum (scilicet cogitatio rerum inutilium, quae est peccatum veniale curiositatis), quandoque nullum est peccatum (quum quis fovet cogitationes utiles). « Et ideo per consequens affectio et delectatio, quae sic est de cogitatione fornicationis, non est de genere peccati mortalis, sed quandoque est peccatum veniale, quandoque nullum; und nec consensus in talem delectationem est peccatum mortale ». S. Th. *loc. cit.* Si quis vero cogitet de fornicatione, et delectetur de ipso actu cogitato, tunc signum est, quod affectio eius est inclinata in hunc actum. Quare consentire in talem delectationem est consentire in hoc, quod eius affectus sit inclinatus in fornicationem, quum nullus delectetur, nisi in eo, quod est conforme ap-

petitui suo. Eligere autem deliberate affectum suum conformari his, quae secundum se sunt mortalia, mortale est. Quare consensus in delectationem peccati mortalis est peccatum mortale. S. Th. *loc. cit.; QQ. DD. de malo q XV. a. 2 ad 16. 17; de ver. q. XV. a. 4.* Peccatum vero hoc mortale specie variat pro varietate obiectorum (S. Alph. *V, 15*), quia delectatio, quae habet actum exteriorem pro obiecto, non potest esse absque complacentia exterioris actus secundum se (S. Th. *1. 2. q. 74 a. 8 ad 4*), et proinde habet eamdem malitiam specificam, ac habet ipse actus exterior; verius tamen non inducit malitiam specificam circumstantiarum. Sanchez *in decal. l. I. c. 2. n. 11.*

Ex dictis autem patet, peccatum esse delectari de re mala, sive haec sit mala natura, sive mala sit tantum lege; nisi quis delectetur de re, quae sola lege positiva mala est, per cogitationem seclusa prohibitione legis, ut si quis die Veneris delectetur de cogitato esu carnium, nolens tamen carnes manducare. D'Ann. *I. 276 (22).*

Quaerunt etiam hic Doctores, an liceat delectari de re mala, quam quis citra culpam admisit. Nec omnes in eamdem coeunt sententiam. Concedunt enim omnes, delectationem huiusmodi esse illicitam, si opus illud materialiter malum damnum alicui intulit (cfr. *prop. 15 damn. ab Inn. XI. 2 mart. 1679*); secus, res controvertitur. D'Ann. *loc. cit. (26).*

Attamen, licet nefas sit delectari de re ipsa mala, ut diximus, de modo tamen industrio, quo malum peractum est, vel de bono effectu ex re mala secuto delectari licet. Lessius *de iust. et iure lib. IV. c. 3. n. 105.*

Placet autem hic referre sententiam Slater *Princ. Theol. Mor. tr. IV. p. 2. c. 1.* post Reuter (*Instr. pro Conf. p. II. n. 109*) et Génicot (*Th. mor. I. 175*) dicentis: « Propter periculum scandali tum pro poenitente, tum pro confessario, et quia aliqui theologi docent, posse probabiliter asseri, delectationes simplices de obiectis in materia venerea specie diversis, ut de fornicatione, sodomia, bestialitate, non specie distingui, praxis multorum confessariorum approbari posse videtur, qui poenitentes pravas cogitationes confessos interrogant, utrum consenserint, et affirmantes rogant, utrum prava desideria conceperint; quod si negant, petunt numerum delectationum gravium, et acquiescunt ».

De delectatione de malo proximi. — De- 1727
lectari etiam quis potest de malo proximi. Porro patet, quemadmodum illicitum est velle malum alteri, ita nefas quoque esse de malo, quod alteri, etsi casu aut naturaliter accidit, delectari. Cfr. *prop. 13 damn. ab Inn. XI. 2 mart. 1679*, scilicet: « Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de alicuius vita tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere et desiderare, non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum ».

De delectatione sensibili. — **De** 1728
variis speciebus delectationis sensibilis. — Delectatio, de qua hucusque locuti sumus, est delectatio interna et spiritualis seu rationalis, ut diximus. Datur autem delectatio sensibilis. Haec

autem tripliciter distinguitur, in *veneream* scilicit, *naturalem* et *carnalem*.

Venerea ea est, quam quis experitur circa partes genitales per commotionem seminis vel spirituum deservientium generationi. Croix *Theol. mor. lib. V. n. 93;* Salmanticenses *Th. mor. lib. XXVI punct. 3. n. 31.* Nota sic antiquiores loqui, quamvis proprie haec delectatio non habeatur per commotionem spirituum generationi inservientium, sed per affluxum sanguinis in membra generationi inservientia, idest in membrum virile aut in clytoridem.

Naturalis, quam alii antonomastice sensibilem vocant, et dividunt in pure sensibilem et spiritualem sensibilem, ea est, quam parit ipsa aptitudo obiecti ad sensum (delectatio pure sensibilis), vel quae oritur ex affectu honesto, puta erga matrem, imo erga Deum, cum quadam commotione sanguinis vel spirituum circa eos (delectatio spiritualis sensibilis). B. P. *II. 961*; D'Ann. *II. 66.*

Carnalis ea est, quae exsurgit cum eadem commotione, ex affectu minus honesto, quamvis non venereo, plerumque ob pulchritudinem seu venustatem, quae in aliqua persona placet. Hanc nonnulli sensualitatem vocant.

Et nota hic, auctores multum variare in nominibus haec delectationum genera significantibus; pluresque iisdem nominibus varia delectationum genera indicasse. « Quas quidem varias distinctiones atque adeo varias earumdem penes diversos auctores definitiones, iure adnotat Ballerini Palmieri, (*loc. cit.*) dum quidam parum adverterent, in illud inciderunt incommodum, ut quibusdam auctoribus eas sententias tribuerent, quas illi ne per somnium quidem cogitaverant ».

An sit peccatum delectatio sensibilis. — 1729
Quoad moralitatem nota, delectationem ***naturalem*** per se esse indifferentem; venialiter vero malam tunc esse, quum quis agit ob *solam* delectationem, quod tunc tantum fit, quum ulterior finis honestus positive excluditur. Cfr. Ball. *in Gury I. 180 (4)*; *et prop. 8. damn. ab Inn. XI. 2 mart. 1679,* scilicet: « Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetutini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui ».

Delectatio *carnalis*, etsi libere admissa, per se non est peccatum; attamen quum periculum gignere possit delectationis venereae libere admissae, praesertim si huic delectationi adiunguntur actus per se quidem indifferentes, ut tactus, oscula etc., maxime si hi studiose et cum mora fiant, raro est, ut sine peccato sit. Imo, si periculum proximum venereae delectationis admittendae in ista carnali delectatione aut in his tactibus, osculis etc. ex intentione sola illius delectationis habitis praevideatur, erit peccatum mortale. B. P. *II. 962;* D'Ann. *loc. cit.;* Bucc. *I. 772*; cfr. *prop. 40. damn. ab Alex. VII. 18 mart. 1666.*

Delectatio *venerea*, libere admissa, in non coniugatis, vel etiam in coniugatis, si exsurgit ex re ipsis illicita, est peccatum grave ex toto genere suo, et non admittit parvitatem ma-

teriae. D'Ann. *loc. cit.*; Bucc. *I. 770*; cfr. *prop. cit. damn. ab Alex. VII.*

1730 **Notandum quoad coniuges, sponsos et viduas.** — Ex dictis autem patet, licitam esse coniugibus delectationem rationalem de actu coniugii sive praeterito sive futuro sive possibili respectu compartis, sive absentis, sive praesentis. Ratio est, quia est delectatio de re licita. B. P. *I. 558.* Imo probabile vere est ex S. Alphonso (*V. 25*), licitum esse coniugibus, delectari etiam carnaliter (scilicet delectatione sensitiva et carnali seu venerea) de copula habita vel futura, semper ac absit periculum pollutionis. Cfr. *S. Th. QQ. DD. de malo q. XV. a. 2 ad 17.*

1731 Sponsis et viduis licet certo delectatio rationalis de copula futura vel praeterita; delectatio autem carnalis aut venerea non licet. Navarrus *Man. c. XVI. n. 9;* Vasquez *in 1. 2. disp. 114. c. 2. n. 5;* B. P. *I. 561. sqq.*

S. Thomas Quaestiones disputatae de veritate quaest. 15 art. 4; *Suarez* De peccatis disp. 5. sect. 7; *Sanchez* In decalogum lib. 1 cap. 2; *S. Alphonsus* Theol. mor. lib. V. n. 15 sqq.; *Simar* Lehrb. der Moraltheologie § 732; *Ballerini-Palmieri* Opus morale[3] I 531 sqq.; *Bucceroni I.* Instit. theol. moralis[4] I 291; *Pruner* Kath. Moraltheologie § 46; *Berardi A.* Theol. mor. theorico-practica I, 613; *Noldin* De principiis theolog. moralis[5] n. 308; *Génicot-Salsmans* Theol. mor. Institutiones n. 172 sqq.

1732 **Delegatio.** — **De delegatione a iure et ab homine.** — Delegatio fit a iure vel ab homine, prout aliquis habet iurisdictionem commissione iuris communis, ut saepe ex Tridentino (cfr. *sess. V. c. 1 de ref.*; *sess. VI. c 2 de ref.*) episcopi, quibus plura committuntur tamquam delegatis Sedis apostolicae; vel iurisdictionem habet ex facultate sibi facta ab aliquo superiore ecclesiastico (cfr. *l. 5 de iurisdict. D.* [*II. 1*]; *c. 20 de off. iud. ord. X.* [*I. 31*]).

Quinam delegare possunt. — Delegare 1733 possunt omnes, qui habent potestatem ordinariam (*c. 7 de off. ord.* [*I. 16*] *in 6°*), nisi agatur de negotio, quod, vel ex dispositione iuris, vel ex voluntate principis, a iudice ordinario debeat expleri (cfr. Concil. Trident. *sess. XXIV. c. 6 de ref.*); nec delegare valent totam suam iurisdictionem, quia sic viderentur novum potius magistratum creare. Reiffenstuel *in tit. 29 lib. I Decr. n. 55 sqq. n. 74 sqq.* Hoc autem multo magis valet pro romano Pontifice, qui profecto nequit alicui delegare totam suam iurisdictionem, praesertim, si in iurisdictione comprehendatur ius obligandi fideles ad assensum infallibiliter certum iis, quae ipse eos docet, quum ad hoc requiratur praerogativa infallibilitatis, quae a Christo Dno. promissa et collata est Petro, non vero delegatis ab ipso.

De cumulatione potestatis ordinariae et 1734 **delegatae.** — Nec obstat sive ex natura rei, sive ex ipso iure iurisdictionem delegatam cumulari cum ordinaria. Et de facto videmus in Tridentino, episcopos non semel delegari a Sede apostolica ad ea, quae iam possunt auctoritate propria: scilicet ad ea omnia, ad quae procedere possunt *etiam* tamquam delegati apostolicae Sedis. Patet autem, auctoritatem delegatam esse ordinaria efficaciorem et nobiliorem. Wernz *Ius Decr. II. 557.*

1735 **Quinam possunt delegari.** — Pro iurisdictione ecclesiastica exercenda delegari possunt omnes, qui illius sunt capaces, idest qui nec iure naturae nec lege ecclesiastica prohibentur accipere ecclesiasticam iurisdictionem. Cfr. *c. 2 de iudiciis X.* (*II. 1*); *c. 41 tit. cit. X.* (*I. 29*). Hinc delegari non possunt surdi et muti, infantes, perpetuo amentes, feminae etc. — Laici etiam ad causas ecclesiasticas et spirituales, ut ad causas decimarum, matrimoniales, beneficiales etc. ne cum clericis quidem de iure delegari possunt (Schmalzgrueber *in tit. 29 lib. I Decr. n. 14*), excepta scilicet auctoritate summi Pontificis, qui, quum sit super ius (scilicet ecclesiasticum) eius dispositionibus derogare potest. — Minores 20 annis, qui tamen excesserint 18 aetatis annum delegari possunt valide, dummodo partes in illos consenserint. *c. 41 tit. cit. X.* (*I. 20*); Schmalzgrueber *loc. cit. n. 13.*

1736 **De dotibus requisitis in delegando.** — Quaedam autem qualitates in delegato requiruntur. Et de iure communi delegandus a Romano Pontifice debet esse constitutus in aliqua dignitate ecclesiastica (in qua constituti etiam censentur vicarius generalis et priores conventuales, *c. 2 de rescriptis* [*I. 2*] *in Clem.*); vel obtinere personatum aut canonicatum in ecclesia cathedrali. *c. 11 de rescriptis* (*I. 3*) *in 6°*; Conc. Trid. *sess. XXV. c. 10 de ref.* Hoc non requiritur in delegatis ab episcopis vel a similibus praelatis; hos enim sufficit esse clericos. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 15.*

Plures delegari possunt vel in solidum, et tunc datur locus praeventioni (*c. 8 de off. et pot. iud. del.* [*I. 14*] *in 6°*); vel ita ut collegialiter agant et tunc omnes simul idem negotium debent pertractare, et, uno delegatorum mortuo, omnium officium exspirat. *c. 42 tit. cit.* (*I. 29*).

Quaerunt etiam doctores an ordinarius iudex delegare possit non suum subditum. Et respondent affirmative, hoc tamen assignantes discrimen inter delegationem subditi et non subditi. Scilicet subditus ita delegari potest, ut compelli etiam per se possit, poenis quoque, ad delegationem acceptandam; non subditus non item. Hoc autem valet etiam de subdelegatis a delegato; in hoc enim semper spectatur persona primi delegantis. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 16*; Pirhing *in eumd. tit. n. 35.*

De potestate iudicis delegati. — Iudex 1737
delegatus non debet se immiscere in negotio vel causa, antequam mandatum delegationis acceperit, etiamsi iam sciat, se iudicem delegatum fuisse constitutum (*cfr. c. 12 de appellat. etc. X.* [*II. 28*]); imo delegatus commissionem suam probare debet (*c. 31 de off. et pot. iud. del. X.* [*I. 29?*]), quam delegatus romani Pontificis aliter probare nequit, quam per praesentationem litterarum apostolicarum. *c. 24 de rescript. X.* (*I. 3*). — Debet praeterea delegatus formam mandati eiusque limites diligenter observare; praeter hos enim nulliter agit. *c. 22 de rescriptis X.* (*I. 31*).

Mandatum autem delegati contineri debere intra limites potestatis delegantis nimis clarum est. Patet etiam, intra hos limites, ei, cui iurisdictio

(scilicet delegata) data est, ea quoque concessa esse, sine quibus iurisdictio explicari non potest. *l. 2 de iurisdictione D.* (*II. 1*); *cc. 5. 11 tit. cit. X.* (*I. 29*).

Delegatus romani Pontificis non solum potest causam cognoscere et definire, sed potest etiam sententiam a se latam exsequi, sive per se, sive per alium. *cc. 7. 26 tit. cit. X.* (*I. 29*). Quod eadem certitudine dici nequit de delegato iudicis inferioris: et quamvis probabilior sit sententia affirmans, ipsum quoque hoc posse (Schmalzgrueber *loc. cit. n. 37*); magis tamen expedire videtur, ut iudex inferior explicite in mandato delegationis hanc facultatem suo delegato ad cautelam faciat. Wernz *loc. cit. II. 559.*

1738 **De cessatione potestatis delegatae.** — Delegatio exspirat morte delegantis et amissione eius potestatis (*c. 30 tit. cit. X.* [*I. 29*]): dummodo, si agatur de iurisdictione contentiosa, res sit adhuc integra (*c. 30 nuper cit.*), vel, si de iurisdictione voluntaria, gratia non sit facta sed facienda. *c. 36 de praeb.* (*III. 4*) *in 6°*. Delegationes, quae alicui conceduntur in ipsius favorem, etsi ulterius cedunt in commodum aliorum, ut facultas absolvendi etc., habentur ut gratiae factae, quae proinde non exspirant morte concedentis. Hinc, mortuo episcopo, non exspirant speciales facultates absolvendi a casibus reservatis, quas ipse alicui dederit. Exspirat praeterea morte delegati, nisi delegatio fuerit realis et non personalis, seu intuitu dignitatis, non personae, fuerit facta (*c. 14. tit. cit. X.* [*I. 29*]); revocatione facta a delegante, et delegato renunciata legitime. *c. 24 de rescript. X.* (*I. 3*); Suarez *de leg. lib. VIII. c. 37, sqq.* Si plures fuerint delegati, mortuo uno ex delegatis, iurisdictio aliorum exspirat, si nempe plures delegati fuerint collegialiter; nisi aliud in delegatione fuerit expressum. *c. 42 tit. cit. X.* (*I. 29*).

Cessat etiam iurisdictio delegata, finito quocumque modo a delegato negotio, uti per transactionem, compositionem etc., vel interlocutoria pronuntiatione, sibi nullam esse iurisdictionem, quod ex. gr. rescriptum delegationis sit invalidum, sive hoc bene, sive male pronuntiaverit. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 41. sqq.* Cessat etiam lapsu termini ad decidendam causam praefixi, nisi iste communi partium consensu fuerit prorogatus. *c. 4 tit. cit. X.* (*I. 29*). Cessat praeterea resignatione mandati a iudice delegato legitime facta (Wernz *loc. cit. II. 561*); censetur autem delegatus abdicasse se iurisdictione in causa sibi commissa, si alterum subdelegatum iudicem fecit in tota causa, isque iurisdictione uti iam coeperit, et res proinde non sit amplius integra. Reiffenstuel *in eumd. tit. n. 139.* At si alteri subdelegavit nudum ministerium, aut etiamsi iurisdictionem quoque delegaverit, si tamen res sit adhuc integra, iurisdictionem adhuc obtinet, et potest subdelegationem factam revocare. Reiffenstuel *loc. cit. n. 137 sqq.*; Schmalzgrueber *loc. cit. n. 41.* Finitur etiam iurisdictio delegata recusatione iudicis legitime proposita, et pronuntiata super eam sententia. *c. 5 tit. cit.* (*I. 14*) *in 6°*; Reiffenstuel *loc. cit. n. 149 sqq.* —

Cfr. Santi *in tit. 29 lib. 1 Decr.*; D'Ann. *I. 72 sqq.*; Bargilliat *Prael. iur. can. n. 235 sqq.*, praeter celebriores Decretalistas *in cit. tit. 29.*

1739 **De delegatione facultatum specialium a S. Sede habitualiter facta.** — Quoad praxim nota, facultates omnes speciales habitualiter a s. Sede episcopis aliorumque locorum ordinariis concessas non suspendi nec desinere ob eorum mortem vel cessationem a munere, sed ad successores ordinarios (idest tum episcopos tum vicarios capitulares) transire ad formam et in terminis decreti S. U. I. *20 febr. 1888* quoad dispensationes matrimoniales. (Vid. *Impedimenta*). *S. U. I. 26 nov. 1897.* Imo statutum est, facultates omnes habituales in posterum committendas esse ordinariis locorum (ordinario autem loci intelliguntur concessae, etsi concedantur *episcopo, S. U. I. 5 sept. 1900*); appellatione autem ordinariorum venire episcopos, administratores seu vicarios apostolicos, praelatos seu praefectos habentes iurisdictionem cum territorio separato, eorumque officiales seu vicarios in spiritualibus generales, et, sede vacante, vicarium capitularem, vel legitimum administratorem. *S. U. I. 20 apr. 1898.* Et hoc decretum habet etiam vim retroactivam, idest non solum facultates concedendae ordinariis dabuntur, sed facultates etiam antecedenter concessae episcopis intelliguntur concessae ordinario, ita ut eis uti possit non solum episcopus, sed etiam vicarius generalis, et, sede vacante, vicarius capitularis, vel legitimus administrator. *S. U. I. 23 iun. 1898.* Illis autem verbis: *facultates omnes speciales habitualiter a S. Sede episcopis aliorumque locorum ordinariis concessas,* comprehenduntur facultates omnes speciales a S. Sede ordinariis concessae, quibus utunturquoties voluerint, licet ad praefinitum tempus (cuiusmodi sunt facultates *de Poenitentiaria* dictae, reductionis missarum etc.), et facultates etiam, quibus uti valent pro determinato tantum numero casuum (ut est facultas dispensandi a titulo sacrae ordinationis pro certo numero ordinandorum). *S. U. I. 3 maii 1899.* Hoc autem decretum extensum postea est ad superiores etiam generales ordinum religiosorum, ita ut facultates ipsis concessae, licet ad praeteritum tempus, non cessent ob eorum mortem aut cessationem a munere, sed transeant ad successores. *S. U. I. 20 dec. 1899.*

De potestate subdelegandi. — Delegatus 1740
subdelegare nequit, nisi delegatus fuerit ad universalitatem causarum (quae delegatio tunc habetur, quum omne, vel aliquod certum genus causarum committitur, Reginald. *I. 50;* Sanchez *de matr. III. 31. 4*) ab ipso iure vel ab homine, delegatione quae cum officio datur (*c. 2 de off. leg.* [*I. 15*] *in 6°*, ut est delegatio, quae legatis apostolicis a pontifice, vel paroeciarum oeconomis a parochis fit, S. Alph. *VI. 566*); vel nisi specialis facultas subdelegandi ipsi fuerit facta, aut subdelegatio non spectet causam ipsam cognoscendam et definiendam, sed tantum incidentem quemdam articulum non iurisdictionalem (Reiffenstuel *l. c. n. 64*); vel nisi fuerit delegatus summi Pon-

tificis (*c. 43 de off. et pot. iud. del. X.* [*I. 29*]), cui tamen non sit commissum nudum ministerium (*c. 43 cit. tit. cit. X.*; Vid. *Exsecutor*); vel cuius industria peculiariter non sit electa (quod factum fuisse dicendum est, quando delegans delegato negotium commiserit *per seipsum* vel *personaliter* expediendum [cfr. *Reg. Canc. 48*], et factum fuisse praesumitur, quum causa aliqua delegato commissa est tamquam gravis et difficilis, *c. 3 tit. cit. X.* [*I. 29*]).

Hinc potest episcopus absque speciali concessione suis vicariis generalibus aut aliis ecclesiasticis viris generali modo vel pro casu particulari facultates sibi ab apostolica Sede ad tempus delegatas subdelegare, dummodo id in facultatibus non prohibeatur, neque subdelegandi ius pro aliquibus tantum casibus coarctetur, in quo casu servanda est adamussim forma rescripti. *S. U. I. 14 dec. 1898.*

1741 **Varia quaedam.** — Iurisdictio delegata quoad confessiones semper ab ecclesia conceditur cuilibet sacerdoti in infirmum versantem in periculo mortis. Vid. *Confessarius.*

Ad matrimonii assistentiam requiritur delegatio, quae ad hoc valide non datur, nisi sacerdoti. Quoad hanc delegationem V. *Clandestinitas.*

tit. de officio et pot. iud. deleg. X. (I. 30); idem tit. (I. 15) in 6°; cc. 5. 10 de dolo et contumacia X. (II. 14); c. 2 de sententia etc. X. (II. 27); Conc. Trid. sess. XXV. c. 10 de ref.; Commentatores in tit. cit. Decretal; *Mureti M. A. - A. Rosbach E.* Tract. de iurisdictione delegata et imperio etc.; *Sabagum D.* Opus posthumum (ubi etiam de officio delegati); *Peregrini M. A.* Tract. varii lib. 1; *Fuertes A.* De appellationibus a subdelegatis; *Bardili B.* De delegatione; *Mache C. F.* De delegata episcoporum iurisdictione; *Kämpfe W.* Die Begriffe d. iurisdictio ordinaria, quasi ordinaria, mandata, delegata, im röm., kanon. u. gem. Rechte; *Coher* Die Begründung d. iurisdictio ordin. etc. im röm. u. kan. Rechte., *Kämpfe W.* Die iurisdictio delegata und mandata in römischen und canonischen Recht, im Archiv. f. k. KR. XLI. 337 ff. 1879; *Sanguineti S.* Nuove ricerche sulla vera natura e nozione della giurisdizione ecclesiastica ordinaria e delegata; *Fanning W.* Art. Delegation in The cath. Encycl. t. IV. p. 696 sq.

Delegatus apostolicus. — Delegatus 1742 apostolicus generatim dicitur clericus, qui ex commissione romani Pontificis, non vi proprii officii, gaudet aliqua iurisdictione ecclesiastica. In hac acceptione saepe etiam dicitur, iudex delegatus a sede Apostolica scilicet ad eum distinguendum a delegato, qui sit simplex quidem orator vel nuntius. Vid. *Delegatio, Nuntius apostolicus* etc.

Quoad delegatos apostolicos in locis missionum nota responsiones Sacrae Congr. de Prop. Fide ad sequentia dubia ipsi proposita. Scilicet: « 1° Utrum delegatus apostolicus possit ex rationabili causa administrare vel aliquo sacro fungi officio in ecclesiis orientalium, invisere intra clausuram monialium conventus, earumdem excipere confessiones, ac quemlibet fidelem absolvere a peccatis reservatis ab ordinariis orientalibus, quin necessario requiratur consensus ordinariorum. - 2° Utrum saltem provisorie delegatus apostolicus possit orientalem fidelem, aut sacerdotem, vel epi-

scopum delinquentem ligare censuris, ligatos absolvere. - 3° Utrum delegatus apostolicus possit nomine S. Sedis iudicare ac statuere super quaestionibus de mutatione rituum, v. gr. alicui permittendo transire a proprio ad alium ritum. — R. Ad 1. Quoad primam partem affirmative, si agatur de sacris functionibus usum pontificalium, ac spiritualem iurisdictionem non requirentibus; in reliquis, negative. Quoad secundam partem moniales respicientem, affirmative, si gravissimus casus urgeat, et raro.- Ad 2. Negative in omnibus, ad primam partem; ad secundam, supplicandum, Sanctissimo pro facultate absolvendi in foro conscientiae tantum a censuris episcopalibus, dummodo connexae non sint cum casu reservato. - Ad 3. Negative, absque speciali facultate ». *S. C. P. F. 11 dec. 1838.*

1743 **Delictum.** — Delictum est externa legis poenalis violatio dolo malo facta. *Poenalis* hic intelligitur lex in poenam lata, ideoque humana tantum. D'Ann. *1. 296.* Hinc alii delictum definiunt factum illicitum, quod lege humana poenam meretur. Vinnius *Instiur. lib. IV. tit. 1°.*

Delictum aliud est publicum, aliud privatum. Publicum illud est, quod maxime ad laesionem reipublicae tendit; quare publica animadversione in exemplum vindicatur, et publicum de eo est iudicium. Privatum est illud, quo offenduntur singuli, idest quod directe ad privatorum laesionem pertinet. Delicta publica dicuntur antonomastice crimina; privata, maleficia proprie appellantur. Vinnius *l. c.*

Ex dictis patet, delictum non haberi sine animo delinquendi, idest sine dolo (quare delictum non admittit ille, qui delinquit tantummodo casu, vel culpa civili, quae in casum recidit, Lugo *de iust. et iure disp. VIII n. 107*) et sine ipsa positione facti illiciti, quamvis etiam sine alterutro ex his haberi possit peccatum. Quare delictum non admittit ille, qui falso existimat se legem violare, vel qui rem ponit in casu lege permissam, sed cum prava intentione a lege omnino prohibita. D'Ann. *I. 297.*

Ut quis poena canonica plectatur, delictum debet esse externum (leges enim humanae non possunt ad mere interna se extendere, *c. 33 de simonia X.* [*V. 3.*]; *l. 18 de poenis D.* [*XLVIII. 19*]; proprium, saltem aliquo modo (propter delictum maioris partis communitatis iure interdicitur tota communitas, Schmalzgr. *in tit. 39 lib. V Decr. num. 44*); consummatum (nisi aliud in lege expresse cautum fuerit, ut in capite primo § *2. de homicidio* [*V. 4*] *in 6°*) et proportionatum poenae.

Quomodo delictum differat ab excessu in sensu iuris canonici, vid. *Excessus.* Quasi delictum vero illud dicitur, quod ex culpa sine dolo admittitur.

An delictum seu crimen alienum manifestari possit necne vid. *Detractio.*

Plaza de Moraza P. Epitome delictorum; *Cruderi G.* De obligationibus, quae ex delicto nascuntur; *de Acunha I.* De delictis; *Gagliardi I.* Tract. de delictis tam mentalibus quam actualibus; *Coldebacius M* Disp. inaug. de atrocitate delictorum et poenarum exasperatione; *Flach S.* De publicis et pri-

vatis delictis; *de Belis G.* De delictis in genere et in specie (in Op. omn.); *Hahn H.* Disp. de corpore delicti; *Clapmarus*, De persecutione et remissione delinquentium; *Textor W.* De corpore delicti in homicidio; *Inergens M.* De fideiussoribus delinquentium; *De Ameno Sinistrari L.* De delictis et poenis tract. absolutissimus; *Chassan I. P.* Traité des délits et contraventions de la parole, de l'écriture et de la presse; *Ellero P.* Della critica criminale; *Ambrosoli M.* Delle cause determinanti i reati nelle statistiche criminali; *Caiazzo Fr. Sav.* Del concorso di più persone in uno stesso reato; *Fabrequettes P.* Traité des infractions de la parole, de l'écriture et de la presse; *Du Cane E.* The punishement and prevention of crime; *Faranda F.* Il titolo del reato; *Fremonteil H.* Les délits commis sur le territoire national ou en pays étranger; *Garofalo R.* Criminalogia. Studio sul delitto e delle sue cause e mezzi di repressione; *Morelli G.* I corpi di reato con un sunto delle varie disposizioni che li concernono e della relativa giurisprudenza pratica; *Cianci N.* Dei reati simultanei complessi e continuati; *Frola P. E.* Delle ingiurie e diffamazioni specialmente in tema di stampa; *Crivellari G.* Dei reati contro la vita e la integrità personale; *Frola P. E.* La preterintenzionalità nei reati di sangue; *Armanni* Della connessione dei reati di azione pubblica con quelli persequibili a querela di parte; *Castori C.* Intorno ai delitti persequibili soltanto a querela di parte nel nuovo codice penale; *Worms E.* Les attentats à l'honneur, diffamation, injures etc.; *Benevolo F.* La volontà nel reato; *Cerelli Vittori A.* I reati di azione privata; *Cavaglia E.* La necessità nel reato; *Cristiani T.* La nozione scientifica del delitto sociale; *Escobedo G.* Volontarietà nelle aggravanti dei delitti e in ispecie della ricettazione; *Gualterotti G.* Patologia e delitto; *Freymond F.* Die Religions Delikte d. D. R. Str. G. B.

1744 **Demonstratio.** — Demonstratio a causa et conditione multum differt. Et quidem a causa differt, quia causa negotio iuris apponitur, quum exprimitur ratio seu motivum assensus, quod generatim fit verbo *quia*; ut ex. gr.: lego Titio mille libellas, quia pauper est, vel: duco Titiam, quia est filia regis. Demonstratio vero est tantum descriptio rei, circa quam versatur contractus seu negotium iuris, aut etiam personae, cum qua contrahitur, vel quam respicit iuris negotium; ut ex. gr. lego Titio, qui amicus meus est, centum aureos, qui sunt in tali vel tali meo scrinio, vel: duco Titiam, quae est filia regis. Saepe, ut patet, in praxi demonstratio est causa.

Inter demonstrationem autem et conditionem hoc interest, quod demonstratio plerumque factam rem ostendit, conditio futuram. *l. 34 de conditionibus etc. D.* (*XXXV. 1*).

Demonstratio, etsi falsa sit, sive circa rem sive circa personam non obest legatis, neque aliis contractibus (*l. 34 cit. D.* [*XXXV. 1*]), nisi res, quae demonstratur, omnino non exsistat; ut ecce, si quis dicat: lego Titio centum aureos, qui sunt in tali meo scrinio, et ibi non sunt. Si autem ibi essent tantum quinquaginta aurei, legatum valeret quoad illos. Reiffenstuel *in tit. 26 lib. III Decr. n. 857 sqq.*

Quid dicendum de demonstratione relate ad sponsalia et ad matrimonium vid. *Conditio, Sponsalia.*

Denegatio. — Denegari sacramenta quibus debeant, vid. *Sacramentum.*

Denudatio altarium. — Vid. *Coena Domini.*

Denuntiatio. — **De natura denuntiationis.** — Denuntiatio in sensu iuris 1745

est manifestatio alicuius criminis superiori legitime facta, quin denuntians obligationem in se suscipiat probandi crimen et subeundi poenam talionis, quemadmodum fit in accusatione proprie dicta. Vid. *Accusatio.*

1746 **De divisionibus denuntiationis.**— Denuntiatio dividi solet in evangelicam et iudicialem.

Evangelica, quae dicitur etiam fraterna seu caritativa, ea est, quae fit superiori, non ut iudici, sed ut patri, neque ad publicam vindictam dirigitur, sed ad paternam correctionem et ad emendationem accusati. De ea vide *Correctio.*

Iudicialis ea est, quae fit superiori ut iudici ad publicam vindictam. Haec quidem stricto sensu est denuntiatio iudicialis, quae proinde est denuntiatio delicti iam patrati et ad vindictam publicam. Attamen sub ea recensent etiam denuntiationem delicti patrandi, qualis ex. gr. esset denuntiatio ad arcendum indignum a sacris ordinibus, vel qui ligatur impedimento ab aliquo matrimonio. Haec denuntiatio a nonnullis dicitur denuntiatio canonica.

Recensent etiam denuntiationem ob privatum bonum seu interesse denuntiantis, quae tamen nomine proprio querela dicitur. Cfr. Schmalzgr. *in tit. 1 lib. V Decr. n. 126 sqq.*

1747 **Quinam denuntiare possint.** — Si quaeratur quinam denunciare iudicialiter possint (nam evangelica denuntiatione sine ulla controversia omnes uti possunt), omissis quaestionibus theoreticis, quas videre potes apud doctores, respondendum videtur, attenta hodierna praxi omnes ad denuntiandum admitti posse, excommunicatos quoque et infames. De Angelis *in tit. 1 lib. V Decr.* § 2. Attamen hi debent iudici indicare testes idoneos aliaque media, quibus delictum probari possit. Quare si crimen fuerit et manserit occultum fueritque huiusmodi, quod a denuntiatore probari in iudicio nequeat, denuntiatio fieri non potest, nisi tamen vergat in praeiudicium communitatis vel tertii. Reiffenstuel *in tit. 1 l. V Decr. n. 89.*

De forma denuntiationis, et de modo in 1748
ea procedendi. — Ad denuntiationem iudicialem fere eadem forma requiritur, quae ad accusationem, inscriptione excepta. Denuntiator tamen debet iudici ecclesiastico sufficientia instrumenta seu probationes exhibere, quibus iudicare possit iudex, utrum admittenda an reiicienda sit denuntiatio; et in hoc differt denuntiatio ab accusatione.

Ad denuntiationem iudicialem introducendam non videtur requiri ad validitatem praevia admonitio caritativa delinquentis (Reiffenstuel *l. cit. n. 98*); quamvis non desint, qui aliter sentiant.

Legitime facta et admissa denuntiatione, iudex procedit ad inquisitionem specialem, ad examen testium etc. Universa autem procedura per denuntiationem exsurgit ex procedura per viam accusationis temperata cum procedura per viam inquisitionis.

De effectibus denuntiationis. — Effectus 1749
autem denuntiationis sunt, quod, si reus suspectus est de fuga vel de subornatione testium etc., potest in carcerem coniici; quod praeterea, pendente iudiciali denuntiatione assertus

reus nullimode potest promoveri; imo nec esse potest procurator alterius aut accusator aut testis in causa criminali. *c. 56 de testibus etc. X.* (*II. 20*).

1750 **Quinam sint denuntiandi.** — Denuntiari autem non solum omnes possunt, sed aliquando debent. Et sic in bonum publicum praeceptum est, ut rei certorum criminum iudici ecclesiastico denuntientur.

Et re quidem vera denuntiari debent ab omnibus christifidelibus inquisitori vel ordinario, et in missionibus vicario vel praefecto apostolico *S. Poenit. 10 febr. 1871*) haeretici dogmatizantes, sectarum duces et coriphaei, confessarii sollicitantes.

Excusat tamen a denuntiatione facienda metus cadens in constantem virum, ut si quis timeat propter hanc causam occidi vel male tractari (Thomas Del Bene *de off. S. Inquis. p. 1 dub. 19 n. 9*); hinc non tenetur quis denunciare cum probabili periculo mortis, infamiae vel gravis damni sui aut sibi sanguine coniunctissimorum. Del Bene *loc. cit. dub. 21. n. 1*; B. P. *VII. 303.*

Non excusat vero a denuntiatione, quod aliquando huiusmodi denuntiati ab ecclesiastica potestate puniri non possunt, nec ullo modo cohiberi (*S. U. I. 19 apr. 1893*), vel quod iam publice noti sint ut sectarii, si non sunt publice noti ut sectae duces et coriphaei, *S. U. I. decr. cit.* Obligatio denunciandi cessat nihilominus, quando quis eam per se, vel quin seipsum prodat, facere nequit. *S. U. I. 21 febr. 1630; S. Alph. IV. 254.* Nota etiam, quod, quum denunciator sit loco testis, nihil interest, utrum denuncianda ipse audierit, viderit, an acceperit ab aliis (*S. U. I. 10 mart. 1677*) fide dignis (S. Alph. *l. c.*), vel utrum haec probare queat. Cfr. *prop. quintam damnatam ab Alexandro VII.* Non excusat a denunciatione, quod quis denuncianda sciverit sub secreto, dummodo ei revelata non fuerint consilii petendi causa. S. Alph. *IV. 258.*

De poenis in non denuntiantes. — Non 1751
denuntiantes (scilicet ex quo possunt et obligationem denuntiandi cognoscunt), donec denunciaverint, occultos coriphaeos ac duces sectae massonicae, carbonariae aut alius eiusdem generis excommunicationem l. s. romano Pontifici simpliciter reservatam in const. « Apost. Sedis » (*ser. 2. n. 4*) incurrunt, nec excusantur ex eo, quod nostra aetate horum coriphaeorum nomina per libros et ephemerides passim evulgantur, *donec de facto fuerint evulgata. S. U. I. 1 febr. 1871.*

Hi scilicet, donec denunciaverint, tenentur excommunicatione Romani Pontifici reservata. Denunciatione facta, adhuc excommunicatione tenentur, donec absolvantur, quia censurae, quas quis iam incurrerit, nonnisi absolutione tolluntur; attamen excommunicatio haec cessat esse reservata, et ideo quisque confessarius potest ab ea absolvere. D'Annib. *Comm. in const. « Apost. Sedis » nn. 32* (*21*), *118.* (*12*).

De denuntiatione librorum. — Quoad 1752
denuntiationem librorum pravorum haec habe ex Vermeersch *de prohibit. et censura libr. c. IV. a. 3. n. 30*: « Catholicorum omnium est, pravos libros denunciare episcopis seu apostolicae Sedi (*art. 27. constitut.* Of-

ficiorum ac munerum). Non tamen speciale conditur praeceptum, sed designantur nuntii, delegati apostolici, locorum ordinarii atque rectores universitatum, tamquam personae, quibus id maxime congruit; consilium datur ut indicentur causae, ob quas liber nota censoria dignus reputetur et subiungitur: iis ad quos denuntiatio defertur, sanctum erit denuntiantium nomina secreta servare (*a 28*). — Nulla porro forma praescribitur. Simplices fideles melius rem deferunt ad episcopum, quamquam non prohibentur scribere ad S. Officium, S. Indicis Congregationem, vel, si ex loco ei subiecto, ad S. C. de Prop. Fide ».

De denunciationis obligatione quoad sollicitantem ad turpia in confessione vid. *Sollicitatio*.

Bibliographiam quaere sub *Inquisitio*.

1753 **Denuntiationes.** — Ex praescripto Concilii Tridentini (*sess. XXIII c. 5. de ref.*) nomina ordinandorum publice in ecclesia proponi debent, ut de eorum natalibus, moribus aliisque qualitatibus rite constet. Hae denuntiationes fieri solent a parochis inter missarum solemnia, quemadmodum faciendae sunt denuntiationes matrimoniales.

Ut autem fideles non obliviscantur vigiliarum et festorum dierum in hebdomada occurrentium, iure invecta est consuetudo, eaque retinenda, ut de his quoque inter missarum solemnia denuntiationes a parochis fiant dominicis quibuscumque diebus. Lucidi *De Visit. sacr. lim. I. c. 3. n. 323*.

Denuntiationes matrimoniales. — V. *Banna*.

Depositio. — Depositio est poena 1754
ecclesiastica, qua clericus privatur quocumque ordinis exercitio, officio et beneficio ecclesiastico, ac proinde quacumque ecclesiastica iurisdictione et omni titulo radicali ad eam exercendam, nec non omni iure ad beneficia aut officia in posterum valide possidenda aut obtinenda, idque in perpetuum; non ita tamen a statu clericali eiicitur, ut privilegia etiam fori et canonis amittat. *c. 1 de hom.* (*V. 4*) *in 6;* Concil. Trid. *sess. XXV. c. 14. de ref.* Per se est poena irremissibilis; raro tamen a romano Pontefice remissa est. — Nonnisi ob gravissima crimina infligitur (*c. 8 de dolo X. III. 14*); inter quae enumerantur in iure homicidium, mutilatio, rebellio, usura, raptus, duellum, falsum testimonium in iudicio, quaedam crimina venerea, haeresis, blasphemia, vana observantia, simonia, violatio sigilli sacramentalis, et alia multa. - Attamen nota, ex hodierna disciplina veterum canonum rigorem multum fuisse mitigatum.

Depositio in hoc praesertim differt a suspensione, quod ea clericus beneficio, officio etc., hac autem eorum tantum usu privatur. Cfr. B. P. *VII. n. 380;* D'Annibale *I. 388bis*.

Subiectum activum depositionis, praeter romanum Pontificem et concilium oecumenicum, est episcopus, qui solus procedere potest ad depositionem suorum clericorum de consensu suorum canonicorum seu sui capituli. *c. 12 de haereticis X.* (*V. 7*). Hoc quidem ex iure decretalium; nam prius, alicubi saltem, ut in Africa, in Hispania, in Gallia et in Germania,

episcopus non poterat procedere ad depositionem suorum clericorum, nisi cum ipso iudicantibus aliis episcopis. *cc. 1. 3. C. XV. q. 7.* Sunt autem qui putant, in hodierna disciplina ad deponendos clericos episcopum non indigere consensu sui capituli.

Episcopus autem nunc a solo romano Pontifice deponi potest.

Subiectum vero passivum depositionis sunt, ut patet, omnes et soli clerici.

Incurri autem potest haec poena vel ipso iure vel per sententiam condemnatoriam.

Clericus maiorum ordinum, qui depositionis poenam incurrit, non liberatur exinde onere recitandi divinum officium et servandi castitatem.

tit. de clerico excommunicato deposito vel interdicto ministrante X. (V. 27); *Suarez* De censuris disp. 30; *Thesaurus* De poenis p. I c. 27; *Kober* Die Deposition und Degradation nach den Grundsätzen des kirchl Rechts; *Sagmüller* Lehbr. des kan. KR. § 78; *München* Das. kan. Gerichtsverfahren und Strafrecht; *D'Avezan* Tract. de depositione etc. *Droste* Kirchliches Disciplinar- und Criminal-Verfahren gegen Geistliche.

1755 **Depositum.** — Depositum est contractus, quo gratis (nam, si aliquid rec ipitur, erit locatio, conductio aut contractus innominatus) res custodienda committitur et accipitur, in integrum restituenda, quando deponenti libuerit. *Cfr. l. 1 de deposito etc. D. (XVI. 3).* Nec solum expresse, sed et tacite hunc contractum fieri palam est, ut accidit, quum res quaedam apud eos defertur, qui, ipsa officii seu muneris, quod exercent, ratione, pollicentur, se earum rerum curam habituros, ut sunt ex. gr. caupones et hospites. Hinc iure italico (*C.C.a. 1866*) sancitum est: «Caupones et hospites obligantur tamquam depositarii circa res in eorum hospitia a peregrinantibus delatas: harum rerum depositum habendum est ut depositum necessarium».

Depositarius tenetur rem depositam diligenter sicut rem suam servare (*l. 32 tit. cit. D.*); petenti statim reddere (*C. It. a. 1860; C. G. a. 1994*); ea non uti. *l. 11. 22. tit. cit. D.; C. It. a. 1846; C. G. a. 1930.* Non tenetur tamen depositarius damnum praestare, si res deposita casu perit aut deterior fit, nisi tamen constitutus fuerit in mora pro restitutione rei depositae. *C. C. aa. 1845. 1849.* Tenetur autem restituere rem depositam illi tantum, qui eam deposuit, aut illi, cuius nomine depositum factum est, aut illi, cui rem recipere a domino commissum est. *C. C. a. 1853.* Deponens vero tenetur solvere expensas, quas depositarius subit in re servanda. *C. It. a. 1862. 1863; C. G. a. 1947. 1948.*

tit. de deposito X. (III. 16); *Asinii I. B.* Tract. de exsecutionibus et processibus exsecutionis (ubi etiam de deposito); *Carocci V.* Tract. de deposito, de oblationibus et de sequestro; *Eichrodii I.* Volitationes academicae 25 de oblationis depositionisque remedio; *Weccius I.* De contractu depositi; *Rusignoli G.* Novissima praxis theologico-legalis (ubi in secundo tomo, de deposito); *Marre* De obligationibus et in specie de deposito; *Hahn H.* De obligationibus et in specie de deposito; *Mauli F. A.* Thes. theorico-practicus continens tractatus de fideicommissis... de deposito, de pignoribus etc; *Troplong R. Th.* Comment. du prêt, du dépôt, du séquestre et des contrats

STUDIO ADDICTUS
Province of Holy Cross

aléatoires; *Saredo G.* Se il deposito fruttifero dia luogo a compensazione; *Aiello P.* I depositi, le fedi di credito e le polizze dei banchi di Napoli; *Guillouard* Traités du prêt, du dépôt et du séquestre[2]; *Mirabelli G.* Contratti speciali. - Concordato, mutuo, costituzione di rendita, contratto vitalizio deposito e sequestro, pegno, anticresi, fideiussione, giuoco e scommessa, transazione, secondo le leggi italiane.

Deputati. — Vid. *Senatores.*

Deputati seminarii. — Vid. *Seminarium.*

1756 **Derogatio.** — Derogatio legis est partialis eius abolitio. Quare nihil de ea hic specialiter addendum est; sed ei applicanda sunt ea omnia, quae de abrogatione diximus. Vid. *Abrogatio.*

Attendenda hic est reg. 34ª iuris n 6°: « Generi per speciem derogatur »; et significat quod, si quando habeantur duae leges sibi invicem contrariae, ea, quae magis specialis est, derogat generali in ea parte, in qua non possunt concordari.

Bibliographiam quaere sub *Lex.*

Desertores. — Vid. *Conscripti militiae.*

1757 **Desiderium.** — Desiderium illius rei est, quam quis perficere aut omnino non vult, aut saltem non vult hic et nunc, sive quia hoc ipsi non expedit, sive quia non potest. Relate vero ad peccata interna, desiderium est actus voluntatis rem malam exoptantis. Etiam inefficax est vere peccatum, et induit species tum obiecti, tum circumstantiarum. S. Alph. *V. 12.* Probabilius non peccat graviter, qui desiderat, quae mala sunt iure naturali, sub conditione tamen, qua stante, peccatum cessaret, ut ille, qui diceret: Ducerem Titiam, nisi iam Caiam duxissem; sed res est valde periculosa. S. Alph. *V. 13.* Quoad desiderium de malo alterius vide *Caritas.*

Desperatio. — Desperatio est diffidentia voluntaria obtinendi beatitudinem et media ad eam necessaria; attamen diffidentia haec talis esse debet, qua quis hoc ipsum pro certo habeat. Proprie dicta desperatio parvitatem materiae non admittit. Ea plerumque proxime oritur ex apprehensione certae damnationis; remote ex acedia, luxuria, melancholia. G. B. *I. 211 sqq.* 1758

Desuetudo. — Desuetudine, seu potius consuetudine, debitis vestita conditionibus leges abrogantur ex toto, vel iis in parte derogatur; sed de hoc sub *Consuetudo.* 1759

Detractio. — **Quid detractio.** — Est occulta et iniusta violatio famae alienae (sive de singulari quadam persona, sive de morali sermo sit). S. Alph. *III. 966.* 1760

Nota autem, ad detractionem necesse esse violationem famae fieri de absente; si enim de praesente fieret, esset contumelia. Vide *Contumelia.*

De materia detractionis. — Materia detractionis ea sunt, quae pariunt infamiam, idest quae tollunt vel minuunt existimationem, quam, ut belle adnotat D'Annibale (II. 259), quisquis homo qui nihil deliquit, sibi asserit iure suo quasi rem suam; qui vero deliquit, sed cuius delictum non patet, asserit sibi quasi rem a se pacifice possessam. 1761

Ex dictis patet, non esse detractionem revelare alterius vitia naturalia seu defectus, nec solum corporis, sed etiam animi seu conditionis. Quare,

si quis revelaret de honesta puella, eam non esse virginem, eo quod vi a scelesto fuerit superata, is puellae non detrahit. Lugo *de iust. et iure disp. XIV. n. 66.* Attamen et revelare defectus, etiam quae corporis sunt, aliquando culpa, gravi etiam interdum, non vacat.

1762 **De divisionibus detractionis.** — Fit autem detractio dupliciter: *directe*, seu quum positive laeditur fama proximi, apponendo ex. gr. crimen falsum (et tunc proprie dicitur calumnia), amplificando verum, manifestando occultum, opus bonum sinistre interpretando; *indirecte* seu quum negative proximi fama laeditur, alterius virtutes ex. gr. vel bona negando, minuendo, reticendo (quando nempe hoc aequivalet negationi vel dubitationi), remisse laudando.

1763 **De detractione directa.** — Directa, etiamsi non sit calumnia, est gravis ex genere suo. B. P. *II. 1075.* Eius autem gravitas vel levitas dimetienda est ex damno gravi vel levi, quod patitur fama denigrati; nec requiritur ad letale, quod detractio reddat hominem infamem, satis est si ei inferat notabile nocumentum in fama; sicut ad furtum grave non requiritur reddere pauperem eum, cui res aufertur, sed satis est, eum notabiliter laedere in bonis fortunae. Lugo *de iust. et iure d. XIV n. 52.* - An peccatum, quod graviter aliquem dedecoret, alicui viro prudenti revelare sit peccatum, controvertitur. S. Alph. *III. 973.* Controvertitur etiam apud auctores, utrum detractiones, quae fiunt in materiis specie diversis, specie differant inter se necne. Cfr. Lugo *de poen. d. XVI n. 265;* Bonacina *de peccatis d. 2. q. 4. p. 2. n. 13.* Hinc nequit confessarius poenitenti imponere obligationem specificandi materias, circa quas alicui detraxit. Cfr. Lugo *de poen. disp. XVI n. 265;* Molina *de iust. tr. 4. d. 19. n. 3;* Ball. *in Gury I. 449 (3).*

Quaerunt etiam Doctores, an pec- 1764
catum detractionis multiplicetur ex numero audientium, ac propterea an quis teneatur explicare in confessione an apud multos, et quot circiter, an vero apud unum tantum alicui detraxerit. Et non sunt concordes, aliquibus affirmantibus, aliis negantibus, quibus adhaereo, quum unico actu laedatur alterius existimatio, quae in indivisibili est. B. P. *I. 640;* D'Ann. *II. 264.* An detractio mutat speciem ex persona, cui detrahitur, ut ecce sacerdoti, fratri etc.? Et videtur verior sententia negans, quia fama hominis non distinguitur specie iuxta speciem personarum. Azor *Th. mor. p. III. lib. 13. c. 5.*

Crimen publicum ignorantibus re- 1765
velari potest in eodem loco, et probabiliter etiam in diverso (S. Alph. *III. 974*), scilicet regulariter (nempe tum, quum ex revelatione novum quoddam grave damnum peccans non patitur), saltem in alio loco, quo intra breve tempus notitia criminis perventura est. B. P. *II. 1076;* D' Ann. *II. 260.* Tunc autem crimen dici potest publicum, quum saltem tot personis innotuit, ut nulla tergiversatione celari possit, et moraliter impossibile sit, quod in notitiam communitatis non deveniat. S. Alph. *III. 975.* Imo publicum etiam habetur illud crimen,

de quo aliquis per sententiam iudicis condemnatus est, nisi quaestio sit de sententiis natura sua occultis, ut sunt sententiae S. Congregationis S. Officii. Lugo *loc. cit. disp. XIV. n. 72;* D'Ann. *loc. cit.*

1766 **Quando alterius crimen revelari possit.** — Dantur aliquando causae, ob quas crimen verum, etsi occultum, citra detractionem revelari potest, non vero falsum alicui impingi (cfr. *prop. 44am damnatam ab Inn. XI*); quando nempe iusta habetur causa alienam famam violandi, ut esset ad vitandum grave damnum spirituale ipsius delinquentis (S. Alph. *III. 968*), vel quodcumque aliud iniustum damnum, comparative non omnino leve, quod sive communitati, sive detrahenti ipsi, sive alteri, vel ab eo, cui detrahitur, vel ab alio immineat. S. Alph. *l. c.*

Attamen in hoc casu notandum est, eatenus revelationem criminis alterius esse licitam, quatenus necessaria est ad iniustum malum vitandum; secus, etsi forte iustitia non laedatur, caritas saltem laeditur. D'Ann. *II. 260. (18)*. Quare, si absque tali manifestatione vitari potest malum, quod timetur, manifestatio non esset facienda. Et si manifestatio necessaria est, sed sufficit eam facere sub secreto, ita facienda est; et in universum laedenda est fama proximi quam minimum fieri potest, in ordine ad finem intentum. Lugo *loc. cit. n. 108*. Hinc non omnibus revelatio est facienda, sed ei tantum, cuius est damnum cavere. Quare, etsi revelare quis possit in casu crimen alterius occultum, non solum quum delinquens perseverat in culpa et in malo animo, sed etiam quum culpae suae ipsum poenituit, ut si Caius accusetur de homicidio Titii, quem tu scis occisum a Seio, quem homicidii patrati poenituit, ex caritate tamen teneris Seium praemonere, ut se in tuto collocet, si nempe speras id profuturum, nec ullum exinde tibi damnum imminere times. Lugo, *loc. cit. n. 109.*

Varii casus. — Ex dictis autem col- 1767
lige, non esse detractionem eam gravis etiam criminis revelationem, quae alterius famam non minuit, ut esset revelare peccatum grave alicuius, qui ad certam personarum classem pertinet, quae tam frequenter ea peccata committunt, ut in dictis personis ea peccata iam fere praesupponantur, ut ecce antiqui dicebant, de milite asserere, quod habeat concubinam (Laymann *Th. mor. lib. III. tr. 3. p. 2. c. 3*); quod tamen non puto nostra aetate dici posse. Sed etiam nunc non videtur esse detractio de adolescente dicere, quod tactibus se impudicis aliquando attigerit, nisi is sit, qui ex universa agendi ratione appareat, eum agere vitam magis christiane, quam ceteri solent; et tunc etiam, ut super diximus, fieri posset ad curandum eius bonum, ut si dicas homini pio et prudenti, cui ab illo reverentia exhibeatur, et cuius verba in bonam partem ipse sumat; vel etiam si agitur de bono ipsius revelantis, ut ecce si revelans ipse a delinquente fuerit tentatus ad malum in quod forte consenserit, idque revelat, ut is, cui factum et nomen tentantis revelat, possit eum melius consiliis iuvare ad peccatum in posterum cavendum, vel etiam solum ad dolorem leniendum

vel ad animi quietem inveniendam, quum saepe iuvenes vel mulieres tunc tantum perfecte quieti sint, quum alteri cui fidunt omnia dixerint. Et generatim uni vel alteri viro probo et taciturno consilii petendi vel animi quietandi causa alterius occultum crimen revelare, certe gravi, saepe omni culpa vacat, dummodo non reveletur illi, quem delinquens maxime et prae omnibus latere vellet, si nempe causa ob quam tu illi revelas, non sit saltem aeque gravis ac ratio ob quam ille non vult revelari. B. P. *II. 1090.* Attamen numquam posset quis, etiam consilii petendi vel animi quietandi causa, crimen illi revelare, quem suspicatur abusurum revelatione, ut aliquod malum delinquenti inferat, ut ecce superiori, quem quis suspicatur postea, occasione aliqua sumpta, delinquentem e communitate expulsurum.

1768 **De cooperatoribus in detractione.** — Qui inducit efficaciter alium ad detrahendum, peccat graviter contra iustitiam, et contra caritatem ille qui gaudet de detractione gravi ab alio facta; sed si et ipse detractorem incitet, ut a detrahendo non sistat, iustitiam etiam laedit. S. Alph. *III. 979.* Attamen non repellens detrahentem ex timore, negligentia, verecundia, plerumque venialiter peccat (S. Th. *2. 2. q. 73. a. 4*): imo nec semper expedit detrahentem fraterna correctione corripere, quia saepius hoc aptius erit ad concitandam ipsius iram, quam ad ipsum emendandum. Ball. *in Gury I. 233.* (*5*). Quare hac in re multa discretione uti debet confessarius in dirigendis poenitentibus. — Superior non impediens inferioris detractionem, cum potest, peccat contra caritatem. S. Alph. *III. 980.*

De detractione quoad seipsum et mortuos. 1769 — Seipsum per se infamare licet; non licet aliquando per accidens, ut si ex hoc sibi ipsi damnum vitae, vel aliis infamiae provenire possit. S. Alph. *III. 983.* Mortuis quoque non licet detrahere, tum propter ipsos, tum propter viventes, quibus exinde damnum oriri potest. B. P. *II. 1097;* D'Ann. *II. 259.* (*8*).

Observatio quoad calumniam — Haec 1770 quidem de simplici detractione. De calumnia pauca addenda, et maxime eam, quippe quae mendacium continet, numquam esse licitam, ne tunc quidem, ut supra innuimus, quum detrahere licet, ut ad avertendum malum ipsius detrahentis aut alterius; neque enim fieri possunt mala ut veniat bonum. Nota autem quae hic addit D'Annibale *II. 261:* « Nihilominus qui, alio sibi vere detrahente, negat simpliciter se reum esse, non laedit iustitiam quoad detractorem; sive is sponte detrahat, quippe aut nullatenus ei calumniatur, aut praeter intentionem, per accidens; sive coactus (ceu testis in iudicio), ut opinor, nam et is detrahit per accidens, et neganti se reum esse fides regulariter haberi non solet ».

De detractione aut calumnia oblivioni datis. 1771 — Quid autem si quis vel simplicem detractionem, vel calumniam oblivioni datas in memoriam revocat? et si penitus oblivioni datae sunt, verius iustitiam laedit, quia perinde est ac si de novo detrahat aut calumnietur; secus, si de simplici detrac-

tione sermo est, caritatem tantum violat, si de calumnia, iustitiam quoque, videtur enim calumniam firmare. Excusaretur utique a violatione iustitiae, si eam non calumniam sed simplicem detractionem putaret.

1772 **Obligationes ex detractione.** — Detractor tenetur ex iustitia ad reparandam famam ablatam et ad compensanda damna illata (scilicet haec, si fuerint praevisa); haec obligatio est realis, illa personalis. S. Alph. *III. 991. 996.* Reparatio autem famae fieri potest vel directe, retractando dicta, vel indirecte, laudibus aut extraordinario honore prosequendo eum, cui quis detraxit. Tum calumniator, tum detractor restitutionem hanc famae facere debent etiam directe, si nempe aliter fieri non potest, retractatis quae dixerunt. Calumniator debet dicta retractare, etiam cum iactura propriae famae; detractor uti amphibologia in retractando, vel laudare eum cui detraxit. S. Alph. *III. 992.* Qui per libellum famosum detraxit, tenetur reparare contrariis scriptis publicis. S. Alph. *III. 995;* B. P. *III. 492.* — Diffamator non tenetur ad petitionem veniae, nisi quando aliter satisfacere nequeat. S. Alph. *III. 986.*

Attamen nota hic ea quae S. Doctor *III. 988.* addit: « Ceterum quoad praxim diligenter advertendum puto, quod multoties expedire continget, ut confessarius omittat monere poenitentem in bona fide exsistentem, qui alium inhonoravit, de satisfactione praestanda, in pluribus casibus ». Hos autem casus postea enumerat, et sunt, si praevideat monitionem obfuturam potius, vel saltem non profuturam: si probabiliter putet dehonoratum non velle publicam satisfationem, ne memoria iniuriae acceptae apud alios redeat, aut ne ipse rubore magis afficiatur (quo in casu quaerenda esset alia via aptior ad reparandam offensam); si probabile sit periculum, quod in actu satisfactionis renoventur odia inter offensorem et offensum; si ex signis manifeste appareat, offensum iniuriam condonasse.

De causis a restitutione famae excusantibus. — Dantur causae excusantes a restitutione famae, et sunt ex parte detrahentis, si fieri nequeat absque eius infamia multo graviori (et tunc semper locus est restitutioni indirectae), aut damno gravi ordinis superioris, ex gr. vitae, vel gravissimo ordinis inferioris; quando nempe id secus periclitatur quod pluris aestimatur, quam famae nocumentum; si ex sententia iudicis offensus iam sumpserit ultionem iniuriae; – ex parte iniuriam passi, si ipse remiserit, vel malum iam fuerit evulgatum aliter, vel infamia oblivioni mandata est. S. Alph. *III. 997. sqq.* Probabiliter etiam quis excusatur, si alter eum prius laeserit, et famam nolit restituere. S. Alph. *III. 999.* Probabilius non tenetur quis famam pecunia compensare, si eam nequeat restituere. S. Alph. *III. 1000.* Cfr. B. P. *II. 1075. sqq., III. 489. seqq.;* G. B. *I. 445. sqq.;* D'Ann. *II. 259. sqq.;* Bucc. *I. 1486. sqq.* 1773

Devolutio. – Devolutio est translatio iuris conferendi officium ecclesiasticum in alium ecclesiasticum superiorem ipso iure facta ob culpam vel negligentiam in provisione admissam 1774

a collatore alias competente, vel a collegio electorum aut a patrono. Wernz *Ius Decr. II. 324.* Quare si quis inculpabiliter omittit collationem officii ecclesiastici, is non amittit ius conferendi nec devolutio fit, quum nulla adsit in suppositione culpa vel negligentia, quae est omissio illius quod quis facere potest et debet. Laurenius *For. eccl. in tit. 10 lib. I. Decr.; Monitore eccl. vol. VII. p. 2. pag. 84 sqq.* Imo Gennari putat episcopo successori, quippe qui non fuit negligens, ius esse conferendi ea quoque beneficia. quae ob negligentiam antecessoris ad superiorem devoluta sunt, quaeque superior nondum contulit. Gennari *Quistioni canoniche, q. 388.* Multo autem magis potest inferior negligens, elapso tempore utili, beneficium devolutum conferre, consentiente superiore cui devolutio facta est. Azor *For. ben. vol. II. s. 3. c. 2. q. 756;* Gennari *loc. cit. quest. 389.*

Culpa autem ista vel negligentia in provisione beneficii contingere potest, vel quia personae indignae scienter facta est, vel ex defectu formae substantialis necessario servandae in provisione, unde nulla evasit provisio, vel ex lapsu temporis ad providendum concessi.

Generatim loquendo, si inferior praelatus negligens est in collatione facienda, ius collationis transfertur in superiorem ecclesiasticum immediatum; ut ecce, si negligens fuerit collator inferior, potestas haec devolvitur ad episcopum. Verum huic regulae suae sunt exceptiones. Nam si episcopus beneficium, cuius collatio ad eum iure proprio pertinebat, inter debitum tempus non contulit, ius conferendi devolvitur ad capitulum, non autem ad archiepiscopum (*c. 2. de concess. praeb. etc. X.* [*III. 8.*]; Reiffenstuel *in tit. 5 lib. III Decr. n. 161*); vel si canonici ecclesiae cathedralis, cui hoc est privilegium, scienter eligunt indignum in episcopum, aut eligunt dignum quidem, sed electio est nulla ob defectum formae substantialis, electio devolvitur ad ipsum Romanum Pontificem, non autem ad archiepiscopum (*c. 18. de elect. etc.* [*I. 6*] *in 6°;* Reiffenstuel *loc. cit. n. 163.*), nisi pars etiam minima canonicorum in casu de electione indigni contradixerit, quia tunc non devolvitur electio ad Papam, sed ius eligendi manet apud istos pauciores contradicentes. Reiffenstuel *loc. cit. n. 165.*

Officia patronata devolvuntur ad eum superiorem, cui ius est concedendi canonicam institutionem. Cfr. *c. un. de suppl. negl. Prael.* [*I. 5.*] *inter Clem.*

Devolutio fit ipso iure, nec necesse est exspectare sententiam iudicialem; fit autem ita, ut a superiore praelato in collatione seu provisione facienda servandae sint eaedem conditiones, quae servandae erant a primo collatore, sive hae conditiones sint ex iure communi, sive ex iure quodam speciali. Wernz *loc. cit. II. 325. II. c.*

Devotiones prohibitae. — Vid. *Cultus prohibiti.*

Diaconatus. — **De ipso diaconatu.** — 1775
Diaconatus est certo Sacramentum, quamvis hoc non sit definitum (Palmieri *De Rom. Pont. Proleg.* § *XV*), et est ordo hierarchicus.

De materia diaconatus. — Materia dia- 1776

conatus est impositio manus episcopi (et quidem physica, ut caput ordinandi vere tangatur; secus ordinatio, etsi manus supra caput fuerit extensa, deberet ex toto sub conditione reiterari. *S. U. I. 20 ian. 1875; 26 ian. 1898.*), et iuxta quosdam etiam traditio libri evangeliorum, pro quo potest adhiberi missale. *S. R. C. in Erien. 27 sept. 1873. ad 7* (*3315*).

1777 **De forma diaconatus.** — Forma certo necessaria haec: Accipe Spiritum Sanctum ad robur et ad resistendum diabolo et tentationibus eius in nomine Domini. - Forma etiam necessaria iuxta quosdam est ea alia, quam episcopus dicit, quum tradit librum evangeliorum: Accipe potestatem etc. Cfr. Pont. Rom. *tit. de ordin. diaconi.*

Et necessitas istius alterius formae admittitur ab iis omnibus, qui ad validitatem necessariam putant traditionem instrumentorum; verum admitti potest etiam ab iis, qui contrariam sententiam tuentur. Et in hoc casu haec censenda esset continuatio prioris formae, quae proinde coniungeretur moraliter cum materia, idest cum impositione manus.

1778 **De variis officiis diaconatus.** — Per eum nulla confertur specialis potestas ponendi aliquas actiones sacras, quae sine ordine diaconatus valide exerceri nequeant, sed confertur tantum facultas, ut quaedam sacrae functiones ex officio exerceantur. Wernz *Ius Decret. II. 159. IV.*

1779 Et quidem generatim proprium est diaconi sacerdoti ministrare in omnibus, quae aguntur in sacramentis Christi. *c. 1 dist. XXV.* Magis in particulari diaconi est assistere et ministrare sacerdoti sacrificanti (Pont. Rom. *tit. de ordinat. diaconi*); baptizare solemniter (*Act. VIII. 5. sqq, 26 sqq.;* Pont. Rom. *loc. cit*); praedicare, sed ex commissione episcopi. *Act. VI. VII. VIII.;* Pont. Rom. *loc. cit.* Cantus etiam evangelii in missa solemni cum alba et stola (et saepius etiam cum dalmatica) est functio diacono reservata ad exclusionem quorumcumque inferiorum clericorum. Gasparri *de sacra ordin. II. 1153.*

Diaconus, vi suae ordinationis, est 1780
etiam minister extraordinarius eucharistiae dispensandae; et non tantum in extrema necessitate, sed etiam in gravi, seu quum nullus adest sacerdos, qui commode eucharistiam ministrare possit. S. Alph. *VI. 237.*

Et quidem, si quaestio est de gravi tantum necessitate, necesse habet diaconus recipere quoad hoc commissionem episcopi vel parochi; si vero ageretur de extrema necessitate absque ulla commissione sive episcopi, sive parochi, imo, etiam his invitis, ex mandato ecclesiae (D'Ann. *III. 252*) posset diaconus licite eucharistiam administrare. Gasparri *l. cit. II. 1154;* Wernz *loc. cit.* Imo etiamsi diaconus eucharistiam ministraret sine commissione in casu gravis tantummodo necessitatis, quamvis illicite ageret, irregularitatem tamen non incurreret, quia exerceret actum sui ordinis. Wernz *loc. cit.*

Patet, etiam *ad baptizandum solemniter* diaconum egere commissione 1781
parochi. Sed quaestio est inter doctores, an parochus etiam sine necessitate possit hoc munus simplici diacono committere. Et sunt qui negant,

requirentes ad hoc casum gravis, etsi non extremae, necessitatis (cfr. Wernz *loc. cit.*); alii affirmant, ut Gasparri *l. c. II. 1153,* qui tamen pro hac sententia nonnullos allegat auctores, qui hoc dicere non videntur, ut S. Alph. *VI. 116,* Schmalzgrueber *in tit. 28. lib. V. Decr. n. 7.*

Si quando autem diaconus ex commissione baptizaret, non posset tamen ipse benedicere salem et aquam. *S. R. C. in Mariannen. 10 febr. 1888* (*3684*).

Nota tamen, diaconum, qui sine ulla commissione episcopi aut parochi solemniter baptizaret, nullam verius incurrere irregularitatem, quum potestas baptizandi ex ordine ipso ei sit. D'Ann. *I. 411* (*23*).

1782 Non potest diaconus, ne de consensu quidem parochi, benedicere domos in sabbato sancto. *S. R. C. in Bisinianen. 8 aug. 1835* (*2729*). Potest diaconus ratione ministerii seu officii sui, etiam praesentibus sacerdotibus et extra casum necessitatis, SS. Sacramentum de suo altari ad aliud deferre (*S. R. C. 23 nov. 1906 ad 3*); item potest idem SS. Sacramentum exponere et reponere, at nequit cum eo benedicere populo (*S. R. C. in Angelopolitana 11 septemb. 1847 ad 9* [*2951*]); neque potest cum pluviali cadavera comitari, ac de licentia parochi benedicere sepulturam (*S. R. C. decr. nuper cit. ad 10*); attamen potest diaconus recitans pro defuncto officium defunctorum aut preces exsequiarum, de mandato sui vicarii apostolici, circumire feretrum aspergens corpus aqua benedicta, et incensare, ac benedicere sepulcrum. *S. R. C. in una Tonckini Occid. 14 aug. 1858 ad 2* (*3074*). Et afferens viaticum infirmis, deficiente presbytero et concurrente licentia (saltem praesumpta, D'Ann. *I. 89*) vicarii apostolici, potest facere aspersionem aquae benedictae, dicere « Misereatur » « Indulgentiam », signare infirmum, dicere « Dominus vobiscum » cum oratione, et benedicere cum Sacramento infirmum et assistentes. *S. R. C. decr. nuper cit. ad 1.*

Liturgica quaedam quoad officium diaconi. 1783 — Diaconus et subdiaconus debent adiuvare celebrantem, dum sacras vestes induit, etiamsi sint canonici. *S. R. C. 9 iul. 1895 ad 1* (*3866*). Possunt autem et debent indui paramentis sacris in eadem mensa, in qua planeta vel pluviali se induit celebrans, etiamsi hic sit canonicus et dignitas (*S. R. C. in Recineten. 16 mart. 1833* [*2703*]), et etiamsi exstet consuetudo contraria, quae eliminanda est. *S. R. C. in Urgellen. 11 dec. 1896* (*3937*).

Deficiente diacono, non licet missam cantare cum solo subdiacono (*S. R. C. in una S. Iacobi de Chile 16 mart. 1861 ad 2* [*3104*]), nec, utroque deficiente, licet ut duo laici vestibus sacris induti, licet stola et manipulo exceptis, celebranti assistant ad maiorem solemnitatem, quamvis nullam sacram functionem ad diaconum vel subdiaconum pertinentem obeant. *S. R. C. in Blesen. 11 septembris 1847* (*3952*).

Diaconus et subdiaconus in missa non debent se conformare celebranti in inclinando capite, vel in signandis seipsis, aut in percutiendo pectore, sed hoc ultimum debent facere tan-

tummodo ad « Agnus Dei ». *S. R. C. in Urgellen. 30 decemb. 1881 ad 3* (*3535*).

Subdiaconus et diaconus, dum ab uno latere in aliud transeunt, in missa, sacramento non exstante, semper genuflectere debent, et tantum in medio ; sacramento vero super altari exstante, semper et tantum genuflectere debent in utroque latere. Dum autem ex uno latere pergunt in medium, vel e medio ascendunt ad altare, sacramento super altari exstante, semper et tantum genuflectere debent in loco, e quo recedunt, excepto subdiacono, qui, revertens ab incensatione sacramenti ad elevationem in missa solemni de requie, genuflectere debet in medio tantum; sacramento super altari non exstante, numquam genuflectere debent, praeter subdiaconum, quando, accepta patena, vadit post celebrantem, ante medium altaris, et, facta genuflexione, ibi stat. *S. R. C. 9 iun. 1899* (*4027*).

In missa pontificali diaconus et subdiaconus altari inservientes non debent deosculari altare, quum pacem recipiunt. *S. R. C. in Alatrina 18 martii 1899 ad 3* (*4015*).

Cantante diacono evangelium, subdiaconus debet sustinere librum evangeliorum, sive ante pectus, sive exsistentem in lectorili, nec servari potest contraria consuetudo. *S. R. C. in Casalen. 15 sept. 1753 ad 3.* (*2425*).

Diaconus et subdiaconus, pergentes ad locum, ubi canitur epistola aut evangelium, non debent deferre velum humerale iuxta colorem diei, quo suum respective librum cooperiant, sed servandae sunt in hoc rubricae missalis in titulo de celebratione missae. *S. R. C. in Vicen. 4 febr. 1871 ad 2* (*3236*).

Liber evangeliorum, qui iuxta rubricas deferendus est a diacono ad altare, deponi debet in medio altaris. *S. R. C. in Colimen. 12 iul. 1901.*

In exponendo et reponendo SS. Sacramento diaconus debet semper adhibere stolam, duobus tantum exceptis casibus, scilicet quum diaconus assistens in missa feriae V in Coena Domini SS. Sacramentum de altari sumptum dat episcopo, ut illud processionaliter deferat ad locum, ubi reponi debet (*Cer. episc. lib. II. c 23. n. 12*), et quum idem facit similiter diaconus assistens in processione corporis Christi (*Cer. episc. lib. II. c. 33. n. 20). S. R. C. 9 iun. 1899 (4030*).

Diaconi accedentes privatim ad sacram communionem *debent* deferre super cottam stolam transversam. *S. R. C. in Antibaren. 4 iul. 1879 ad 2.* (*3499*). Vid. *Subdiaconus.*

Notandum quoad susceptionem diaconatus pro religiosis. — Religiosus ad diaconatum promovendus, praeter alia, ex decreto Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium *4 nov. 1892*, debet studuisse per duos annos theologiae, praemisso regulari aliorum studiorum curriculo. 1784

Ziegler C. De diaconis et diaconissis veteris ecclesiae; *Pankowski I. Ch.* De diaconissis; *Seidl N.* Der Diakonat; *Cantaloube,* L'apostolat féminin dans l'église primitive, in « Rev. du Midi » 46, 1905; *Leder D.* Diakonen d. Bischöfe; *Gascuel,* Le rôle de la femme dans l'église primitive d'après le nouveau Testament; *Braun J.* Art. Dalmatic in « The Cath. Encycl. », IV p. 608-9; *Thur-*

ston H. Art. Deacons in « The Cath. Encycl. », t. IV p. 647-51; *Thurston H.* Art. Diaconesses, in « The Cath. Encycl. » t. IV. p. 651-53.

1785 **Diaria.** — Diaria, folia et libelli periodici, qui religionem aut bonos mores, data opera impetunt, non solum naturali, sed etiam ecclesiastico iure proscripti sunt. Curare autem debent ordinarii, ubi opus sit, de huiusmodi lectionis periculo et damno fideles opportune monere. *Const.* Leonis XIII « Officiorum ac munerum » *VIII kal. febr. a. 1896 art. 21.* — Nemo e catholicis, praesertim e viris ecclesiasticis, in huiusmodi diariis vel foliis vel libellis periodicis quidquam debet publicare, nisi suadente iusta et rationabili causa. *Const. cit. a. 22.*

Quaestio esse potest, an religio, de qua articulo 21. supracitato citatae constitutionis sermo est, sumenda sit pro religione *ut sic,* vel pro religione *catholica, revelata.* Et Vermeersch (*de prohibitione et censura libr. post Leonis P. P. XIII const. etc. n. 18*) non improbabiliter intelligit de religione *ut sic*, non qua catholica, revelata; hoc autem cl. auctori probare videtur *a*) stylus curiae, quo in facultatibus quinquennalibus, quando excluduntur opera « contra religionem ex professo », intelliguntur libri *cuilibet* religioni, etiam naturali, infensi, ut explicat Zitelli *Apparatus iur. eccl. p. 540 not.;* Arndt *de libris prohibit. n. 182;* De Brabandere *Iur. can. comp. n. 1361; b*) nec non ipsa constitutio Leoniana, quae *aa. 3 et 5* alia et clariore utitur formula ad designandam religionem catholicam: « fidem catholicam ».

Hinc infert clarus auctor, prohibitione art. 21 attingi « ea tantum folia, quae habitualiter propugnant atheismum, materialismum et alios errores « modernos », quibus extinguitur sensus hominis religiosus, vel quae conantur evertere omnem cultum divinum. Non tamen damnationem evaderet diarium, quod impetit cultum catholicum, si ex modo impugnationis manifesta fieret intentio omni religioni contraria. Multis enim hodie optio non videtur facienda, nisi inter catholicam fidem vel nullam ».

Ad hoc autem, ut prohibita haec diaria censeantur, necesse est, ea impetere religionem aut bonos mores, *data opera;* idest de industria, studiose, consulto, non tantum per transennam seu obiter.

Nota etiam, excerpta e periodicis capita seorsim sumpta (vulgo *tirages à part*) censeri non debere « novas editiones », atque proinde nova approbatione non indigere. *S. C. Ind. 23 maii 1898 ad 3.*

Quoad diaria vel folia periodica aliam habemus explicitam praescriptionem in citata constitutione Leoniana. Scilicet in articulo 42, postquam cautum est, ut e clero seculari viri ne libros quidem, qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant, inconsultis suis ordinariis publicent, quo obsequentis animi erga illos exemplum praebeant, iidem expresse prohibentur, ne absque praevia ipsorum ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant. Diaria scilicet seu ephemerides diariae quaecumque, non solum profanae seu indifferentes, sed etiam religiosae

et ecclesiasticae (Wernz *Ius Decr. III. 121* [*111*]; Vermeersch *De prohibit. et censura librorum n. 120* contra Pennacchi *In const. apost. « Officiorum ac munerum... brevis commentatio, Romae 1898 pag. 233*), non exclusis, ut omnino videtur, libellis periodicis seu iis libellis, qui gallice « Revues » vocantur (Wernz *loc. cit.*; Pennacchi *loc. cit.*, Gennari *Della nuova disciplina della proibizione e della censura dei libri in h. a.*).

Prohibitio sese extendit ad haec diaria seu folia periodica moderanda, sive suo sive alieno nomine id fiat (Vermeersch *loc. cit.*; Gennari *loc. cit.* etc.), non autem ad scribendum pro ipsis seu ad conscribendos articulos, qui in ipsis inserantur vel ad eis cooperandum per suppeditatas ipsis notitias (*corrispondenze*). Vermeersch *loc. cit.*; Gennari *loc. cit.*; Wernz *loc. cit.* Ius tamen particulare identidem ipso iure communi severius est, et potest etiam haec prohibere, et aliquando non sine iusta causa. Cfr. Péries *loc. cit.*

Dies. — Vid. *Tempus.*

1786 **Dignior.** — Illi, qui in aliqua ecclesia dignior est, competit ius aspersorium offerendi episcopo ecclesiam ipsam ingredienti; scilicet, si agitur de ecclesia capitulari, hoc competit primae dignitati capituli, eaque legitime impedita, secundae, et sic deinceps; si autem agitur de ecclesia non collegiata, praeposito ecclesiae. *S. R. C. in Hispalen. 23 mart. 1592 ad 5* (*14*). Similiter digniori de capitulo, non autem vicario generali, competit dare candelam, cineres, palmam celebranti. *S. R. C. in Aesernien. 7 iun. 1681* (*1671*). Pariter ad digniorem praesentem in choro spectat praescribere et ordinare, quae ad chorum hic et nunc referuntur (*S. R. C. in una Montis Politiani 13 iun. 1697* [*1976*]), ut est concedere licentiam exeundi e choro, etc. *S. R. C. in Matheranen. 26 nov. 1678 ad 4* (*1619*). Semper etiam et in omnibus danda est praecedentia dignioribus, licet ad processionem ex. gr. tardiuscule veniant. *S. R. C. in una S. Severinae 1 sept. 1607* (*238*). Vid. *Praecedentia.*

Dignitates. — Dignitates per se sunt 1787
tituli beneficiales habentes adnexam praecedentiam cum aliqua iurisdictione. Barbosa *de can. c. 4. n. 14 sqq.*; Bouix *de capitulis part. 1. s. 2. c. 5.* Hodie generatim dignitates non habent iurisdictionem, quare de facto sunt meri personatus; in praxi tamen habentur tamquam verae dignitates ii tituli, quibus prius adnexa erat iurisdictio, tum alii quoque ex statuto et consuetudine (Bouix *loc. cit.* §. *1. n. 3*); singulis enim ecclesiis competit determinare, quinam tituli dicendi sint dignitates.

Nota etiam, nunc aliquando dignitates a personatibus vere differre in hoc, quod dignitatibus competat quaedam praerogativa honorifica, quae personatibus non competit. Wernz *Ius Decr. II. 776* (*58*).

Non potest determinari quot vel 1788
quaenam sint dignitates. Variat enim numerus, variat nomen, variat gradatio dignitatum in variis ecclesiis; quum quaedam unam tantum, quaedam plures habeant, in aliqua sit prima dignitas ea (ex. gr. decanus in Hispania), quae in alia obtinet infe-

riorem locum (sic decanus in Bavaria est secunda dignitas).

1789 De iure dignitates non sunt de gremio et corpore capituli (Leurenius *Forum eccl. in tit. 11. l. III. Decr. q. 124;* Thomassinus *de vet. et nov. eccl. disc. p. 1. l. 3. c. 70. n. 7*); sed saepe ex consuetudine vel statuto particularis cuiusdam ecclesiae considerantur ut de gremio capituli, et in eo vocem habent; et haec consuetudo ut plurimum in Italia in omnibus ecclesiis capitularibus viget. Card. Petra *Comm. in 1 const. S. Leon. Magn. s. 2. n. 9;* Card. De Luca *de benef. disc. XLVI n. 5 sqq.;* Cfr. etiam *S. C. C. in Guadalaxarien. 3 apr. 1841.*

1790 Dignitates, etiam ubi ad capitulum non pertinent, antecedunt canonicis semper extra capitulum, et, si sint de capitulo, etiam in capitulo. Card. De Luca *de praeem. disc. 19. num. 11;* Bouix *l. c. § 4.*

Impedito episcopo, pertinet ad primam dignitatem, sive sit, sive non sit de capitulo, non vero ad vicarium generalem, imo neque ad vicarium capitularem, mortuo episcopo, celebrare functiones, quae dicuntur episcopales seu pontificales, quas tamen si ipse non posset vel nollet celebrare, deberet substitui in eius locum ille, qui ei proxime succedit ratione dignitatis. *S. R. C. in Gerunden. 11 febr. 1702 ad 2 (2088); 9 iul. 1895 (3865).* Hoc autem est aeque ius ac onus primae dignitatis et successive aliarum; quare semper ad hoc tenentur etiam in festis Immaculatae Conceptionis et S. Ioseph, qui dies festi nuper additi sunt solemnioribus festis, in quibus episcopus celebrare solet, imo etiam quando capitulum his diebus ex privilegio sese transfert in aliam ecclesiam. *S. R. C. in una S. Severini 17 iul. 1900.* Vide plura quoad hoc sub *Functiones Episcopales.* Nota vero hic, dignitatem, quae substituit episcopum in canenda missa, non teneri applicare eamdem missam pro benefactoribus, sed ad hoc teneri hebdomadarium (*S. C. C. in Sebenicen. 4 mart. 1876*), nisi tamen alicubi vigeat legitima et contraria consuetudo, quae hoc onus dignitati ascribat. *S. C. C. in Theanen. 27 apr. 1901.*

Nota tandem, dignitates in odiosis non venire nomine « clericorum ». D'Ann. *I. 88.* Primae dignitati, loco episcopi, episcopales functiones celebranti assistere potest presbyter assistens pluviali indutus, si legitime praescripta consuetudo in particulari illa ecclesia de hoc vigeat (*S. R. C. in Caesenaten. 29 mart. 1659 ad 3 [1111]*); secus non. *S. R. C. in Cremen. 21 nov. 1902.*

Prima dignitas exercet officium presbyteri assistentis, quando episcopus celebrat (*Cer. ep. lib. 1. c. 26*); episcopo morituro viaticum defert, et mortui exsequias celebrat. *Cer. ep. lib. 2. c. 38.* - Collatio primae dignitatis de iure communi reservatur ad S. Sedem. *Reg. 4. Canc. Apostolicae.* Vid. *Archidiaconus.*

Dignus. — Maior vel minor dignitas in eligendis ad beneficia, debet accipi relative ad ecclesiae et fidelium utilitatem. S. Th. *2. 2. q. 63. a. 2.* - Debet autem eligi non tantum dignus sed dignior, et quidem certo sub 1791

gravi quoad episcopatus (Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 1 de ref.*; cfr. *prop. 47am ab Inn. XI decr. 2 mart. 1679 damnatam*); multo probabilius sub gravi quoad beneficia curata (Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 18 de ref.*), et iuxta quosdam etiam quoad simplicia (Cfr. S. Alphons. *IV. 93;* B. P. *IV. 283. sqq.*), aliis contradicentibus, saltem si id raro fiat, una vel altera vice (Reiffenstuel *in tit. 5 lib. I Decr. n. 247;* Lugo *De iust. et iure disp. 35 n. 20;* Lessius *de iust. et iure lib. III. c. 34 dub. 14;* et aliis), quamvis verius electio digni semper est valida, nec onus restitutionis inducit (cfr. S. Th. *l. c. ad 3;* Schmalzgrueber *in tit. 14 lib. I Decr. n. 41*), nisi pactum aliquod implicitum vel explicitum violetur, ut in casu concursus. Cfr. Conc Trid. *loc. cit. cap. 18,* in quo statuit provisiones aliter factas, ac ipsum statuit, tamquam subreptitias habendas esse. Cfr. etiam *Const.* Pii V « In conferendis » *XV kal. mart. 1567.* Parvus quidam defectus dignitatis in eo qui praefertur relate ad alium, cui praefertur, non facit ut quis de gravi damnandus sit; datur enim in hoc parvitas materiae. Ita communiter. Cfr. Mühlbauer *Th. res. S. C. C.* V. « *Acceptio personae* » in nota.

1792 Lehmkuhl (*Theol. mor, I. 972* [1]) hanc rem totam adeo dilucide et nitide proponit, ut operae pretium visum mihi sit, eam notam hic ex integro transcribere.

Dicit igitur:

« Hac occasione convenit, totam obligationem in beneficiis ecclesiasticis digniores assumendi breviter exponere.

I. *Obligatio in genere.*

1. Graviter peccat, qui quodcumque ecclesiasticum beneficium sive simplex sive curatum *indigno* confert, quum mentem superioris sui ecclesiastici graviter laedat atque ecclesiastica bona, quorum administrator, non dominus est, tam male impendat.

2. Graviter etiam peccat, qui beneficium curatum *minus digno* prae digniore confert, sive eligendo, sive praesentando etc; v. Trid. *sess. XXIV de ref. cap. 1* id aperte docens de eligendis episcopis, thes.47 ab Innoc. XI damnatam. - Cfr. insup. Trid. *l. c. cap. 18.* - S. Alph. *l. 4 (al. 5) n. 90.*

3. Si autem patrono competit ius praesentandi, ei quidem generatim eadem obligatio incumbit, attamen ille ecclesiasticus superior, cuius est *confirmare,* facile excusatur, etsi praesentatus non sit dignior, modo absolute dignus sit; imo talis repelli vix potest nisi a Summo Pontifice. - Hinc patet, quantopere gravent propriam conscientiam gubernia illa, quae inhiant privilegio sibi dando, quo possint candidatos ad dignitates et officia ecclesiastica praesentare, aut ab iis repellere.

4. Quoad beneficia simplicia, omisso digniore dignum eligere peccatum quidem est, imo si saepius fieret, de gravi peccato merito esset timendum; at non plane constat, maxime si *raro* fieret, de gravi obligatione, nisi alter iustitiae titulus accedat. Cfr. S. Alph. *l. 4 (al. 5) n. 93 et 94.*

5. Qui contra digniorem competitor exsistit, certamen subeundo non peccat, si modo non indignus sit, imo neque ordinarie peccabit acceptando.

quia ipsius non est de maiore dignitate iudicare.

II. *Maior dignitas unde repetenda et quomodo sumenda.*

1. Si excessus *exiguus* negligitur in dignitate, id non constat esse peccatum grave: cfr. S. Alph. *l. c.*, Sanchez *Consil. mor. l. 2. c. 1 dub. 2 n. 17 sqq.* Scilicet quamquam S. Alph. id in solis beneficiis simplicibus approbat, Sanchez *n. 18* clare id etiam de beneficiis curatis docet.

2. Si speratur, fore ut dignior brevi post in meliore beneficio constitui possit aut in loco, ubi utilius laboraturus sit: eius omissio, quae nunc fit, non est peccatum. V. Sanch. *l. c.*, Elbel *de iuram. n. 136.*

3. Quare si maior est utilitas ecclesiae, clericum digniorem constitui in beneficio minoris dignitatis et valoris, iustissimum est, quia utilitatem ecclesiae privato bono clerici praeferri, rationi plane convenit.

4. Maior dignitas, quae hic attenditur, ex multis adiunctis resultat. Caeteris paribus, praeferendus est: *a*) senior, qui diutius meruit in officiis ecclesiasticis; *b*) qui e suis facultatibus ecclesiam fundavit; *c*) doctior minus docto; *d*) sanctior, et prudentior ei, qui sola scientia et doctrina excellit; *e*) potens et nobilis alteri, quatenus potentia et nobilitas in bonum ecclesiae eiusque defensionem notabiliter confert; addere debemus, eum, qui gubernio civili gratus est, illi, qui ingratus est vel minus gratus, praeferri pro circumstantiis posse et debere, si cetera sunt paria; *f*) pauper praeferendus est diviti, si *ad solas divitias* respicitur; *g*) originarius extraneo et alienigenae; *h*) sacerdos ei, qui ad sacerdotium nondum promotus est, saltem in beneficio curato. Cfr. S. Alph. et Sanch. *loc. cit.*

5. Si agitur de electione inter duos, quorum unus certo absolute dignus est, alter fortasse non ita, sed probabiliter etiam dignior; prior certe praeferri *potest*. S. Alph. *l. c. n. 92.*

III. *De valore et nullitate collationis propter defectum dignitatis.*

1. Qui habet talem indignitatem seu defectum canonicum, ob quam *nulla* statuitur esse collatio (ut est excommunicatio, irregularitas), sine dubio invalide accipit beneficium.

2. Si quis ob aliam causam dignus non est, seu impar exsistit suscepti officii: eius electio et institutio irrita quidem non est, sed *irritanda*, nisi se reddat idoneum. V. Trid. *sess. VII cap. 3 de ref.*

3. Eo magis non est ipso facto irrita beneficii collatio, si *dignior* praetermissus est. Attamen, quando provisio beneficiorum fit per concursum, dignior, qui praetermissus est, habet *ius appellandi*, ut denuo fiat examinatio et defectus commissus corrigatur: qui autem appellat, debet probare posse, defectum esse commissum. V. Trid. *sess. XXIV de ref. cap. 17 et 18;* S. Alph. *l. c. n. 103*; Sanchez *l. c. dub. 6.*

4. Haec dicta sunt secundum ea, quae suprema legislatione ecclesiae sunt definita. Attamen supremus ecclesiae Pastor, quamquam omnibus obbligationem imponat digniores praeferendi, propter graves rationes, praesertim alius publici boni ecclesiae causa, silere potest, si ab aliis

illae normae non observantur, modo ne agatur de indigno assumendo, atque ipse etiam sciens minus dignum prae digniore confirmare et instituere potest (cf. inter alia Vogler *de iust. n. 251 ob. 8*) ».

Dilata. — Vid. *Clausulae.*

1793 **Dilatio.** — Dilatio in impletione voti graviter obligantis, quod tempori affixum est, per se est gravis (Laymann *Th. mor. l. 4. tr. 4. c. 3. n. 4 sqq.*); si vero tempus non fuerit determinatum, probabilius ex dilatione numquam habetur peccatum grave (Tamburini *de praec. dec. l. 3. c. 12 § 3. n. 11*), nisi aliud definiendum sit ex mente voventis, vel nisi votum huiusmodi sit, in quo dilatio promissam materiam imminuat. An hoc ultimum habeatur in voto religionis ingrediendae disputant doctores, quorum sententias vide apud S. Alphonsum *III. 221.* Cfr. B. P. *II. 644 sqq.*

1794 Quoad impletionem poenitentiae sacramentalis, quantacumque sit dilatio, a peccato gravi semper verius excusabitur. Vid. *Satisfactio.* - Raro admodum videtur utilis dilatio in absolutione concedenda. Vid. *Poenitentia.*

Quaenam sit dilatio gravis in applicatione missae ob stipendium debitae vide sub *Stipendium.*

Dilatio unius mensis ex negligentia vel culpabili omissione in denunciando confessario sollicitante subiicit sollicitatum excommunicationi latae sententiae nemini reservatae, in Const. « Apostolicae Sedis » *ser. 4. n. 4.* Vid. *Sollicitatio.*

Per nimiam matrimonii dilationem, praesertim si tempus ad illud fuerit determinatum, solvi possunt sponsalia. Vid. *Sponsalia.*

Dilectio. — De dilectione inimicorum, vid. *Caritas.*

Dimissio. — P. Vermeersch in suo 1795
« De religiosis et missionariis supplementa et monumenta periodica » in supplemento sexto « De iuridicis effectibus votorum temporariorum » quaedam tradit, inter alia, observatione maxime digna, quae rem hanc mirifice illustrant. Sunt autem sequentia :

« 1. *De facultate dimittendi.* Fieri potest ut constitutiones probatae nullam dent Instituto facultatem dimittendi alumnum votis adstrictum. Fieri etiam potest ut tribuant facultatem ita dimittendi ut simul solvantur vota. Institutis autem, quae reguntur recentibus normis, competit facultas dimittendi professos votorum temporariorum.

Haec nullam postulat actionem iudicialem, et exercetur per Superiorem Instituti, ob graves causas, approbatas a maiore parte suffragiorum Consilii generalis. Sed dimissio ista non tollit vota. Quare exspectanda praeterea est dispensatio S. Sedis, quam ipse religiosus, vel eius nomine Superior a S. Congregatione impetrabit.

Dimissio autem facta *sine iusta causa* ipsam laedit iustitiam, si dimissus tenebatur votis. Quid autem elapso votorum spatio? Res ambigi potest. Nonne dum candidatum recipit, videtur Institutum tacite promittere futurum ut alumnum servet nisi proprio facto se probaverit indignum? Ac tale quid expressa Instituti lege sane sanciri potest. Nisi tamen ita

formaliter fuerit cautum, neganda est *iustitiae* obligatio. Per se enim non videtur Institutum maiore teneri obligatione quam ipse subditus, praesertim cum in Ordine religioso minus sit Instituti debitum quam simpliciter professi. Iamvero nulla tenetur obligatione manendi religiosus, elapso spatio votorum temporariorum. Ergo nulla tenetur ipsum Institutum obligatione religiosum servandi. Itaque sic dicemus:

a) Dimissio alumni, elapso spatio votorum temporariorum, si fiat sine iusta causa, aequitati, non tamen iustitiae repugnat. Querela tamen extraiudicialis ad S. Sedem semper deferri potest.

b) Iusta causa ab alumni culpa proficisci potest, vel etiam sine reatu oriri: utputa si Instituto facultates desint alendi subditos, v. gr. ob dispersionem.

c) Hinc quaeres utrum de his professis valeat regula sancita de simpliciter professis Ordinum religiosorum, quod dimitti nequeunt inviti ob morbum qui post vota inciderit?

Et iure quidem positivo aequa ista dispositio ferri potest. Ita in recentioribus normis art. 199, legimus, professam votorum simplicium non debere dimitti, si infirmitatem contraxerit in Instituto post emissa vota. Per se tamen non videtur Institutum tale onus in se stricte suscepisse erga alumnum qui solutam servat discedendi optionem.

d) Quid iuris de religioso qui, elapso maximo spatio votis temporariis praefinito, nec ita se probaverit dignum qui tuto ad perpetuo professos accenseatur, nec ita indignum qui videatur expellendus?

Integrum est Instituto et per se ad officium spectat Superiorum religiosum istum dimittere. Temporariorum enim votorum spatium constitutum est tamquam ulterior quaedam probatio, per quam alumnus ad perpetuam professionem se aptum probare debet. Nisi intra fines praestitutos se ostenderit dignum, non est ad perpetua vota admittendus magis quam novicius ad prima. Consonant ceterum verba normarum recentium: «Elapso tempore votorum temporariorum in constitutionibus praefinito, soror admittenda est ad vota perpetua, *si digna est; si secus, ab Instituto dimittatur*».

Potest tamen etiam Superior cum religioso convenire de impetrando a S. Sede novo temporariorum votorum spatio.

De religioso in sacris. — 1. Decreto *Auctis admodum,* statuitur, n. V. — Alumnos votorum simplicium temporalium qui quovis professionis vinculo iam forent soluti, ob elapsum tempus quo vota ab ipsis fuerint nuncupata, e claustris exire non posse donec Episcopum benevolum receptorem invenerint et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint; secus suspensi maneant ab exercitio susceptorum ordinum —.

De quo canone istud in primis occurrit observandum, quod ad usum maxime spectare potest, sufficere mansionem in claustris quam vocabimus formalem. Id e. sicut Instituta religiosa, pro varia eorum ratione et lege, non prohibentur religiosis suis com-

mittere ministeria exteriora, ipsisque permittere ut per aliquod tempus maneant extra claustra, ita poterunt erga huiusmodi alumnos uti ista facultate, ut per aliquod tempus versentur extra conventum, manendo tamen sub oboedientia Superioris regularis.

2. Vi istius decreti, nec alumnus Institutum deserere, nec Institutum ipsi congruum hospitium negare potest, antequam Episcopum reppererit, qui vere eum in suum cooptaverit clerum, et antequam praeterea, ea qua diximus ratione, sibi patrimonium constituerit. Nulla rursus tenetur subditus obligatione emittendi vota perpetua in Instituto.

Hinc fasne ipsi erit sine votis et quasi sine cura commodo frui hospitio? Minime gentium. Ipsa naturali honestate vetamur imponere Instituto onus alimentorum postquam foedus quo cum ipso iungebamur conservare noluimus. Excusandi quidem sumus, si copia nobis defuerit satisfaciendi ecclesiasticae legi qua ad deserendam domum prius habere Episcopum et patrimonium iubemur. Sed, ut haec excusatio nobis prosit, sufficiens diligentia est adhibenda de mediis. Quocirca alumnus in sacris, nisi perpetua facere vota maluerit, episcopum benevolum receptorem et patrimonium sedulo quaerere debet.

Quid autem si curam istam detrectaverit, vel ostenderit se Episcopi et votorum aeque incuriosum?

Huiusmodi agendi ratione videtur nobis contineri gravis et externa culpa, in qua si quis obstinate perseveraverit, ut incorrigibilis, servata forma decreti *Auctis admodum*, poterit expelli. Quod si Institutum facultate careat alumnos dimittendi, causa erit ad S. Sedem deferenda.

Immo, quem Institutum iudicet perpetuis votis non esse dignum, potest eum obligare ad sedulo quaerendum Episcopum. Quod ni fecerit, qui a votis perpetuis arcetur fit iterum reus culpae quae, nostra scientia, actionem expulsionis fundare possit.

3. Interea autem, quasi in verum alumnum, servat Institutum in huiusmodi personam omnem suam potestatem et iurisdictionem, idque vi legis ecclesiasticae, quae dum ipsum manere cogit, tacite confirmat eius in foro externo condicionem. Ipse etiam ex lege ecclesiastica omnes exteriores vitae religiosae obligationes servabit. Una perit obligatio votorum coram Deo.

Hac ratione explicamus quomodo possit Institutum causam expulsionis iudicare alicuius qui nullis iam tenetur votis.

N. B. Si alumnus ad Institutum Missionariorum pertinuerit, fueritque titulo missionis ordinatus, prohibebitur, inconsulta S. Sede, missionem suam deserere. Quare in propria missione erit ab episcopo seu Vicario Apostolico recipiendus, vel obtinenda erit S. Sedis dispensatio ».

Et haec quidem optime, suo more, Vermeersch circa alumnos Institutorum religiosorum, qui vota temporalia habent.

Quoad religiosos votorum perpetuorum haec nota ex decreto « Auctis admodum ». Scilicet quoties agitur de dimittendo aliquo alumno vota sim- 1796

plicia quidem, sed perpetua, professo, (vel votis simplicibus temporaneis adstricto ac in sacris insuper ordinibus constituto) ne superiores quidem, qui facultate dimittendi potiuntur, ad dimissionem procedere possunt, nisi ob culpam gravem externam et publicam, et nisi culpabilis sit etiam incorrigibilis. Ut autem quis incorrigibilis revera habeatur, superiores praemittere debent, distinctis temporibus, trinam admonitionem et correctionem qua nihil proficiente, debent superiores processum contra delinquentem instruere, processus resultantia accusato contestari, eidem tempus congruum concedere quo suas defensiones, sive per se, sive per alium eiusdem instituti religiosum exhibere valeat. Quod si accusatus ipse proprias defensiones non praesentaverit, superior seu tribunal defensorem alumnum respectivi instituti ex officio constituere debet. Post haec superior cum suo consilio sententiam expulsionis aut dimissionis pronuntiare potest, quae tamen nullum effectum habebit, si condemnatus a sententia prolata rite ad S. C. Religiosorum appellaverit, donec per eamdem S. Congr. definitivum iudicium prolatum non fuerit. Quoties autem gravibus ex causis procedendi methodus supradicta servari nequeat, tunc debet haberi recursus ad S. C. Religiosorum ad effectum obtinendi dispensationem a solemnitatibus praescriptis et facultatem procedendi summario modo iuxta praxim vigentem apud eamdem S. Congregationem. *S. C. EE. RR. 4 nov. 1892.*

1797 Quum autem iuxta has regulas religiosus iure eiectus est, si is pertinet ad congregationes recentiores votorum simplicium, non ideo vi dimissionis eidem religioso simplicia vota dispensantur, sed recurrendum est ad S. Congregationem religiosorum ab ipsis religiosis, postquam fuerint legitime dimissi, pro enuntiata dispensatione obtinenda. *S. C. EE. RR. 10 ian. 1896.* Hoc autem non procedit cum religiosis votorum simplicium pertinentibus ad ordines regulares proprie dictos; in his enim vi dimissionis vota simplicia eo ipso cessant. *Const.* Greg. XIII « Ascendente Dno ». *VIII kal. iun. a. 1584; S. C. super statu Reg. 12 iun. 1858.*

Hinc est quod advertit Wernz (*Ius Decr. III. 676*); « Professi religiosi, qui in religionibus virorum ante professionem solemnem per triennium in votis simplicibus perseverare debent, atque in ordinibus sacris nondum sunt constituti, certe etiam nunc post novum Leonis XIII decretum *Auctis* 4 nov. 1892 cum liberatione ab omni vinculo votorum religiosorum dimitti possunt ex ordine religioso a praeposito generali vel eius delegato ob iustas et rationabiles vereque graves causas sine stricto processu vel iudicio canonico, sed sola facti veritate inspecta et servata forma extraiudiciali in declaratione S. Congr. super discipl. reg. n. 4 et 5 constituta ». *Cfr. S. C. super. disc. reg. 7 febr. 1862 ad 2; 22 ian. 1886.* Cfr. tamen etiam *S. C. EE. RR. 4 iul. 1898.* Exinde est, quod ordinarius cum his dimissis, vel ad sacros ordines promoveri vel matrimonium inire cupientibus, debet se gerere

sicut cum aliis suis dioecesanis. *S. C. super statu regul. 20 iun. 1860.*

1798 Alumni votorum simplicium perpetuorum (idem est pro alumnis votorum solemnium) vel temporalium in sacris ordinibus constituti, qui expulsi vel dimissi fuerint, perpetuo suspensi manent, donec a S. Sede alio modo eis consulatur, ac praeterea episcopum benevolum receptorem invenerint et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint. *S. C. EE. RR. 4 nov. 1892; 20 nov. 1895.*

1799 Quoad sorores recentiorum institutorum nota, in normis, secundum quas S. Congr. episc. et regul. procedere solet in approbandis novis institutis votorum simplicium editis et approbatis die 28 iunii 1901, cautum esse, ut pro dimittenda sorore votorum temporariorum graves causae, pro dimittenda sorore votorum perpetuorum, graviores etiam causae requirantur, a consilio generali probatae per secreta suffragia; quibus causis pro sororibus votorum perpetuorum debeat adiungi incorrigibilitas, quae experimento probata esse debet, ita ut spes resipiscentiae evanuerit, et ex continuis culpis sororis incorrigibilis instituto damna immineant; imo adiungi pro his etiam debeat confirmatio S. Congregationis, sine qua dimissio non sortiatur effectum iuridicum, excepto casu gravis scandali exterioris, in quo, episcopo loci approbante, soror statim dimitti possit, quamvis et tunc postea confirmatio dimissionis a S. Congregatione petenda sit; ut infirma valetudo nunquam haberi debeat ut causa sufficiens ad dimittendam sororem votorum perpetuorum, imo nec sororem votorum temporariorum, si tamen pro ista accedat, quod infirmitatem contraxerit in instituto post emissa vota, imo aut quod ea infirmitate laboraret ante votorum emissionem, si superiorissa sciens volens eam nihilominus admiserit ad primam professionem, dummodo soror superiorissam malitiose non deceperit occultando ante professionem morbum praeexistentem, unde inepta reddatur ad instituti onera ferenda. Cfr. *Normae etc.* § *191 sq.*

Ad dimittendas e monasterio professas votorum simplicium, quae emissa fuerint in ordine ad professionem solemnem, in monasteriis scilicet monialium stricte dictarum, recurrendum est in singulis casibus ad S. Sedem, distincte exponendo graves causas, quae dimissionem suadere vel exigere videntur. Dispensatio autem ab his votis simplicibus Romano Pontifici est reservata. *S. C. EE. RR. 3 maii 1902.*

Nota autem quod etiam in institutis recentioribus a S. Sede approbatis dispensatio a votis sive temporariis sive perpetuis S. Sedi reservatur. Cfr. *Normae etc. a. 112.*

Professi votorum solemnium non 1800
proprie dimittuntur ab ordine, sed eiiciuntur eiectione seu expulsione stricte dicta. Quoad eorum igitur ab ordine separationem, vide *Eiectio.*

His adiungere alia quaedam liceat a 1801
P. Vermeersch pulcherrime disputata in periodicis citatis supplem. quinto « de iusta dimissionis ratione in ordinibus religiosis ». Ante omnia quaedam praestituit principia, scilicet:

« 1. Dimissio nullam continet votorum irritationem, vel dispensationem seu commutationem, sed, si legitime sit facta, adimplet resolutoriam votorum condicionem. Dispensatio enim votorum substantialium religionis est S. Sedi prorsus reservata.

« Per dimissionem, communi religionis et Instituti bono consulitur, non autem, saltem directe, privatae religiosi utilitati. In ea itaque decernenda, istud est considerandum, quid ad commune Instituti bonum sit necessarium vel expediens, non autem quae privatae rationes religioso opportunam facere possint votorum relaxationem. Rationes istae fundare possunt dispensationem, non autem dimissionem, nisi ut facile fit, ex ipsa privata causa pro ipso Instituto argui queat.

« 2. Simpliciter professus non est iam novicius, qui sine iniuria et libere religionem deserere possit et libere ab ea dimitti; sed, ex accepta sui traditione, in religiosum cooptatus Institutum, ius habet manendi, et faciendi, suo tempore, sollemnem professionem, nisi iusta inciderit dimissionis causa; atque etiam erga Deum, tam ipse quam Institutum, obligantur ad sufficientem adhibendam diligentiam ne talis nascatur causa.

« Simul tamen professio simplex rationem quamdam induit ulterioris probationis, per quam simpliciter professi dignos se demonstrare debent qui sine incommodo et periculo asciscantur inter solemniter professos.

« In pensanda igitur iusta dimissionis causa, componi debet ratio status iam acquisiti, cum hac probationis ratione.

« 3. Causa porro requiritur, ad aliquem dimittendum, quae sit gravis. Ita decretum *Perpensis*, n. XII, et per se constat. Grave quidpiam est obligationem tollere peculiaris famulatus divini; grave quidpiam hominem a statu perfectionis in communem detrudere; grave eum periculis saeculi, post religionis securitatem, opponere; grave eumdem, sublimi abiecta spe, obligare ad aliam, post plures annos, tentandam condicionem. Talis itaque sit causa oportet, ut detrimenta ista humana et quasi divina compenset.

« Nihilominus gravis causa dimissionis non dicit necessario gravem culpam in persona dimittenda, nec omnis gravis culpa gravem praebet dimissionis rationem. Praeterea, in aestimanda causa, ratio haberi potest, immo debet, tum temporum quae, ut nostra sunt, maiorem quandoque postulant severitatem, tum Ordinis et Instituti: generis vitae et ministeriorum ».

His autem suppositis, quaerit Ver- 1802
meersch quaenam iusta causa requiratur et sufficiat. Et postquam quaedam attulerit ex Suarez (de religione *tr. X. lib. 3. c. 2. n. 9*) ex Sanchez (in Decal. *lib. 6. c. 9. n. 69*) et Benedicto XIV (de Synodo *lib. XIII c. 11. n. 17*, ita prosequitur:

« Ex allatis auctoritatibus, et ipsa causa cur inducta sit ista simplicis professionis disciplina, haec regula generalis statui potest:

Iuste dimittitur qui prudenter iudicatur futurus esse notabili incommodo, cuius onus non iudicatur fuisse ab

Instituto assumptum in admittendo candidato ad priora facienda vota.

Haec ipsa regula iam fere continetur his verbis, quae in ambobus decretis *Neminem latet* et *Ad universalis* leguntur; — Ne quis admittatur qui saeculi contagione pollutus, vel verae vocationis expers et suscepti Instituti poeniteat, et gravem sodalibus molestiam afferat cum disciplinae perturbatione et regularis observantiae discrimine ».

Assignat autem ad specimen quasdam causas speciales, quae sive insufficientes sive sufficientes habendae sunt. Prosequitur autem doctus auctor:

« Causae per se *insufficientes sunt:*

a) Infirmitas suborta post professionem (1). Periculum enim valetudinis simul cum onere alendi subditum in se suscepisse Institutum non est ambigendum, ne omnium perseverantia in incerto sit posita.

b) Infirmitas, quae ante vota satis erat nota, nisi religiosus Institutum fraudaverit iusta maioris meriti seu virtutis spe, qua defectus virium videbatur compensandus (2).

c) Affirmatio religiosi se non habere vel amississe animum vocationemque ad vitam religiosam (3). Haec enim causa Institutum religiosum per se minime afficit. Quare locus potius hic est dispensationi, quae reservatur S. Sedi, nisi, quod facile fiet, subiectum ita dispositum prospiciatur fore Instituto et sociis gravamini non levi.

(1) Decretum *Sanctissimus*, n. V.

(2) Ita ipse Suarez, op. cit. l. 3, c. 9, n. XI.

(3) Resp. S. Congr. Episc. et Regul. 19 novembr. 1886.

Ita C. de Lugo, in casu simili, *Resp. mor. l. 4, d. 3, n. 7.*

d) Mutuus religionis et religiosi consensus. Habetur enim ad Deum obligatio, quae tali consensu auferri nequit (1).

2. *Sufficientes* autem causae iudicari possunt:

a) Quaecumque peccata periculum faciant scandali, infamiae, vel non permittunt ut reo tuto committantur Instituti ministeria propria.

Huc spectant verba decretorum: - Ne quis admittatur qui saeculi contagione pollutus -.

b) Animus impatiens oboedientiae: hinc enim regularis disciplina in discrimen adducitur.

c) Qui modo dicendi vel agendi videntur seminaturi discordias vel caritatem turbaturi. - Necesse est, sic decretum *Neminem latet*, religiosos ipsos viros arctissimo caritatis vinculo inter se esse coniunctos -.

d) Talis desidia seu pigritia, qua quis ineptum se reddat ad Instituti opera exercenda.

Atque haec quidem sinunt religiosum dimittere *invitum*. Nihilne autem potest ipsius religiosi *consensus?*

Consensus, qui per se sufficiens causa esse nequit, aliquando imperfectam causam complere potest, idque bifariam: *a*) Quatenus facilitas consentiendi animum prodit parum ad religiosam vitam propensum; cuius animi dispositionis sane in aestimanda causa ratio haberi potest. *b*) Quatenus tollit obstaculum iuris acquisiti a religioso. Fieri enim potest, ut per

(1) Suarez, op. cit., tr. 10, l. 3, c. 9, n. XV.

se melius foret, et Deo gratum, quempiam dimitti, nisi dimissio iustitiae adversaretur. Iamvero voluntaria iuris cessione superior permittitur neglecto religiosi respectu, unice Instituti consulere bono. Casus erit v. gr. infirmitatis contractae post vota, vel quae, cum vota fiebant, erat perspecta. Quem casum non putamus excludi verbis declarationis *Sanctissimus*, quibus dicitur nemo dimitti posse ob infirmitatem, quae votis sit posterior. Saepius etiam fit ut quamvis in iuris rigore, dimitti possit religiosus v. gr. qui bonae quidem voluntatis, ineptus tamen demonstratur ministeriis Instituti, aequitas huiusmodi severitati repugnet, nisi ipse religiosus consentiat. Cf. de vi consensus, C. de Lugo. *Resp. moral. l. 4. d. 3. n. 5* ».

1803 Tandem advertit, ad sedandos scrupulos satis esse ut praelatus regularis bona fide procedat et morali adhibita diligentia ne erret. Ad hoc autem probandum adducit auctoritatem Suarez (*op. cit. tr. 10 l. 3. c. 9. n. 19*) et de Lugo (*Responsa mor. lib. 4. d. 3. n. 5*).

1804 Postea quaerit quomodo oporteat ut causa innotescat; et, postquam statuerit generalem regulam, de iusta hac causa ita constare superiori debere ut nullus sit reliquus locus formidini prudenti in contrarium, quia secus deturbaretur quis iniuste legitimo statu quem possidet, advertit debere etiam de ea superiori constare eo modo, quo ipse ea uti possit et proinde fas sit bono instituti immediate prospicere. Hinc sequentia animadvertit valde notanda:

« *a*) Prorsus in hunc finem inutilis est notitia hausta ex confessione, ut nimis patescit. *b*) Inutilis etiam est confessio religiosi facta in secreta et paterna consultatione qualis est conscientiae ratio. Huiusmodi enim manifestatio, ad solum subditi bonum immediate ordinata, talem gravamen imponere non sinit. Idque de usu directo vel indirecto aeque valet. Gravis igitur iniuriae reus fuerit Superior, qui ex tali manifestatione sumat quaerendi praetextum et quasi occasionem expulsionis. Sane, si subditus rogetur, permittere ipse potest, ut ob iustam causam dimittatur. Verum hic ab errore caveas. Iuvenum enim et personarum, quae parum in theologia versantur, talis consensus aliqua ignorantia vel metu facile vitiatur. Quare is, non alius, sufficit consensus, quem *sine coactione* dat subditus *probe sui iuris gnarus*. *c*) Nec in eumdem finem uti potest Superior delatione, quam alter ipsi fecerit uti patri i. e. ut subditum corrigat, non ut in quemcumque viderit magis expedire adhibeat usum. Verum hic potest Superior exigere ut maior sibi fiat copia utendi re narrata, si magna et urgens ratio boni communis eiectionem postulet, vel si frustranea adhibita sit diligentia ad obtinendam emendationem. Cfr. Suarez. *De religione tr. X. l. 10. c. 14 n. 10* ».

Bibliographiam quaere sub *Congregationes religiosae*.

Dimissoriae. — Dimissoriae litterae hodierno more dicuntur eae, quibus episcopus aliquem sibi subditum ad alium episcopum mittit, ut ab eo 1805

ad tonsuram vel sacros ordines promoveatur. Huiusmodi litterae vocantur etiam canonicae, formatae, commendatitiae, reverendae (Conc. Trid. *sess. VII c. 10. de ref.*), et debent testimonium episcopi circa mores, aetatem, natales etc. ordinandi referre.

Antiquitus simul continebant licentiam ab episcopo factam promovendo, ut is ad dioecesim episcopi ordinantis transiret, propria antiqua dioecesi relicta. Cfr. Gasparri *De sacra ordin. II. 863.*

Litterae dimissoriae debent continere causam, cur ii, qui promovendi sunt, a proprio episcopo ordinari non possint. Conc. Trid. *sess. VII c. 11. de ref.* Neque hae litterae admittendae sunt ultra bimestre vel trimestre a die datae. *S. C. C. in Adversana 4 dec. 1666; S. C. Immunit. in Lycien. 7 sept. 1624;* Lucidi *loc. cit. n. 67.*

Nota etiam hic ea, quae habet Lambertinus tunc temporis a secretis Sacrae Congr. Concilii in folio causae Elboren. ad diem 2 aug. 1721: « Iuxta idem Concilium (*sess. XXIII c. 3. de ref.*) episcopi, qui subditos suos dimittunt ordinandos ad alium episcopum, debent eos dimittere probatos et examinatos, et cohaerenter ad haec invaluit opinio, quod episcopus, cui facta est commissio, non tenetur inquirere, an dimissi sint idonei, et an habeant sufficientem titulum pro ordinatione, ut habet Fagnanus *in cap. Quum secundum 52 de praeb. et dign.*, licet inquirere possit, si velit, iuxta resolutionem huius S. Congregationis in una Nullius *16 iun. 1595* ». Hanc sententiam Lambertini S. Congregatio probavit resolutione sua *23 aug. 1721.*

Imo ex Giraldi (*Ius Pont. p. II sect. 90*) non est conveniens, ut episcopus, ad quem ordinandus mittitur, ipsum iterum examini subiiciat, ne a diversis episcopis eumdem approbari et reprobari contingat; nisi tamen episcopus proprius ordinandi examen ipse commiserit episcopo ordinaturo, quod facere potest, et necessario faciendum est pro absentibus, quos episcopus proprius ad se examinis causa vocare nequit, quemadmodum contingit ex gr. si longe nimis absint. *S. C. C. mens. dec. 1587.*

Litterae dimissoriae conceduntur a 1806
solo ordinandi episcopo (Conc. Trid. *sess. VII c. 10. 11 de ref.; sess. XXIII c. 3. de ref.*) sede non vacante, per se vel per suum vicarium, qui tamen dimissorias concedere nequit, sine mandato speciali (*c. 3 de temporibus ordinat.* [*I. 9*] *in 6°;* Barbosa *de off. et pot. episc. part. II all. 7 n. 9;* Lucidi *de vis. sacr. lim. I. cap. 2. n. 68*); saltem si non exstet consuetudo contraria (Schmalzgr. *in tit. 11 lib. I. Decr. n. 48*), et nisi episcopus longe et in remotis absit (*c. 3 cit.*), quod in ipsius vicarii aestimatione positum est. Reiffenstuel *in tit. 11. l. I Decr. n. 127.* — Sede vero vacante, conceduntur a capitulo seu vicario capitulari, non tamen infra annum vacationis, nisi agatur de arctatis (Concil. Trid. *sess. VII c. 10 de ref.*), vel de promovendis ad primam tonsuram. *S. C. C. 10 febr. 1594.*

Hoc eodem iure reguntur etiam vicarii a Sede Apostolica deputati

cum iurisdictione ordinaria in episcopatibus vacantibus, qui non habent capitula, quae, sede vacante, succedant in iurisdictione. *S. C. C. 16 mart. 1641.*

Abbates, quantumvis exempti, etiam regulares, concedere nequeunt dimissorias imo nec testimoniales (Many *Prael. de sacra ordin. n. 61*, qui hoc niti asserit iurisprudentia S. Congr. Concilii) clericis secularibus suae iurisdictioni subiectis, qui eas recipiunt ab episcopo, intra cuius fines abbatia posita est. Conc. Trid. *sess. XXIII c. 10 de ref.; S. C. C. 16 mart., 7 apr. 1662; in una S. Luciae 28 mart. 1903.*

Quod si agatur de Praelatis vere Nullius, quamvis hi quoque non possint dare litteras dimissorias ad subditos suos seculares, possunt tamen et debent eisdem dare litteras testimoniales. Ordinatio autem horum clericorum secularium et consequentur concessio litterarum dimissorialium spectat ad episcopum viciniorem seu ad episcopum, cuius ecclesia cathedralis proximior est ecclesiae abbatiali. Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 9 de ref.;* Many *loc. cit.;* Lucidi *De vis. ss. lim. c. 1. n. 32.* Cfr. *S. C. C. in Caputaquen. 28 ian. 11 febr. 1708, 6 iul. 1709, 17 dec. 1712.*

1807 Pro *regularibus* dantur ab eorum superiore (*S. C. C. 15 mart. 1596; Const.* Bened. XIV « Impositi nobis » *27 febr. 1746*), qui tamen eas professis votorum simplicium (et multo magis novitiis, cfr. *Constit.* Pii V « Rom. Pontifex » *14 oct. 1568; decl. Pii IX per. S. C. super statu Regul. 12 iun. 1858*) dare nequit, nisi pro tonsura et minoribus ordinibus, donec iuxta praescriptiones iuris emiserint vota solemnia (*S. C. EE. RR. 20 ian. 1860*): hoc valet de iure communi, nisi speciale indultum concessum fuerit. Cfr. Gasparri *l. c. n. 931. sqq.*

Pro his, nisi regulares habeant speciale indultum adeundi quemcumque velint catholicum episcopum (quod indultum concessum fuerit post Tridentinum, et directe habitum, non autem per communicationem privilegiorum, *Const. cit. Ben. XIV 27 febr. 1746*), dimissoriae a superioribus dirigendae sunt ad episcopum loci, ubi positum est monasterium, in quo degit, tamquam de familia, ordinandus (Barbosa *de off. et pot. ep. p. II. all. IV. n. 61. sq.*), nisi iste episcopus extra dioecesim abeat, vel ordinationes proximo legitimo tempore per leges canonicas constituto non sit habiturus, quia tunc ad quemlibet episcopum dimitti possunt. *Decr. S. C. C. 15 mart. 1596 confirm. a Clem. VIII.* Sed de hac ipsa causa constare debet per attestationem authenticam vicarii generalis, vel cancellarii, aut secretarii episcopi dioecesani; secus dimissoriae nullius valoris sunt. *Const. cit. Bened. XIV 27 febr. 1746.*

Congregationes religiosae, in quibus vota tantum simplicia emittuntur, non gaudent iure concedendi litteras dimissorias suis subditis, nisi habeant speciale privilegium (Many *Prael. de sacra ordinatione n. 177 sqq.;* Wernz *Ius Decr. II. 29*) et hoc valebat tum ante decretum « Auctis admodum » 4 nov. 1892 (*S. C. EE. RR. in Tarvisina 6 maii 1864*), tum post ipsum (*S. C. EE. RR. in Parisien. 9*

febr. 1894). Quod si speciale hoc indultum obtinuerint, non possunt tamen superiores concedere litteras dimissoriales pross. ordinibus, vel quomodocumque ad sacros ordines alumnos promovere, titulo mensae communis vel missionis, nisi illis tantum alumnis, qui vota quidem simplicia, sed perpetua iam emiserint, et proprio instituto stabiliter aggregati fuerint; vel qui saltem per triennium, permanserint in votis simplicibus temporaneis quoad ea instituta, quae ultra triennium perpetuam differunt professionem. *S. C. EE. RR. 4 nov. 1892.* Hoc autem decreto revocata sunt omnia indulta ac privilegia iam obtenta a S. Sede, nec non dispositiones contrariae in respectivis constitutionibus contentae, etsi tales constitutiones fuerint a S. Sede approbatae; simulque cautum est, ut, si interdum causa legitima occurrat, cur quispiam sacros ordines suscipiat, triennio nondum expleto, peti possit ab apostolica Sede dispensatio, ut clericus vota solemnia nuncupare possit, quamvis non expleverit triennium; quoad instituta vero votorum simplicium, ut vota simplicia perpetua emittere possit, quamvis non expleto tempore a respectivi instituti constitutionibus praescripto pro professione votorum simplicium perpetuorum. *S. C. EE. RR. decr. nuper cit.*

1808 Dimissoriae possunt dirigi ad episcopum certum et determinatum, et etiam ad incertum episcopum, idest generatim ad quemcumque episcopum gratiam et communionem habentem cum Sede apostolica (*S. C. C. 16 mart. 1624*); attamen, ut patet, ad episcopum, qui loco et dignitati renunciavit, dirigi non possunt. *c. 1 de ordin. ab episc. qui renunc. etc. X.* (*I. 13*).

Clerici seculares exteri (idest non 1809
ex romana dioecesi, neque ex aliquo e sex episcopatibus suburbicariis), qui dimissorias obtinent, si Romam venerint, ibique saltem per quatuor menses commorentur, et adhuc commorari velint, non possunt initiari ordinibus extra urbem absque licentia cardinalis in urbe vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, praeterquam ab episcopo proprio (quocumque titulo proprius sit); imo ne ab hoc quidem, si examen coram card. vicario peregerint, et in eo reiecti fuerint.

Clericis suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim, debent dari dimissoriae directae ad card. urbis vicarium, et non ad alium.

Secus, si hi clerici suburbicarii, vel illi seculares exteri ab alio ordinentur, ex Const. « Ap. Sedis. » (*ser. 5. n. 7*) incurrunt ipso iure suspensionem ab ordinibus sic susceptis, ad beneplacitum S. Sedis. Episcopi vero sic ordinantes incurrunt suspensionem per annum ab usu pontificalium.

Notandum praeterea est, dimisso- 1810
rias considerari ut gratiam factam; quare, nec resoluto, nec multo minus suspenso iure dantis, intereunt. *S. C. EE. RR. in Oritan. 21 nov. 1600;* S. Alph. *VI. 787.*

Episcopus non potest litteras di- 1811
missorias absque iusta causa clericis eas petentibus denegare, ideoque in casu iniustae denegationis patet recursus ad S. Sedem, quae ordinarie

metropolitano aut viciniori episcopo committit, ut ab eodem ordinario prius requirat causam recusationis, eoque legitimam non allegante, liceat illi eumdem recusatum ordinare. *S. C. C. in Rhemen. 21 apr. 1668; S. C. EE. RR. in Sarzanen. 23 iul. 1700; in Verulana 16 iul. 1841.* – Cfr. Gasparri *de sacra ordin. II. 863 sqq.;* D'Ann. *III. 292 (12)*; De Luca Marian. *Prael. Iur. can. l. I. tit. 3. n. 43.* Vid. *Ordo, Testimoniales.*

Dimittatur. Vid. *Clausulae.*

1812 **Dioecesis.** — In petitione dispensationum matrimonialium exprimendum est nomen dioecesis, sive originis, sive domicilii aut quasi domicilii, sive simplicis inhabitationis. Commissio enim dispensationis pro maiore oratorum commoditate fit ei, qui est oratorum ordinarius ratione unius ex istis, idest ratione sive originis, sive domicilii aut quasi, sive simplicis inhabitationis. Porro, quum commissio uni facta non sit commissio facta alteri, hinc est, quod error in ordinario dioecesis dispensationem invalidat. Quare probe attendendum est, ut in hac parte omnia sint exacta. Proinde, si Titius et Caia petant dispensationem, debent non solum exprimere nomen dioecesis originis ex. gr. Taurinensis, sed etiam inhabitationis ex. gr. Florentinae, dicendo, se oriundos ex dioecesi Taurinensi et commorantes in dioecesi Florentina dispensationem petere a tali vel tali impedimento. *Praxis Ap. dispens. super imp. matr. nn. 142. 194.*

1813 **Dismembratio.** — Dismembratio beneficii ecclesiastici stricto sensu est subtractio partis bonorum beneficiorum vel redituum ab aliquo beneficio exsistente et in sua substantia permanente, quae in perpetuum addicantur alteri beneficio vel causae piae sine novi beneficii erectione. Cfr. Garcia *de ben. p. XII. c. 3. n. 1 sqq.;* Schmalzgr. *in tit. 5. lib. III Decr. n. 201 sqq.;* Santi *in tit. 5 lib. III Decr. n. 103.* Reducitur ad alienationem bonorum ecclesiasticorum; quare ad eam faciendam requiruntur eaedem causae et solemnitates, quae ad alienationem bonorum ecclesiasticorum iuris praescripto necessariae sunt, et inter alia beneplacitum Sedis apostolicae. Schmalzgr. *l. c. n. 202.*

Dismembrationi stricte dictae affinis est ea, quae aliquando etiam dicitur dismembratio partialis, et consistit in separatione partis territorii et populi ab uno officio ecclesiastico ut annectatur alteri officio ecclesiastico praeexsistenti, ut quum pars populi alicuius parochiae addicitur alteri parochiae. Eam facere possunt illi, qui facultatem habent erigendi ea officia, de quibus agitur; hinc, si quaestio est de episcopatibus, solus romanus Pontifex; si autem de parochiis agitur, non solum romanus Pontifex (cfr. *S. C. Cons. in Plocen. 15 mart. 1909*), sed etiam episcopus est competens (*S C. C. 23 apr. 1864; in Syracusana 28 mart. 1903*), verum ex gravi causa et servatis legitimis solemnitatibus. Cfr. Concil. Trident. *sess. XXI. c. 4. de ref.* Ad hoc tamen requiritur consensus capituli, et vocari debent prius omnes, quorum interest. Cfr. *c. 2 de rebus eccl. non alien. (III. 4) in Clem.;* Conc. Trid. *sess. VII. c. 6. de ref.* Nequit prae-

terea episcopus ita dismembrare beneficia curata, ut convertantur in simplicia. Conc. Trid. *sess. XXV. c. 16. de ref.*

1814 Ad dismembrationem revocari potest etiam restrictio iurisdictionis per subtractionem aliquorum a iurisdictione illius, cui naturaliter subderentur, eorumque assignationem iurisdictioni alterius. Hoc fieri potest a romano Pontifice, qui hoc suo iure utitur per concessionem exemptionis. Episcopi vero non possunt sic immutare iura, quae de iure communi alicui proveniunt ex officio ecclesiastico, quod obtinet. Wernz *Ius eccl. II. 260.* Hinc nequit episcopus inhibere parocho, ne iura stricte parochialia exerceat in aliqua domo, quae subest suae parochiae, eamque committere exercendam alteri. *S. C. EE. RR. in Albien. 18 mart. 1898.* Nihilominus dismembratio seminarii a iurisdictione parochiali peracta ab episcopo Parmensi dicta est sustineri a S. Congregatione episcoporum et regularium *13 mart. 1891.*

Quoad clerum in dismembratione dioecesium, vid. *Clerus indigena.* Vide etiam *Divisio.*

1815 **Disparitas cultus.** — **Generalia.** — Cultus disparitas, quae tamen intercedit inter baptizatum et non baptizatum, est impedimentum dirimens matrimonii. *Const.* Ben. XIV « Singularis nobis » *9 febr. 1749 § 19; S. U. I. 1 aug. 1759*; *S. C. P. F. 28 iulii 1760.*

1816 **De dubio baptismo.** — Potest aliquando esse dubium baptisma in alterutro ex iis, qui volunt contrahere. Tunc quid iuris sit, declarat sequens responsum Sancti Officii *17 nov. 1830:* « 1° Quoad haereticos, quorum sectae ritualia praescribunt collationem baptismi absque necessario usu materiae et formae essentialis, debet examinari casus particularis. – 2° Quoad alios, qui iuxta eorum ritualia baptizant valide validum censendum est baptisma. Quod si dubium persistat etiam in primo casu, censendum est validum baptisma in ordine ad validitatem matrimonii. – 3° Si autem certo cognoscatur nullum baptisma ex consuetudine actuali illius sectae, nullum est matrimonium ». Quae omnia ad hoc reducuntur, scilicet ex hoc capite disparitatis cultus nullum esse matrimonium tantummodo alicuius vere et certe baptizati cum alio vere et certe non baptizato; quia scilicet principium est, baptisma dubium, sive dubio iuris sive dubio facti, haberi debere ceu validum in ordine ad matrimonium. Id autem significat, ecclesiam, si opus est, supplere dispensando ab impedimento. Hinc est, quod, si quando alter coniux ob dubium prudens conditionate et secreto iterum baptizatur, hoc nullum infert praeiudicium validitati matrimonii contracti. *S. U. I. 9 sept. 1818, 18 sept. 1890*; *S. C. C. in Tarvisina 4 maii 1737, 27 aug. 1796, et alias pluries.*

Quare sive matrimonium initum fuerit, stante dubio baptismi ab una parte recepti, sive sine hoc dubio, quod tamen postea superveniat, imo, etsi postea superveniat certitudo baptismi non recepti, matrimonium semper est validum. Hoc autem valet etiam, si agatur de haereticis. Quare

matrimonium duorum haereticorum, etsi de utriusque baptismo seu baptismi validitate dubitatur, est validum. Cfr. *S. U. I. 5 febr. 1851, 20 iul. 1840.*

Matrimonium autem, quod ineatur inter non baptizatum et compartem, de cuius baptismate dubitetur, nullum est vel validum, prout de facto is, de cuius baptismo dubitatur, baptizatus revera fuerit valide necne. Scilicet, si et is de facto non est baptizatus, matrimonium ex hoc capite validum est, quia neuter ex contrahentibus subest ecclesiae; si de facto est baptizatus, matrimonium est nullum quia dubium baptismi non facit, ut is ante matrimonium contractum reputari posset ut non baptizatus, imo e contra ut baptizatus haberi debet, ut patet ex dictis. Cfr. *S. U. I. 7 iul. 1880.* Imo, persistente dubio, in praxi tale matrimonium deberet haberi ut invalidum. *S. U. I. decr. cit.*

1817 **Quo iure vigeat hoc impedimentum.** — Impedimentum autem hoc matrimonium dirimit tantum iure ecclesiastico; et nullo iure scripto, sed consuetudine et praxi universalis ecclesiae vim legis irritantis habet. Sanchez *de matr. lib. VII. d. 71. n. 7. sq.*; Bened. XIV. *Const. cit.* § *10.*

1818 **De dispensatione huius impedimenti.** — Eius dispensatio competit soli romano Pontifici, qui eam nonnisi ex gravi causa concedit, si tamen absit periculum seductionis in catholico, et pars non catholica promittat, se infantes utriusque sexus nascituros educaturam in religione catholica; aliquando aliae conditiones in dispensatione praescribuntur. Cfr. Mansella *de imp. matr. dirim. pag. 78.*

Aliquando romanus Pontifex aliis concedit indultum dispensandi, ut vicariis apostolicis etc. Generatim vero in indulto hae apponuntur conditiones:

a) ut cohabitatio non adducat contumeliam Creatoris: scilicet ut pars non baptizata parti baptizatae permittat liberum exercitium religionis catholicae, eam ad peccatum, ad apostasiam praesertim, non pertrahat, sinat prolem baptizatam in catholica religione educatum iri et de ipsius partis infidelis conversione spes aliqua sit. *Instr. S. C. P. F. ad vic. ap. Fokien. 13 sept. 1760.* Hinc facilius dispensatur cum viro christiano ad ducendam mulierem infidelem, quam cum muliere fideli ad nubendum viro infideli. Cfr. *Instr. S. C. P. F. nuper cit.*; Gasparri *de matr. I. 698.*

b) ut contrahentes sint in locis, ubi plures sunt infideles, quam fideles. Porro loca hic per se significant pagum vel civitatem, ubi contracturi degunt. At Clemens XII *12 sept. 1736* concessit vic. ap. Tunkini occidentalis, ut ea verba intelligerentur, non quidem de civitate aut pago, sed de tota toparchia seu de toto districtu uniuscuiusque missionarii. Haec extensio facultatis concessa postea fuit a Pio VII *14 ian. 1806* iis omnibus, quibus in Sinis et universis Indiis orientalibus a S. Sede indultum dispensandi datum fuerat, vel in posterum dari contingeret. Cfr. *Coll. Prop. Fid. n. 1270.*

c) ut gravibus tantum de causis dispensatio concedatur. Porro inter graves causas connumeranda est salus animae illorum, qui tali matrimonio

iamdiu contracto absque contumelia Creatoris vixerunt, praesertim si filios genuerunt, vel ijsdem difficillimum sit ab infideli coniuge separari. *S. U. I. 5 sept. 1736.*

1819 **Alia quaedam notanda.** — An vero in casu, quo, data dispensatione, tale matrimonium contrahatur, debeant fieri denuntiationes seu banna vide sub *Banna*.

Ultimo loco adnotanda hic est practica observatio Gasparri *loc. cit. I. 711,* scilicet: « Si in aliquo loco adeo pauci sunt christiani, ut nequeant inter se matrimonia inire, et non valeant ob locorum distantiam dispensationem petere, cessat impedimentum, quippe in casu iuri ecclesiastico praevalet ius naturale ad matrimonium, ita ut matrimonium cum infideli contractum sine dispensatione validum et licitum videatur ». Licitum autem tunc solum esse videretur in casu, quum abesset contumelia Creatoris.

Nota tandem, archiepiscopum Leopoliensem ritus graeci postulasse a S. Sede, num in facultate concessa dispensandi in articulo mortis in impedimentis matrimonium dirimentibus, etiam in impedimento disparitatis cultus, servandae essent ordinariae cautiones, ut scilicet ambo contrahentes promittant educationem prolis sive susceptae sive suscipiendae in catholica religione, et ut pars catholica promittat se curaturam conversionem partis acatholicae. Et S. Congr. Un. Inquisitionis *18 mart. 1891* respondit, cautiones etiam in articulo mortis esse exigendas.

Quoad ritus in celebratione matrimonii ex dispensatione initi a parte baptizata cum parte non baptizata a parocho adhibendos, vid. *Mixta matrimonia*; sed nota, concessiones, quae fiunt pro matrimoniis mixtis, non facile extendi posse ad haec matrimonia Quare in locis, ubi non vigebat decretum tridentinum de forma celebrationis matrimonii, parochum his matrimoniis nullo modo assistere fuisse solitum testis est Gasparri *de matr. I. 709.*

Decr. Grat. C. XXVIII q. 1.; cc. 7, 8 de divortiis X. (IV, 19); Const. Ben XIV « Singulari nobis » 9 febr. 1747; Commentatores decretalium, saepe saltem, in tit. 1 lib. IV; *Duysseldorpii F.* Tract. de matrim. non ineundo cum his, qui extra ecclesiam sunt; *Klüber* Interessante Rechtsverhältnisse zwischen Christen und Juden; *Falkson* Gemischte Ehen zwischen Juden und Christen; *Holdeim* Gemischte Ehen; *Wiesehahn* De impedimento disparitatis cultus; *Hilse* Civil- und Mischehe; *Kahn* Sechs Briefe über die Mischehe; *Scherer* KR. § 123; *Sanchez* De matr. lib. VII disp. 71 sq.; *Feije* De imped. et disp. matr. n. 459 sq.; *Gasparri* De matr. I. 685 sq.; *Rosset* De sacr. matr. 1710; *Leitner* Lehrb. des kan Eherechts § 36; *Freisen* Geschichte etc. § 57; *Esmein* Le mariage I p. 216 sq. II. p. 267 sq. p. 236; *Wernz* Ius Decr. IV. 500; *Hergenröther-Hollweck* Lehrb. des k. KR. n. 932 sq.

Dispensatio. — **De dispensatione legis.** — **De ipsa dispensatione.** — 1820 Dispensatio legis est eius relaxatio in casu particulari. Suarez *de leg. l. VI. c. 10. n. 7. sqq.* Ut patet, est actus iurisdictionis, qui proinde exerceri nequit, nisi cum subditis. Suarez *loc. cit. n. 6; c. 12. n. 7.*

De subiecto activo dispensationis. 1821 — Legislator dispensare potest (Con-

cil. Trident. *sess. XXV. c. 18. de ref.*) in legibus suis, praedecessorum, inferiorum; ex potestate delegata etiam inferior dispensare potest in legibus superioris; et haec delegatio habetur, quando in ipsa lege dicitur posse ab ea dispensari, quia, si in his legibus inferior dispensare non posset, haec verba legis essent inutilia. Suarez *de leg. l. VI. c. 14. n. 8;* Salmanticenses *Th. mor. tr. XI. c. 5. n. 37;* Reiffenstuel *in tit. 2. l. I. Decr. n. 467.*

Hinc episcopi hanc potestatem dispensandi habent in legibus pontificiis, in quibus dicitur posse in eis dispensari, ut habetur ex. gr. in cap. 7 *de cler. excommun. etc. X.* (*V. 27*), et in cap. 12 *de poenis X.* (*V. 37*).

Excipiuntur tamen dispensationes matrimoniales ex stylo Curiae (cfr. Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 5. de ref. matr.*) et casus dispensationis cum ipso ordinario, qua ordinarius est, faciendae. *c. 2 de bigamis etc. X.* (*I. 21*); Pontius *de matr. l. VIII. c. 7. n. 6.*

Habetur etiam haec delegatio ex consuetudine, et sic episcopi in sua dioecesi dispensant a legibus concilii provincialis. Pontius *de matrim. loc. cit. n. 8.*

Romanus Pontifex in pluribus, quae sunt iuris divini, nihil potest (ut in matrimonio consummato etc.), sed in multis (quae ex sensu et traditione ecclesiae desumenda sunt, ut in votis, in matrimonio rato et non consummato etc.), in quibus obligatio originem ducit ab actu libero hominis, saltem declarare iuris divini cessationem in casu certe potest iuxta omnes. Cfr. Sanchez *de matrim. lib. VIII disp. 17. n. 3;* B. P. *I. 406. sqq.* Curnam non potest asseri, Christum Dominum ipsi concessisse facultatem in his dispensandi, quum et facultas authentice interpretandi in idem redeat quoad effectum, et potestas dispensandi necessaria sit ad bonum esse cuiuscumque societatis, ac propterea inclusa videatur in illis verbis « quodcumque solveris etc. »? Potest autem romanus Pontifex sine dubio in omni omnino lege mere ecclesiastica dispensare, et quidem valide etiam sine causa, licite ex iusta tantum causa. *c. 4 de concess. praeb. et eccl. non vac. X.* (*III. 8*); *Const.* Bened. XIV « Magnae » *29 iun. 1748.*

Episcopus (non autem vicarius generalis, Salmanticenses *Theol. moral. tr. XI. c. 5. n. 39 sqq.*) de iure ordinario in omnibus legibus episcopalibus et synodalibus ex potestate propria (Suarez *de leg. l. VI. c. 15. n. 8. 10;* Ben. XIV *de Syn. l. XIII. c. 5. n. 7*); in legibus communibus quoad singulos in casibus, qui frequenter occurrunt, vel levioribus aut fere quotidianis, nec non in dubiis, vel quando non est facilis aditus ad Papam, et periculum est in mora ex delegata saltem potest dispensare. S. Alph. *I. 190.*

Et nota in his casibus potestatem esse episcopis dispensandi in legibus pontificiis, etsi facilis esset recursus ad aliquem, qui ex privilegio Pontificis facultatem haberet dispensandi. B. P. *I. 403.*

Praetera iure suo episcopus dispensat etiam in legibus pontificiis, latis pro sua dioecesi, quippe quae haben-

tur ut dioecesanae (Salmant. *Theol. mor. tr. XI. c. 5. n. 39;* D'Ann. *I. 231 [13]*), et in his verius etiam cum peregrinis. S. Alph. *I. 158.*

Parochi iure suo dispensant in iis, quae frequenter accidunt, ut in ieiuniis, observatione festorum etc.; sed, singulariter tantum, idest toties quoties (S. Alph. *I. 190, III. 288*); dispensant etiam in gravioribus, sed quum episcopus adiri nequit, et sit periculum in mora, ex eius praesumpta facultate. S. Alph. *VI. 613.*

Praelati regulares cum suis subditis quoad dispensationes concedendas eadem possunt, quae episcopi cum suis dioecesanis; habent enim in suos iurisdictionem quasi episcopalem. *c. 3. de privil. etc. (V. 7) in 6°.*

Delegatus ad dispensandum, nisi sit delegatus ad universitatem causarum, non potest subdelegare. Vid. *Delegatio.*

1822 **De subiecto passivo dispensationis.** — Ut ex dictis patet, subiectum passivum dispensationis ii tantum generatim sunt, qui sub iurisdictione dispensatoris constituti sunt, idest subditi. Quod intelligendum est de directa dispensatione; nam aliquando superior, dispensando cum suo subdito, indirecte dispensat cum alieno, ut ecce, si ageretur de re, quae respectum importat ad alterum et non consistit in uno.

Attamen nota, quod, si in facultate dispensandi concessa apposita fuerit clausula: *nec ullo modo uti possit extra fines dioecesis,* episcopus delegatus, ne cum suo subdito quidem extra dioecesim exsistente dispensare potest. *S. C. P. F. 18 apr. 1757; S. U. I. ad ep. Southwarcen. 22 nov. 1865.*

Quaestio est, an episcopus possit in legibus ecclesiae (idest in legibus communibus, nec non in votis et in iuramentis) dispensare cum peregrinis. Et verior videtur sententia affirmans, quae et S. Alphonso (*I. 158, III. 262*) est *merito* probabilis, et a D'Annibale (*I. 232*) non improbatur, sed expresse admittitur. Verum, ut ait hic, « si dispensatio habet tractum successivum, quum sit multiplex, cessat statim ac dispensatus subditus (censere enim videtur auctor, peregrinum esse subditum, quod forte in his consuetudine induci potuit) esse desiit (idest statim ac exiit e dioecesi dispensantis), quod adeo manifestum est, ut probatione non egeat ». – Quoad eos autem, qui in dioecesi habent domicilium vel quasi domicilium, nulla, ut patet, quaestio est.

Superior primarius vel secundarius habens facultatem generalem dispensandi cum aliis, potest id etiam cum semetipso; nec solum indirecte, quum ex. gr. dispensat communitatem, cuius ipse est pars, sed etiam directe, quia dispensatio est actus iurisdictionis voluntariae. Sanchez *de matrim. lib. VIII disp. 3. n. 3;* Suarez *de leg. lib. VI. c. 12. n. 9;* S. Alph. *I. 183;* B. P. *I. 427 sqq.*

De causa ad dispensationem requisita. — Ad *liceitatem* dispensationis requiritur causa iusta et proportionata legi, in qua dispensatur, tum ex parte concedentis, tum ex parte petentis, sed sufficit probabiliter iusta (Suarez *de leg. lib. VI. cc. 18. 19*); ad *validitatem* (nam ad liceitatem causa 1823

requiritur etiam, quum superior dispensat in lege sua) ex parte concedentis, si agatur de lege sua aut inferioris, nulla, secus si de lege superioris.

Ex parte petentis nulla debet esse obreptio aut subreptio essentialis. *c. 20 de rescriptis X.* (*I. 3*).

Probabiliter legislator graviter non peccat dispensando sine causa in re gravi (nisi inde oriatur notabile scandalum, aut exinde alii graviter onerentur, aut sequatur grave damnum spirituale dispensatis, vel aliis, B. P. *I. 394*), non item inferior. Licet petere vel concedere dispensationem in dubio causae sufficientis; in dubio vero, an casus indigeat dispensatione, potest subditus uti sua libertate.

1824 **De interpretatione dispensationis.** — De interpretatione aliud dicendum est, si agatur de ipsa potestate dispensandi, aliud, si agatur de ipsa dispensatione iam data. Illa, quum sit favorabilis, latam, quamvis non extensivam (idest non ultra casus concessos) interpretationem habere potest (*c. 46 de simonia X.* [*V. 31*]); haec, quum sit odiosa, quippe legi derogans, strictam interpretationem debet habere (*c. 1.* § *1. de filiis presbyt. etc.* [*I. 11*] *in 6°*), nisi tamen concessa sit ex motu proprio principis, vel sit inserta in corpore iuris, vel tandem nisi concedatur communitati, aut ad bonum commune. Attamen probe advertas, dispensationem non esse *restrictive* interpretandam (*arg. c. 20 de verb. signif. X.* [*V. 40*]), nisi forte in casu laedat ius tertii (D'Ann. *I. 234*), sed et tunc, salva proprietate verborum. Patet praeterea, dispensationem numquam esse ita interpretandam, ut evadat inutilis vel onerosa. Sanchez *de matrimonio, lib. VIII disp. 1. n. 19.* Hinc est, quod, si dispensatio data sine alia dispensatione inutilis foret, et haec alia data praesumitur. Cfr. D'Ann. *234* (*37*).

De acceptatione dispensationis. — Ad hoc, ut dispensatio valeat, necesse est, eam scienter et libere concedi a superiore et acceptari a subdito, quum dispensatio beneficium sit, beneficia autem invitis non concedantur, et liberalitas non possit nolenti acquiri. *l. 19* § *2 de donationib. D.* (*XXXIX. 5*). Potest autem et dari et acceptari etiam tacite seu ipso facto: quod praesumitur facere superior, qui sciens volens sinit fieri ab aliquo aliquid, quod deberet et facile posset prohibere; et subditus, qui pariter dispensatione sibi facta utitur sciens prudens. B. P. *I. 433;* D'Ann. *I. 233.*

Nota autem illud, quod D'Annibale (*loc.* [*cit. 23*]) addit: « Quidam putant, dispensationes pontificias irritas esse, nisi datae fuerint expressis verbis (*ex reg. 51 Canc. Apost.*); sed hoc perpetuum non est; et in primis non obtinet, quoties id, quod fit, alias nihil conferret aut operaretur (*cit. reg. 51*); ut ecce, si v. gr. R. P. reservet pensionem favore episcopi (quem constat esse incapacem pensionum), tacite dispensat ». Riganti *ad cit. reg. n. 21.*

De cessatione dispensationis. — 1825 Dispensatio cessat cessante causa motiva totali, si dispensatio fuerit virtualiter multiplex, quae nempe se extendit ad plures casus, ut dispensatus a lege abstinentiae ob infirmam valetu-

dinem, postquam convaluerit, tenetur iterum lege (S. Alph. *I. 196*); non item, si dispensatio non fuerit virtualiter multiplex, sed unico actu absolvitur (Salmanticenses *Th. mor. tr. XI c. 5. n. 94*); sic qui dispensatus est a voto castitatis ad matrimonium ineundum, mortua prima coniuge, potest alteram ducere, nisi dispensatio concessa fuerit pro speciali casu, puta ad ducendam virginem defloratam. Cfr. S. Alph. *I. 196*. - Attamen in his omnibus in praxi attendendae sunt clausulae dispensationis.

Item dispensatio cessat per expressam revocationem, quae a legislatore etiam sine iusta causa valide fit; a delegato etiam ex causa invalide, quia in dispensando mandatum suum explevit; ab inferiore, qui dispensavit in lege superioris non ex facultate delegata, sed iure suo ordinario, invalide sine causa, quia non potest iterum legem superioris imponere, valide ex causa iusta, quando nempe cesset causa, propter quam dispensatio est concessa. Sanchez *De matr. lib. VIII d. 33. n. 12*; Suarez *de leg. lib. VIII cap. 37. n. 10.*

Pariter cessat per renunciationem, quae in illis obligationibus, quae ex sola voluntate renunciantis consistunt (ut in votis etc.), non debet necessario esse acceptata a dispensatore, in aliis, quae ex lege habent vim (ut in impedimentis matrimonii) debet a dispensatore, non autem a delegato ad dispensandum, acceptari. B. P. *I. 460*; D'Ann. *I. 235.*

Dispensatio autem numquam cessat non usu aut usu contrario (Suarez *de leg. lib. VI c. 20. n. 8*), quum nullum ius hoc sanciat, et quum praeterea per non usum aut usum contrarium lex sublata non reviviscat. Disputatur autem a doctoribus, utrum si quis, obtenta una dispensatione, qua non est usus (ex. gr. uxorem ducendi Caiam consanguineam), alteram postea validam obtinuerit, quae cum priore consistere nequit (ex. gr. uxorem ducendi Titiam affinem), possit indiscriminatim alterutra uti, vel, si postquam altera usus est, et utriusque dispensationis incompossibilitas desierit (ut ecce, quia mortua est Titia, quam primum duxit), possit uti etiam priore. Negant Sanchez *de matrim. lib. VIII disp. 22. n. 19*; Suarez *de leg. lib. VI. c. 20. n. 9* (qui immerito a D'Annibale *I. 235* [*43*]; allegatur pro contraria sententia); Bucceroni *Casus conscientiae* § *156 n. 7. etc.* Affirmant Salmanticenses *Th. mor. tr. XI. c. 5. n. 103*; D'Annibale *I. 235*; Wernz *Ius Decr. I. 126 III.* etc. Et his assentiendum videtur, tum quia certum est per non usum dispensationem non tolli, tum quia praesumptio, quam allegat prior sententia, scilicet romanum Pontificem nolle concedere duas dispensationes circa idem, non habet fundamentum in iure.

De modo petitionis. — De modo petendae dispensationis, et quomodo aliae conceduntur in forma *gratiosa*, aliae in forma *commissoria*, vide *Rescriptum.* Interim adnota, in romanis Congregationibus non admitti petitionem dispensationis per telegramma (*declarat. Secr. Status 10 dec. 1891; S. U. I. 14 aug. 1892*; Vid. *Telegramma*); qui tamen modus dis- 1826

pensationis petendae a curiis episcopalibus non est prohibitus. Vigilare tamen debent episcopi, ne exinde abusus et singularitates irrepant. Cfr. *litt. Card. Ledochowski Praef. S. C. P. F. ad Card. Gibbons arch. Baltimor. 2 aug. 1901.*

Ordinarie fideles ad petendas dispensationes a Curia romana recurrunt vel ad confessarium, si nempe agitur de dispensatione pro foro tantum interno, vel ad parochum, si agatur de re ad forum externum pertinente. Porro confessarius vel parochus instantiam vel ab ipsis vel a petente confectam Romam transmittunt ad Congregationem competentem per curiam episcopalem, quae generatim habere solet Romae virum probum, qui apud sacras romanas Congregationes negotiorum expeditiones sollicitat, et gratiarum concessarum authenticum documentum ad curiam transmittit. Vid. etiam *Delegatio.*

Quoad dispensationem ab impedimentis matrimonialibus vid. *Impedimenta*; quoad eamdem dispensationem in radice vid. *Sanatio in radice*; quoad dispensationem in irregularitatibus Vid. *Irregularitas.*

tit. de constitut. X. (I. 2); idem tit. (I. 2) in 6°; *Florens* De dispensationibus ecclesiasticis; *Iacobi I.* De dispensationibus; *Corradi P.* Dispensationum apostolicarum praxis pro utroque foro; *Gottschlichc.* Dispensatio in lege et leges dispensationum; *Sollet* Traité des dispenses; *Iung I.* Facta dispensationum episc. hist. ex tribus primis saeculis; *Kübel M.* Ueber die Gesch. d. bischöfl. Dispensen; *Vering F.* De principiis dispensationum, im Archiv. f. k. KR. I. 577 ff; *Fiebag F.* De indole ac virtute dispensationum seu principia iuris can.; *Scheurl A.* Der Dispensationsbegriff d. kan. Rechts in Zeitschrift f. KR. XVII. 201 ff; *Brandhuber v. Etschfeld* Ueber Dispensation u. Dispensationsrecht im kath. KR.; *Konings* Comment. in facult. apostol.; *Stiegler M. A.* Dispensation u. Dispensationswesen in ihrer gesch. Entwicklung, im Archiv. f. k. KR. LXXVII 3 ff.; *Steinitz* Dispensationsbegr. u. Dispensationsgewalt a. d. Geb. d. Deutsch. Staatsr.; *Albert* Dispensation, Dispensationswesen u. Dispensationsrecht im Kirchenrecht, geschichtlich dargestellt. Reliquam bibliographiam quaere sub *Lex.*

De dispensatione voti. — *Dispensatio voti* est absoluta eius condonatio nomine Dei a superiore legitimo facta. 1827

Iure proprio et ordinario soli praelati, quibus iurisdictio in foro externo data est, a votis dispensare possunt. Cfr. *c.* 1 *de voto et voti red. X. (III. 34).* Hinc etiam superiores regulares cum suis; eos tamen non posse ipsos dispensare a votis substantialibus religionis vel ab iis, quae his adnectuntur, idest quae simul cum illis in quibusdam ordinibus emitti solent, extra dubium est. B. P. *II. 707.*

Ad validitatem vero iusta causa requiritur (cfr. *c. 1 de voto nuper cit.*), qualis est bonum ecclesiae (*cc. 5. 7. 9 tit. cit. X.*), societatis, familiae, imo illius quoque, cui dispensatio conceditur; eaque haberetur ex. gr. in casu difficultatis exsecutionis, quum nimirum periculum esset transgressionis ob indispositionem particularem voventis, vel ob communem fragilitatem hominum; aut etiam in casu gravium scrupulorum. S. Alph. *III. 250 sqq.*; B. P. *II. 701 sqq.*

Facile autem dispensatio sine ulla

commutatione concedi potest, quum votum immature, idest cum nimia facilitate, vel ex imperfecta deliberatione, vel sine perfecta libertate emissum est. S. Alph. *III. 253.*

Superior potest dispensare in votis ad utilitatem proximi factis (etiamsi ii, in quorum favorem votum factum fuit, illud acceptaverint); quando votum factum non fuerit solum aut potissimum in favorem tertii, et non sit promissio quaedam onerosa, ut votum perseverantiae in quibusdam regularium congregationibus. Cfr. *Const.* Ben. XIV « Convocatis » *25 nov. 1749 et Const.* « Inter praeteritos ac praesentes » *3 dec. 1749.*

Patet etiam, superiorem aliquando et tacite dispensare posse in votis, ut, quum ex. gr. superior, voti conscius et memor, aliquid concedit vel praecipit, quod sine dispensatione voti esset illicitum. B. P. *II. 703.*

1828 Papae reservantur, praeter vota religiosa, votum perfectae et perpetuae castitatis (hinc non est reservatum votum non nubendi, non peccandi contra castitatem, non fornicandi, non petendi debitum, castitatis coniugalis etc., B. P. *II. 708*), votum ingrediendi religionem approbatam (S. Alph. *III. 258. n. 3*; B. P. *l. c.*), votum peregrinationis ad loca sancta, ad limina apostolorum, ad sepulcrum S. Iacobi *c. 5 de poen. et remiss.* (*V. 9.*) *inter Xvag. comm.*

Attamen et haec vota aliquando reservata non sunt, scilicet quum emissa sunt sub obligatione levi, vel ex metu etiam levi, ab aliis incusso; vel quum votum non est perfectum ex parte materiae, ut supra notavimus de castitate; quare ex hoc capite etiam reservatum non est votum emittendi votum castitatis aut religionis etc., item votum ingrediendi religionem nondum approbatam, aut votum veniendi Romam ad sepulcrum sancti Aloisii; vel quum haec vota disiunctive emittuntur, ut ecce aut ingrediendi religionem aut peregrinandi ad principaliora sanctuaria; vel quum vota haec facta sunt sub conditione de futuro contingente, quae nondum impleta est, et probabilius etiam quum impleta iam est (S. Alph. *III. 261*); vel cum vota ista sunt poenalia. Pariter nota, etsi vota haec reservata sint, non esse tamen reservatas circumstantias voto adnexas, ut ecce si quis voveret se peregrinaturum ad limina apostolorum peditem aut ostiatim mendicando, votum quoad has circumstantias posset ab alio solvi, quam a romano Pontifice. Idem dicas de circumstantia temporis, ut ecce ingrediendi religionem intra annum. D'Ann. *III. 210;* B. P. *loc. cit.*

Hinc est, quod s. Poenitentiaria ab episcopo Cenomanensi rogata: « An votum ingrediendi religionem Sedi apostolicae adhuc sit reservatum », respondit: « Affirmative; sed votum mulieris, cuius intentio respexerit ad monasteria prout nunc in Gallia exsistunt, non est reservatum, quia scilicet monasteria eadem a Sede apostolica, attentis peculiaribus circumstantiis, non tamquam ordines vere ac proprie religiosi, sed uti piissimarum familiae feminarum aestimantur ». *S. Poenit. 11 dec. 1835.*

Et si quaestio est de votis pauper-

tatis et obedientiae, non autem de voto castitatis (nisi constet votum non fuisse perpetuum et absolutum) emissis in his monasteriis Galliae vel in Congregationibus a s. Sede non approbatis, episcopi dispensare possunt, dummodo ius ex contractu oneroso acquisitum tertii, ipso rationabiliter invito, non laedatur. *S. Poen. 11 dec. 1835*; *S. U. I. 2 aug. 1876.*

Episcopus autem, cui haec facultas competit, non est episcopus seu ordinarius loci, in quo sita est domus princeps Congregationis, sed ordinarius loci, in quo degit dispensandus vel dispensanda. *S. C. EE. RR. 21 apr. 1903.*

Vota autem, etiam simplicia, emissa in aliqua religione seu Congregatione a s. Sede approbata, eidem s. Sedi sunt reservata. Cfr. *Const.* Ben. XIV. « Convocatis » *27 nov. 1744*; *S. C. EE RR. 9 iun. 1854*; Bizzarri *Collect. decr. S. C. EE. RR. pag. 453. not.* (*1*).

Nota praeterea etiam quoad vota reservata romano Pontifici, in iis dispensare posse episcopos aliosque, qui habent potestatem episcopalem (et quum hi dispensent in his iure ordinario, valde probabiliter etiam mendicantes, S. Alph. *III. 258*), quando non patet facilis aditus ad Papam et periculum est in mora; periculum scilicet sive gravis damni spiritualis, ut ecce violationis voti, scandali etc., veletiam temporalis proprii aut alieni, ut ecce infamiae mulieris. S. Alph. *loc. cit.*; B. P. *II. 710*; D'Annibale *III. 210.*

Notat autem Ballerini-Palmieri (*loc. cit.*), dispensationem a voto castitatis in casu praedictae necessitatis non esse concedendam, nisi quatenus necessitas illa exigit. Quare, si sufficiat votum suspendi, hoc faciendum est, nec poterit dispensari. Praeterea notat etiam, si quod votum ex his reservatis commutatum fuerit in aliud opus, materiam surrogatam urgere quidem ex vi voti, sed non esse reservationi subiectam. S. Alp. *III. 260.*

Etiam votum dubium dispensari 1829
potest. Quae dispensatio hoc bonum secumfert, quod dispensatus a voto dubio, si postea deprehenderit, illud votum vere a se fuisse emissum, obligatione voti non tenetur. D'Ann. *I. 233 (31).* Contra ille, qui dubitat, an aliquod votum emiserit, quousque dubitat, obligatione voti non tenetur, sed, si semel cognoscit illud votum se vere emisisse, ex tunc obligatur.

Aliquando vota non simpliciter dispensantur, sed dispensando commutantur. De hac commutatione *Vid Commutatio.*

Bibliographiam quaere sub *Votum.*

Disputatio. — Disputatio cum hae- 1830
reticis in se spectata est licita, si par quis sit disputando et fructus speretur; sed interdicta est laicis, quos tamen necessitas vel magna utilitas, supposita scientia debita, excusant. Publicae disputationes prohibitae sunt omnibus a sacris Congregationibus; quae si nequeant recusari, monenda est, si fieri potest, s. Congregatio de Propaganda Fide. *S. C. P. F. 8 mart. 1625. 7 febr. 1645. 18 dec. 1662*; *S. U. I. 19 ian. 1644.* Huius prohibitionis rationes reddit s. Congregatio in citato decreto *8 mart. 1625*, dicens: « s. Congregatio iussit publicas

disputationes non fieri cum haereticis, quia plerumque vel ob loquacitatem vel audaciam aut circumstantias populi acclamantis veritas falsitate praevalente opprimitur ». Cfr. B. P. *II. 71 sqq.*

1831 **Dissimulatio.** — **De natura dissimulationis.** — Dissimulatio tunc habetur, quum aliquis non factis decipitur. Huiusmodi autem deceptio in primis silentio habetur. Obiectum autem dissimulationis est verum. Quare in dissimulatione per se non habetur probatio mendacii, sed occultatio veritatis. Prudenter autem occultare veritatem sub aliqua dissimulatione licet. Aug. *de mendacio c. 10;* S. Th. *2. 2. q. 110. a. 3. ad 4.* Cfr. etiam *l. 1 de dolo malo D. (IV. 3).* Ratio est, quia praeceptum affirmativum manifestandae veritatis non semper obligat. Laymann *Th. mor. lib. IV tr. 3 c. 13. n. 10.*

1832 **De dissimulatione fidei.** — Diximus, dissimulationem per se licitam esse; scilicet, quia aliquando potest esse illicita, non quidem ex parte alicuius mendacii, quod ipsi insit, sed quia ex alio capite evadit mala. Sic, non possumus dissimulare fidem, ita ut de fide interrogati verbis ambiguis respondeamus, quibus videamur praesentibus fidem negasse. Ratio est, quia ab hoc prohibemur ratione scandali et iniuriae contra Deum ac erubescentiae, quam Christus prohibuit, Lugo *de fide disp. XIV n. 32*; B. P. *II. 47.*

Attamen non semper prohibemur a fide dissimulanda, imo aliquando fidem dissimulare debemus. Scilicet illicitum prorsus est dissimulare fidem, quando quis de fide interrogatur a publica auctoritate, licet nemine praeter publicum magistratum praesente (cfr. *proposit. 18 damn. ab Inn. XI decr. 2 mart. 1679*), imo, etiamsi quis non publica, sed privata auctoritate, attamen coram aliis seu palam de fide interrogetur, is fidem dissimulare non potest, ut superius diximus. Verum, si quis privatim et non palam interrogetur privata auctoritate, is dissimulare potest fidem, interrogantem eludendo verbis ambiguis. Sanchez *in Decal. lib. II cap. 4. n. 6;* D'Ann. *II. 6 (19);* cfr. *resp. S. U. I. ad miss. Tuneti 25 iul. 1630.* Imo, etiamsi quis palam interrogetur, aut a publica auctoritate, si tamen is non interrogetur nominatim et revera quoad fidem (Sanchez *loc. cit. n. 8.*), ut puta, si interrogetur, an sit catholicus, et catholici appellatione quaeri velit v. gr., an sit Hispanus seu Italus (D'Ann. *loc. cit.* [*21*]), is potest dissimulare fidem. Potest pariter dissimulari fides, quando non urget praeceptum eam confitendi, scilicet quando hanc exteriorem professionem non exposcit honor Dei aut utilitas proximi (S. Th. *2. 2. q. 3. a. 1 ad 1*), dummodo tamen vitetur scandalum, et dissimulatio non evadat simulatio. Lugo *loc. it. n. 39;* D'Ann. *II. 6.*

Ex hoc capite non licet ad fidem dissimulandam induere se vestibus falsae religionis vere protestativis Vid. *Vestes*), vel religiosis ritibus falsis adhaerere (cfr. *Instr. S. U. I. ad archiepisc. Scopiensem 15 nov. 1882*); hinc non licet, alio etiam, cui quis reverentiam debeat, cogente, haereticorum sacris functionibus, quasi unus

ex ipsis, interesse, etiamsi quis ipsis adsit malo prorsus et invito animo, ac nonnisi ad avertenda quamplurima incommoda, quae ipsi secus certo obvenirent, licet ab illis se abstineat, quae positiva essent protestatio falsae fidei, ut haereticam coenam sumere etc., sed materialem tantummodo praesentiam exhibeat. *S. U. I. ad vic. ap. Constantinop. 28 aug. 1780.*

1833 Fidem vero dissimulare non solum possumus, sed et debemus quum, nullo urgente praecepto fidei confitendae, caritas Dei, vel proximi, vel sui ipsius non patitur eam profiteri. Hinc S. Thomas (*2. 2. q. 3. a. 2. ad 3*): « Si turbatio infidelium oriatur de confessione fidei manifesta, absque aliqua utilitate fidei vel fidelium, non est laudabile in tali casu fidem publice confiteri; unde Dominus dicit (Matth *VII. 9.*): *Nolite sanctum dare canibus, neque margaritas vestras spargere ante porcos, ne conversi disrumpant vos.* Sed, si utilitas fidei aliqua speretur, aut necessitas adsit, contempta perturbatione infidelium, debet homo publice fidem confiteri; unde (Matth. *XV. 12*) dicitur, quod *quum discipuli dixissent Domino, quod Pharisaei, audito eius verbo, scandalizati sunt,* Dominus respondit: *sinite illos,* scilicet turbari: *caeci sunt, et duces caecorum* ».

Hinc catholicus transiens per loca haeretica, si ei exinde immineat periculum vitae vel bonorum, potest, et aliquando debet, fidem dissimulare, vescendo carnibus diebus prohibitis, quum ex una parte praeceptum ecclesiae non obliget cum tanto incommodo, et ex alia parte in hoc nulla habeatur negatio fidei, quum esus carnium non sit institutus ad professionem religionis. Busembaum *Th. mor. tr. V sect. 1. c. 3. n. 29.* Vid. *Communicatio in divinis, Fides, Simulatio.*

Quare breviter dici potest, dissimu- 1834
lationem fidei silentio vel aliis modis factam, sive ea facta sit ab homine publico, sive a privato, semper licere, quoties silentium vel alius modus dissimulationis non aequivaleat negationi fidei, neque includat scandalum aut erubescentiam christiani nominis aut dedecus religionis. B. P. *II. 48 sqq.*

Bibliographiam quaere sub *Fides.*

De dissimulatione in sacramentis. 1835
Dissimulari sacramentum proprie per se non potest, quia ad fictam quoque sacramenti confectionem aliquo facto opus est. Attamen nonnulli de dissimulatione sacramenti loquuntur, qui materialem simulationem intelligunt. De ea dicemus sub *Simulatio.*

Distantia. — Ex adiunctis determi- 1836
nanda est distantia ab ecclesia, quae excuset ab audienda missa; certo distantia trium milliarium excusat. Cfr. S. Alph. *III. 329; Hom. Ap. n. 41.*

Ad absolvendum distantia non debet esse maior ea, in qua duo homines communiter solent et possunt colloqui; sed in necessitate etiam in maiori distantia positus, est absolvendus. Cfr. S. Alph. *VI. 429.* Vid. *Poenitentia.*

Quoad distantiam requisitam, ut quis dicendus sit esse praesens missae, vid. *Missa.*

Distillatio. — Distillatio est effusio 1837

liquoris medii inter urinam et semen. Cum nulla ordinarie, aut levi delectatione et commotione habetur, tum in maribus tum in feminis. Voluntaria, quae notabilis est, aut cum notabili commotione, est gravis. Modica, et cum levi commotione: si indirecte voluntaria, nihili facienda est; si directe, gravis est. S. Alph. *III. 477.*

1838 **Distinctio.** — Distinctio peccatorum specifica proxime et formaliter desumitur ex oppositione ad diversas virtutes, vel ad unam eamdemque sed diverso modo, vel ex violatis praeceptis formaliter diversis. S. Alph. *V. 30 sqq.* Numerica desumitur ex diversitate obiectorum totalium, et ex multiplicitate actuum moraliter interruptorum. S. Alph. *V. 35. sqq.* Vid. *Peccatum.*

Distractio. — Recitans horas cum distracto satisfacit obligationi (Croix *Th. mor. l. IV. n. 1295*); imo, etiamsi ipse obligatus ad horas sit voluntarie distractus, obligationi tamen satisfacit. S. Alph. *IV. 177.* Vid. *Attentio.*

1839 Validae sacramentorum receptioni distractio non obest (Sporer *Th. mor. III. p. 1. de sacr. in gen. n. 157*), imo nec validae confectioni (S. Alph. *VI. 14*); obest autem licitae, quoad eucharistiam iuxta quosdam sub gravi, quoad alia sacramenta sub levi. S. Alph. *loc. cit.*

1840 **Distributiones.** — Distributiones aliae sunt quotidianae, aliae manuales.

De distributionibus quotidianis. — Quotidianae distributiones (quae a nonnullis etiam ordinariae vocantur, cfr. Mon. eccl. *vol. XX. pag. 10*) dicuntur ea stipendia, quae canonicis tribuuntur propter eorum praesentiam, et assistentiam divinis officiis, sive haec realis fuerit, sive fictione iuris talis habeatur. Cfr. *c. 32 de praebendis etc. X. (III. 5)*; *c. un. de clericis non resid. etc. (III. 3) in 6°.* — Concilium Tridentinum (*sess. XXI cap. 3 de ref., sess. XXII cap. 3 de ref.*) voluit, ut tertia pars fructuum cuiuscumque beneficii in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, in quibus vel nullae essent distributiones quotidianae, vel ita tenues, ut verisimiliter negligerentur, converteretur in distributiones quotidianas, applicandas dignitatibus, et ceteris divinis officiis interessentibus, non obstantibus consuetudinibus etiam immemorialibus. Hinc ex ipso Tridentino (*locis sup. citt.*) distributiones ii recipere debent, qui statutis horis interfuerint. reliqui vero iis carere, quavis collusione aut remissione exclusa. Quare nec episcopus nec capitulum potest alicui condonare partem quam ob absentiam amisit. Ad episcopum autem pertinet determinare modum, quo distributiones fieri debent. Conc. Trid. *loc. cit.*

Sicubi autem omnes praebendae solis distributionibus constant, duae partes assumunt nomen et naturam praebendae, eiusque loco sunt; tertia pars consideratur tamquam proprie dictae distributiones. Lucidi *De vis. sacr. lim. I. c. 3. n. 28 sqq., II. c. 9. n. 55*; *S. C. C. in Valven. 28 sept. 1858, 31 mart. 1860*; Fagnanus *in cap. Licet de praebendis n. 127.* Si autem in quibusdam ecclesiis exsta, rent distributiones, quae non adeo tenues essent, ut verisimiliter negligerentur, verum ad tertiam partem

fructuum non pertingerent, episcopum non posse uti remedio capitis 3 sess. XXI de ref. Conc. Trid. testis est Barbosa (*Coll. Doct. in Conc. Trid. ad caput supra cit.*), qui ibidem refert idipsum decisum esse a S. Cong. Conc. *in Aretina 6 apr. 1695.*

Quoad causas excusantes a choro, ita ut quis habeatur praesens pro distributionibus quotidianis, Vid. *Chorus,* et confer Mon. eccl. *vol. XVII, pag. 422 sqq., nn. 86. 89.* Quibus accrescant distributiones, quae amittuntur a non interessentibus, vide fusius sub *Fallentiae.* Cfr. Gennari *Consultazioni II cons. 57.*

1841 **De distributionibus manualibus.** — Distributiones manuales (quae etiam extraordinariae vocantur) sunt oblationes quae canonicis obveniunt ratione assistentiae quibusdam extraordinariis officiis, quibus per se adesse non tenentur, ut sunt exsequiae, anniversaria et alia huiusmodi. Huius generis distributiones in duas species solent dividi. Quaedam dicuntur simpliciter *manuales,* seu *adventitiae,* quaedam vocantur *inter praesentes,* et sunt vere et stricte manuales. Hae sunt eae, quae a piis fundatoribus relictae aut constitutae sunt, vel quae a fidelibus offeruntur sub conditione, quod nonnisi vere praesentibus contingant pro assistentia alicui functioni etc. Illae vero tunc habentur, quando haec conditio non fuit apposita. Ad lucrandas has omnes distributiones requiritur per se vera et realis praesentia; attamen pro simpliciter manualibus seu adventitiis, quae fixae sint (ut eae, quae pro fixo quodam anniversario dantur), aliquando nonnulli, qui physice in choro praesentes non sunt, habentur fictione iuris, ut praesentes; et in hoc valde et praecipue attendendae sunt particulares consuetudines et particularia statuta. Cfr. *S. C. C. in Lucana 30 ian. 1858; in Savonen. 18 dec. 1745; in Isernien. 13 iun. 1885.* Distributiones autem inter praesentes semper et tantummodo physice praesentibus dantur (cfr. *S. C. C. in Leodien. 10 iul. 1719; in Novarien. 2 oct. 1617; in Bituntina 1 iul. 1679; in Romana 5 maii 1703, 27 iun. 1705*; Santi *in tit. 4 lib. III. decr. n. 72*; Gennari *Consultazioni II. cons. 14*), et eae sunt, quae intelliguntur, quum in rescriptis pontificiis indulgentibus absentiam a choro additur clausura: « amissis distributionibus inter praesentes ». Cfr. *S. C. C. in Iacen. 29 febr. 1908.* Confer quoad haec omnia etiam Lucidi *De vis. ss. lim. c. 3. a. 2 et 3.*

Quoad quasdam speciales consuetudines circa distributiones chorales confer *S. C. C. in Guastallen. 21 nov. 1903.*

Bibliographiam quaere sub *Canonici.*

Ditior. — Illum, qui re aliena ditior 1843
factus est, teneri ad restitutionem, etsi restituere non possit illi, quem laesit (ut negotiator, qui ex fraude in rerum venditarum pondere admissa plures laesit, quos ne cognoscit quidem), et restitutionem hanc faciendam esse pauperibus vel piis locis, communiter docent theologi.

Rationem autem nonnulli reddunt, quia scilicet ditior factus nullum habet titulum possidendi ea, ex quibus di-

tior factus est. - Verum haec ratio non videtur cogere, quia agitur de casu, quo ditior factus non cognoscit eos, quos laesit, et quibus proinde restituere deberet. Porro in hoc casu res illa videtur facta res nullius vel res derelicta, quam antiquus dominus nullo modo sperare potest, se recuperaturum. Res autem nullius fiunt primi occupantis, qui in casu profecto ille est, qui inde est factus ditior.

Quare alii putant (cfr. Vermeersch *Quaest. de iustitia n. 167*) eum ad restitutionem teneri, non qua possessorem rei alienae, sed quia quisquis intulit damnum tenetur personali obligatione resarciendi pro posse damnum ipsum. Hinc, etsi concedant, eum, qui sine delicto rem alienam obtinet, ut ecce mutuatarius, qui non posset amplius invenire mutuantem, cui restituat, posse sibi rem alienam retinere, quippe tali personali obligatione non tenetur, hoc tamen putant non esse extendendum ad eum, qui ex crimine aut ex iniuria possidet. - Verum ratio allata non videtur urgere. Nam utique verum est, eum, qui formalis iniuriae reus est, teneri etiam personali obligatione ad resarciendum pro posse damnum illatum, scilicet damnificato; sed non videtur probari, restituendo pauperibus vel pio operi resarciri damnum ipsi damnificato. Nec sufficit, damnificatum non esse invitum quoad istum usum suae pecuniae; requireretur enim etiam ad hanc obligationem statuendam, ut positive vellet iniustum retentorem ad hoc obligare.

Quare alii recurrunt ad praesumptam voluntatem domini, qui scilicet, quum non possit rem suam iterum obtinere, vult, ut re sua ipsi, quo meliori fieri potest modo, consulatur, scilicet aliquod pium opus pro ipsius bono spirituali peragendo. Et utinam haec praesumptio vera esset, quia hoc significaret homines valde sollicitos esse sui boni aeterni. Sed de facto praesumptionem hanc solido fundamento esse innixam, praesertim quoad multos, qui nec fidem christianam retinent, nec christianam vitam agunt, difficile esset probare. Cfr. Lessium *de iust. et iure c. 14. n. 35 sqq.* Sed et praeterea sufficitne ista praesumptio ad obligandum eum, qui ditior factus est, ad restitutionem hanc faciendam? Multo magis, quod iure in dubium vocari potest, num damnificatus retineat adhuc ius in rem illam, cuius recuperandae omni spe deiicitur, quum non videatur concipi posse dominium proprietatis de re, de qua nulla est facultas utendi et disponendi.

Hinc multi concedunt non ex iure naturae repetendam esse hanc obligationem, sed, ut loquitur Vermeersch (*loc. cit.*), ex iure gentium, saltem christianarum, perficiente id, quod erat in votis naturae, et ampliante ob evidentem societatis utilitatem legem canonicam, qua, etiam ignorata persona laesa, pauperibus restituendae dicuntur illicitae usurae, et lucrum factum ex officio simoniace obtento (*c. 16 de iudaeis etc. X.* [*V. 6*]: *c. 5 de usuris X.* [*V. 19*]). Id iam placebat Vasquez (*de restit. c. 5. § 4. dub. 1*), prosequitur ibidem ipse Vermeersch (qui de se dicit non plane alienum esse ab hac sententia), Lessio (*loc.*

cit.), Laymann (*Th. mor. lib. III tr. 2 c. 9 num. 2.*), S. Alphonso (*V. 71*), satisque probatur Ballerini (*Opus moral. III. 402 sqq.*), probabiliusque habetur a Génicot (*Th. mor. I. 538*).

Verum, quomodo probatur, sepositis illis casibus, qui expresse indicantur in iure canonico, certo vigere istud ius et proinde eum, qui re aliena ditior factus est, teneri in casu ad restitutionem pauperibus aut piae causae faciendam? Nam profecto non potest quis obligari ad restituendum, nisi certum sit ius, unde obligatio oritur. Videant sapientiores.

Hic autem annotanda sunt, quae habet S. Thomas *2. 2. q. 62. a. 6. ad 1.*: « Restitutio non ordinatur principaliter ad hoc, quod ille, qui plus habet, quam debet, habere desinat, sed ad hoc, quod illi, qui minus habet, suppleatur; unde in his, quae potest unus ab alio accipere sine eius detrimento, non habet locum restitutio ». Cfr. B. P. *II. 402. sqq.*

1843 **Divinatio.** — Divinatio est inquisitio occultorum ope daemonis. Duplex: expressa, tacita; illa fit per expressam daemonis invocationem, haec per scrutationem occultorum mediis ineptis; in his enim daemon se facillime immiscet, licet sit praeter intentionem utentis, operam daemonis invocare. Sanchez *in Dec. lib. II. c. 38.* Divinationi tribuendum est quidquid occultum nec per revelationem nec per media naturalia cognoscitur. G. B. *I. 267.*

Divinatio expressa numquam a mortali excusatur (cfr. *Deut. XVIII. 10; Lev. XX. 6*); tacita a mortali aliquando excusari potest ob ignorantiam etc. S. Alph. *III. 7.* — Utens mediis improportionatis ad aliquam cognitionem, etiamsi protestetur, se nullum cum daemone commercium intendere, peccat graviter. Cfr. *Resp. S. Poen. 1 iul. 1841 ad episc. Lausan. et Genev.* — *Quoad sortes;* licent divisoriae seu ad quaestiones dirimendas; illicitae ordinarie sunt consultoriae, quibus quis uteretur ad Deum consulendum, quum ignorat quid agere debeat; illicitae semper divinatoriae, seu ad aliquid occultum detegendum. S. Alph. *III. 10;* G. B. *I. 269.* — An licitus sit usus virgae divinatoriae in rebus physicis controvertitur, in moralibus certo illicitus est. S. Alph. *III. 8.* Cfr. etiam D'Annib. *II. 30 (20).*

Quoad oneiromantiam, seu divinationem per somnia, haec habe ex D'Annibale *II. 31:* « Somnia ex causis tum naturalibus tum spiritualibus excitantur. Naturalis causa est affectio corporis vel animi; ex his licitum est coniectare, quae ad eorum causas pertinent, idest indolem, valetudinem, studia et cetera huiusmodi. Causa spiritualis vel Deus vel daemones; utra tibi in re praesenti, hoc aestimare difficile et periculosum est. Et in primis putandum non est, somnium fuisse a Deo, ex specie tibi visa, utputa si angelus apparuerit; vel ex re, quam tibi suasit, velut aliquid restituere, missas celebrare, etc. (item si periculi alicuius dormientem admonuit); vel demum ex eventu, puta si quid praedixerit et ita evenerit (*Deut. XIII. 2.* Haec igitur observare grave est [*Lev. XIX. 26*]. Nihilominus sibi cavere, veritus, ne forte somnium a Deo sit,

aut leve est, aut ne leve quidem). Contra certissime tenendum est, non fuisse a Deo somnium, si te ancipitem, vel turbatum, vel ad bonum tardiorem dimiserit. Tantum si quietum reliquerit, et ad bonum promptiorem nec ancipitem animi, sperari potest, somnium fuisse a Deo. Sperari inquam, nam heic quoque caute admodum procedendum est, neque confessario inconsulto, *multos enim errare fecerunt somnia;* nisi forte tibi adeo persuasissimum sit, somnium fuisse a Deo, ut id paullulum dubitare instar infidelitatis putes ».

Wieri I. De daemonum praestigiis et incantationibus; *Mengi H.* Flagellum daemonum; *Mengi H.* De fustis daemonum; *Malleoli F.* Tract. de credulitate daemonibus non adhibenda (exstat in Malleus maleficorum *Lazari Zezneri*); *De Turre R.* De ecclesiae potestate coercendi daemones circa obsessos; *Gallade P.* Exsistentia pacti cum daemone contra Vierum, Bekerum, Chr. Thomasium etc. probati.

1841 **Divisio.** — ***De divisione beneficiorum.*** — Divisio beneficiorum tunc habetur, quum ex uno vel pluribus beneficiis exsistentibus aliquae partes detrahuntur, quibus efformatur novum aliquod beneficium. *c. 3 de eccl. aed. vel rep. X. (III. 48);* Garcia *de benef. p. XII. c. 4. n. 1;* Leuren. *for. benef. p. III. q. 957;* Schmalzgr. *in tit. 5 lib. III Decr. n. 204.* Si beneficium unum manet, sed ab eo pars aliqua bonorum vel fructuum detrahitur, quae iam exsistenti beneficio adscribitur, tunc non divisio, sed dismembratio fit. Vid. *Dismembratio.*

Divisio per se iure prohibetur, aliquando tamen iustis de causis licet, et fere ob impossibilitatem, ut unus beneficiatus omnibus oneribus beneficii satisfaciat. Leuren. *l. c. q. 958. n. 1;* Schmalzgr. *l. c. n. 205.*

Ille autem potest beneficia dividere, qui potest erigere. Cfr. *c. 26. de praebendis etc. X. (III. 5).* Quare ad dividenda beneficia maiora, ut episcopatus etc., unus romanus Pontifex est competens; ad alia beneficia seu ad minora dividenda competens est etiam episcopus et praelatus nullius. Wernz *Ius Decr. II. 263.*

Episcopi tamen ad dividenda officia ecclesiastica devenire non possunt, nisi ex ordinariis causis canonicis, quae fere reducuntur ad causam superius assignatam pro liceitate divisionis. Imo de his ipsis causis seu de earum exsistentia, ut recte episcopus ad divisionem deveniat, cognoscere debet per processum canonicum, non equidem ad omnes iuris normas exactum, simplicem tamen et summarium. Leuren. *l. c. p. I. q. 157. n. 2;* Wernz *loc. cit. II. 267.* Debet praeterea assignare portionem congruam utrique beneficiato (*c. 26. cit. X.;* Fagnanus *in c. 3. cit. X.* [*III. 48*] *n. 32. sqq.*); non praeponere duobus beneficiis unum beneficiatum (Schmalzgr. *l. c. n. 207*); vocare ante divisionem omnes, quorum interest. Schmalzgr. *l. c. n. 208.* Si tamen episcopus negligit hos vocare, non ideo irrita esset divisio, cui tamen legitima causa esset, imo, saltem si agitur de divisione parochiae alicuius, etiam his dissentientibus, valide agit episcopus. Conc. Trid. *sess. XXI. c. 4. de ref.* Attamen episcopus quoad hoc necesse habet consensum capituli habere (Fagnanus

l. c. n. 49); nisi tamquam delegatus Sedis apostolicae procedat, uti procedere debet, si agatur de parochiis exemptis. Cfr. *S. C. C. 17 iul. 1723;* Fagnanus *l. c.*

Contra episcopale decretum divisionis datur recursus in devolutivo, non autem in suspensivo. *c. 3. cit. X. (III. 48).* Cfr. *Const.* Ben. XIV «Ad militantis» *30 maii 1742; Const.* Leonis XIII «Romanos Pontifices» *8 maii 1881.* Patet autem, recursum huiusmodi, si episcopus ad divisionem venerit expresse et exclusive tamquam delegatus Sedis apostolicae, interponendum esse apud Sedem apostolicam (apud S. Congr. Concilii); si vero episcopus processerit potestate sua ordinaria, vel etiam tamquam delegatus Sedis apostolicae, tunc interponi etiam posse penes metropolitanum. Cfr. *S. C. C. in Tarraconen. a. 1588: in Zamoren. a. 1589; in Ianuen. a. 1597 apud Richter Conc. Trid. pag. 166.*

Conficiendum est autem scriptum documentum, in forma iuridica confectum, divisionis peractae, quod non inservit quidem ad validitatem divisionis, sed ut factae divisionis exstet probatio legitima. Wernz *loc. cit. II. 267.* Vid. *Parochia.*

Slevogt L. Ph. Diss. de divisione ecclesiarum et beneficiorum; *Gallade P.* De divisione parochiarum; *Schwabe I.* Diss. de unione et dissolutione eccles. et benef.; *Molitor* Ueber Dismembr. des Beneficiums, im Archiv f. k. KR. VII. 400 ff. Reliquam bibliographiam quaere sub *Beneficium, Parochia.*

1845 ***De divisione in ordine ad hereditatem.*** — Divisio considerari potest etiam relate ad hereditatem. Porro iure italico (*C. C. a. 984*) cautum est, ut hereditatis divisio peti possit, non obstante quacumque prohibitione testatoris, quae prohibitio tunc tantummodo valet, quum inter coheredes habentur minores quoque; nam in hoc casu potest testator iubere, ne ad divisionem deveniatur, quousque transactus fuerit annus a maiore aetate ultimi ex coheredibus minoribus. Attamen et in hoc casu potest auctoritas iudiciaria, gravibus et urgentibus circumstantiis id exigentibus, divisionem permittere. An iure quoque gallico divisio hereditatis, stante prohibitione testatoris, permittatur, non satis constare ait D'Annibale (*II. 117.* [*41*]); verum affirmative respondendum videtur. Cfr. *C. G. a. 815.* Si quando autem coheredes procedere nolunt ad divisionem pacifice, observandae sunt quaedam regulae ab ipso Codice praescriptae aa. 987-1000. *C. C. a. 986.* Notandum praesertim, quod, si immobilia nequeant commode dividi, eorum venditio sub hasta ab auctoritate iudiciaria facienda est, nisi coheredes omnes sint maiores, quia in hoc casu, his omnibus consentientibus, venditio sub hasta fieri potest coram notario ab ipsis concorditer electo, vel etiam coram solis condividentibus. *C. C. a. 988.* Eodem modo pacta et conditiones venditionis, si a condividentibus concorditer non stabiliantur, stabiliendae sunt ab auctoritate iudiciaria. *C. C. a. 989.*

Bibliographiam quaere sub *Heres.*

De divisione communionis bono- 1846

rum. — Etiam quoad communionem bonorum dari potest divisio. Et quisque potest rei communis divisionem quandocumque petere (*C. C. a. 681*), nisi, ait D'Annibale (*II. 117*), agatur de re singulari omnibus necessaria, velut puteo communi vestibulo duarum aedium, et nisi pactum valide fuerit, communionem continuandam ad certum tempus, quod iure italico (*C. C. art. cit.*) non potest excedere decennium, iure Gallico (*C. C. a. 815*) quinquennium. At si quando graves et urgentes circumstantiae id requirant, in potestate est auctoritatis iudiciariae decernere dissolutionem communionis etiam ante pactum tempus. *C. C. art. cit.*

1847 **Divitiae.** — Divitias conservari in familia causa est dispensationis matrimonialis concedendae. Scilicet haec causa reducitur ad *bonum familiae*, quae una est ex causis canonicis pro concedendis his dispensationibus. Cfr. *Praxis Apost. disp. super imped. matr. n. 75.* Quum enim bono publico expediat, ut illustriores familiae e suo statu non decidant, et locupletes conserventur, ex altera vero parte ratione dotis bona in alienam familiam distrahantur, iusta causa ad concedendam dispensationem, ut contrahi possit matrimonium ex. gr. cum consanguinea, haec est, ut bona conserventur in familia. Hinc causa ad dispensandum sufficiens esset, si femina instituetur heres sub conditione, ut consanguineo nuberet. Ab exsecutore vero dispensationis locuples familiae status esset verificandus. Cfr. *Praxis etc. n. 104.*

1848 **Divortium.** — ***De divortio a vinculo.*** — Divortium quoad vinculum (quod etiam plenum seu perfectum dicitur) non datur, quia matrimonium est omnino indissolubile (Conc. Trid. *sess. XXIV. can. 5. de sacr. matr.*); nisi agatur de matrimonio rato et non consummato, vel de consummato inter infideles in casu Apostoli. Vid. *Matrimonium, Privilegium paulinum, Professio religiosa.*

De divortio a toro et cohabitatione. — 1849 **Causae ex quibus fieri potest.** — Divortium a toro et cohabitatione (quod dicitur etiam minus plenum seu imperfectum) iustis de causis dari potest (Con. Trid. *sess. XXIV can. 8 de matrim.*); idest aliquando ex mutuo consensu, ex gravi animae vel corporis periculo, ex adulterio, seu qualibet carnis divisionis in alterutro.

De divortio minus pleno ex mutuo 1850 **consensu.** — Ex mutuo consensu tunc tantum fieri potest divortium a toro, quum in neutra parte sit periculum incontinentiae; a toro, inquam, a cohabitatione enim ob hanc causam non permittitur, ordinarie saltem, nisi ob ingressum alterutrius vel utriusque in religionem, vel ob susceptionem sacrorum ordinum ex parte viri. B. P. *VI. 513.*

Et hoc divortium fieri potest, sive emisso, sive non emisso voto continentiae, seu ad tempus, seu in perpetuum. Attamen nota, quod si divortium fieret, emisso continentiae voto, realis separatio tori esset adhibenda, scilicet ob nimium periculum secus violandi votum. Laymann *Th. mor. lib. V. tr. 10. p. 3. c. 7. n. 1.*

De facultate coniugibus facta in- 1851

grediendi religionem, aut viro suscipiendi ordines sacros. — Porro hic dicendum est de facultate, quae coniugibus aliquando est ingrediendi religionem, aut, si de viro quaestio sit, suscipiendi ordines sacros.

1852 **De iis, quorum matrimonium nondum consummatum est.** — Et ante omnia notandum est, ius canonicum permittere coniugibus, ut ante consummationem matrimonii, relicto altero coniuge, religionem ingrediantur. *c. 2 de convers. coniug. X* (*III. 32*). Ad hoc autem, ut quisque coniugum hoc suum ius ad praxim possit deducere, datur coniugibus ab eodem iure tempus utile ad deliberandum, utrum in coniugio manere velint, an potius velint religionem ingredi; tempus autem hoc est bimestre, intra quod non tenentur proinde coniuges sibi invicem debitum reddere. *c. 2 nuper cit.* Attamen nota, excipi quoad hoc eos coniuges, qui nonnisi cum tertii praeiudicio ad religionem transirent; quare, si matrimonium necessarium esset ad legitimandam prolem vel ad reparandum scandalum aut honorem sponsae, non posset vir religionem ingredi ante consummationem, nisi in casu ad haec damna reparanda sufficeret matrimonii celebratio, nec esset necesse coniuges postea simul permanere. S. Alph. *VI. 958*; B. P. *VI. 481.*

Quaerunt hic Doctores, an sponsus, qui de ingressu in religionem ne cogitat quidem, possit intra primum bimestre debitum alteri parti petenti denegare. Et in diversas abeunt sententias, aliis affirmantibus (cfr. S. Alph. *VI. 956*), aliis negantibus (cfr. Schmalzgrueber *in tit. 32 lib. III Decr. n. 5*; B. P. *VI. 482*); quorum contrariae sententiae Ballerini-Palmieri (*VI. 483*), videntur posse ita conciliari, ut dicamus, coniugem negare posse redditionem debiti, quia, etsi nunc non habeat animum ingrediendi religionem, ideo tamen negat, quia scit posse hunc animum oriri, et tunc iam intuitu religionis negaret.

De casu, in quo sponsus intra primum bimestre vi a sponsa copulam extorsit. — 1853 An sponsa potest etiam tunc religionem, viro invito, ingredi? Et si sponsa de religione ingredienda non cogitabat, quum copula extorta est, certum est ingressum religionis ipsi non amplius permitti. Schmalzgrueber *loc. cit. n. II*; B. P. *VI. 482.* Si vero de religione ingredienda sponsa tunc cogitabat, quamvis nonnulli negaverint etiam tunc sponsae ius esse amplectendi statum religiosum, plures tamen probabilius omnino tenent, in hoc casu licere sponsae religionem ingredi, quum nemo privetur suo iure propter iniuriam sibi illatam; iniuria autem fuit sponsae a sponso illata extorquendo copulam. Tunc autem sponsus deberet manere innuptus, quia consummatum matrimonium non solvitur per religiosam professionem. B. P. *VI. 484.* Nota autem hic cum Sanchez (*de matr. lib. II disp. 22 n. 7* et Pirhing (*in tit. 32 lib. III Decr. n. 56*) aliisque, aliquando per accidens fieri posse, ut ratione talis copulae extortae mulier non possit amplius religionem ingredi, veluti, si, gravida effecta et post partum abeunte, periclitaretur bona educatio habitae prolis.

Bimestre hoc, quod a iure conceditur coniugi volenti deliberare, an religionem potius ingrediatur, potest ex sententia doctorum a iudice pro circumstantiis contrahi vel prorogari (Schmalzgrueber *loc. cit. n. 2*); attatamen non debet iudex ab eo bimestri facile discedere, quum iuris terminus sit. Sanchez *loc. cit. lib. II disp. 24. n. 12.* Hinc sequitur, quod bimestre per se currit a tempore contracti matrimonii, et, si iudex praescribat tempus, ab eo tempore. Sanchez *loc. nuper cit. n. 21; arg. c. 7 tit. cit. X.* (*III. 32*). Quando autem altero coniuge religionem in casu ingrediente, coniux alter liber maneat convolandi ad alias nuptias vide sub *Professio religiosa.*

1854 **De iis, quorum matrimonium iam consummatum est.** — Et ea quidem, quae hucusque diximus, referuntur ad coniuges, qui matrimonium suum nondum per copulam consummarunt. Quoad eos autem, quorum matrimonium iam consummatum est, ante omnia certum est, nullum coniugem in casu posse aut religionem ingredi aut ad sacros ordines admitti, altero coniuge non consentiente, nisi alter iste coniux certis aliquibus delictis sese inquinaverit, de quibus in sequentibus.

Quare ad hoc, ut in casu coniux ingredi possit religionem aut sacros ordines suscipere, si sit vir, ante omnia necesse est, ut altera pars consentiat (*c. 1. tit. cit. X.* [*III. 32*]), et quidem positive, quum non sufficiat, eam tantummodo non dissentire, idest non sufficit consensus quidam praesumptus aut tacitus, sed necessario requiritur expressus (Schmalzgrueber *loc. cit. n. 32*); nec solum, sed etiam debet esse omnino liber nec ullo modo valeret consensus per fraudem aut per vim et metum extortus. *cc. 16. 17 tit. nuper cit. X.*

Imo, etsi coniux, altero coniuge non consentiente, aut non libere sed per fraudem seu ex vi et metu consentiente, religionem ingressus esset et professionem etiam emisisset, posset ab altero coniuge revocari ad officia matrimonialia implenda, eiusque professio irrita esset et nulla. *cc. 3. 12 tit. nuper cit. X.* Et hoc valet etiam in casu, quo uterque coniux mutuo consensu continentiam vovisset, sed alter sine alterius licentia religionem ingressus esset. B. P. *VI. 514.* Attamen Santi (*in tit. 32 lib. III Decr. n. 8*) contrarium sentit. Professionem autem in religione illius, qui sic religionem esset ingressus, irritam esse et nullam planum est, quum res non suam obtulerit.

Hinc etiam mortuo altero coniuge, non tenetur is religionem repetere; attamen non posset alteri copulari matrimonio, quia praesumitur voluisse se obligare quantum potuit, et proinde vovisse perpetuam continentiam (*c. 3 tit. nuper cit. X.*), et in ipso matrimonio cum prima coniuge posset quidem et deberet debitum reddere, sed petere non posset. B. P. *loc. cit.* Attamen nota cum Schmalzgrueber (*loc. cit. n. 26*) eum voventem vota religionis voluisse se obligare quantum poterat, et proinde vovisse perpetuam continentiam esse praesumptionem iuris, quae proinde cedere debet veritati. Quare, si ipse noluerit vovere

continentiam, nisi dependenter a valore suae professionis in hac religione, non obligaretur ad continentiam perpetuam; et hoc procedit in foro conscientiae, et si hoc ipsum probetur, etiam in foro externo.

1855 **Quid, uno coniuge religionem ingrediente, alter praestare debeat.** — Ad hoc autem, ut coniux religionem ingrediatur, praeter consensum alterius coniugis, requiritur etiam aliquando, ut alter quoque coniux religionem ingrediatur et profiteatur. Scilicet, si alter coniux iuvenis sit, aut etsi senex in periculo incontinentiae versetur, necesse est, ut is quoque professionem in religione emittat (*c. 13 tit. cit. X.* [*III. 32*]); si vero sit senex, et nullum pro eo sit periculum incontinentiae, potest in seculo remanere, sed emittere debet votum perpetuae castitatis (*cc. 4. 8. 13 tit. nuper cit.*), et quidem publice, idest coram testibus, probationis causa, quamvis votum illud simplex tantummodo sit. *c. un. de voto etc.* (*III. 15*) *in 6°.*

1856 Quid autem, si coniux, qui coniugi licentiam praebuit ingrediendi et profitendi religionem, nesciens, se ex praescriptione iuris teneri ad ingrediendam religionem aut ad emittendum votum castitatis, nolit postea hoc facere? Ad quod teneretur ex iure? Et planum est, eum, quem se ad id obligari nesciret, ad hanc obligationem explendam non posse cogi (aliud esset, si scivisset, dando coniugi licentiam, se hanc sibi assumere obligationem); imo posset etiam alterum coniugem revocare, qui, etsi eius professio valida omnino censenda esset, quippe quae ex consensu coniugis facta, teneretur debitum reddere, quamvis petere non posset, et, mortuo coniuge, teneretur ad religionem redire. Ita Schmalzgrueber (*loc. cit. n. 36*) et post eum Ballerini-Palmieri (*VI. 515*), qui tamen non videtur consentire in sententiam Sanchez (*de matr. lib. VII disp. 33. n. 6*) dicentis, mulierem, quae dedit viro suo licentiam profitendi religionem, ignaram iuris, quo ligatur ad religionem ingrediendam et ad castitatem vovendam, posse etiam ob periculum incontinentiae revocare maritum, quia renuntiatio non fuit sufficiens et perfecta ob defectum modi praescripti ab ecclesia. Mihi quidem videtur, vel sententiam et rationem Sanchez esse admittendam, vel dicendum, mulierem hanc numquam posse revocare maritum, et maritum, semel valide professum, non posse mulieri exigenti debitum reddere, quia per licentiam marito datam uxor se abdicavit iure, quod habebat, ut maritus ipsi exigenti debitum redderet.

Quaerunt doctores quaenam sit aetas, quae requiritur ad hoc, ut, altero coniuge religionem profitente, coniux alter senex habendus sit, ita ut, periculo incontinentiae non exsistente, possit in seculo manens castitatem vovere. Et dicunt pro mulieribus esse aetatem 50 annorum, pro viris 60 annorum. Verum fere omnes advertunt iudicem in hac re debere esse episcopum, qui etiam iudex est, an suspicio sit incontinentiae vel non. Santi *loc. cit. n. 7.*

Praeter hoc doctores requirunt con- 1857
sensum episcopi (Schmalzgrueber *loc. cit. n. 32*), idque desumunt ex canone

23. C. XXVII. q. 2. Attamen nota, neque consensum episcopi, neque ingressum alterius in religionem, aut alterius votum perpetuae castitatis ita requiri, ut secus professio coniugis in religione sit nulla; sed haec spectare tantum liceitatem. Sanchez *de matr. lib. VII disp. 32. n. 3.*; Schmalzgrueber *loc. cit. n. 33*; B. P. *VI. 515.*

1858 **Quaedam peculiariter notanda pro viro, qui vellet sacros ordines suscipere.** — Quae hucusque dicta sunt valent non solum in casu, quod vir velit religionem ingredi, sed etiam si quando vellet ad sacros ordines ascendere. Attamen quoad hunc ultimum casum quaedam sunt peculiariter adnotanda. Et primum est, quod non solum in casu uxor consentiens ad hoc, ut vir sacros ordines suscipiat, debet, si iuvenis sit vel suspecta de incontinentia, religionem profiteri (*c. 6. dist. 77*, et S. Congr. S. Off. respondit vic. ap. Coreae *12 febr. 1851* non expedire, quod vir triginta sex annos natus, qui probatus erat in fide, et missioni maxime utilis sperabatur, quique iam a pluribus annis cum uxore in continentia vivebat, et cum ea emiserat votum simplex castitatis, quum non haberentur monasteria, quae uxor ingredi posset, admitteretur ad sacerdotium, uxore in seculo manente), vel, si senex sit et de incontinentia nulla sit suspicio, emittere votum continentiae; sed praeterea hoc votum in tali muliere habere specialem quemdam effectum, quem non habet simile votum in muliere, quae consensit, ut vir religionem profiteretur. cil icet v otum castitatis tunc a muliere factum est impedimentum dirimens futuri matrimonii; quare siqua mulier, post datam marito suo licentiam suscipiendi ordines ac emissum votum continentiae, et post ordines de facto a marito susceptos, mortuo marito, alteri nuberet, invalidum esset matrimonium. *cc. 10. 11. d. XXVIII; c. 14. d. XXXII;* Ben. XIV. *de Syn. lib. XIII. c. 12. n. 16.* Ratio autem huius impedimenti (iuris tantum ecclesiastici) seu ex eo voto inhabilitatis mulieris ad novum matrimonium est reverentia debita sacris ordinibus. Sanchez *loc. cit. lib. VII disp. 40*; B. P. *VI. 517.*

Imo volunt generatim, hanc inhabilitatem incurri a muliere in casu, non solum si vovit continentiam, sed etiamsi de facto continentiam non vovit, dummodo dederit marito licentiam ascendendi ad sacros ordines; nam canones hanc inhabilitatem statuentes non loquuntur de voto. B. P. *loc. cit.*

Praeterea, si vir promoveatur, ex consensu uxoris, ad episcopatum, haec, etsi senex sit et nullo modo de incontinentia suspecta, debet religionem ingredi et in ea profiteri, nec ante professionem ab ea emissam potest maritus episcopus consecrari. *c. 6. tit. cit. X.* (*III. 32*).

De divortio minus pleno ex imminentia gravis periculi. — Alia ratio, ob quam licet divortium a toro et cohabitatione est *imminentia gravis periculi* animae vel corporis pro alterutro coniuge ex cohabitatione. 1859

Ex gravi corporis periculo. — Quare ante omnia saevitia mariti (vel uxoris, nam eadem est ratio, quamvis hoc 1860

aliud rarius admodum eveniat) potest rationem separationis praebere. *cc. 8. 13 de restitut. spoliat. X.* (*II. 13*). Scilicet non solum ea saevitia, qua alter coniux alterius coniugis vitae insidias machinatus sit, sed etiam, si vir uxorem graviter caedat, imo etsi vir conviciis, contumeliis etc. iniuste uxorem lacessat. B. P. *VI. 507.* Attamen haec omnia pensanda sunt, non tantum ex factis obiective sumptis, sed praecipue ratione habita circumstantiarum, idest personarum, indolis, conditionis. Sanchez *de matr. lib. X disp. 18.* Et re quidem vera haec omnia maiorem multo gravitatem habent inter nobiles, quam inter plebeios, et id, quod pro plebeiis non est, nisi irati animi paullo immoderatior declaratio, pro nobilibus esset gravis iniuria. Quae profecto iniuriae saepe repetitae constituunt grave incommodum et periculum corpori quoque et animae; et sic mulier a viro non tractatur amplius, ut debet, veluti consors thalami et vitae, sed veluti mancipium. B. B. *VI. 508;* D'Ann. *III. 471* (*26*).

Simili modo haec ratio viget, si vir mulieri sanae alimenta negaverit, aut infirmae medicamenta (D'Ann. *loc. cit.* ex Gualco *disp. IX. c. 1. n. 3*); imo tunc etiam viget, quum valetudinis imminet periculum, veluti si vir morbo contagioso laboret, nisi mulier eum tali morbo laborare cognoscens, eidem sciens volens nupserit. Cfr. Sanchez *loc. cit. lib. IX. disp. 24. n. 22.* Attamen nota, divortium a cohabitatione tunc tantummodo fieri posse quum ex ipsa cohabitatione periculum sequatur; si enim periculum satis caveri possit, denegando tantummodo redditionem debiti coniugalis, hoc quidem fieri posset, sed divertere a cohabitatione non liceret (Reiffenstuel *in tit. 8 lib. IV Decr. n. 10*), et cessante periculo, cessat etiam ius non cohabitandi. B. P. *VI. 510.*

Divortium vero a cohabitatione ob causas recensitas ex periculo corporis imminente fieri per se non debet, nisi ex sententia iudicis ecclesiastici, nisi tamen sit periculum in mora, ut saepe adesse potest, quia tunc patet, illud privata quoque auctoritate fieri posse. B. P. *VI. 508.*

Ex gravi animae periculo. — Quum liceat divortium ob periculum corporis imminens, patet illud multo magis licere ob periculum imminens animae. Imo non solum tunc licet, sed obligatorium quoque aliquando esse potest, quum nempe periculum esset proximum; quisquis enim tenetur se a proximo peccati periculo retrahere. Cfr. *Matth. V. 29.* Periculum autem tunc imminet, quum coniux coniugem pertrahere tentat ad peccatum, velut ad furta, adulteria (*c. 5. C. XXVIII. q. 1*), vel ad sodomiam, aut ad adulterium, sicut si vir ex. gr. alios in domum introducat cum gravi periculo adulterii. S. Alph. *VI. 973.* Hinc uxor ad fidem recenter conversa, cuius maritus infidelis ei permittit quidem catholicam religionem servare, nec illicita ei formaliter imperat, quam tamen in usu matrimonii ad multa gravia contra coniugalem castitatem adeo importune pellicit, ut ea habitualiter sit in gravi periculo peccandi mortaliter, potest ab eo divortium instituere (et 1861

in casu ob privilegium fidei non solum quoad torum et cohabitationem, sed etiam quoad vinculum, Vid. *Privilegium Paulinum*). *S. C. P. F. pro Tunk. Occ. 5 mart. 1816.*

Quare breviter: quicumque metus omnino gravis et fundatus discriminis vitae, vel salutis sive animae sive corporis, vel gravis etiam incommodi, dat ius faciendi hoc divortium. Cfr. Feije *de imped. et disp. matr. n. 581.* Utrum autem periculum sit grave et imminens necne, arbitrio prudentis iudicis ecclesiastici relinquendum est. B. P. *VI. 509.*

1862 **De divortio minus pleno ex apostasia aut haeresi.** — Alia causa, ob quam fieri potest divortium a toro et cohabitatione, est causa apostasiae seu haeresis supervenientis ex parte unius coniugis. *c. 6 de divortiis X.* (*IV. 19*). Tunc autem, si divortium factum fuerit ex sententia iudicis ecclesiastici, non tenetur innocens ex iustitia (ex caritate tamen ordinarie tenebitur, cfr. *c. 7 tit. cit.*, nisi religionem altera pars fuerit ingressa vel ingredi velit, *c. 21 de convers. coniug. X.* [*III. 32*]) coniugem emendatum admittere (*c. 6. tit. cit. X.* [*IV. 19*]); si vero divortium auctoritate privata fuerit factum, pars innocens debet recipere reum emendatum, etsi religionem fuerit ingressa, vel sacros ordines susceperit. *c. 6 nuper cit.* Quaestio fieri potest, utrum pars innocens possit tantum, an teneatur etiam recedere a coniuge in haeresim lapso. Et responsio desumenda est ex certis theologiae principiis, ex quibus patet, tunc tantum coniugem innocentem teneri ad coniugem apostatam derelinquendum, quando ex cohabitatione cum coniuge imminet ipsi periculum, non quidem commune, sed grave, contra fidem, quod aliis mediis non valet ex proximo remotum tantum reddere. Haec obligatio ex ipso iure naturali fluit. B. P. *VI. 511.*

De divortio minus pleno ex adulterio. — Ex *adulterio* etiam fieri potest divortium a toro et cohabitatione (*c. 4 tit. cit. X.* [*IV. 19*]; cfr. *S. C. C. in Posnanien. 4 maii 1754, 2 mart. 1759, 21 iun. 1760*); nec solum ex adulterio, sed ex bestialitate etiam et sodomia seu quacumque carnis divisione. *c. 4 tit. cit. X.* (*IV. 19*); Schmalzgrueber *in idem cap. n. 103*, Sanchez *de matr. l. X. disp. 4. n. 3. sqq.*; B. P. *VI. 489. sqq.* 1863

Conditiones, ut ex hoc capite liceat divortium. — Adulterium autem hoc (seu carnis quaecumque divisio, S. Th. *in IV. dist. 39. q. 1. a. 1. ad 4*) debet esse certum, ut patet (nec sufficeret praesumptio, nisi omnino violenta, *arg. c. 22 de praesumptionib X. II. 23*; S. Th. *in IV. d. 35 q. un. a. 3. ad 4*; cfr. etiam *S. C. C. in Imolen. 11 mart. 9 sept. 1786; 21 iul. 1792*; Pontium *de matr. lib. 9. c. 16. n. 5. etc.*), formale (*cc. 1. 5. 6. C. XXXIV*, hinc si mulier passa esset vim, si invincibiliter ignoravit accedentem ad se non esse suum virum, etc., non posset vir ad separationem devenire, *cc. 5. 6. C. XXXIV. q. 1.*; *c. 1. C. XXXII. q. 5*; B. P. *VI. 505*), non condonatum, nec alterius adulterio compensatum (*cc. 4. 5 tit. cit. X.* [*IV. 19*]; *c. 6. 7 de adult. et stupro X.* [*V. 16*]), nec tandem admissum, altero coniuge probante, vel incitante, vel cogente (*c. 6* 1864

de eo qui cognovit etc. X. [*IV. 13*]). An requiratur, quod fuerit etiam consummatum et perfectum, affirmant plerique, ita ut etiam dicant copulam inchoatam, seu habitam sine seminis effusione non esse sufficientem (Sanchez *l. c. n. 13;* S. Alph. *VI. 962*); attamen, quamvis certum sit adulterium remote inchoatum per turpem amicitiam, vel per oscula, amplexus etc., non esse sufficiens, aliud omnino videtur dicendum de vera copula inchoata, quippe quae gravis iam videtur iniuria contra fidem coniugii alteri coniugi facta.

Certum autem est, ut supra innuebam, ad probandum adulterium pro separatione instituenda sufficere coniecturas et praesumptiones violentas, quibus moralis saltem certitudo inducatur, adulterium reipsa admissum fuisse. *c. 27 de testibus etc. X. (II. 20); c. 12 de praesumptionibus X. (II. 23); S. C. C. 6 maii, 12 aug. 1865;* B. P. *l. c. n. 493.*

Innocens tamen non tenetur reum dimittere, et iure suo uti, nisi omnino id postulet sive rei emendatio sive scandali vitandi necessitas; sed haec obligatio vix umquam potest exsistere pro uxore innocente, et rarissime etiam pro marito. Feije *l. c. n. 579.* Facto divortio ex adulterio, potest innocens alterum cogere, ut ad se redeat. D'Ann. *III. 471.*

Divortium autem a toro propria auctoritate licite fit; non tamen ordinarie (nam aliquando, propter adulterium praesertim, etiam quoad cohabitationem divortium privato iure fieri posse certum est, B. P. *l. c. n. 494;* D'Ann. *III. 471;* Santi *in tit. 19. lib. IV. Decr. n. 57*) divortium a cohabitatione. Feije *l. c. n. 582.*

Quid de parte innocente, facto iuridice divortio. — Facto iuridice divortio quoad torum et cohabitationem, pars innocens posset, etiam altera parte invita, religionem ingredi, aut, si sit vir, sacros ordines suscipere. *c. 2. C. XXVII. q. 2.* Hoc tamen ius non esset parti adulterae, nisi pars innocens irrevocabilem statum iam suscepisset; imo, si pars adultera, invita parte innocente, religionem professa esset, posset ab innocente revocari. Sanchez *de matr. lib. X disp. 10. n. 12. sq.* Pars autem innocens posset licentiam hanc dare parti adulterae, quin et ipsa teneretur religionem ingredi aut votum castitatis emittere. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 124 sqq.* Imo putant nonnulli, partem innocentem, quae rogata respuit reconciliationem cum parte adultera, hoc ipso tacite dare parti adulterae licentiam ingrediendi religionem, quam semel professam revocare amplius non posset. S. Alph. *VI. 669;* B. P. *VI. 498.* Extra hunc casum pars innocens potest, quandocumque vult, revocare ad se partem adulteram, eique reconciliari. Haec reconciliatio a parte culpabili admitti debet, quae proinde ad cohabitandum redire tenetur. Sic generatim omnes theologi et canonistae. S. Th. *in IV dist. 45. q. 1. a. 6. ad. 3;* Schmalzgrueber *loc. cit. n. 123;* B. P. *VI. 499.* 1865

Nonnulli praeter hunc casum addunt etiam alium, quum scilicet biennium a divortio transactum est, et pars innocens partem adulteram non revocavit, quia tunc dicunt parti adulterae fas esse, etiam sine licentia al-

terius partis, religionem amplecti, ex Authent. *Sed hodie* ad leg. 30 ad legem Iuliam etc. *C.* (*IX. 9*), quae tamen ad strictiorem quendam sensum verius reducenda videtur. Cfr. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 126*; B. P. *VI. 498.*

Pars innocens non tenetur partem adulteram, etiam emendatam et veniam ac reconciliationem petentem, iterum admittere, quamvis deceat, ut faciat, ne scilicet altera pars facile relabatur (*c. 8. C. XXXIII. q. 2*; S. Th. *in IV dist. 35. q. 1. a. 6 ad 2*), et hoc valet etiam quoad infideles ob adulterium commissum in infidelitate, ita ut pars innocens conversa non teneatur retinere partem infidelem adulteram, veniam petentem, etsi velit cohabitare sine contumelia Creatoris; verum in hac ultima hypothesi non potest pars fidelis ad alias nuptias convolare. *S. C. P. F. pro Tunk. Occ. 5 mart. 1816.* Attamen si pars, quae erat innocens, quum ex sententia iudicis factum est divortium, postea et ipsa labatur in adulterium, tenetur verius admittere partem adulteram, quae petit ad eam redire. Ratio est, quia iudicis sententia in casu est actus authentice declarans ius quaesitum parti innocenti ex adulterio alterius partis; et hoc ius manet, quousque pars innocens in adulterium non labatur, in quod si lapsa esset, ne prius quidem ius sese separandi habuisset. *c. 5 tit. cit. X.* (*IV. 19*); Schmalzgrueber *loc. cit. n. 135.*

1866 Quoad infideles nota hanc responsionem a S. Congr. de Prop. Fide datam pro Tunkino occid. *5 mart. 1816* ad sequens dubium: « Quaeritur an adulterium ansam praebeat coniugibus infidelibus, sicut et christianis, divortium perpetuum celebrandi, ita ut parti innocenti omnino sit integrum, quum sacro fonte abluta fuerit, aut seculo nuntium remittere, aut in statu viduitatis vitam transigere, licet pars altera reconciliari velit et sine contumelia Creatoris cohabitare ». Porro respondit S. Congregatio: « Coniugem ad fidem conversum et baptizatum posse facere divortium quoad torum a coniuge infideli, ob adulterium ab eo commissum, quamvis iste veniam petat et velit cohabitare sine contumelia Creatoris ».

Quae de divortio in Codice Italico statuuntur. — 1867 Iure italico haec habentur quoad divortium. Matrimonium non solvitur, nisi morte alterutrius coniugis; admittitur tamen eorum separatio personalis. *C. C. a. 148.* Ius petendae separationis coniugibus est iis tantum in casibus, quos lex determinavit. *C. C. a. 149.* Separatio peti potest ob causam adulterii vel voluntariae derelictionis, aut propter excessus, saevitias, minas et iniurias graves. Non recipitur actio separationis ob adulterium viri, nisi ipse concubinam domi foveat, aut notorie alibi, vel dum concurrunt tales circumstantiae, ut actio mariti gravis sit iniuria in uxorem. *C. C. a. 150.* Separatio peti potest etiam contra coniugem damnatum poena criminali, nisi sententia praeverterit matrimonium, eiusque alter coniux conscius fuerit. *C. C. a. 151.* Uxor separationem petere potest, si maritus absque iusta causa certam stabilemque sedem non constituat, aut, quum media ei sup-

petunt, renuat eam constituere congruam suae conditioni. *C. C. a. 152.* Reconciliatio exstinguit ius petendae separationis, et actionem propositam interimit. *C. C. a. 153.* Tribunal, decernens separationem, declarat, quisnam e coniugibus debeat apud se habere prolem, eiusque sustentationi, educationi, instructioni consulere. Potest tribunal ob graves causas praecipere, ut proles collocetur in aliquo educationis instituto aut apud tertiam personam. *C. C. a. 154.* Quaecumque sit persona, cui filii committuntur, pater et mater retinent ius invigilandi eorum educationi. *C. C. a. 155.* Coniux, ob cuius culpam pronunciata est sententia separationis, amittit lucra dotalia, quodcumque utile ab alio coniuge ipsi per matrimonium concessum, et usumfructum legalem. Alter coniux retinet ius ad lucra et ad quodcumque utile ex contractu matrimoniali proveniens, quamvis haec omnia coniuges mutuo stipulati fuerint. Si sententia separationis ob utriusque coniugis culpam pronunciata est, quisque coniugum amittit omnia, quae supra enumerata sunt, excepto iure ad alimenta in casu necessitatis. *C. C. a. 156.* Coniuges possunt mutuo consensu exstinguere effectus sententiae separationis aut expressa declaratione, aut cohabitatione quin opus sit interventione auctoritatis iudiciariae. *C. C. a. 157.* Separatio coniugum ex mutuo consensu nequit fieri absque homologatione tribunalis. *C. C. a. 158.*

An officialis ad hoc destinatus possit pronunciare sententiam divortii civilis, vid. *Syndicus.*

C. XXVII. q. 2; C. XXVIII. qq. 1. 2; C. XXX. qq. 6.7.8; tit. de divortiis X. (IV. 19); Const. Ben. XIV « Etsi pastoralis » 26 maii 1742; *Dietenberger I.* Tract. de divortio; *Cenali R.* De divortio matrimonii mosaici per legem evangelicam refutato; *Mohr G.* De divortiis; *A Bodenstein L.* Dispensatio de iure divortii; *S. Raymundus* Summa de poenitentia et de matrimonio lib. IV tit. 10 de dispari cultu; tit. 13 de impedimento ligationis; tit. 20 de divortio propter consanguineitatem vel aliud perpetuum impedimentum; tit. 21 quomodo accusatio sit facienda in matrimonio contractu vel contrahendo; tit. 22 de divortio propter fornicationem: *Mor de Schwarzenberg* Diss. de divortiis; *Barbosa Petr.* Comment. ad titul. ff. solut. matrim. ubi nedum, quemadmodum dos petatur ex soluto, sed etiam de divortio, dote, adulteriis etc.; *Bunnius E.* De divortiis ob adulterium; *Pezelius G.* Tract. matrimonialis brevis et methodicus continens aliquot frequentes quaestiones de coelibatu, de polygamia, de consensu parentum causisque divortii olim a Basilio Monero iureconsulto conscriptus nunc illustratus a Gasparo Pezelio; *Zanchi H.* Tract. de divortio deque novis post divortium nuptiis; *Buxtorffii I.* De sponsalibus et divortiis; *Netzschmann G.* Disp. iurid. de adulterio quatenus etc.; *Sanchez* De sancto matrimonii sacramento lib. X disp. 2 sqq.; *Hahn H.* De amicabili divortio; *Beza Th.* Tract. de repudiis et divortiis etc.; *Christen I.* Dissertationes de causis matrimonialibus, sponsalibus, nuptiis, iure dotium, pactis dotalibus, communione bonorum inter coniuges et de divortiis; *Bardilis* Disquis. de separatione cohabitationis; *Schröter* Disp. de eo, quod iustum est in puncto malitiosae desertionis; *Struvii G. A.* De iure divortiorum; *Meerbach Th.* De iure divortiorum; *Nikolaus I. G.* Tract. de repudiis et divortiis ex iure div. can. civ. et prov. nec non praecipue Jurisconsultorum commentationibus et responsis concinnatus; *Beier A.* Disc. inaug. iur. de

divortiis; *Bodinus* De iure et erroribus circa divortia; *Wagner I. G.* Meditatio de divortio et convictus coniugalis separatione; *Motta* Diatriba de divortiatorum iure; *Staffel I. G.* Diss. in iur. de adulterio matrimonium non dirimente; *Noordkerck* De matrimoniis ob turpe facinus quod peccatum sodomiticum vocant iure solvendis, dissert.; *Ribies* Diss. de indissolubilitate matrimonii; *Gallade P.* Indissolubile vinculum matrimonii a fidelibus consummati contra judaeos, veteres romanos, et protestantes in casu fornicationis iure nat. et evangel. stabilitum; *Gallade P.* Vinculum matrim. rati auctoritate eccl. aliquando solubile; *Gallade P.* Coniunx infidelis ad baptismum et post baptismum ad novas nuptias vivente priore coniuge transiens; *Spener I. C.* De repudiorum iure imprimis ex implacabilis odii causa vulgo von Trennung der Ehe-Verlöbnisse wegen unversöhnlich. Hass u. Feindschaft; *Cosci Ch.* De separatione thori coniugalis; *Jacobi* Indissolubilitas vinculi matr.; *Hennet* Du divorce; *Popp* Ueber Ehescheidung; *Werkmeister B. M. L.* Beweis, dass d. bei d. Protest. üblich. Ehescheidungen v. Bande a. n. kath. Grundsätzen gültig sind u. s. w.; *Jäger* Untersuchung der Frage: ob die Ehescheidung erlaubt sei; *Jäger I. A.* Unzertrennlichkeit d. ehel. Bandes; *Werkmeister B. M. S.* Neue Untersuchungen üb. d. Ehescheidung v. Bande u. s. w.; *Binterim* Collectio diss. de matr. vinculo; *Socher J.* Ueber die Ehescheidung in kath. Staaten; *Brunnquell* Beweise für die Unauflöslichkeit des Ehebandes; *Hug* De coniugii christiani vinculo indissolubili; *De Bonald* Du divorce considéré au XIX^e siècle[3]; *Binterim A. I.* Ueber Ehe u. Ehescheid. n. Gottes Wort u. d. Geiste d. k. Kirche; *Wächter* Uber Ehescheidung b. d. Römern; *van Styrum* De separatione thori et mensae; *Cremer* Diss. de divortio a thoro et mensa; *Portalis* Rapporto contro ..... divorzio; *Hennequin* Du divorce; *Fuchs J. B.* Der Ehescheidungsprozess; *Hasselt* De malitiosa desertione; *Roskovány* De indissolubilitate matr.; *Gioja* Teoria civile e penale del divorzio; *Riegler* Unauflöslichkeit des Ehebandes; *Humbla* De causis divortii; *Eberl J. W.* Ehescheidung u. Ehescheidungsprozess; *Hundrich L.* Ueber Ehen u. Ehescheidungen i. ält. u. neuerer Zeit; *Bräuning K. F.* Das Recht d. Ehescheid. aus Grund d. Schrift u. Geschichte; *Huschke G Ph. E.* Was lehrt Gottes Wort üb. d. Ehescheid.?; *Frenzel A.* De indissolubilitate matrimonii commentarius; *Dworzach* Die Wiederherstellung der ehelichen Gemeinschaft zwischen abgesondert lebenden Ehegatten; *Weber J.* Die Ehescheid. n. d. gelt. gem. KR.; *Warlain* Diss. sur le divorce; *Glasson M.* Le mariage civil et le divorce[2]; *Combier* Essai sur le divorce et la séparation de corps; *Salandra* Il divorzio in Italia; *Rödenbeck* Die Ehe i. besond. Beziehung z. Ehescheid.; *Gräbner* Ueber Desertion und Quasidesertion; *Scaduto* Il divorzio e il cristianesimo in Occidente; *Labegi* Il divorzio; *Waffelaert* Question du divorce; *Brini* Matrimonio e divorzio nel diritto romano; *Convers* Marriage and divorce in the U. St.; *Cauvière* Le lien conjugal et le divorce; *Esmein* Le mariage en droit canonique p. II. tit. 3. c. 2; p. III. c. 6; *Hubrich* Die Ehescheidung in Deutschland; *Willcox W. F.* The divorce problem; *Polacco* Contro il divorzio; *Rougier* Contro il divorzio; *Didon H.* Indissolubilité et divorce; *Freisen J.* Geschichte des canonischen Eherechts bis zum Verfall der Glossenlitteratur § 67 sqq.; *Allègre G.* De la célébration du mariage, du divorce; *Péries* Code de procédure canonique dans les causes matrimoniales tit. XXII et suiv.; *Cigoi A.* Die Unauflöslichkeit d. christl. Ehe u. d. Ehescheidung n. Schrift u. Tradition; *Luckock* The history of the marriage Jewisch and Christian in relation to divorce and certain forbidden degrees; *Geffcken H.* Zur Geschichte der Ehescheidung vor Gratian; *Pennacchio P.*

La legge sul divorzio in Italia ecc; *Zdekauer* Per la storia del divorzio; una separazione all'amichevole in piazza del Campo (1363); *Lehr* Le mariage, le divorce et la séparation de corps dans le principaux pays civilisés; *Brouardel* Le mariage; nullité, divorce; *Quinquet de Monjour* Histoire de l'indissolubilité du mariage en France; *Dumas* Histoire de l'indissolubilité du mariage en droit français; *Lhomme* Hist. de la repudiat. en droit. rom.; *Zoppola* Il progetto di legge sul divorzio. Una libera parola; *Parisi* Il divorzio nella scienza e nella legislazione; *Marchesini* Il principio della indissolubilità del matrimonio e il divorzio; *De Mattheis L.* Matrimonio e divorzio secondo naturae religione, tradizione e storia, diritto e civiltà; *Mangano* Matrimonio e divorzio nelle legislazioni comparate del secolo XIX; *Losana* Il divorzio e il diritto; *Billia* Difendiamo la famiglia: saggio contro il divorzio; *Fahrner I.* Gesch. d. Ehescheid. im kan. Recht. I Teil. Geschichte des Unauflöslichkeitsprinzips und der vollkommenen Scheidung der Ehe im kanonischen Recht; *Galante* Il divorzio e le riforme alla legge sul matrimonio; *Zarzychi* Le divorce et la séparation de corps comparé dans leurs causes; *James W.* The Church a. Divorce; *Freisen J.* Kirchliches Eheschliessungsrecht in Schlesw.-Holstein seit Einführung der Reformation bis heute; *Brandi S.* Il divorzio in Italia. Note giuridiche e teologiche [4]; *Krose H.* Mischehe und Ehescheidung; *Salhani A.* Le divorce; *Arndt A.* Die Wiederaufnahme eines rechtskräftig entschiedenen Eheprozesses nach dem Tode eines Ehegatten; *Arndt A.* Die Eheschliessung nach neuestem Recht; *Bosco* Divorzi e separazioni.

1863 **Docentes.** — Docentes vel defendentes sive publice sive privatim propositiones ab apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae; item docentes vel defendentes tamquam licitam praxim inquirendi a poenitente nomen complicis prouti damnata est a Ben. XIV in const. « Suprema » *7 iul. 1745*, « Ubi primum » *2 iun. 1746*, « Ad eradicandam » *28 sept. 1746*, incurrunt excommunicationem l. s. R. P. simpliciter reservatam. *Const.* « Ap. Sedis » *ser. 2. n. 1.*

Quoad primam partem istius excommunicationis nota, eius subiectum esse docentes vel defendentes, scilicet non qui dicunt hanc vel illam propositionem sibi placere, sed qui doctrinam iis expressam et contentam aliis tradunt iisque persuadere nituntur, aut tamquam veram propugnant, sive haec publice, sive privatim faciant. B. P. *VII. 297.* — Obiectum autem sunt propositiones damnatae ab apostolica Sede, scilicet a romano Pontifice damnante ex cathedra (D'Ann. *Comm. in const.* « *Ap. Sedis* » *n. 105* [*3*]), non ergo a romanis Congregationibus (D'Ann. *loc. cit.* contra Comm. Patav., qui contrarium tenent), nisi hae expresse nomine et auctoritate rom. Pontificis aliquam propositionem damnent (B. P. *loc. cit.*), imo neque a concilio quodam oecumenico (quod probabilius est, quia in odiosis versamur, et locutio illa *ab apostolica Sede* accipi potest exclusive, non comprehendens nisi ipsum romanum Pontificem, D'Ann. *loc. cit.*; B. P. *loc. cit.*). Neque omnes propositiones a rom. Pontifice damnatae sunt obiectum istius excommunicationis, sed eae tantum, quas rom. Pontifex damnaverit sub poena excommunicationis latae sententiae, non eae quoque, quas damnaverit sub censuris et poenis in

iure statutis. D'Ann. *loc. cit.* Quaenam autem recenseantur huiusmodi propositiones vide apud B. P. *loc. cit.*, aut apud Bucceroni *Comm. in const. « Ap. Sedis » n. 37.*

Quoad secundam partem excommunicationis vide *Complex.*

1869 **Doctoratus.** — Potestas creandi doctores in scientiis sacris, idest in theologia, in iure canonico et in philosophia, prout ea est facultas propaedeutica et ordinata ad theologiam, est iuxta vigentem ecclesiae disciplinam exclusive penes romanum Pontificem, apud quem residet ius curandi integritatem et sinceritatem doctrinae circa res sacras in ecclesia, et cui tantum est ius declarandi quosdam ratione doctrinae dignos esse, qui ad praelaturas ecclesiae, praesertim ad eas, quibus annexum est munus specialiter docendi fideles, promoveantur. Schmalzgrueber *in tit. 5 lib. V Decr. n. 19.* Attamen romanus Pontifex rarissime hoc suo iure immediate utitur, sed plerumque mediate tantum per cancellarios seu rectores catholicarum universitatum, quae eius tantum auctoritate erigi possunt. Cfr. *Const.* Greg. XVI « Maiori certe » *13 dec. 1883;* Wernz *Ius Decr. III. 86.*

1870 Subiectum doctoratus est omnis fidelis, qui speciali iure non prohibetur. Iure antiquo excludebantur non solum feminae, quae, quemadmodum docere, ita et doctorari prohibentur (Schmalzgrueber *loc. cit. n. 22*), sed etiam ex viris quidam sive ratione natalium, sive ratione aetatis, sive ratione honestatis morum etc. (Schmalzgrueber *loc. cit. n. 23 sqq.*); nunc seu ex recenti disciplina nemo videtur excludi, nisi ii, qui defectu scientiae laborant. Nam quamvis ad doctoratum non requiratur scientia eminens omnino et exquisita, requiritur tamen scientia saltem debita et sufficiens. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 26.* Hinc generatim romanus Pontifex iis, quibus committit munus instituendi doctores, illud non committit, nisi conditionate et restricte, idest pro iis tantum, qui studiorum tempus praescriptum rite exegerint, et *rigorosum* examen superaverint. Cfr. *Const.* Leonis XII « Quod divina » *28 aug. 1824;* Wernz *loc. cit. III. 88.* Praemittenda est etiam professio fidei iuxta formulam Pii IV, cum additamentis a Pio IX factis; secus collatio doctoratus est nulla et irrita. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 29.*

Quoad examen autem patet, eos, qui ad hoc munus examinandi candidatos vocantur, rem agere, quae ecclesiae maxime interest, quum ex hoc sequatur in approbatis ius, ut habiles habeantur ad magis conspicuas dignitates in ecclesia; quare, quum bonum publicum bono privato praeferendum sit, in dubio de habilitate, pro negativa parte stare debent.

Effectus promotionis ad gradum 1871
doctoris praecipuus est, ut per se ius habeant ad docendum ubique in publica universitate ea, quorum lauream adepti sunt, servatis tamen servandis (Wernz *loc. cit.*); scilicet, habita a praelatis ecclesiae, quibus haec est facultas, missione canonica ad docendum. Quare per se doctoratus potius dat habilitatem ad docendum, quam ius docendi. Praeter hoc, antiquo iure, plura alia iura et privilegia conseque-

bantur doctores ex doctoratu, quae fusius prosequuntur antiquiores canonistae. Erant autem praesertim: esse in dignitate constitutos; aequiparari nobilibus; praeferri deberi ceteris in collatione officiorum et beneficiorum; exemptos esse a communibus oneribus; eos criminis reos mitius esse puniendos. Reiffenstuel *in tit. 5 lib. V Decr. n. 6. sqq.;* Schmalzgrueber *loc. cit. n. 4 sqq.* Praeter haec privilegia alia quoque addebantur pro doctoribus actu docentibus, quae iidem canonistae enumerant. Sed pleraque horum omnium nostra aetate in desuetudinem abierunt; quamvis etiam nunc doctores (et licentiati etiam, non autem baccalaurei) complura privilegia, v. gr. in collatione beneficiorum vel in exsecutione delegationum apostolicarum retinent, dummodo gradus receptus fuerit in aliqua publica universitate, aut concessus, etiam nullo facto periculo, sed tantum propter praeclara merita rite probata, a S. Congregatione studiorum (*S. Congr. Stud. 19 dec. 1903*), vel etiam in aliquibus casibus ex rescripto gratiae ipsius romani Pontificis. Cfr. Wernz *loc. cit.; Conc. Trid. edit. Richter ad cap. 2 sess. XXII de ref. n. 1 ad cap. 12 sess. XXIV de ref. n. 14, ad cap. 16 eiusd. sess. n. 4;* Monitore eccles. *vol. XV. pag. 316.*

1872 Gradus doctoris nullam tribuit praecedentiam canonico supra alios canonicos non graduatos. *S. R. C. in Ostien. 18 maii 1588 (2); in Mediolanen. 29 nov. 1603 (148); in Illerden. 1. sept. 1877 (3435).* Multo autem magis canonici non graduati praeferendi sunt doctoribus non canonicis. *S. R. C. in Bituntina 19 ian. 1608 (242).* Inter sacerdotes vero non canonicos praecedentia desumenda est ex antiquitate ordinationis, non ex gradu doctoris. *S. R. C. in Sypontina 23 nov. 1675 ad 1 (1551).* Quare generali regula gradus doctoris nullam tribuit praecedentiam. Vid. *Praecedentia.*

Non potest doctor in ecclesiasticis 1873
functionibus uti bireto cum quatuor apicibus: attamen si eo in choro uteretur, non ideo amitteret distributiones quotidianas, quia biretum non est indumentum chorale. *S. R. C. in Venusina 7 dec. 1844 (2877).*

Multo magis non potest sacerdos, qui sit doctor, uti anulo in celebratione missae. *S. R. C. in Senen. 30 iun. 1883 ad 7 (3580).* Vid. *Anulus.*

Tit. de magistris et ne aliquid exigatur pro licentia docendi X. (V. 5); idem tit. (V. 1) in Clem.; *Lucii H.* De privilegiis doctorum; *Gruningius W.* Explicata quaestio utrum titulus doctoris hominem nobilem dedeceat; *Halbritteri Io.* De privilegiis doctorum; *Richter G.* Dissertatio de doctoribus iuris quos Lutherus viperas theologorum appellat; *Kirchner H.* Oratio de ducibus, principibus, comitibus, equitibus nobilibus germanicis publice magistris licentiatis et doctoribus promotis; *de Reyger A.* An doctoralis dignitas offuscet nobilitatem generis; *Zur Nedden,* Disput. iuridica an doctoralis dignitas offuscet nobilitatem generis; *Bronckhorst E.* Tract. de privilegiis studiosorum et doctorum; *Fregismont J.* Tract. de doctorum dignitate, nobilitate, privilegiis et praeeminentia; *de Brancaccinis D.* De iure doctoratus; *Trombetta* De iur. et privil. doctorum;

Doctrina christiana. — Vid. *Catechismus.*

Dolor. — Vid. *Attritio, Contritio.* 1874

Dolus. — Dolus in negotiis civili-

bus addit supra errorem adhibitionem voluntariam mediorum ad causandum errorem (B. P. *III. 601 sqq.*) et definiri potest: calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita. *l. 1. § 2 de dolo malo D. (IV. 3).* Si intercesserit in contractu, illum vitiat, seu facit rescindibilem ex odio facientis dolo, quare decepto non prodest, si ab alio extraneo factus fuerit; idest, ut dolus contractum invalidet, debet dolus intervenisse ex alterius contrahentis opere. Cfr. *l. 1 de doli mali et metus except. D. (XLIV. 4); C. C. a. 1115.* Ex iure italico non valet consensus contrahentis dolo extortus, seu quum alter contrahens non contraxisset, si dolus non intercessisset. *C. C. aa. 1108. 1115.* Vid. *Error.*

Dolus dicitur etiam in relatione ad violationem legis. Scilicet lex violatur dolo, quum voluntas seu propositum est delinquendi, sive contra legem agendi. Quare qui dolo malo deliquit reus est, sive pacato animo deliquerit, sive ex impetu. D'Ann. *I. 297.* Vid. *Casus, Culpa.*

Tit. de dolo et contumacia X. (II. 14); idem tit. (II. 6) in 6°; idem tit. (II. 4) in Clem.; idem tit. (II. 3) in Xvag. comm.; *Bargali C.* De dolo; *Riemer* De dolo; *Schroterus E. F.* Disputatio de dolo malo; *Otto E.* Diss. de dolo bono ad l. 1. § 3 de dolo malo; *Schott I. H. Ph.* De dolo malo; *Werner* De dolo malo; *Chardon* Traité du dol et de la fraude en matières civ. et commerc.; *D'Ovidio P.* In tema di truffa. Dolo civile e dolo penale; *Magnaghi C.* Nozione e teoria del dolo secondo il codice penale; *Bertolini C.* Intorno al dolo eventuale; *Frassati A.* L'enunciazione del dolo nel codice penale tedesco vol. 37; *Gismondi A.* Il dolo nella diffamazione; *Bedarride et Rivière* Traité du dol et de la fraude en matière civile et commerciale [4].

Domicilium. — ***De vero domicilio.*** — **De domicilio secundum ius canonicum.** — **De acquisitione domicilii.** — Ad domicilium acquirendum ex iure communi (et de hoc quaerimus in praesenti, quia ius canonicum illi adhaesit) duo sunt necessaria, factum et voluntas; idest debet quis in illum locum domum vel habere vel transferre, simulque intentionem fovere manendi ibidem perpetuo, si nihil inde avocet. *l. 7 de incolis et ubi etc. C. (X. 40).* Feije *de imp. et disp. matrim. n. 205;* D'Ann. *I. 83; C. C. a. 17.* Diximus habere vel transferre; circa quod ultimum notandum est ad transferendam domum necesse esse habere intentionem deserendi priorem et instruere de facto aliam, in qua quis commorari velit in perpetuum, si nihil avocet. Cfr. *S. C. C. in Catacen. 20 maii 1905.* Haec autem intentio exterius apparere debet (D'Ann. *I. 83.* [*12*]), secus domicilium, ne quoad forum quidem internum, acquiritur; et ipso iure praesumitur post decennalem habitationem. 1875

De triplici domicilii specie. — Domicilium distinguunt triplex, quamvis ut bene adnotat D'Annibale (*I. 83*) non bene hoc definitioni cohaereat, scilicet originis, habitationis et necessarium. 1876

Domicilium originis unicuique eo loci est, unde quis est oriundus (*l. 11 de senatoribus D.* [*I. 9*]), quod domicilium, probe distinguendum ab ipsa origine (D'Ann. *I. 83* [*10*]), nemo de-

seruisse dicendus est, nisi evidenter constet; illudque retinere praesumitur, etsi aliud domicilium alibi sibi constituit. Cfr. Arndts-Serafini *Tratt. delle pandette I § 40.*

Domicilium habitationis illud proprie est, de quo superius diximus, et definiri potest locus, ubi larem perpetuum rerumque ac fortunarum suarum summam quis constituit, unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet. *l. 7 de incolis etc. C.* (*X. 39*).

Necessarium vero domicilium ibi habere quis dicitur, ubi eum commorari in tempus indeterminatum necesse est. Hinc qui munere aliquo perpetuo ornatur, ibi domicilium habet, ubi suo munere fungitur (*l. 11 cit. D.* [*I. 9*]); et proinde clericus, qui habet beneficium residentiale, in loco beneficii domicilium habet, non autem ille, qui beneficium alicubi habet non residentiale (cfr. Pirhing *in tit. 2 lib. II Decr. n. 16*); in perpetuum indeterminate relegatus ibi, ubi relegatus est (*l. 22 § 3 ad municipalem etc.* (*L. 1*); carceribus detentus ibi, ubi luit, nempe si ad carcerem perpetuum damnatus est. Uxor sequitur domicilium mariti (*l. 65 de iudiciis etc. D.* (*V. 1*), ibique domicilium retinet, etsi vidua sit facta, quousque ad alias nuptias non convolaverit. *l. 22 cit. § 1. D.* (*L. 1*). Milites ibi habere domicilium dicendi sunt, ubi merent, si nihil in patria possideant. *l. 23 § 1 tit. cit. D.* (*L. 1*). Filius familias non habet ex iure romano domicilium, quod revocari posset ad necessarium, ubi pater domicilium fovet, sed domicilium (scilicet habitationis) ibi habet, ubi ipse constituit (*ll. 3. 4. 6. tit. cit. D.* [*L. 1*]); domicilium vero originis ibi habet, ubi pater domicilium habitationis habebat, quum filius natus est; scilicet filius civitatem, ex qua pater eius naturalem originem ducit, non domicilium sequitur. *l. 6 cit. § 1. D.* (*L. 1*).

An habere quis possit duo domicilia. — 1877
Nota, posse aliquem duo simul domicilia fovere; quod, quamvis nonnulli negaverint, certum tamen est ex iure communi, in quo expresse dicitur et relegatum in eo loco, in quem relegatus est, interim necessarium domicilium habere, ut supra diximus, et eum habere domicilium posse eo quoque loci, unde arcetur. *l. 27 § 3 tit. cit. D.* (*L. 1*). Imo aperte etiam generaliter dicitur, duobus locis posse aliquem habere domicilium, si utrobique ita se instruxit, ut non ideo minus apud alteros se collocasse videatur. *l. 6 § 2 tit. nuper cit.; cfr. etiam c. 2 de sepulturis* (*III. 12*) *in 6°.*

De domicilio habitationis pressius. — 1878
Nunc aliquid adnotandum restat magis in particulari quoad domicilium habitationis. Porro ex eius definitione superius tradita intelligitur, duo ad illud constituendum necessaria esse, ut diximus, factum translationis laris idest domus (nec refert, utrum domus sit empta seu acquisita aut tantum conducta, *l. 5 de iniuriis etc. D.* [*XLVII. 10*]), et (idest vel) constitutionis summae rerum ac fortunarum suarum. Scilicet haec constitutio in loco summae rerum ac fortunarum non requiritur a iure tamquam elementum necessarium ad constituendum domicilium praeter translatio-

nem laris, sed est potius argumentum praesumptionis, unde deduci possit eum vere habere intentionem ibidem in perpetuum manendi, quod est alterum, quod ad domicilium constituendum requiritur. Schmalzgrueber *in tit. 2 lib. II Decr. n. 10 sqq.* Hinc infertur, ad domicilium non sufficere, quod quis studiorum causa aliquo in loco moretur, nisi decem annis transactis eo loci sedem sibi constituerit, aut quod propter filium studentem aliquo in loco longius quis moretur aut frequentius ad eum commeat (*l. 2 tit. cit. C.* [X. *39*]); vel quod aliquis eo in loco domum vel possessionem acquisiverit (*l. 4. tit. nuper cit.*), etc. Ceterum, posito facto habitationis, statim quis domicilium eo loci acquirit, quum quis contestatus fuerit suam voluntatem ibidem in perpetuum manendi. Sanchez *de matr. lib. III disp. 23 n. 2;* D'Ann. *I. 83 (13).* Tunc autem domicilium sic acquisitum amittitur, quum quis a loco discedit non amplius reversurus; quae duo, scilicet et factum discessus et voluntas non revertendi, cumulative necessaria sunt. Sanchez *loc. cit.*

1879 **De domicilio secundum iura recentiora.** — Haec quidem iure romano; iuribus autem recentioribus in quibusdam discrimen est. Et ante omnia nostrae leges ad constituendum domicilium non requirunt sedem seu habitationem perpetuam, sed praecipuam tantum. Domicilium enim civile alicuius nostris legibus eo in loco est, ubi quis praecipuam sedem habet suorum negotiorum; residentia vero eo in loco, ubi quis habitualiter moram trahit. *C. It. a. 16; cfr. C. G. a. 102.* Translatio residentiae in alium locum cum intentione constituendi eo in loco sedem praecipuam inducit mutationem domicilii; haec intentio probationem accipit ex duplici declaratione facta penes officium status civilis illius communitatis, quae derelinquitur, et illius, in qua domicilium statuitur, aut ex factis, quae eam demonstrare valent. *C. It. a. 17; C. G. aa. 103. 104.*

Filius familias minor non emancipatus sequitur domicilium patris aut matris aut tutoris; similiter domicilium tutoris sequitur maior interdictus. *C. It. a. 18; C. G. a. 180.*

Discrimina quaedam inter ius civile et ius canonicum quoad domicilium. — Nota praeterea, inter ius civile et ius canonicum hoc etiam discrimen esse, quod locus habitationis iure civili sumitur pro municipio, iure canonico pro parochia, quippe, ut belle adnotat D'Annibale (*I. 83* [*8*]), ex domicilio illic munerum, hic sacramentorum participes efficimur. 1880

Conveniunt autem ius canonicum et ius civile in hoc, quod appellatione domicilii intelligunt domicilium habitationis, non originis, cohaerenter scilicet ad id, quod diximus, domicilium originis non esse domicilium stricte dictum, in sensu scilicet definitionis. Hinc, quum in iure canonico quaestio est de dioecesi, aut de suo episcopo, vel de episcopo proprio, nisi idipsum explicetur, intelligitur dioecesis, episcopus habitationis, non originis. D'Ann. *loc. cit.* (*13*).

De quasi domicilio. — Quasi do- 1881

micilium vero habere quis dicitur eo in loco, ubi versatur animo manendi diu, seu per maiorem anni partem. Reiffenstuel *in tit. 3 lib. IV Decr. n. 60 sqq.*; Schmalzgr. *in tit. 2 lib. II Decr. n. 14.* Et hoc hodie certum est apud omnes contra quosdam (cfr. Schmalzgrueber *in tit. 2 lib. II Decr. n. 19*), qui existimarunt ad acquirendum quasi domicilium sufficere propositum habitandi per aliquot menses, et non necessario per maiorem anni partem, praecipue si domus, conclave, taberna etc. fuerint conducta. Cfr. *S. U. I. ad episc. Angliae et Foed. Stat. Amer. 7 iun. 1867; S. C. C. in Tarbien. seu Paris. 27 iul. 1907.*

Quasi domicilium vero acquiritur, quemadmodum et domicilium, voluntate et facto. Voluntate, utique exterius manifestata, manendi ibidem per maiorem anni partem facto, scilicet debet re vera eo venire. Voluntas autem haec, de qua locuti sumus, praesumitur, si quis eo loci a mense commoratur. Cfr. *litt. Ben. XIV ad arch. Goanum 19 mart. 1758.*

Ex dictis patet eum, qui alicubi moram trahit etiam per annum et ultra, si hoc praeter intentionem ei contingat, quasi domicilium non acquirere (Laymann *Th. mor. lib. V tr. 6. c. 10. n. 6.*); quamvis hoc non omnibus sit certum, sed plerisque verius. D'Ann. *I. 84.*

Patet etiam ex dictis, aliquem, quamvis duo domicilia habere possit, ut diximus, non posse tamen habere duo quasi domicilia. Habere autem aliquem posse alicubi domicilium et alibi quasi domicilium, evidens videtur.

Nota tandem, ius romanum non agnoscere quasi domicilium: recentiora vero iura pro quasi domicilio residentiam agnoscere, quam habere quis ibi dicitur, ubi habitualiter moratur (cfr. *a. 16. Cod. It. supra cit.*), quamvis residentia non omnino congruere cum quasi domicilio videatur. D'Ann. *loc. cit. (23).*

Quaedam notanda de domicilio et quasi domicilio. — Domicilium et quasi domicilium subditum faciunt, et iure canonico parochianum; quare potest quis non solum in parochia domicilii, sed etiam in parochia quasi domicilii, sacramenta suscipere omnia, nisi specialis probetur exceptio, ut est pro sacramento ordinis, (quoad matrimonium vid. *Clandestinitas*) eademque causa, si quis in loco quasi domicilii moriatur, ibi sepelitur, nisi alibi sepulturam sibi elegerit. Cfr. *Conc. Trid. sess. XXIV. c. 1 de ref. matr.*; Sanchez *loc. cit. lib. III disp. 23 n. 12.* Hinc etiam est, quod, sive domicilium, sive quasi domicilium sufficit, ut quis teneatur legibus loci, quando ibi est. S. Alph. *I. 156.* 1882

Domicilium vero et quasi domicilium unusquisque constituere sibi potest ubicumque ipsi placuerit.

Sive ad domicilium, sive ad quasi domicilium amittendum, necesse est, ut quis e loco revera discedat, non reversurus. *l. 7. Cod. cit.; l. 20 ad municipalem etc. D. (L. 1); c. 2 de sent. et re iud. (II. 11) inter. Clem.*

De domicilio relate ad sacram ordinationem. — Ad hoc ut ordines alicui licite conferat episcopus, debet praeter alia esse proprius episcopus ordinandi, idest ordinandus debet 1883

esse eius subditus relate ad hoc. Porro unus ex titulis, quibus quis evadit subditus episcopi relate ad ordines accipiendos est titulus domicilii. Vid. *Ordo*. Attamen quaedam conditiones ad hoc requiruntur, quae hic sunt annotandae. Quare ut ordines licite alicui conferantur ab episcopo debet quis, etiamsi alibi natus, adeo fixum domicilium in aliquo loco constituisse, ut, vel per decennium saltem in eo habitando, vel maiorem partem bonorum suorum cum instructis aedibus illuc transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibi permanendi animum demonstraverit, et nihilominus ulterius utroque in casu, se vere et realiter animum huiusmodi habere iureiurando affirmet. Inn. XII. *Const. cit.* « Speculatores ».

1884 Haec sunt, quae statuit Innocentius XII pro domicilio ad ordines recipiendos. Ex quibus facile deducitur ante omnia debere ordinandum habere in dioecesi illius episcopi, a quo ad hunc titulum vult ordines recipere, domicilium in sensu iuris, ut supra explicatum (*c. 3 de temp. ordinat.* [*l. 9*] *in 6°*); idest debet in loco dioecesis de facto commorari, et praeterea animum habere manendi ibidem in perpetuum, si nihil inde avocet. Animus autem iste probari potest ex Innocentiana constitutione duobus modis, vel scilicet per decennium (completum scilicet et continuum seu non interruptum) in eo habitando, vel transferendo in eum locum maiorem partem rerum ac bonorum cum instructis aedibus, ibique insuper per notabile tempus commorando. Hae tamen non considerantur tamquam plenae probationes, sed potius tamquam probationes semiplenae, quibus, ut exsurgat probatio plena, necesse est adiungatur iuramentum, quod revera eum animum quis habeat.

Aliquando per speciale indultum concessum est ut minoris temporis habitatio sufficeret. Ita episcopo Manizalensi in Columbia petenti concessum est, ut sufficeret habitatio triennalis. Ex qua indulti concessione illud etiam deducitur, non admisisse S. Congregationem valorem contrariae consuetudinis, quae ibidem vigere dicebatur. *S. C. C. 21 ian. 1905.*

Ad duas autem supradictas semi- 1885
plenas probationes notandum est, domicilium non interrumpi, nisi ex eo, quod quis interim e loco discedat cum animo non redeundi; nam si quis post susceptum domicilium inde discedat, etiam ad notabile tempus quolibet anno, dummodo animum redeundi habeat, domicilium semper retinet, et proinde post decennalem huiusmodi habitationem promoveri ad ordines potest. Honorante *Praxis secr. vic. Urb. cap. IX. not. 1.* - Aedes vero instruere significat habere in loco habitationem cum omnibus ad habitandum necessariis, idest cum necessaria domus suppellectili. Bona autem, quae transferenda eo sunt, sunt bona mobilia, nec opus est immobilia transferre. Honorante *loc. cit. n. 6.* – Illud autem, quod additur, « per notabile tempus ibidem commorando », sumitur a doctoribus pro permanentia triennii completi et continui ad modum

supra explicatum. Honorante *loc. cit. not. 4;* Lucidi *Visit. sacr. lim. vol. I. c. 2. n. 87.* - Nota autem, has omnes conditiones pro eo, qui sui iuris non est, explere patrem aut alium, sub cuius est potestate (Gasparri *de sacra ordinatione II. 831. sqq.*); pupillus enim sequitur domicilium tutoris, et filius domicilium patris, quod etiam maior factus continuat, nisi aliud constet.

Quoad iuramentum vero nota illud, quod habet Lucidi *loc. cit. n. 93:* « Quod si pater in novo domicilio permultis annis moram continuam duxerit, maiorem bonorum partem possideat, et domum apertam habeat, licet ad locum originis aliquando ex precaria causa redire consuescat, non idcirco sacra Congregatio hoc iuramentum exigit, ut in Uxentina et Neritonen. Ordin. *17 iun. 1719,* ubi pater iam a triginta annis domicilium posuerat; qua de re nullam ab ordinato censuram hoc in casu susceptam fuisse eadem S. Congregatio declaravit ».

1886 Quaestionem hic doctores instituerunt, an quis duos possit habere episcopos proprios ratione domicilii pro ordinatione, seu an quis possit duo fovere simul domicilia, quae eiusmodi sint, quibus conveniant conditiones constitutionis Innocentianae. Et non una est eorum sententia. Honorante (*loc. cit. n. 5*) et multi alii post eum, inter quos Lucidi (*loc. cit. n. 90*), putant hoc fieri non posse, quum impossibile sit habere duobus in locis habitationem decennalem vel maioris partis bonorum constitutionem. Sed prima ratio est falsa, quia potest quis duo simul fovere vera domicilia, et proinde per decennium continuare utrobique domicilium et habitationem; quare primus modus probationis haberi potest pro duabus simul parochiis diversarum dioecesium. B. P. *V. 937.* Imo et aliam probationem posse in duabus dioecesibus simul verificari tradit Gasparri (*loc. cit. II. 837*), adnotans hoc verificari, si praeter domum exstructam et triennalem permanentiam in unaquaque vel bona transferenda non adsunt, vel reditus horum bonorum (ex. gr. obligationum etc.) per sex circiter menses quolibet anno consumuntur in parochia unius dioecesis, per alios sex circiter menses in parochia alterius dioecesis. Attamen putat Gasparri (*loc. cit.*) ob aliam rationem idipsum dari non posse, scilicet quia, « quum quis ab episcopo domicilii, servatis servandis, promovetur, incardinatur eius dioecesi, seu ad eius dioecesim iam pertinet. Atqui nemo potest esse incardinatus duabus dioecesibus ». Sed etiam hoc non videtur cogere; nimis enim probat. Probaret enim non posse aliquem variare episcopum, postquam ad tonsuram promotus est. Porro hoc non est verum. Nam, ut ait Honorante (*loc. cit. not. 3*): « Licite potest quis domicilium mutare eo principaliter fine, ut ab episcopo novi domicilii promoveatur ad ordines, quos episcopus originis iniuste denegavit; utitur enim iure suo, et quia, ut in casu supponitur, omnia requisita ad obtinendum domicilium implet, et ita dicendum de illo, qui ob dictum finem beneficium in aliena dioecesi quaerit ». Quod confirmatur etiam responsione S. Congregationis Concilii (*27 febr. 1666*), qua statuitur:

« variationem .... dummodo non in fraudem fiat, licitam esse ». Cfr. S. Alph. *VI. 773;* Scavini *lib. III. n. 548. edit. Mediolan. 1874;* Phillips *I. 42.*

1887. An ad habendum domicilium in finem, de quo quaerimus, sufficit habere domicilium in dioecesi, quamvis non habeatur in parochia dioecesis? scilicet, si quis ex. gr. per decennium moratus sit in aliqua dioecesi, quamvis saepe mutaverit domicilium, habitando in variis parochiis dioecesis, habeatque animum in dioecesi manendi in perpetuum, non vero in parochia, censendusne est habere domicilium requisitum ad ordines ab eo episcopo recipiendos? Et Gasparri (*loc. cit. II. 838*) putat tutius in casu episcopum recurrere ad sacram Congregationem Concilii. Ratio autem est, quia in sensu iuris domicilium desumitur ex parochia, non ex dioecesi.

Quoad domicilium in ordine ad matrimonium contrahendum vid. *Clandestinitas,* et cfr. *S. C. C. in Versalien. 26 aug. 1905.*

Struvius G. A. De iure domicilii; *Saredo G.* Del domicilio, residenza e dimora; *Traversi A.* Del domicilio, residenza e dimora; *Demolombe Ch.* Traité de la publication, des effets et de l'application des lois. - De la jouissance et de la privation des droits civils. - Des actes de l'état civil - Du domicile; *Roussel* Du domicile en droit romain; *Henri J.* La loi du domicile et la loi de la nationalité en droit international privé; *Dicey* Le statut personnel anglais ou la loi du domicile envisagée comme branche du droit anglais (trad. par Emile Stoquart); *Bozzi G.* Sulla dichiarazione di residenza o di domicilio contenuta nell'atto di citazione avanti il tribunale; *Loiseau* De l'« in integrum restitutio »; du domicile etc.; *Gasparri H.* De domicilio et quasi domicilio. *Boudinhon* Quelques réflexions sur le domicile et le quasi-domicile; *Fourneret P.* Le domicile matrimonial. Principes juridiques; évolution historique; solution des cas pratiques; *Castillon P.* Le quasi-domicile dans le droit matrimonial; *Alberti J.* De domicilio ecclesiastico acquirendo et amittendo deque eius effectibus relate ad leges, sacramenta, poenas, disputationes, privilegia.

Dominativa potestas. — Dominativa 1888
potestas ea est, quam superior habet titulo ipsius religiosae professionis subditi, quaeque necessario fluit in superiore ex voto obedientiae et ex traditione, qua religiosus se Deo consecrat et ordini mancipat. Suarez *de religione III. l. 2. c. 18. n. 5 sqq.* Distinguitur a potestate iurisdictionis, quae etiam est plerumque in superioribus religiosis, et est participatio clavium ipsis facta a romano Pontifice. Discrimen patet etiam ex eo, quod potestas dominativa necessaria est in ordine religioso, non vero potestas iurisdictionis; sic abbatissae non habent nisi potestatem dominativam in suas. Suarez *l. c. n. 8 sqq.*

Domini. — Domini tenentur famulos 1889
benigne tractare, instruere et corripere, iustum pretium eis solvere. Contra quae etiam graviter peccare possunt. G. B. *I. 382.*

Dominium. — Dominium est ius, 1890
quo res nostra est, vel ius in re plenum (Voet *in Pandectas tit. 1. lib. 6. n. 1*), seu clarius: naturale ius de re corporali (quia incorporalium non dominium, sed ius intelligitur) pro lubitu sine cuiusquam iniuria, et salvis legibus, utendi ac disponendi. G. B. *I. 536;* D'Ann. *II. 109.* Dividitur in

plenum (vel perfectum), quod habetur, quum proprietati ususfructus cohaeret, et *minus plenum* (vel imperfectum), quod consistit in nuda proprietate absque usufructu, qui penes alium exsistit; in *directum*, quod scilicet penes eum remanet, qui in emphyteusim concessit, et *utile*, quod emphyteutae habent (Voet *loc. cit.*; D'Ann. *II. 109* [3]; in *perpetuum*, quod sine voluntate nostra per se amittere non possumus, et *revocabile*, quod stante aliqua conditione amittitur.

Obiectum dominii sunt res omnes externae et bona fortunae, et quae hominum usui subiiciuntur. B. P. *III. 31.*

Subiectum vero dominii est omnis et solus homo, praescindendo nempe a Deo, qui est dominus rerum omnium, et ab angelis, circa quos etiam doctores quaedam disputarunt, quae hic non pertinent. B. P. *III. 33.* Homo autem habet dominium utile animae vel corporis, utile et directum in bona fortunae legitime acquisita, et in suam famam; non vero in alium hominem, nisi aliquando agatur de dominio utili.

Dominium filiorum familias, uxorum, clericorum, auctorum, vide *suis locis.*

Dominium acquiritur: occupatione, inventione, praescriptione, accessione, contractibus; haec vide *suis locis.*

Leiserus W. De proprietate; *Toussaint* Code de la propriété; *Comte* Traité de la propriété; *Proudhon* Traité du domaine de propriété; *Lesenne* De la propriété avec ses démembrements suivant le droit naturel, le droit romain et le droit français; *Gandry* Traité du domaine; *Hastron H.* De la propriété en droit romain et en droit français; *Le Barrois d'Orgeval Robert* Du dominium ou droit de propriété en droit romain; *Buniva G.* Dei beni e della proprietà secondo il codice civile del regno d'Italia: *Vita Levi M.* Della comproprietà secondo il codice italiano; *Lefort J.* Etude sur l'histoire de la propriété; *Lampertico F.* Economia dei popoli e degli stati, vol. 3. La proprietà; *Angioni-Contini F.* Della proprietà secondo il diritto romano. Studio storico dommatico critico; *Valette* De la propriété et de la distinction des biens; *Cimbali E.* La proprietà ed i suoi limiti nella legislazione civile italiana; *Palladino B.* Della proprietà; *Rinaldi A.* Della proprietà mobile secondo il codice civile italiano; *de Laveleye E.* De la propriété et de ses formes primitives[3]; *Fisichella F.* Sul fondamento del diritto di proprietà.

Domus parochialis. — De reparatione domus parochialis idem dicendum est ac de reparatione ipsius ecclesiae parochialis. Vid. *Reparatio.* Quare in deficientia aliorum, qui prius tenentur, populo ipsi est onus reparandi domum parochialem, facta taxatione per communitatem. *S. C. C. in Spoletana 18 dec. 1847.* 1891

Si quando domus parochialis reparatione indiget, et, quum reparatur, incommodum nimis est parocho in ea habitare, potest episcopus eidem permittere, ut habitet in domo quadam conducta intra limites parochiae (*S. C. C. in Catacen. 3 iun. 1635*), vel, si intra limites parochiae domus conduci nequeat, etiam extra eius limites, dummodo domus quoad fieri possit, territorio parochiae sit vicina. *S. C. C. 19 iun. 1636;* Lucidi *de vis. sacr. lim. I. c. 1. n. 51.*

Domus religiosae. — Vid. *Clausura, Conventus,* etc.

Domus sacrae, piae. — Vid. *Loca.*

1892 **Donatio.** – Donatio est cessio gratuita alicuius rei in favorem alterius, seu translatio iuris in accipientem gratuito facta. Fit inter vivos (quando nempe quis vult rem statim fieri alterius), et per testamentum (quando quis vult rem fieri alterius tantum post mortem suam, ac proinde tacita sub conditione, nisi eam ipsam voluntatem mutavero). Cfr. *l. 1 et 29 de donationibus D.* (*XXXIX. 5*). – Ad valorem donationis requiritur, ut donans non sit incapax de facto, nec de iure: et donatarius sit habilis ad recipiendum.

1893 Ex iure inhabiles sunt ad donandum inter vivos omnes, qui alienare et testari non possunt, et regulariter minores, et ii, qui inhabiles renunciati sunt seu interdicti. *C. C. a. 1052.* Coniuges etiam, iure italico, stante matrimonio nequeunt sibi invicem donationes facere, nisi per testamentum. *C. C. a. 1054.* Donatarii autem esse possunt omnes, etiam ignoti, imo etiam nondum nati, iure italico quoque, dummodo natus ille sit, ex quo donatarius nasciturus speratur. *C. C. a. 764.* – Quod in aliquibus recentioribus codicibus sancitum sit, ne communitates quaelibet, sine auctoritatis civilis approbatione, donationem certae vis pecuniae possint accipere, odio in Christi ecclesiam et in ordines religiosos potissimum debetur, estque lex, quatenus spectat communitates religiosas, ex seipsa invalida ob defectum competentiae in legislatore.

1894 Donari vero possunt quaecumque in commercio sunt, ex recentioribus tamen codicibus praesentia, non autem futura. *C. C. It. a. 1054; C. C. Gall. a. 943.* Sunt et casus, in quibus donationes non plenum sortiuntur effectum. Vid. *Collatio.*

Donatio inter vivos ex iure etiam 1895
italico non valet, nisi postquam fuerit a donatario expresse acceptata (*C. C. a. 1057*); facta autem acceptatione, donatio perfecta est, et omne ius transfert in donatarium, quin opus sit traditione. *C. C. a. 1062.* (Quoad forum ecclesiasticum cfr. *S. C. C. in Oritana 20 iul. 1900*). Absens debet donationem acceptare coram donatorem repraesentante; ex iure italico donatio non censetur perfecta, nisi postquam donatori notificata fuerit acceptatio donatarii absentis. *C. C. a. 1057.* Quare, donatario praemortuo, nulla est donatio. Idem valet ex iure gallico. *C. C. a. 932.* § *1.* Praeterea omnes actus donationis sub poena nullitatis fieri debent a publicis notariis. *C. C. It. a. 1056; C. C. Gall. a. 931.*

Resolvitur donatio non impletis 1896
conditionibus, quamvis hoc fiat sine culpa donatarii. Revocari autem potest, si donator post donationem susceperit liberos (etiam unum), sive legitimos, sive naturales, hos tamen legitimaverit subsequenti matrimonio, non aliter (idest non solo rescripto principis), et quamvis legitimaverit, ut donatarius donata restituat. *C. It. aa. 1084. 1086; C. Gall. a. 960.* Hanc eamdem revocationem facere permittitur donator ob ingratitudinem donatarii. *C. It. a. 1078; C. Gall. a. 953.* In utroque casu tamen excipiuntur a revocatione donationes mere remu-

neratoriae, et quae propter certum quoddam coniugium factae fuerint, salvo tamen in hoc casu filio donatoris iure petendae revocationis donationis, quatenus haec partem legitimam laedat. *C. It. a. 1037.* Revocata donatione donatarius restituere debet etiam fructus a die motae litis. *C. It. a. 1089.* Contra ius revocandae donationis ob natos liberos iure italico praescribitur quinque annis (*C. C. a. 1090*), iure gallico triginta. *C. C. a. 966.* Donator vero revocationis actionem intendere non potest mortuis filiis, eorumque heredibus. *C. It. a. 1090.*

1887 Donatio fieri etiam potest non solum sub conditione, sed etiam sub modo. Verum hae duae species donationis probe inter se distinguendae sunt. Haec enim pura est et absoluta, illa non item. Attamen quamvis si per eum, in quem collata est liberalitas, non stet, quominus impleatur modus, modus ipse considerari debeat tamquam impletus (*l. 1 de his quae sub modo etc. C.* [*VI. 45*]); si tamen contrarium accidat, agi potest a donatore contra donatarium ut vel impleatur modus vel restituatur quod donatum est. Cfr. *S. C. EE. RR. in Brictinorien. 6 dec. 1908.*

1888 Donatio *mortis causa* ea est, quae intuitu mortis fit, et est natura sua revocabilis. De iure gallico et italico non admittitur.

Tit. de donationibus X. (III. 24); tit. de donationibus inter virum et uxorem et de dote post divortium restituenda X. (IV. 20); *Tiraquellus A.* Commentarii in leg. « Si unquam » C. de revocandis donationibus; *Lupi Io.* Tract. de donationibus; *Bertrandus Io.* De donationibus; *Riminaldi Hipp.* Tractatus de donationibus; *Flach S.* Disp. de donationibus; *Benitez A.* De donationibus; *Bardili B.* De donationibus propter nuptias; *Fernandez de Retes I.* De donationibus in genere et in particulari; *De Luca I. B.* De donationibus, in Theatrum veritatis et iustitiae vol. 6; *Passarelli*, Tract. de donationibus; *De la Rouvière M.* Traité de la révocation et nullité des donations, legs, institutions etc.; *Pothier R. I.* Traité des donations entre mari et femme, *Pothier R. I.* Traité des donations entre vifs; *Pothier R. I.* Traité des donations testamentaires; *Troplong M.* Des donations entre vifs; *Schupfer F.* Delle donazioni nella storia del diritto italiano; *Demolombe Ch.* Traité des donations entre vifs et des testaments; *Pampaloni M.* Interpretazione della legge 63 de donationibus inter virum et uxorem; *Iannuzzi R.* Se sia vero che le donazioni sol perché avvenute tra fidanzati, si devono per presunzione di diritto, ritenere fatte in riguardo del loro futuro matrimonio; *Chironi G. P.* Sulla validità dei doni manuali; *Chironi G. P.* Successioni, donazioni; *Tortori A.* Le condizioni nelle donazioni; *Alibrandi I.* Ricerche sulla origine del divieto delle donazioni fra coniugi; *Fadda C.* La nullità delle donazioni fra coniugi; *Ascoli* Tratt. della donazione secondo il diritto civile.

Dormitorium. — Dormitorium dis- 1899
tinctum a cubiculis monialium pro alumnabus, quae in aliquo monasterio, praevia S. Sedis licentia, educationis causa recipiuntur, necessario haberi debet. Bucc. *Comm. in const. « Ap. Sedis » n. 52.*

Per se non licet diu noctuque habitare, et etiam dormire in cubiculo superexstructo sacello, in quo asservatur ss. sacramentum, aut etiam cappellis alicuius ecclesiae, in quibus quotidie celebratur. *S. R. C. in Caia-*

cen. 11 mai 1641 (*756*). Attamen hoc aliquando concessum est. Sic indultum est, ut missae celebrarentur in sacello, super quo lectuli militum ex necessitate reperiebantur, dummodo tamen construeretur super ipso duplex concameratio. *S. R. C. in Apuana 12 sept. 1840* (*2812*). Pariter concessum est, ut in domibus instituti Filiarum Caritatis, vulgo nuncupatarum *Canossiane*, ss. eucharistiae sacramentum asservetur in sacellis, quae dormitorio puellarum educandarum subsunt, dummodo altari imponatur ampla umbella. vulgo « baldacchino ». *S. R. C. in Papien. 23 nov. 1880 ad 2* (*3525*).

1900 **Dos.** — ***De dote uxoris***. — Dos uxoris ea bona sunt, quae marito aut dantur, aut promittuntur ante matrimonium, intuitu ipsius (*C. C. a. 1388; l. 20 de iure dotium C.* [*V. 12*]); quare ubicumque matrimonii nomen non est, nec dos est. *l. 3 de iure dotium D. (XXIII. 3)*. Dos autem matrimonio cohaerens oneribus eius ac liberis communibus confertur. *l. 16 de castr. pecul. D.* (*XLIX. 17*).

Iure italico ad hoc, ut quaedam bona pro dotalibus habeantur, necesse est, ut expresse ad titulum dotis seu ad sustinenda onera matrimonii ab uxore marito afferantur (*C. C. a. 1388*); quare non accensentur bonis dotalibus ea bona, quae mulieri donantur tabulis nuptialibus. D'Ann. *II. 563* (*18*). Ius gallicum contra statuit, omnia esse bona dotalia, quae mulier sibi constituit, seu alter ei donat in finem matrimonii, nisi aliud expresse cautum fuerit. *C. G. a. 1541*. Praeterea iure nostro (*C. It. a. 1382*), et in hoc consentit ius gallicum (*a. 1394*), ut quaedam bona pro dotalibus habeantur necesse est, ut constituantur in dotem per instrumentum a notario confectum. Coniuges, durante matrimonio, nec constituere nec augere dotem possunt (*C. It. a. 1391*); et hanc dispositionem ius gallicum extendit, non solum ad coniuges, sed ad quoscumque alios, qui, durante matrimonio, vellent dotem constituere aut augere. *C. G. a. 1543*. Illi, qui dotem constituunt, tenentur de bonis in dotem assignatis securitatem praestare (*C. It. a. 1396*; *C. G. a. 1547*); et dotis reditus contra eos, qui eam promiserunt, decurrunt a die matrimonii contracti, etsi dilatio ad dotem solvendam pacta fuerit, nisi aliud contra stipulatum est. *C. It. a. 1397*; *C. G. a. 1548*.

Uxor dotem suam durante matrimonio alienare non potest (nisi alienatio vel hypotheca in contractu matrimoniali permissa fuerit, *C. C. a. 1404*), nisi marito et ipsa consentientibus, nec non accedente decreto tribunalis, quod hanc facultatem facere potest tantum in casibus necessitatis aut evidentis utilitatis. *C. C. a. 1405*. Iure gallico immobilia tantum dotalia alienari prohibentur, quibusdam casibus exceptis. *C. G. a. 1554*. Soluto matrimonio, dos ex nostris iuribus ipso facto redit ad uxorem, et, si mulier ad ulteriores transeat nuptias, non ideo censetur dos praecedentis matrimonii tacite denuo pro novo matrimonio constituta. *C. C. a. 1390*. Vir relate ad bona dotalia tenetur omnibus obligationibus, quae ususfructuario incumbunt, et similiter te-

netur de praescriptionibus et de deteriorationibus, quae ob eius negligentiam evenerunt. *C. It. a. 1408.*; *C. G. a. 1562.*

Rogerii C. Tract. de dote et dotis iuribus; *Costani A. G.* De dote; *A Beust I.* Tract. de iure connubiorum (pars 3ª de dotibus); *Solis I. F.* Tract. de dote et lucro dotis, de bonis constante matrimonio acquisitis; *von Rothschütz Georg.* De dotalitio; *Alfan* De dote; *Reichmann G.* De dotis repetitione; *Werner G.* Disp. de iure dotalitiorum; *Bossi I. A.* Tract. de effectibus contractus matrimonii (ubi etiam de dote); *Sprenger* De dotalitio; *De Luca I. B.* De dote, lucris dotalibus et aliis dotis appenditiis, in Theatrum veritatis et iustitiae vol. 5; *Bossi I. A.* De peculiari effectu contractus matrimonii nempe de dote filiabus danda deque dote in universum iûxta utrumque forum; *A Wezel A.* De pactis dotalibus et connubiali bonorum societate; *De Angelis F.* De impensis et melioramentis dotalibus et beneficialibus; *Rosignoli G.* De dote; *Ginoulhac* Histoire du régime dotal et de la communauté en France; *Marcel* Du régime dotal et de la nécessité d'une réforme; *Seriziat* Du régime dotal; *Benoit* Traité de la dot; *Benech* De l'emploi et du remploi de la dot sous le régime dotal; *Roussilhe* Traité de la dot; *Sincholle* De l'inaliénabilité de la dot mobilière et immobilière; *Galluppi E.* La dote secondo il diritto civile italiano; *Vuebat* De la séparation de biens sous le régime dotal; *Paoli B.* La dote, i beni parafernali e la comunione dei coniugi; *Monnier* Examen doctrinal. Régime dotal. Quotité disponible; *Bicci A.* Sulla surroga ipotecaria per evizione e dei lucri dotali; *Jouitou* Etude sur le système du régime dotal. *André* Le régime dotal dans la pratique; *Deschamps* Etude sur la responsabilité civile des incapables et particulièrement de la femme dotale; *Robert Ch.* De l'emploi et du remploi sous le régime dotal, spécialement considérés au point de vue de la responsabilité des tiers; *Bonfante* La divisione dei frutti dotali ecc.; *De Pirro* Della dote in rapporto colla rivocazione per frode; *Griveau* Le régime dotal en France; ses avantages et ses inconvenients. Etude théorique et pratique; *Dépinay* Le régime dotal. Etude historique, critique et pratique; *Eyquem* Le régime dotal; son histoire, son évolution, ses transformations au XIXe siècle, sous l'influence de la jurisprudence et du notariat; *Cogliolo P.* Quaestiones vexatae de dotibus in iure romano: 1° se il marito possa agire per evizione contro il costituente la dote nei casi di datio dotis; 2° Chi abbia la proprietà della dote durante il matrimonio.

De dote monialis. —**Quoad moniales votorum solemnium.** — Dotem exigere ab ingressuris mulieribus in religionem licet (*S. C. C. in una Belgii 18 sept. 1683;* Ben. XIV *Instit. eccles. XXIX. n. 28*); eius vero quantitas pendet a variis locorum et temporum circumstantiis, et quoad hoc standum est approbatis ordinationibus cuiuscumque instituti. Per professionem solemnem dominium dotis acquiritur monasterio; per professionem simplicem monialis non amittit dominium radicale suae dotis, quare si casu e monasterio abeat, dos ipsi est restituenda. *S. C. EE. RR. 3 mart. 1792.* 1901

Choristae seu moniales velatae in monasterio sine dote admitti nequeunt; conversae vero admitti possunt etiam sine dote propter necessitatem et indigentiam monasterii (*S. C. EE. RR. 20 mart. 1594*); sed praxis est, ut indultum obtineatur, ait Lucidi *de vis. sacr. lim. l. c. 5. n. 186.*

Dos debet solvi in pecunia, nec sine speciali venia S. Congr. religiosorum admitti potest in bonis stabilibus aut in censibus (*S. C. EE. RR. in Interamnen. 2 maii 1614*), quam tamen permissionem, iustis de causis, non semel eadem S. Congregatio fecit. Cfr. *causam in Brictinorien. 30 maii 1766, apud Bizzarri Coll. S. C. EE. RR.* Pecunia vero depositanda est apud mensas nummarias aut apud virum honestum, qui par sit, eam numeratam reddere monialibus ad omne ipsarum monialium mandatum, nec ullo modo relinquenda est apud consanguineos admittendae (*S. C. EE. RR. in Neapolitana 15 maii 1640, 20 ian. 1643; litt. S. C. EE. RR. dat. iussu Clementis XIII ad episc. ditionis pontificiae 11 febr. 1759*), et peracta professione, debet a depositario solvi et deponi in arca communi monasterii. *S. C. EE. RR. in Asculana 19 ian. 1630.* Collocari vero debet dos a monasterio in fundis stabilibus, aut saltem investiri in censibus securis. *S. C. C. in Ferrarien. 13 nov. 1601; S. C. EE. RR. in Camerinen. 15 iun. 1830.*

Inductis per decretum *Perpensis* a S. Congr. EE. et RR. latum die 3 maii 1902 a Leone XIII votis simplicibus a monialibus quoque professioni votorum praemittendis, in eodem decreto cautum est, ut dos pro quolibet monasterio statuta tradenda sit ipsi monasterio ante professionem votorum simplicium.

Iam diximus, dominium dotis per professionem solemnem acquiri monasterio, in quo solemnis professio emittitur. Hinc sequitur novitiae, quae ante emissam professionem e monasterio exeat, vel iis, qui eam dederunt, si novitia professioni praemoriatur, dotem esse restituendam; nec potest monasterium eam sibi retinere, etiamsi adesset immemorabilis consuetudo. *S. C. C. in Eugubina 26 nov. 1650.* Hoc valet etiam pro professa votorum simplicium, quae a monasterio discedat sive ob votorum dispensationem a Sede Apostolica impetratam, sive quia dimissa est, cui proinde integre dos quoad sortem restituenda est, exclusis fructibus. *S. C. EE. RR. decr. cit. 3 maii 1902.* Excipitur tamen casus mortis, quia si professa votorum simplicium praemoriatur professioni solemni, dos monasterio acquiritur, nec heredibus ab intestato aut consaguineis restituenda est. *S. C. EE. RR. 26 mart. 1904.* Similiter dominium dotis monasterio non acquiritur per professionem invalidam. *S. C. C. in Narnien. 25 ian. 1744.* Pariter sequitur, dotem, si monialis ad alterum monasterium transferatur ex licentia S. Sedis, non debere a priori monasterio solvi secundo, quamvis prius monasterium tenetur ad alimenta eidem moniali praestanda, seu ad aliquid pro alimentis alteri monasterio persolvendum. Monacell. *Form. leg. part. II tit. 13 form. 5. n. 21. sqq.* Cfr. etiam *S. C. EE. RR. in Anagnina 4 mart., 29 iul. 1842; in Baren. 30 maii 1856.* Quidam tamen doctores contrariam sententiam tenent, circa quos confer Lucidi *loc. cit. n. 204.* Attamen in praxi non est difficultas, quum S. Congregatio religiosorum ordinarie in rescripto, quo translationem con-

cedit, statuit etiam quid de dote et de extradotalibus monialis translatae faciendum sit.

Superiores regulares nihil possunt disponere circa depositionem, solutionem aut erogationem dotis monialis, quae ingrediatur monasterium ipsis subiectum, sine licentia ordinarii, sub privatione vocis activae et passivae et officiorum (*S. C. EE. RR. in Derthonen. 15 nov. 1652*); episcopus autem numquam potest exigere, ut depositum dotis coram ipso fiat, sed satis est, ipsi referre de persona notarii et depositarii. *S. C. EE. RR. in Fulginaten. 29 aug. 1550;* Lucidi *loc. cit. n. 242.*

1902 **Quoad moniales in institutis votorum simplicium.** — Etiam in istitutis votorum simplicium non debent admitti novitiae sine dote, nec ista facultas, aut etiam facultas dotem imminuendi, relinquenda est in constitutionibus superiorissae. Hoc pluries S. Congregatio episc. et regul. rescripserat iam in animadversionibus ad constitutiones quarumdam sororum (cfr. *Animadv. in const. Sor. fil. Paderbornen. 10 martii 1860. § 9, p. 10; Animadver. in const. a Praesent. Albien. 23 iul. 1850. § 8. p. 19. citatas apud Lucidi loc. cit. n. 444*): nunc autem in normis, quae pro approbandis novis institutis novissime (*28 iun. 1901*) eadem S. Congregatio sanxit, haec de dote stabiliuntur (*c. VII. n. 91-95*): « Quodlibet institutum sororum praefigere debet dotem solvendam, aequalem, pro sororibus chori; et etiam pro sororibus conversis seu coadiutricibus dotem equidem minorem, sed pro harum singulis aequalem. - Statutam dotem moderatrix non potest remittere, neque imminuere sine licentia sacrae Congregationis. - Statuta dos tuta reddatur favore instituti per solidam cautionem, antequam candidata habitu induatur; tradenda est autem instituto proxime ante professionem. - Tradita dos alienari non potest, sed probe, tuto ac fructuose collocari debet. - Si aliqua soror ab istituto discedat vel dimittatur, dos sua ipsi, sine fructibus tamen, restituatur ».

Quoad dotem monialium nota etiam, Pium IX indulsisse, ut moniales votorum simplicium dotalia subsidia pro monialibus relicta, servatis tamen aliis de iure ac ex praescripto testatorum servandis, assequi possent et valerent, dummodo earum instituta ab apostolica Sede sint approbata, vota simplicia perpetua emittant, nec testatores expresse edixerint, subsidia dotalia concedenda dumtaxat esse monachandis in monasteriis, in quibus solemnia vota emittuntur. *S. C. EE. RR. 12 nov. 1847.*

De dote pro erigendo beneficio, parochia, ecclesia. — Tum in erectione beneficii (Conc. Trid. *sess. XXI c. 4 de ref.*), tum in erectione novae parochiae congrua dos constituenda est. Vid. *Parochia.* - Episcopus exquirere debet etiam congruam dotem pro aedificatione novae ecclesiae; quare et potest, et debet, denegare suum consensum in ea aedificanda, nisi sit congrue dotata. *c. 9. d. I. de cons.* 1903

Quoad defectus dotis, ut causam concedendae dispensationis matrimonialis, vid. *Defectus dotis.*

1904 **Dubium. — De natura et divisionibus dubii.** — Est suspensio assensus inter opposita, et tunc habetur, quum mens, inter duos terminos contradictionis constituta, in neutram partem declinat. S. Th. *2 2. q. 2. a. 1.* Quando a nonnullis ad conscientiam refertur, est suspensio assensus circa honestatem actionis. Vid. *Conscientia.* - Dubium multiplex: positivum, si mens suspendit assensum ob apparentem aequalitatem rationum; negativum, si id facit ex defectu rationum, quum scilicet nulla subest ratio sive affirmandi sive negandi: iuris, si versatur circa exsistentiam legis vel eius obligationem; facti, si circa factum aliquod; speculativum, si circa abstractum aliquod; practicum, si circa rem hic et nunc faciendam. Cfr. G. B. *I. 40.*

Attamen nota, speculativum et practicum generatim dici de dubio iuris; scilicet a theologis adhibentur tamquam subdistinctiones dubii iuris. Et tunc speculativum illud dicitur, quod versatur circa exsistentiam legis; practicum, quod versatur circa honestatem actionis.

1905 **De quibusdam consectariis dubii.** — Cum *conscientia* practice dubia numquam operari licet. Dubium tamen negativum est spernendum. In positivo tenetur quis inquirere, vel si nequeat, per principia reflexa conscientiam certam sibi efformare. Vid. *Conscientia.*

Dubia lex, lex nulla. - Ad quid, aliquis teneatur in dubio, an legem impleverit, vid. *Lex.*

Dubia peccata quando confitenda sint, quando non; an et quando peccata, ut dubie accusata, debeant postea repeti in confessione, vid. *Integritas.*

Quando in dubio suppleatur iurisdictio, vid. *Iurisdictio.*

De dubio quoad poenas generaliter. 1906 — Si quaestio sit de poenis, in dubiis semper illud accipi debet, quod reo magis favet. Quare non debet reus puniri, si factum ipsum est dubium (cfr. *l. 1. § 24. de Senatusconsulto Silaniano etc. D.* [*XIXX. 5*]); aut si dubius est auctor facti (S. Alph. *III. 658*); aut si intentio facientis est dubia, in iis scilicet, quae bona et mala intentione fieri possunt, ut expresse cautum est in Pandectis: « Si quis intentione ambigua vel oratione usus sit, id, quod utilius ei est, accipiendum est ». *l. 66 de iudiciis etc D. (V. I;* Cfr. *l. 51 pro socio D. (XVII. 2).*

De dubio quoad censuras. — Hoc 1907 autem maxime locum habet in censuris. Quare si dubium sit delictum aut dubium sit ipsum ius, sive quaestio sit de dubio positivo, sive de negativo, pro reo semper respondendum est, et proinde contra censuram. D'Ann. *I. 311.* Hinc responderi debet, censuram non incurrisse sive illum, qui dubitat an factum ipsum criminosum posuerit, an ita posuerit, ut deliquerit graviter, vel quia dubitat an cum debita advertentia et libertate fecerit, vel quia dubitat an actus externus ad criminis gravitatem pervenerit, sive illum, qui dubitat an delictum fuerit consummatum, an illi poenae sit ipse obnoxius, quia forte exemptus, an poena sit latae sententiae, et si fuerit ferendae sententiae an sententiam vere et de facto iudex tulerit, etc.

Attamen nota id, quod habet D'Annibale *loc. cit.* (*60*): « Verum in casibus supra recensitis, is, qui dubitat, inquirere debet, utrum revera poenam (v. gr. excommunicationem, irregularitatem) contraxerit, si quid facere velit, quod facere per eam non licet (v. gr. celebraturus vel ordinandus), ne forte rei illicitae faciendae periculo se committat », et si post inquisitionem dubium perseveret, tutus incedit. Quare breviter: in dubio sive facti sive iuris, utrum aliquis in censuram incurrerit, non adest ipsi obligatio censuram servandi. S. Alph. *VII. 67.* Adest tamen haec obligatio, si dubitetur an causa censurae sit sufficiens, an superior excesserit limites suae iurisdictionis, an servaverit solemnitates, etc., quia praesumptio stat pro superiore. Salmanticen. *Th. mor. tr. X. c. 1. p. n. 208;* S. Alph. *VII. 68.* - In dubio autem an quis a censura, quam incurrit, sit absolutus, in foro externo iudicandum est pro censura seu ligamine (*c. 39. de sent. excomm. X.* [*V. 39*]); et in foro interno petenda est absolutio, ne forte bonis ecclesiae quis privatus exsistat. Sanchez *in Dec. I. c. 10. n. 55. sqq.*

1908 **De dubio quoad reservationem casuum et censurarum.** — In dubio reservationis, nempe si confessarius excepit confessionem alicuius, ex qua dubitet, num ille peccatum admisit, quod reservationi subiaceat, sive quia dubius est, an peccatum illud sit grave (dubium facti), sive dubius est, an peccatum illud certo grave comprehendatur reservatione (dubium iuris), ut ecce, si confessarius dubitet, num ea reservatio comprehendat poenitentem peregrinum, vel delinquentem extra territorium, etc., sive dubium sit positivum, sive sit negativum, absolvere potest poenitentem, tum quia reservatio est strictae interpretationis, quippe quae odiosa, tum quia facultas absolvendi est in possessione confessarii, tum quia haec sententia est probabilis et communis inter doctores, et, tali sententia stante, ecclesia supplet iurisdictionem. Et si quis ita absolutus est, quum per eam absolutionem tollatur reservatio, si postea detegat, peccatum illud revera fuisse reservatum, non retractatur absolutio, nec is debet postea peccatum iterum subiicere confessario privilegiato. B. P. *V. 520;* D'Ann. *I. 342.*

Quid autem si peccatum sit certo reservatum, et confessarius dubitet num ipse habeat facultatem illud absolvendi, quia nimirum dubius est, an illud peccatum contineatur inter ea reservata, a quibus ipse potest absolvere? Et dicendum, confessarium in eo casu absolvere non posse, sive dubium sit facti, sive sit iuris, nisi in hoc ultimo casu probabile ei videatur illud peccatum in suis facultatibus comprehensum esse. D'Ann. *loc. cit.* (*33*). Hoc quidem in hypothesi, quod poenitens cognoverit reservationem, quia si peccatum admisit reservationem ignorans, posset a confessario absolvi, de quo vide *Reservatio casuum.* Quod autem diximus de peccatis reservatis, dicas et de reservatis censuris.

De dubio quoad irregularitates. — 1909
Etiam quoad irregularitates notandum est, factum, ex quo eae exsurgunt, debere esse certum, nisi forte

quaestio sit de irregularitate ex homicidio, circa quam vide *Homicidium, Irregularitas.* Quare in dubio facti cessat irregularitas, sive dubium sit negativum, sive sit positivum, quod est communius et verius. D'Ann. *I. 404:* « Nihilominus, ait D'Annibale (*loc. cit.*), si dubium sit positivum et grave, non licet ordinem suscipere, vel exercere, nisi re prius explorata, ut alias, et deposito dubio; nisi forte ex mora inquisitionis grave damnum metuendum sit (ut ecce, si, dum expenditur dubium, occasio suscipiendi ordinem, nanciscendi beneficium ecclesiasticum, praeteriret). Verum, quia in his casibus dispensare potest episcopus, consultius est ab eo dispensationem petere, ne irregularitas obsit, si forte postea apparuerit, revera contractam fuisse ».

1910 **De dubio quoad damnificationem.** — Dubia damnificatio, si quando dubium versatur circa ipsam exsistentiam damni, probabilius non obligat ad restitutionem. S. Alph. *III. 562.* Si vero damnum est certum, dubium autem habetur circa influxum actionis in damnum, an quis restituere debeat, controversum est, sed probabilius est, eum teneri. Croix *Th. mor. libr. 3. p. 2. nn. 337. 574;* Elbel *Th. sacr. part. 3. conf. 18. n. 452;* Ballerini *in Gury I. 733 (12).* Quare in casu duorum contra aliquem explodentes glandem, qui uno ictu occisus occubuit, probabilius uterque tenetur ad restitutionem damnorum ex aequo vel pro rata dubii. Cfr. Lugo *iust. et iure d. XIII. n. 23; d. XIII n. 22.*

Contrarium esset, ait D'Annibale *II. 217 (5)*, si duo mihi v. gr. nummum dederint, unus probum, alter adulterinum, nec appareat uter dederit. Tunc enim nemo, nec pro rata, tenebitur, quia non est idem nummus.

Quaedam alia quoad dubium (*remissive*). — Quid in casu dubii matrimonii, Vid. *Matrimonium dubium;* de impedimentis matrimonialibus dubiis, Vid. *Impedimenta matrimonii.* 1911

Duellum. — De ipso duello et de eius illiceitate. — Est periculosa pugna duorum ex praecedenti condicto de loco, tempore et armis (G. B. *I. 404*), quae omnia cumulative sumenda sunt. Quare si locus tantum, vel tempus, vel arma indicta fuerint, non solet dici duellum. Reiffenstuel *in tit. 14 lib. V Decr. n. 9;* D'Ann. *Comm. in const. « Ap. Sedis » n. 114.* Nec duellum habetur, quum duo, indictis loco, tempore et armis in suscepta rixa, incontinenti in locum apertum egressi, pugnam commiserint; hi enim potius rixari, quam duellare videntur. Reiffenstuel *loc. cit. n. 10;* D'Ann. *l. c.* Pariter, quum duellum dici non soleat, nisi provocatio facta fuerit ad determinatam personam, ille, qui provocat, plures, non ut singulos, sed ut efformantes quoddam corpus morale, ex. gr. legionem militum, duellans proprie non est; hinc effugit poenas duellantium. Pennacchi *Comm. in const. « Apost. Sedis » tom. I. pag. 570;* D'Ann. *loc. cit. n. 115.* 1912

Nota ad habendum veri nominis duellum, necesse esse, ut certetur letalibus armis. D'Ann. *Comm. in constit. « Ap. Sedis » n. 114.* Hinc non est veri nominis duellum, si pugnis, bacillis, aut etiam ferro, acie retusa, dimicetur, etsi per accidens mors se-

quatur. Reiffenstuel *in tit. 14 lib. V Decr. n. 13;* D'Ann. *loc. cit.;* B. P. *VII. 301.* Neque id est, ut notat Ballerini-Palmieri (*l. c.*), contra constitutionem Clementis VIII « Illius vices » § *3,* quemadmodum legenti patet.

1913 Licite duellum suscipitur auctoritate publica ad bonum commune (Sanchez *in Dec. lib. II. c. 39. n. 13. sq.;* Bonacina *Th. mor. tract. de censuris in specie disp. 2. q. 3. p. 48. n. 4*), illicite semper privata; hinc, ne ad avertendam quidem ignominiam, licet illud acceptare, vel ne quis officio cadat sibi et suis necessario, aut ad purgationem criminis. Cfr. *Const.* Leonis XIII « Pastoralis officii » *22 sept. 1891.* Licet tamen pugnare in duello ad meram defensionem contra inimicum tibi nunc secus mortem minitantem; imo in hoc casu probabilius licet etiam, continenter se in alium locum ad pugnandum transferre. Ballerini *in Gury I. 405 (4).*

Benedictus XIV constitutione sua « Detestabilem », *V id. nov. 1752* quinque sequentes propositiones de duello damnavit: 1° Vir militaris, qui, nisi offerat vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abiectus et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitae ac promeritae spe perpetuo carere deberet, culpa et poena vacaret, sive offerat sive acceptet duellum. 2° Excusari possunt etiam honoris tuendi vel humanae vilipensionis vitandae gratia duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam. 3° Non incurrit ecclesiasticas poenas contra duellantes latas dux vel officialis militaris, acceptans duellum ex gravi metu amissionis famae vel officii. 4° Licitum est in statu hominis naturali acceptare et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum iactura propulsari nequit. 5° Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatae, in qua nimirum vel negligentia vel malitia magistratus iustitia aperte denegatur.

De restitutione ex duello. — Quoad 1914
restitutionis obligationem, quae ex duello exsurgere potest, dicendum videtur, eam nonnisi tunc urgendam esse, quum provocatus duellum acceptavit, ne occideretur; nam provocanti numquam, provocato vero extra casum superius expressum probabilius restitutio fieri non debet, quia acceptando videtur futuro damno se libere exponere. Cfr. Lugo *de iust. et iure disp. 11. n. 66. seqq.;* D'Ann. *II. 291.* Utrum autem restitutio fieri debeat uxori, filiis etc., vid. *Homicidium.*

De poenis in duellantes. — Morientibus 1915
in duello, etiamsi dederint signa poenitentiae et obtinuerint absolutionem a peccatis et a censuris, imo etiamsi decedentibus extra locum duelli, sed ex vulnere in duello suscepto, deneganda est sepultura ecclesiastica. Conc. Trid. *sess. XXV. c. 19 de ref.; Const. cit.* Ben. XIV *V. id. nov. 1752.* - Clericus, qui duellum facit sive solemne sive privatum, sive provocatus sive non provocatus, etiam morte non

secuta, amittit beneficium ipso iure. Cfr. *c. 2 de clericis pugnantibus in duello X.* (*V. 14*); *Const.* Clem. VIII « Illius vices » *17 aug. 1592.* - Vid. *Libri prohibiti.*

Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, aut ipsum acceptantes, et quilibet complices aut qualemcumque operam (proximam scilicet; secus, ait D'Annibale *loc. cit.*, arbitraria et infinita aestimatio erit), aut favorem praebentes; nec non de industria spectantes, illudque permittentes, aut, quantum in illis est, non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis, excommunicationem latae sententiae R. P. simpliciter reservatam incurrunt. *Const.* « Apostolicae Sedis » *scr. 2. n. 3.*

1916 Quoad hanc excommunicationem nota, eam incurrere *a*) omnes, qui duellum ineunt, vel ad illud provocant, vel duellum acceptant. In horum numerum veniunt ii quoque, qui adversario edicunt, ut eligat pugnae locum, tempus et arma (D'Ann. *l. c. n. 115*); *b*) omnes complices et fautores quamcumque proximam operam aut favorem praestent. Inter hos numerantur in primis patrini et testes; sed etiam ad hos pertinent, qui de industria, idest data opera et quasi duellum approbantes (Reiffenstuel *l. c. n. 45;* Schmalzgr. *in eumd. tit. decr. n. 49*) ipsum duellum spectant, quique sua praesentia animum duellantibus addunt, multo magis, si hoc ipsum intendant (ut esset, si amasia etiam per clathros e fenestra duellum spectaret, id amasio sciente); in horum censu etiam habentur medici et chirurgi, etsi duellum non spectent, sed in vicino loco, duellantibus scientibus, adsint, vulneratis auxiliaturi; imo et confessarius, qui idipsum praestat, moribundum, si quem letaliter feriri contingat, absoluturus (*S. U. I. 28 maii 1884*); item illi, qui litteras provocatorias scienter deferunt, vel dictant, aut scribunt, aut scribi vel deferri mandant seu suadent, quique in his se quomodolibet immiscent (*Constit. cit.* Clem. VIII. § *6 seq.;* D'Ann. *loc. cit.*); non autem his sunt annumerandi illi, qui obiter transeundo ibi reperiuntur (S. Alph. *III 401. q. 3*), vel qui curiositatis causa a longe aspiciunt, vel e fenestris, vel e ianuis, aut etiam, qui ex curiositate in locum duelli subito accurrunt (Reiffenstuel *loc. cit. n. 46*), dummodo ne duellantes ad pugnandum incitent; nec qui arma vendunt aut locant, dummodo pro arte sua hoc facere soleant, quia nempe hoc munus agunt, arma vendendi locandi omnibus requirentibus, D'Ann. *l. c.; c*) omnes, qui duellum prohibere potuissent et debuissent, et non prohibuerunt. Pennacchi *Comm. in const.* « *Ap. Sedis* » *app. XVIII pag. 592.*

Quoad hos omnes notandum est hoc discrimen, quod provocantes et acceptantes, provocatione tantum vel acceptatione secuta, excommunicationem incurrunt, etsi postea duellum non perfecerint; ceteri vero, nonnisi secuto duello, in excommunicationem incidunt. Provocantes autem et acceptantes, ad incurrendam excommunicationem, debent hoc ipsum praestare vere et ex animo, non simulate, ut ex. gr. ignaviae notam hic et nunc

vitent. D'Ann. *l. c.;* B. P. *l. c.* Patrini vero, qui duello tantum secuto, excommunicationem incurrunt, letaliter tamen peccarent, acceptando patrini munus, etsi hoc facerent ad duellum impediendum, animo tamen parati fungi suo munere, si duellum sequatur.

1917 Certum omnino non est omnibus, duellum acceptare nullo in casu licere ad avertendum damnum gravissimum in bonis, quod tibi certo imminet, nec alia via propulsari potest, quod contrarium non esse propositionibus supra allatis, a Benedicto XIV damnatis, ostendit doctrina Marci Struggl (*Th. mor. tr. VII. q. 3. a. 6. n. 65*), qui post illas propositiones damnatas scripsit. Si autem in casu liceret acceptare duellum, acceptans censurae, ut patet, non esset obnoxiu B. P. *l. c.*

1918 Duellantes, etsi, homicidio non secuto, irregularitatem ex homicidio evadant, incurrunt tamen irregularitatem ex infamia iuris, a qua nec patrini eximuntur. *S. C. C. in Wratislavien. 9 augustus 1890.* Vid *Infamia.*

Syn. Valent. c. 12; ep. Nic. I ad Carolum Calvum = c. 22. C. II. q. 5; Conc. Later. II. c. 14; Syn. Rhem. c. 12; Conc. Lat. III. c. 20 = cc. 1. 2 de torneamentis X. (V. 13); ep. Inn. VI ad epos Franciae a. 1251; Syn. Tol. a. 1473 c. 21; tit. de clericis pugnantibus in duello X. (V. 14); tit. cit. X. (V. 13); tit. de torneamentis (tit. 9 cap. un.) in Xvag. Ioann. XXII; Const. Iul. II « Regis pacifici » 24 febr. 1509; Const. Leon. X. « Quam Deo » 23 iul. 1519; Const. Pii IV « Ea quae » 13 nov. 1560; Conc. Trid. sess. XXV c. 19 de ref.; Const. Greg. XIII « Ad Rom. Pont. auctoritatem » 15 maii 1573; Const. Greg. XIII « Ad tollendum » 5 dec. 1582; Const. Clem. VIII « Illius vice » 17 aug. 1592; prop. 2 damn. ab Alex. VII 24 sept. 1665; Const. Ben. XIV « Detestabilem » 10 nov. 1752; Const. Pii IX « Ap. Sedis » IV id. oct. 1869 excomm. ser. 2. n. 3; ep. Leons XIII « Pastoralis officii » ad epos Germaniae et Austriae 22 sept. 1891; *De Longiano F.* (seu Longianensis) Libri quinque de duello; *Martini F.* De bello et duello, et quod ex his sequitur homicidio; *De Puteo P.* Tract. de re militari et duello; *Floroni L.* Tract. de prohibitione duelli; *Boceri H.* Tract. de bello et duello; *Pellegrini A.* Tract. de duello; *Carafa G.* Tract. de monomachia seu de duello; *Voet P.* Tract. de duellis licitis et illicitis; *Banck L.* Tract. de duellis; *Martini Th* De usu et abusu monomachiae seu duelli; *Rachelis.* Tract. de duellis; *Stadler D.* De duello honoris vindice; *Windischmann* Über die Ehre und das verletzte Ehrgefühl; *Samhaber* Das Duell nach philosophisch-ruhtlichen Ansichten; *Periet* Du duel en jurisprudence et en législation; *Chateauvillard* Essai sur le duel; *Nougarède* Du duel sous le rapport de la législation et des mœurs; *Anon.* Das Duell als Emanzipation der Ehre; *Genaudet* Etude historique et législation sur le duel; *Mendez* Essai sur le duel; *Cauchy* Du duel considéré dans ses origines et dans l'état actuel des mœurs; *Stahlowsky* Das Duell in seinem Ursprung und Wesen; *Stahlowsky* Das Duell; *Fambri P.* La giurisprudenza del duello; *Modugno N.* Il duello; *Impallomeni G. B.* Diffamazione ed eccitamento al duello; *Crivellari G.* Il duello nella dottrina e nella giurisprudenza; *Berenini A.* Alcune considerazioni sulla responsabilità dei duellanti; *Puglia F.* Del duello; *Cathrein V.* Moralph. II. 106. ff.; *v. Fürich W.* Das Duell; *Lehr F.* Du duel d'après les principales législations de l'Europe; *Lehmkuhl* Das Duell in Lichte der Vernunft; *Wiesinger A.* Das Duell vor d. Richterstuhl d. Religion, Moral, d. Rechts u. der Geschichte; *Andriveau* De la répression pénale du duel; *Below* Das

Duell und der germanische Ehrbegrif; *v. Below G.* Das Duell in Deutschland; *Hofmann M.* Stellung der Kirche zum Zweikampf; *Geffken H.* Fehde u. Duell; *Liepmann M.* Duell u. Ehre; *Marii G.* Il duello secondo i principii, la dottrina, le legislazioni.

Dulia. — Dulia dicitur cultus, qui 1919
angelis et sanctis exhibetur.

E

1920 **Ebrietas.** — Ebrietas est voluntarius excessus in potu usque ad rationis privationem. S. Alph. *V. 75.* Per se est peccatum grave (S. Th. *1. 2. q. 88. a. 5 ad 1)*; sed si ad rationis privationem accedat, non vero omnino pertingat, est veniale tantum. S. Alph. *l. c.* Hinc si quis post potum discernere adhuc possit inter bonum et malum, licet nonnihil phantasia turbata sit, aut sequatur vomitus, lingua titubet, pedes vacillent, oculi cernant duplicia, vel domus gyrari videatur, nondum plena est ebrietas; ideoque tantum peccatum veniale, quamvis ex gravioribus, si deliberate sit commissum. S. Alph. *I. 78. 7.*

Ad morbum depellendum bibere etiam usque ad ebrietatem probabilius licet (Laymann *Theol. mor. lib. III s. 4. n. 5;* Sporer *Th. mor. tr. I. c. 7 s. 4. n. 69;* S. Alph. *I. 76*); quod admittere videtur etiam S. Thomas (*l. c. et 2. 2. q. 150 a. 2. ad 3*); probabilius id licet etiam ad operationem chirurgicam subeundam (cfr. B. P. *I. 723 sqq.;* G. B. *I. 182*), si scilicet hoc impedit, ne atroces operationis dolores persentiantur. Ad maius malum arcendum alium inducere ad ebrietatem materialem certo (Lessius *de iust. et iure lib. IV. c. 3 d. 4. n. 33 sqq.*), ad formalem probabiliter licet. Lessius *l. c.;* S. Alph. *I. 77.*

Ebrii sunt subiecti tum legi naturali et divinae, tum humanae; hinc non licet eos ad violationem legis inducere. Laymann *Th. mor. lib. 1. tr. 4 c. 10. n. 3;* S. Alph. *I. 153.* Ipsis autem, si non inviti in ebrietatem inciderint, quae contra legem admittunt, imputantur, si ea praeviderint; nempe voluntaria sunt ipsis in causa peccata commissa in ebrietate, et ab iis praevisa ante ebrietatem. Cfr. B. P. *l. c. n. 732 sqq.*

Vota in ebrietate facta, etsi praevisa fuerint, non tenent; nam votum factum cum semiplena deliberatione non valet. Vid. *Votum.* Idem dicendum est de contractibus, et generatim de iis omnibus, quae ad sui intrinsecam constitutionem exigunt consensum liberum voluntatis. B. P. *I. 28 (a.).*

De Iena G. De ebrietate; *Barthius V.* De ebrietate; *Simon I. G.* De iure poculorum et de ebrietate; *Sirici I.* Comment. quatenus ex delicto dementes, ebrii, infantes, etc. obligèntur.

Ecce Agnus Dei. — Consuetudo di- 1921
cendi in communione fidelium « Ecce Agnus Dei », et « Domine, non sum dignus » vulgari idiomate, sicubi vigeret, esset eliminanda, utpote con-

traria rituali et missali romano. *S. R. C. in una ord. Min. Capucc. 23 maii 1835 ad 5* (*2725*).

1922 **Ecclesia. — *Quid veniat nomine ecclesiae.*** — Ecclesia propria significatione est coetus fidelium; ex hoc factum est, ut ecclesia diceretur etiam locus cultui dicatus, et in hunc finem praecipue aedificatus, ut publico fidelis populi usui deserviat. Hoc in sensu nomen ecclesiae hic sumitur.

Porro ecclesia, in quantum dicit locum cultui dicatum (quomodo in hoc sensu distinguatur ab oratorio, etc. vide sub *Cappella,* et nota, nomine ecclesiae in indultis ex. gr. non venire oratoria, *S. R. C. in Marianopolitana 18 maii 1883 dub. 4 ad 5* [*3574*]), fit sacra vel solemni consecratione episcopi, vel simplici benedictione presbyteri. Ea, quae pertinent ad consecrationem ecclesiae, iam dedimus sub *Dedicatio.* Quoad benedictionem ecclesiae aliquid est hic addendum.

1923 ***De benedictione ecclesiae.*** — Benedictio ecclesiae est aliqua minus solemnis ecclesiae dedicatio, et quodammodo provisoria (cfr. Rit. Rom. *tit. VIII. c. 27. n. 13;* Gasparri *de euch. I. 151*), donec scilicet ecclesia consecretur solemniter ab episcopo. Ritus benedictionis ecclesiae traditur in rituali romano titulo et capite citatis. Minister benedictionis est sacerdos, de licentia tamen episcopi. Rit. Rom. *l. c.* Hoc autem non significat non posse episcopum per se simplicem ecclesiae benedictionem peragere (*S. R. C. decr. gen. 5 iun. 1899* [*4025*]); est enim sacerdos primi ordinis seu plenitudinem habet sacerdotii, quare omnes sacerdotales functiones peragere evidenter potest. Non potest autem ratione sui gradus eas more simplicis sacerdotis peragere, sed debet eas ritu peragere pontificali, eadem tamen adhibita rituali forma. *S. R. C. in Tarraconen. 7 ian. 1880 ad 2* (*3507*).

Exinde patet ordinarium loci licite et valide posse delegare simplicem sacerdotem, etiam in ecclesiastica dignitate non constitutum, ad benedicendam ecclesiam. *S. R. C. in Massen. 7 oct. 1645* (*889*); Wernz *Ius Decr. III. 473.* Sacerdos autem, delegatus ad benedicendam ecclesiam, debet uti formula benedictionis, qua uteretur episcopus, idest formula, quae invenitur in Rituali Romano. Benedictio ecclesiae fieri potest quocumque die, tam festivo, quam feriali. *c. 2 de consecr. etc. X* (*III. 40*). Potest autem episcopus consecrare etiam minores ecclesias suae dioecesis, sed, si nolit uti iure suo illas consecrandi, facultatem tribuere debet sacerdotibus eas benedicendi (*S. R. C. in Cuneen. 7 aug. 1875 ad 1* [*3364*]), vel eas per se ipse benedicere.

Superiores regulares, etiam locales ordinis, qui communionem habent privilegiorum ordinum mendicantium, sine ulla episcopi licentia possunt ecclesias proprii ordinis solemni benedictione benedicere. Const. Leon. X «Religionis» *3 febr. 1514;* Vermeersch *Periodica III pag. 9.*

Benedicta ecclesia, non debet censeri benedictum coemeterium, nec, benedicto coemeterio, censenda est benedicta ecclesia. *S. R C. in Platien. 21 febr. 1896 ad 4* (*3888*).

Ad benedictionem ecclesiae non est praescriptum praemittere ieiunia, quemadmodum praescriptum est ad consecrationem.

1924 **Notanda quaedam quoad effectus benedictionis.**—Benedictione ecclesia fit sacra et proinde capax, ut in ea sacrosanctum missae sacrificium celebretur. Rit. Rom. *loc. cit. n. 1.* Ex hoc tamen non sequitur, episcopum permittere non posse, ut in ecclesia nec consecrata nec benedicta celebretur. *c. 12 dist. 1 de Cons.* Vid. *Celebratio missae.* Scilicet in ecclesia non benedicta sacrum fieri nequit, nisi in gravi necessitate, et nonnisi de episcopi licentia, si episcopus possit sine gravi incommodo adiri (*c. 1. d. 1. de cons.*), secus celebrans letali non careret.

Ecclesiae, etiam solummodo benedictae, privilegio gaudent ecclesiarum, quae sunt consecratae, in festo titularis earum (*S. R. C. in Vallispraten. 2 sept. 1871* [*3257*]), idest debet in eis fieri officium titularis sub ritu duplici primae classis cum octava. *S. R. C. 5 iun. 1899 (4025).*

1925 **De essentia istius benedictionis.** — Quemadmodum autem essentia consecrationis reponenda est in unctione chrismatis, quae fit in determinatis locis ecclesiae, ubi iam positae vel ponendae sunt cruces cum relativis precibus, ita essentia benedictionis consistit in aspersione parietum cum aqua benedicta in parte superiore ac inferiore ipsius ecclesiae cum precibus relativis. Rit. Rom. *loc. cit. n. 11;* Wernz *loc. cit. n. 436;* Gasparri *loc. cit. I. 167.*

Quaestio vero est inter doctores, utrum benedictio, quemadmodum consecratio, adhaereat parietibus, an potius solo seu pavimento adhaerere dicenda sit. Et plerique hanc alteram sententiam tuentur. Cfr. Schmalzgrueber *in tit. 40 libr. III Decr. n. 16;* D'Ann. *III. 9.* Videtur tamen praeferenda alia sententia, quae defenditur a Gasparri (*loc. cit. I. 167*), quae que magis cohaerere videtur ritui benedictionis et rituali. Hinc ad hoc. ut ecclesia tantum benedicta exsecretur, non est necesse, quod tota corruerit, ut vult D'Annibale (*loc. cit.*), vel quod ecclesiae aedificium destructum sit, dirutis parietibus, auctoritate superioris et sine spe reaedificationis, ut vult Schmalzgrueber (*loc. cit.*); sed cum Gasparri (*loc. cit. I. 183*) videtur potius dicendum, ecclesiam benedictam eodem modo ac consecratam exsecrari, si parietes maiori ex parte corruerint. Vid. *Consecratio.* Attamen et alia sententia, saltem ob extrinsecam auctoritatem doctorum, est probabilis; hinc posset quis in praxi ei se conformare.

De pollutione ecclesiae. — Nunc 1926
aliquid dicendum de pollutione ecclesiae.

De causis pollutionis. — Ecclesia polluitur:

a) iniuriosa ac notoria sanguinis effusione (*c. 4 et 10 de cons. ecc. etc. X.* [*III. 40*]; *c. un. eiusd. tit.* [*III, 21*] *in 6°*), quae importat sanguinis copiam non aliquas tantum guttas, etsi ex vulnere gravissimo (D'Ann. *III. 15.* [*15*]), non vero tantam copiam, ut ultra vestes effluxerit (Schmalzgrueber *in tit. 40 lib. III Decr. n. 80*); notandum autem est, necesse esse et

sufficere, ut vulnus, ex quo haec sanguinis copia effluxit, inflictum fuerit in ipsa ecclesia, etsi a vulnerante qui extra ecclesiam consisteret (B. P. *II 396;* Schmalgr. *l. c.*);

b) vel voluntaria et graviter peccaminosa effusione humani seminis (*c. 10 tit. cit. X.* [*III. 40*]), quam comprehendere etiam voluntariam pollutionem mulieris non immerito putat Gasparri (*de euch. I. 252*); imo et copulam inter coniuges habitam, quae non minus ac exsecutio sententiae capitalis, etsi non peccaminosa, ecclesiam dehonorat (Reiffenstuel *in tit. 40 lib. III Decr. n. 22;* Pirhing *in eumd. tit. n. 12*), excepto casu necessitatis, quum coniuges coacti diu, idest per aliquot dies, manere in ecclesia, non possent se continere (Reiffenstuel *loc. cit.;* Gasparri *loc. cit.*);

c) vel homicidio in ea patrato (*c. 4 tit. cit. X.* [*III. 40*]; *c. 19. d. 1. de cons.*), in quo continetur etiam extremum supplicium, licet iustum, martyrium et multo magis suicidium; etiamsi haec omnia sine effusione sanguinis contingerent, ut ecce veneno, laqueo (B. P. *l. c.;* D'Ann. *l. c.* [*17*]): et verius videtur sufficere in casu vulnus in ecclesia fuisse inflictum, quamvis mors alibi sequatur (Laymann *Theol. mor. l. V. tr. 5. de sacr. missae c. 5. n. 8*);

d) vel sepultura excommunicati vitandi (*c. 7 tit. cit. X.* [*III. 40*]; *c. 12 de sepult. X.* [*III. 28*]) et iuxta quosdam etiam tolerati (arg. ex decr. S. R. C. *in Carthaginien. 23 apr. 1875* [*3344*], ubi dicitur ecclesiam pollutam fuisse per sepulturam acatholicorum; Thesaurus *de poenis p. II. c. 4;* Gasparri *loc. cit. I. 254;* contrarius est B. P. *II. 414* et ex parte Wernz *Ius Decr. III. 442* [*44*]), aut infidelis (*cc. 27. 28. d. 1 de cons.;* nota Gasparri [*loc. cit. I. 253*] putare, hos canones non habere saltem vim legis universalis, quum primus desumptus sit ex Theodoro Cantuariensi, alter ex Capitularibus Regum Francorum; sed, nonne dicendum est, ex consuetudine hos canones habere iam vim legis?) non vero probabilius catechumeni (Schmalgr. *l. c. n. 72*), vel iuxta plures (Schmalzgrueber *loc. cit. n. 74;* D'Ann. *loc. cit.* [*19*]), infantis ex christianis nati et mortui sine baptismo. Attamen hi per se sepultura ecclesiastica sunt privandi. Rit. Rom. *tit. VI. c. 2. n. 7.*

Ut ecclesia polluta censeatur, crimina (idem dicas de omnibus aliis actionibus, ex quibus sequitur ecclesiae pollutio) debent esse notoria (notorietate aut iuris aut facti) et commissa in ipsa, non in adiacentiis, ut in turri, sacristia etc. Laymann *loc. cit. nn. 7. 10;* S. Alph. *III. 362. 364.* 1927

Hinc ex actione occulta non sequitur pollutio. Attamen, si ea actio de occulta evadit publica, eo ipso ecclesia censenda est polluta. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 82.* Praeterea, ut ecclesia consideretur polluta, necesse est, ut huiusmodi actiones certo fuerint admissae, nec non eas certo esse ex illis, ex quibus pollutio ecclesiae de iure sequitur. Quare in dubio sive facti sive iuris, pollutio ecclesiae de rigore iuris non est admittenda. Gasparri *loc. cit. I. 246.* Attamen, ut bene notat idem Gasparri, praxis S. Congreg. Rituum est, ut in casibus

dubiis praecipiat, ecclesiam reconciliari ad cautelam. Cfr. *S. R. C. in Carpen. 3 mart. 1821 (2612); in Tolentina 27 febr. 1847 (2938).*

1928 Patet autem, causas pollutionis quippe quae expresse in iure determinatae sunt, non esse extendendas ad causas similes, idest ad alios actus in iure non expressos, vel ad alia delicta, etsi graviora, vel ad alias censuras seu poenas ecclesiasticas. Wernz *loc. cit. III. 442.* Hinc si in ecclesia sepeliatur nominatim suspensus, ecclesia non est polluta. Gasparri *l. cit. I. 248.*

1929 **De effectibus pollutionis.** — Effectus immediatus et primarius pollutionis ecclesiae est, ut in ecclesia polluta nequeant celebrari divina officia, missa praesertim, donec reconcilietur (*c. 18 de sent. excomm. etc.* [*V. II*] *in 6°*), nisi adsit gravis causa excusans in iure admissa et ab episcopo approbata (Schmalzgrueber *loc. cit. n. 64;* Wernz *loc. cit. III. 443*), et qui hoc faceret, temerarie ageret, quamvis irregularitatem non incurreret. *c. 18 nuper. cit.*

An per pollutionem ecclesiae polluatur coemeterium et viceversa, vide sub *Coemeterium*,

1930 **De reconcilianda ecclesia polluta.** — Ecclesia benedicta, postea violata, reconciliari debet a sacerdote (probabiliter absque ulla delegatione episcopi, Ben. XIV *de Syn. XIII. 15. 2*) adhibita aqua lustrali (*c. 10. d. 1 de cons.*); consecrata, postea polluta, reconciliari debet ab ipso episcopo, vel a sacerdote delegato a Papa. Rit. Rom. *tit. VIII. c. 28.* Vid. *Reconciliatio, Coemeterium.*

Varia quaedam. — Oratoria privata, 1931
licet benedicta, non censentur pollui; neque enim stricte dicta benedictione benedici possunt. Salmant. *Th. mor. tr. XXVI. c. 6. p. 33.* Vid. *Oratorium.*

Peccatis omnibus, quibus ecclesia polluitur de iure canonico, vel quae fiunt contra immunitatem et sanctitatem loci sacri, committitur sacrilegium.

De nonnullis aliis, quae ad ecclesias referuntur. — Ecclesiam 1932
sine consensu ordinarii saltem tacito (Schmalzgr. *in tit. 48 lib. III Decr. n. 4*), et sine dote, arbitrio eius definienda (Reiffenstuel *in tit. 48 lib. III Decr. n. 9*), aedificare non licet. Vid. *Aedificatio.*

Exoptandum praeterea est, ut in ecclesiis nulla sit distinctio quoad locum inter fideles nobiles et ignobiles, quum omnes sint christiani eodem Christi sacramento regenerati (*S. C. P. F. ad super. miss. Malabar. 9 apr. 1783*); attamen ad maiora damna avertenda hanc ipsam separationem S. C. de Prop. Fide aliquando tolerari permisit. *S. C. P. F. 7 ian. 1778.*

In eadem ecclesia non licet plures cappellas erigere sub eadem invocatione. *S. R. C. in una Mont. Pelusii 17 iul. 1640 (712).*

In qualibet ecclesia, si excipias parochiales, cathedrales et ecclesias regularium, asservari nequit ss. eucharistiae sacramentum sine apostolico indulto, vel immemorabili consuetudine, quae, ut ait Benedictus XIV *Const.* « Quamvis iusto » *30 apr. 1749,* huiusmodi indulti praesumptionem inducat. D'Annib. *III. 2 (3).*

Praxis exigendi pecunias ad fores ecclesiarum, ut fideles ingredi possint, et divinis mysteriis adesse, penitus eliminanda est, sicubi viget. *S. C. P. F. ad epp. Stat. Foed. Amer. septemtr. 15 aug. 1869.* Vid. *Eucharistia.*

Quoad ecclesiae aedificationem, vid. *Aedificatio.*

Quoad exsecrationem ecclesiae, vid. *Consecratio, Exsecratio.*

Quoad ecclesiae reparationem, vid. *Reparatio.*

Quoad ecclesiae immunitatem, vid. *Immunitas.*

D. I de cons.; tit. de cappellis monachorum et aliorum religiosorum X. (III. 37): tit. de cappellis monachorum (III. 18) in 6°; tit. de consecr. ecclesiae vel altaris X. (III. 40); idem tit. (III. 21) in 6°; tit. de custodia eucharistiae, chrismatis et aliorum sacramentorum X. (III. 44); *Hospinianus* De origine, progresso, usu et abusu templorum ac rerum omnium ad templa pertinentium; *Peck* Tract. de sacros. et cathol. christian. ecclesiis reparandis ac reficiendis; *Corona T.* Sacri tempj, dove si rappresenta quanto appartiene al culto e venerazione de' tempj, la loro immunità, l'obbligo de' loro ministri, i significati delle vesti sacerdotali et altre ecclesiastiche suppellettili; *Lobbetius J.* De religioso templorum cultu; *Passerinus P. M.* De pollutione ecclesiarum; *De Urrutigoyti* De ecclesiis cathedralibus; *Bona* De rebus liturgicis l. 1. c. 19; *Ziegler G.* De dote ecclesiae eiusque iuribus et privilegiis; *Ciampini Jo.* Synopsis historica de sacris aedificiis a Constantino M. constructis; *Linckens H.* De iuribus templorum; *Thomassin* Vetus et nova ecclesiae disciplina P. I. lib. 2. c. 92-96; *Morinus Jo.* Opera posthuma (diss. 1-4); *Schmier* Sacrosanctae ecclesiae in genere cum suis praerogativis; *Bingham Jos.* Origines sive antiquitates ecclesiasticae lib. VIII; *Marangoni Jo.* Cose gentilesche e profane trasportate ad uso e ornamento delle chiese; *von Essen Emm. Chr.* De onore structurae aedium sacrarum atque parochialium in Pomerania; *Rodotà P. P.* In epistolam encyclicam a S. D. N. Benedicto Papa XIV datam ad omnes episcopos ditionis ecclesiasticae die 19 febr. a. 1749 commentarius, in quo agitur de anno iubilari, de cultu templorum, de cantu et musica ecclesiastica; *von Carrach Jo. Ph.* Diss. inaug. de iure condendi cappellas; *Mamachi T.* De' costumi de' primitivi cristiani (in 1° vol. De ecclesiis); *Ballet* Histoire des temples des payens, des juifs et des chrétiens; *Cabassutius* De veterum ecclesiarum situ, partibus et structura, in *Zaccaria* Disciplina populi Dei; *Mabillonius* De ecclesiarum forma et dispositione, in *Zaccaria* Discipl. populi Dei; *Assemani I. A.* Comm. de ecclesiis, earum reverentia et asylo, atque concordia sacerdotii et imperii; *Martène E.* De antiquis ecclesiae ritibus tom. II. cc. 13, 14, 15; *Westhover C.* De eo quod circa aedificia ecclesiastica praecipue in dioecesi Coloniensi specialiter obtinet; *Helfert Jos.* Von der Erbauung, Erhaltung und Herstellung der kirchlichen Gebäude u. s. w.; *von Sainte-Marie-Eglise* Die Pflicht der baulichen Unterhaltung und Wiedererbauung der Kultus-Gebäude nach bayer. Ges. Rechtsprinzipien und Verordnungen; *Helfert* Von der Erbauung, Erhaltung und Herstellung der kirchlichen Gebäude nach gemeinem und österreichischem Kirchenrechte²; *von Reinhardt C. F.* Ueber kirchliche Baulast nach den Grundsätzen der Katholiken und Protestanten; *Permaneder Fr. M.* Die kirchliche Baulast oder die Verbindlichkeit der baulichen Erhaltung und Wiederherstellung der Cultusgebäude; *Gründler* Ueber die Verbindlichkeit zum Beitrage der Kosten der Erhaltung und Wiederherstellung der Cultusgebäude; *Hüffer H.* Die Verpflichtung der Civilgemeinden zum Bau und zur Ausbesserung der Pfarrhäuser nach dem in Frank-

reich und in der preuss. Rheinprovinz am linken Ufer geltenden Gesetzen; *Ducrocq Th.* Des églises et autres édifices du culte catholique; *van de Burgt F. P.* De ecclesiis; *Barbier de Montault Xav.* Traité pratique de la construction, de l'ameublement et de la décoration des églises selon les règles canoniques et les traditions romaines; *Birré* Étude sur la condition juridique des églises, temples, presbytères; *Durand* Orientation de la prière et des édifices religieux; *Many S.* Praelectiones de locis sacris tit. 1; *Vermeersch A.* De ecclesiis et oratoriis religiosorum, in De religiosis et missionariis supplementa et monumenta periodica II pag. 1 sqq. III. pag. 1 sqq. 1907.

Panvini O. De praecipuis Urbis basilicis, quas septem ecclesias vocant; *Serrani M. A.* De septem Romae ecclesiis earumque reliquiis, stationibus etc.; *Salmasius C.* Coniecturae de suburbicariis regionibus et ecclesiis; *Salmasius C.* Vindiciae pro coniectura de suburbicariis regionibus; *Salmasius C.* Epistola de suburbicariis regionibus et ecclesiis; *Frances D. A.* Tract. de ecclesiis cathedralibus earumque privilegiis et praerogativis.

Thiers Les principaux autels des églises; *Slevogt G.* Dissertatio de iuribus altarium; *Laib F. - Schwarz F. I.* Studien üb d. Gesch. d. christl. Altars; *Schwarz F. I.* Der Altar; *Schmid A.* Der christl. Altar u. s. Schmuck.

Philippi De subselliis templorum; *Horn* Observationes circa iura patronatus subselliorum in templis; *Hommel* De subsellii templorum commercio; *Stössner* Abhandlung von der Verlosung der Kirchenstühle; *Hellbach* Grundsätze von den Rechten... der Kirchstellen oder Kirchstühle; *Köhler* Abhandl. v. Kirchenstuhlsrechte; *Oliphant* The law of pews in churches and chapels; *Heals* History and laws of church pews and seats; *Garbasso* Del diritto di tenere banchi in chiesa; *Meidinger* Ueber die Rechte an Kirchenstühlen; *Cronzil L.* De la location des sièges d'église

Columna M. A. De ecclesiasticorum redituum origine et iure tractatus; *Le Maître N.* Illustratio sacri patrimonii seu de bonis et possessionibus ecclesiasticis tractatus; *Huhn J. P.* Diss. de eo, quod iustum est circa bonorum immobilium ad manus mortuas translatio; *Friederich Ph.* Dissert. de eo, quod iustum est circa amortisationem; *Desing* Staatsfrage: Sind die Güter der Geistlichkeit dem Staate schädlich oder nicht? *Majer* Ueber das Eigenthum an geistlichen Gütern; *Mosham* Ueber Amortisationsgesetze; *Affre* De la propriété des biens écclésiastiques; *Affre* Administration temporelle des paroisses; *Schulte* De rerum ecclesiasticarum domino: *Aull* Handbuch über die Verwaltung des Kirchenvermögens in Bayern; *Gräff* Das Eigenthum der katholischen Kirche an ihren dem Cultus gewidmeten Gebäuden; *Gräff* Das Eigenthum an den Kirchen; *Loberschiner* Das Kirchenvermögen oder die gesetzliche Art der Erwerbung und Verwaltung des Gotteshauses und Pfründenvermögens auf Grund des österr. Concordats; *Hubler B.* Der Eigenthümer des Kirchenguts. Eine civilistische Antwort auf eine canonistische Frage; *Maas* Ueber das Rechtssubiect, die Vertretung, Verwaltung, Verwendung des Kirchen-, Schul- und Stiftungsvermögens mit besonder. Rücksicht auf die erzbisch. Verwalt. Instr. für Hohenzollern; *Poschinger* Das Eigenthum am Kirchenvermögen; *Kahl W.* Die deutsche Amortisationsgesetze; *Knecht A.* System d. Iustinian. Kirchenvermögensrechtes; *Lampert U.* De criterio iuridico qualitatis ecclesiasticae; bonorum in definiendo patrimonio ecclesiae; *Tilloy A.* L'administration des fabriques et de la police du culte; *Galante A.* La condizione giuridica delle cose sacre vol. I.; *Lecarpentier* La propriété foncière du clergé sous l'ancien régime et la vente des biens ecclés. pendant la révolution; *Boudinhon* Biens d'église et peines canoniques.

Ecclesia collegiata. — Vid. *Collegiata.*

1933 **Eclipsis.** — Tempore eclipsis lunae Siamenses tumultuantur, campanas et instrumenta pulsant, explodunt tormenta bellica, ea opinione ducti, quod credant, draconem magnum deglutire velle lunam aut solem; strepitum autem magnum faciunt, ut liberent eos de ore draconis, et sic putant, se habere magnum meritum et ostendere gratum animum. Rex Siami tunc solet dare eleemosynas sui corporis custodibus et aliis, quos prope se invenit. Quaesitum est a S. Congr. de Prop. Fide, an possent christiani tales eleemosynas recipere, et, si iuberentur, tormenta bellica explodere. Et sacra Congregatio respondit: « Nisi publica opinione explosio tormentorum bellicorum et acceptio eleemosynae ex parte Christianorum habeantur in casu, de quo agitur, tamquam actus superstitiosi, christianos non esse inquietandos ». *S. C. P. F. ad vic. ap. Siam. 18 mart. 1817.*

1934 **Edentes.** — « Edit librum qui curat ut liber vulgetur et disseminetur. Huiusmodi est *editor* stricte talis, et plerumque *scriptor* seu *auctor*. Communi enim utriusque opera solet liber in lucem prodire. Id tamen non est necessarium. Namque eduntur opera, scriptore invito vel nescio vel vita functo. Ut autem ipse editoris partes assumpsisse sit dicendus, oportet ut in hunc vulgandi opus finem librum a se conscriptum tradiderit. Porro libri pravi editio est intrinsece mala ». Vermeersch *De prohibitione et censura librorum* ⁴ *n. 49.*

1935 **Educandae.** — Educandas, seu puellas educationis gratia intra monasterium recipere vetantur moniales clausurae subiectae, ratione ipsius clausurae. Vid. *Clausura.* Attamen aliquando haec facultas conceditur a S. Congregatione religiosorum (iamdiu a s. Congr. EE. et RR.); verum sub quibusdam clausulis, quae ordinarie ad sequentes reducuntur. Ut pro educandis adsit locus particularis, maxime ubi dormiant ac laborent, commodus, distinctus et separatus ab eo, ubi moniales professae, nec non novitiae habitare solent; qui quidem eius sit capacitatis, ut unaquaeque sola ibi dormire possit. Ut educandarum numerus sit praefixus parque loci capacitati, neve superare possit dimidiam partem monialium, non computatis novitiis et conversis. Ut educanda munita sit requisitis necessariis, atque a monialibus capitulariter, et per vota secreta acceptetur. Ut educanda non sit minor septem annis, neque maior viginti quinque, et, ut, simul ac ad annum 25 pervenit, ipso illico sub poena violatae clausurae, ipso facto, sine alia declaratione incurrenda, egredi debeat; et ut praeterea proximi cognati obligatione teneantur, eam tum aetate supradicta superveniente, tum in quovis alio casu, quo ordinarius vel moniales eam dimittere iudicaverint, suscipiendi. Ut non sit ultra numerum praefixum. Ut pro ea idonea detur fideiiussio, singulis semestribus solvendi abbatissae pro tempore exsistenti in pecunia numerata alimenta anticipata, quae monasterio emolumento et considerabili esse debeant utilitati; quae fideiiussio si moriatur fideiiussor, vel per aliud accidens deficiat, infra mensem renovari de-

beat, quo praeterlapso, si nondum data fuerit, illico puella dimittatur. Ut sola ingrediatur, habitu induta modesto, et, non secus ac ipsae moniales, leges clausurae et locutorii observet. Ut semel egressa neque in illud neque in aliud monasterium recipi queat, nisi ad eum finem, ut monialis fiat. Cfr. Lucidi *de vis. sacr. lim. III. doc. 56; S. C. EE. RR. 8 mart. 1740 apud Bizzarri Collect. pag. 352.*

Educatio. — De obligatione parentum quoad educationem filiorum, vid. *Parentes.*

Egressus. — Egressus e monasterio, quale peccatum pro religiosis viris; quale pro monialibus; et quaenam poenae transgredientibus sint, vid. sub *Clausura.*

1936 **Eiectio. — De ipsa eiectione.** — Religiosus, etiam solemniter professus, eiici potest ab ordine, servatis servandis. Cfr. Decr. S. C. C. « Sacra Congregatio » iussu Urbani VIII. editum *21 sept. 1624.* et Decr. eiusdem S. C. « Instantibus » iussu Innocentii XII editum *24 iul. 1694.*

1937 Ad hoc tamen ut, huiusmodi religiosus eiiciatur, debet esse vere incorrigibilis, et talis non est censendus, nisi in eo concurrant ea omnia, quae ad hoc ex iuris communis dispositione requiruntur, sublatis in hoc per citatum decretum Urbani VIII statutis et constitutionibus cuiusque religionis et ordinis, etiam a Sede apostolica approbatis. Ea autem, quae iuris communis dispositione necessaria sunt, ut quis incorrigibilis habeatur, haec sunt: nimirum, ut aliquis ter de gravi delicto convictus et punitus antea fuerit, et iterum graviter deliquerit. Schmalzgr. *in tit. de regularibus n. 247;* Sanchez *de praec. decal. l. VI. c. 9. n. 4;* Ferraris *Prompta bibl. v.* « Eiectus » *n. 13.* Requiritur praeterea trina monitio canonica. *c. 6. de statu monach. X.* [*III. 35*]). Antiquitus requirebatur etiam inclusio in carcere per annum (*decr. cit. Urbani VIII,* quem annum Innocentius XII *decr. cit.* ad semestre reduxerat); nunc haec inclusio in carceribus, etiam ad expellendos professos votorum solemnium, non est amplius necessaria. Cfr. *S. C. EE. RR.* « Auctis » *4 nov. 1892 iussu Leonis XIII editum.*

Debent praeterea superiores processum contra delinquentem instituere, processus resultantia accusato contestari, eidem tempus concedere congruum, quo suas defensiones, sive per se, sive per alium eiusdem instituti religiosum exibere valeat; quod si accusatus ipse proprias defensiones non praesentaverit, superior seu tribunal defensorem, ut supra, alumnum respectivi instituti ex officio constituere debet. Post haec superior (generalis vel provincialis, *Decr. cit. Inn. XII n. 3*), cum suo consilio (nempe de consilio et assensu sex religiosorum eligendorum in capitulo seu congregatione provinciali; sed in hoc casu a generali confirmandi sunt *decr. cit. Innoc. XII n. 3.*), sententiam expulsionis aut dimissionis pronuntiare potest, quae tamen nullum effectum habet, si condemnatus a sententia prolata rite ad S. Congr. Episcoporum et Regularium (nunc autem religiosorum) appellat, donec per eam- 1938

dem sacram Congregationem definitivum iudicium prolatum non fuerit. *Decr. cit. Leonis XIII n. 3.*

Sententia expulsionis a superioribus debet statim significari episcopo, in cuius diocesi expulsus sedem suam statuere debet. *Decr. cit. Urbani VIII et Inn. XII.*

Haec omnia servanda sunt etiam a superioribus institutorum votorum simplicium, quoties agatur de alumno vota simplicia quidem, sed perpetua, professo, vel votis simplicibus temporaneis astricto ac insuper in sacris ordinibus constituto dimittendo. *Decr. nuper cit.* Vid. *Dimissio.*

1939 **De consequentiis eiectionis.** — Alumni votorum solemnium vel simplicium perpetuorum, vel etiam temporalium, si sint in sacris ordinibus constituti, qui ab ordine seu Congregatione religiosa expulsi vel dimissi fuerint (non igitur solemniter professi, qui obtinuerint indultum secularizationis) perpetuo suspensi manent, donec a s. Sede alio modo eis consulatur, ac praeterea episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint. Cfr. *Const.* « Apostolicae Sedis » *susp. sub num. 5; decret.* « Auctis admodum » *S. C. EE. RR. 4 nov. 1892.*

Et haec duo, de inveniendo episcopo receptore et de constituendo sibi ecclesiastico patrimonio, collective et non disiunctive accipienda sunt, ita ut non sufficiat tantum episcopum benevolum receptorem invenisse. *S. C. EE. RR. 20 nov. 1896.* Et praeterea eadem s. Congregatio respondit eadem die et eodem anno episcopo Abulensi, non posse episcopum huiusmodi eiectis concedere, ut ordines exercere valeant ad nutum suum. Attamen, quum hi eiecti miserrima egestate premerentur, et episcopus Abulensis non posset erga eos partes agere benevoli receptoris, permissum ei est ab eadem s. Congregatione, ut, quatenus nihil aliud obstaret, posset iisdem facultatem facere exercendi s. ordines ad tempus sibi benevisum, donec manerent in sua dioecesi, firma obligatione sibi inveniendi episcopum benevolum receptorem et constituendi sibi sacrum patrimonium ad formam decreti « Auctis admodum », aut rescriptorum s. Congregationis, si qua obtinuissent.

Religiosus solemniter professus a 1940
religione eiectus tenetur vota essentialia religionis observare (Molina *de iust. I d. 140, II. d. 276*), nec solum vota essentialia, sed etiam alia, si quae emiserit, quibus per egressum ab ordine materia non desit; ei tamen conceditur usus et administratio rerum temporalium (Ferraris *Prompta bibl. v.* « Eiecti » *n. 50*); et quoad votum obedientiae superior ei est ordinarius loci (loci inquam illius conventus, a quo eiectus est [Ferraris *l. c. n. 40*], nisi episcopum benevolum receptorem invenerit, de quo loquitur supracitatum decretum S. C. EE. RR. 4 nov. 1892, cui in casu religiosus eiectus subesse videtur). *Decr. S. C. C. iussu Urbani VIII editum 21 sept. 1624.* § *4.* Quamdiu autem ad religionem non redierit, debet incedere in habitu clericali (*decr. nuper cit. l. c.*), saltem si sit clericus; nam laicus ab hac obligatione a plu-

ribus Doctoribus contra alios eximitur. Suarez *de rel. IV. tr. 8. lib. 3. c. 6. n. 14.*

1941 Iuste eiectus tenetur se corrigere, et petere, ut ad religionem iterum admittatur (Laymann *Th. mor. l. 4 tr. 5. 13. n. 6*), imo potest ad hoc ipsam religionem cogere, dummodo saltem ex litteris testimonialibus ordinarii constet, eum esse plene emendatum (*Decr. cit. Urb. VIII § 7*); sed, si ad religionem iterum non recipiatur, praesertim postquam bis vel ter admitti petierit, potest tuta conscientia in seculo permanere. Barbosa *in cap. 24 tit. 31 lib. III Decr. n. 9. q. 4.* Eiectus emendatus, ad religionem rediens, non tenetur iterum novitiatum agere, et professionem emittere. Sanchez *in Dec. lib. 6. c. 9. n. 33.*; Ferraris *loc. cit. n. 56.* — Haec quidem omnia de iure communi, nisi specialia habeantur privilegia.

S. C. C. decr. « Sacra Congr. » sub Urb. VIII 21 sept. 1624; decr. Inn. XII « Instantibus » 24 iul. 1694; Const. « Ap. Sedis » 12 oct. 1869 susp. n. 5; S. C. super discipl. reg. 22 ian. 1886; *Pellizarius* Manuale regularium tr. III. c. 5. n. 3-5, tr. VII c. 3. n. 81, tr. VIII c. 8. n. 1-42; *Lessius* De iustitia et iure lib. 2. c. 41 n. 106-108; *Suarez* De virtute et statu religionis tr. 8 lib. 3 cc. 4-6, tr. 10 lib. 3 c. 9, lib. 7 c. 2 n. 11; *Sanchez* In Decalogum lib. VI c. 9; *Ameno L.* De incorrigibilium expulsione ab ordinibus regularibus; *Rotarius* Theol. mor. regul. t. 1. lib. 3 c. 2; *Passerini* De hominum statibus et officiis in 2. 2. q. 189 a. 8; *Schmalzgrueber*, in lib.3 Decr.tit. 31 n. 245-265; *Reiffenstuel* in lib. 3 Decr. tit. 31 n. 226-246; *Bouix* De iure regularium tr. 2 p. 6 s.4. cc. 2, 3; *Schmid F.* Ausschliessung a. d. Ordenstande; *Biederlack J.* De iure regularium n. 92-95; *Piat* Pralectiones iuris reg. ² t. 1. 207-209, 219-229; *Nervegna* De iure practico regularium p. 196 sqq.; *Bastien* Directoire canonique n. 211-228; *Battandier A.* Guide canonique pour les constitutions des instituts à vœux simples suivant les récentes dispositions (Normae) de la S. Congr. des évêques et réguliers. n. 267-281; *Vermeersch* De religiosis institutis et personis p. IV. sect. 4 art. 3.

Electio. — De ipsa electione. — Electio est personae idoneae ad praelaturam ecclesiae vacantem, vel ad aliquod officium ecclesiasticum, per vota legitimorum electorum canonice facta vocatio. *cc. 7. 42 de electione etc. X.* (*I. 6*). 1942

Electio episcopi nunc de iure communi reservatur romano Pontifici. *Reg. 2. et 3. Canc. Apostolicae.* Si quando autem alicui capitulo ecclesiae cathedralis conceditur, ut eligat proprium episcopum, postea a R. P. confirmandum, hoc est privilegium.

De electoribus et de eligendis. — Ad electionem vocandi sunt omnes, qui ad electionem ius habent (scilicet firmum, quare non excommunicati tolerati, etiamsi per se admitti possunt ad electionem, de quo mox) et commode venire possunt, non solum praesentes, sed etiam absentes, dummodo ne in longinquis versentur. *c. 18 tit. cit. X.* (*I. 6*). Vid. *Absens.* Si ex illis, qui hoc ius habent, unus etiam tantummodo posthaberetur, iste posset obtinere irritationem electionis (quae tamen, ipso non contradicente, stat), etiam secuta confirmatione. *cc. 28. 36 tit. cit. X.* (*I. 6*). Ex eo quod vocandi sunt ii tantum, qui commode venire possunt, patet quod, 1943

si ob aliquod periculum forte imminens electio sine mora esset celebranda, non necessario vocandi essent longius absentes.

1944 Carent iure electionis activo laici (*c. 51. 56 tit. cit. X.*), secluso privilegio Sedis apostolicae; clerici, qui de collegio electorum non sunt (*c. 8 de consuet. X.* [*I. 4*]), nisi et ipsi vel apostolicum privilegium habuerint (*c. 8 nuper cit.*), vel ipsis faverit legitima consuetudo; si agatur de capitulo cathedrali vel collegiato, seculari vel regulari, clerici etiam de gremio, qui non sint subdiaconi, quibus ius eligendi concedi nequit ab aliis capitularibus (*c. 32 de elect. etc.* [*I. 6*] *in 6°; c. 2 de aet. etc.* [*I. 6*] *inter Clem.*; Conc. Trid. *sess. XXII. c. 4. de ref.*); impuberes, (*c. 32 de elect. etc.* [*I. 6*] *in 6°*); amentes (ex natura rei, ut patet); excommunicati vitandi (*c. 39 tit. cit. X.* [*I. 6*]; *c. un. ne sede vac. etc.* [*III. 8*] *in 6°*); et iuxta quosdam etiam non vitandi (contra alios ex. gr. Santi *in tit. 6. lib. I. Decr. n. 7*; Kober *Die Kirchenbann p. 371 sqq.*; Wernz *Ius Decr. II. 357*, sequentes Schmalzgrueber *in tit. 6 lib. I Decr. n. 13*: Laymann *de elect. prael. q. 26*, etc.), qui saltem certo repelli possunt ab electione per exceptionem excommunicationis; suspensi simpliciter, vel saltem ab officio (*c. 16 tit. cit. X.* [*I. 6*]; *c. 8 tit. cit. X.* [*I. 4*]); personaliter interdicti (cfr. *c. 16 tit. cit. X.* [*I. 6*]); privati voce activa (cfr. *c. 2 de postulat. Prael. X.* [*I. 5*]); infames infamia iuris, saltem post sententiam declaratoriam (Wernz *Ius Decr. II. 357*).

Nonnulli etiam in poenam privantur *pro ea vice* iure eligendi, ut sunt ex. gr. capitulares, qui scienter ad episcopatum postularunt vel elegerunt indignum (*c. 25 tit. cit. X.* [*I. 6*]), vel qui postulationem ob vitium personae a superiore cassatam innovarunt (*c. 2 tit. cit. X.* [*I. 5*]), vel qui non servarunt formam electonis praescriptam a iure (*c. 42 tit. cit. X.* [*I. 6*]).

Absentes, nisi in longinquis versen- 1945
tur (*c. 42 tit. cit. X.* [*I. 6*]), ut diximus, qui iure eligendi potiuntur, ad electionem vocandi sunt; imo hi possunt etiam sibi procuratorem constituere, quando ius habent. ut advocentur, et iusto detinentur impedimento, quominus ad electionem ipsi veniant. *c. 42 tit. cit.* [*I. 6*]. Huiusmodi procurator, si sit de collegio electorum, ab aliis admittendus est (*c. 42 nuper cit.*); secus potest repelli, sed et admitti potest (*c. 46 tit. cit.* [*I. 6*] *in 6°*), at procurator debet esse praeditus iisdem qualitatibus, quae in electoribus requiruntur a iure. Etiamsi vero collegium nolit admittere extraneum, et nullus de collegio velit esse procurator, non potest absens votum suum per litteras exprimere. *c. 46 nuper cit.* § *3.* Nota autem, talem procuratorem, si simpliciter fuerit constitutus, idest si non acceperit a domino mandatum pro eligenda certa et determinata persona, non posse valide dare suffragium uni nomine suo et alteri nomine domini; si autem speciale habuerit mandatum de certa eligenda persona, posse in diversas diverso nomine consentire. *c. 46 nuper cit.* § *2.*

Quaeri potest, quid iuris, si habi- 1946
libus electoribus alii inhabiles iun-

gantur. Et generatim respondendum: attendenda esse sola habilium suffragia, negligendo alia; attamen electionem stare, nisi agatur de casu a iure excepto. Cfr. *reg. iur. 37 in 6*; Wernz *loc. cit. II. 358.* Casus vero excepti sunt: si capitulares scienter ad electionem laicum admiserint (*cc. 51. 56. tit. cit. X.* [*I. 6*]); si admiserint excommunicatum vitandum. *c. 15 de procur. X.* (*I. 38*).

1947 Iure electionis passivo exciduntnon. nulli defectu scientiae (*c. 7 tit. cit. X.* [*I. 6*]; scientiam requisitam pro singulis officiis ecclesiasticis vide suis locis); alii defectu aetatis (*c. 3 de aet. etc. X.* [*I. 14*] Vid. *Aetas*); alii vero defectu gravitatis morum. Hi autem sunt praecipue: haeretici eorumque fautores, defensores etc. (*c. 2 de haer.* [*V. 2*] *in 6°* § *2*); haereticorum filii in linea masculina usque ad secundam, in feminina usque ad primam generationem, si parentes mortui sint in haeresi (*c. 15 tit. nuper cit. in 6°*); schismatici (*c. 5 tit. cit. X.* [*I. 6*]); spurii et illegitimi (*c. 7 tit. cit. X.* [*I. 6*]); periurii (*c. 10 de iureiur. X.* [*II. 24*]); infames (*c. 17 C. VI. q. 1*; *c. 87 de reg. iur.* [*V. 12*] *in 6°*), sed tantum, si sententia tales fuerint declarati (*cc. 4. 17 de temp. ordinat. X.* [*I. 11*]); publici excommunicati (*c. 7 de cler. excomm. etc. et ministr. X.* [*V. 27*]), etsi tolerati; suspensi (*c. 8 tit. cit. X.* [*I. 4*]); personaliter interdicti vel temere violantes interdictum locale (*c. 1 de postulat. prael. X.* [*I. 5*]); irregulares (cfr. *c. 10. dist. 34*); illi, qui semel reiecti sunt ob vitium personae (*c. 12 tit. cit. X.* [*I. 6*]); illi, qui electioni suae absolute consentiunt ante publicatum decretum electionis, vel electioni factae per abusum secularis potestatis (*c. 43 tit. cit. X.* [*I. 6*]); publici aleatores et usurarii manifesti (*c. 11 de excessibus prael. X.* [*V. 31*]); illi, qui plura retinent beneficia incompatibilia sine legitima dispensatione (*c. 54. tit. cit. X.* [*I. 6*]); falsarii litterarum apostolicarum (*arg. c. 7 de crimine falsi X.* [*X. 20*]); illi, qui irregulares sunt ex delicto (Wernz *loc. cit. II. 363. II*); depositi et degradati, ut patet.

Electio debet esse actus capituli 1948
seu collegii, qua talis, idest debet esse actus collegialis, seu collegialiter facienda est, idest a collegio vel capitulo collegialiter seu capitulariter congregato.

Vocatis vero vocandis, statuta die, hora et loco (qui, si agitur de electione episcopi, in quantum fieri potest, est ecclesia cathedralis, *c. 28 tit. cit. X.* [*I. 6*]), electio instituitur a praesentibus (*c. 19 tit. cit. X.*), reliquis contemptis, quia ipso facto absentiae suae videntur suo iuri renuntiare; nec officit electioni faciendae, quod maior pars sit absens; imo, etsi unus tantum esset praesens, is, quum in ipso uno devolutive consistat ius electionis, quod habet totum capitulum, licite et valide solus eligit. Bargilliat *Prael. iur. can. I. 183.*

De forma electionis. — Forma ele- 1949
ctionis triplex est in iure nempe per scrutinium, per compromissum, per quasi inspirationem. *c. 42 tit. cit. X.* (*I. 6*).

a) Electio *per scrutinium* illa est, quae fit per collectionem suffragiorum

circa eum, in quem maior et sanior pars capituli consentit. Collectio suffragiorum debet fieri per tres scrutatores ab electoribus capitulariter electis de gremio collegii, qui vota singulorum exquirant secreto et singillatim, eaque in scriptis redigant, et collecta mox publicent; qua publicatione facta, electores nullam amplius habent variandi facultatem. *c. 42 tit. cit. X.* (*I. 6*). Post hanc publicationem mox facienda est collatio suffragiorum (*c. 50 tit. nuper cit.*); quae collatio antiquitus fiebat numeri ad numerum, meriti ad meritum, zeli ad zelum, nunc autem numeri ad numerum tantum fit. *c. 9 tit. cit.* (*I. 6*) *in 6°*. Collatione facta, statim facienda est electio (*c. 46 tit. X.* [*I. 6*]) de illo, in quem maior et sanior pars capituli consensit; cuius electionis promulgatio debet esse verbalis (*c. 48 tit. cit. X.* [*I. 6*]), et fieri potest ab eo, qui collegio praeest, vel ab alio iuxta consuetudinem.

Et haec solemnis electio, seu haec promulgatio decreti electionis coram capitulo seu electoribus facta, est omnino substantialis et ad validitatem electionis necessaria, ita ut, si omissa fuerit, tota electio vitio formae esset invalida (et hoc obtinet etiam in electione, quae fit per compromissum); et quum pertineat ad necessitatem et validitatem formae, non potest suppleri per alia, ut ex. gr. per solemnitatem deportationis ad cathedram episcopalem, quemadmodum expresse habemus in capite 48 *tit. cit. X.* (*I. 6*).

Attamen nota, quod, si in discordia haec promulgatio prohiberetur fieri ab altera parte, imo etiamsi fieret illicita et iniuriosa promulgatio alterius, hoc nihil obstaret, dummodo petita esset a parte maiori, quae vere elegit.

b) Electio *per compromissum* illa 1950
est, quae fit, quando capitulares praesentes (nemine omnino ex ipsis contradicente, secus facta electio esset nulla, *c. 29 de reg. iur.* [*V. 12*] *in 6°*) uni (etsi non de collegio *c. 8 tit. cit. X.* [*I. 6*], dummodo non sit laicus, *c. 8 de arbitris X.* [*I. 43*]), vel pluribus idoneis viris potestatem suam eligendi conferunt, qui vice omnium eligant.

Compromissarii debent ornari iis dotibus, quae in electoribus requiruntur; quare debent esse clerici et non laici (*c. 8 de arbitris X.* [*I. 43*]; cfr. etiam *c. 56 tit. cit. X.* [*I. 6*]), aliisque requisitis instructi, quae superius enumeravimus, quamvis non sit necesse, ut sint de collegio electorum. *c. 8 tit. cit. X.* (*I. 6*).

Unus autem compromissarius non potest eligere seipsum (cfr. *c. 7 de institut. X.* [*III. 7*]; *c. 26 de iure. patr. X.* [*III. 38*]); sed, si plures sunt, unus eorum potest electioni de se ab aliis factae consentire, et sic numerum eligentium complere. *c. 33 tit. cit. X.* [*I. 6*].

Compromissum fieri potest sine ulla restrictione, vel aliquibus factis limitationibus, quas praeterire compromissarii non possunt, quaeque si praetereant, nihil agunt. Inter has limitationes, quae compromissariis a compromittentibus fieri possunt, annumerandum est etiam tempus, intra quod eligere debeant. *c. 52 tit. cit. X.* (*I. 6*).

Si vero nulla fuerit limitatio temporis, compromissarii eligere possunt usque ad illud tempus, in quo possunt adhuc eligere compromittentes. Quod si tempus illud fuerit elapsum, electione non peracta, et compromissarii et compromittentes excidunt iure eligendi, quod ad proximum superiorem ecclesiasticum devolvitur.

Exspirat compromissum, praeterquamquod per lapsum temporis, sive a compromittentibus, sive a iure statuti, etiam per revocationem mandati, quae fiat non a singulis, sed a capitulo ipso, idest per pluralitatem votorum electorum (Santi *l. c. n. 22*), quando res adhuc sit integra, idest quando nondum compromissarii de electione tractare coeperunt (*c. 30 tit. cit. X.* [*I. 6*]), vel per factam electionem (quamvis quamcumque ob causam effectum non sortiatur, *c. 37 tit. cit.* [*I. 6*] *in 6°*).

Si compromissarii eligant indignum, sive hoc fecerint scienter, sive ignoranter, potestas eligendi redit ad compromittentes, dummodo ipsi hanc electionem scienter ratam non habuerint. Eodem modo ad compromittentes redit potestas eligendi, si dignus a compromissariis electus electioni de se factae renunciet. Compromissarii vero, si indignum in episcopum (nam haec poena non habet locum in electionibus inferioribus, *c. 37 tit. cit.* [*I. 6*] *in 6°*) scienter elegerint, incurrunt ipso iure suspensionem a beneficiis, quae in illa ecclesia obtinent, quam specialiter noscuntur offendisse, nisi fuerint episcopi. *c. 37 nuper. cit.*

1951 *c*) Electio *per quasi inspirationem* est illa, qua electores omnes concorditer, nullo praehabito tractatu, in eumdem consentiunt. Ad huius electionis validitatem necesse est, ut sine ullo vitio simoniae etc. fuerit celebrata.

Electio *per sortes* reprobatur in 1952
iure, quum una ex tribus formis supradictis sit secundum ius ad validitatem electionis necessaria. Attamen circa hoc notandum est, quod, quum ageretur de electione alicuius canonici basilicae S. Mariae in Cosmedin in Urbe, et duo in triplici repetito scrutinio aequalia suffragia ab electoribus tulissent, electores convenerunt in hoc, electum scilicet haberi eum ex duobus cui sortes favissent. Re delata ad sacram Congregationem Concilii circa validitatem huius electionis, sacra Congregatio pro validitate stetit. *S. C. C. in Romana 2 maii 1857.* Cfr. Santi *l. c. n. 16.*

De libertate electionis. — Electio debet 1953
esse libera; quare nulla est electio, si superior ecclesiasticus personam eligendam electoribus indicaverit, vel etiam duas aut tres personas constituerit, ex quibus una necessario eligatur. *c. 14 tit. cit. X.* (*I. 6*). Et specie recti aberraret, tum superior ecclesiasticus, qui pressuram in electores exerceret, tum electores, qui unicum finem in eligendo haberent, superioris voluntati morem gerere, putarentque meliorem modum eligendi esse voluntati superioris obsequi.

De intimatione et confirmatione electio- 1954
nis. — Electione peracta, electio saltem intra octo dies praesentari debet electo, qui infra mensem tenetur praestare suum consensum, si ele-

ctionem acceptare velit, secus ipso iure privatur iure per electionem acquisito. — Si vero electus a superiore suo veniam exquirere teneatur, hanc quam cito debet exquirere; mensis autem ad deliberandum decurrere incipit ab habito superioris assensu. *c. 6 tit.* [*I. 6*] *in 6°*. — Infra tres menses ab assensu praestito debet electus petere confirmationem. *c. 6 nuper cit.* Vid. *Confirmatio.*

Per electionem ille, qui electionis erat capax, acquirit ius ad rem, seu ad praelaturam vel beneficium ecclesiasticum.

1955 **De tempore, intra quod fieri debet electio.** — Quoad hoc distinguendum est. Si non agitur de cathedralibus vel regularibus ecclesiis, tempus utile est semestre. Si de his agitur, haec sunt attendenda: non debent vacare ultra tres menses, et, si quando intra trimestre, iusto cessante impedimento, electio non fuerit celebrata, electores amittunt ea vice ius eligendi, quod ad superiorem, cui ius erat confirmandi electionem, ipso iure devolvitur (*c. 41 tit. cit. X.* [*I. 6*]; *c. 18 eiusd. tit.* (*I. 6*) *in 6°*); trimestre, quod electioni faciendae a iure electoribus conceditur, incipit decurrere a die habitae notitiae mortis praelati, et impeditis non decurrit; si electio facta fuerit, sed non sit sortita suum effectum, electores habent novum trimestre utile ad novam electionem faciendam.

1956 **Varia quaedam quoad electionem.** — Ad officia ecclesiastica debet fieri electio dignioris; verius electio digni prae digniore est semper valida, nec inducit onus restitutionis, nisi pactum aliquod ex hoc violatum fuerit. Vid. *Dignus.*

Relate ad hanc materiam electionis notanda sunt etiam sequentia: « Quicumque, suffragante populo, ad parochi sive vicarii officium electi, audeant sive ecclesiae, sive iurium ac honorum praetensam possessionem arripere, atque obire munia ecclesiastici ministerii, ipso facto incurrant in excommunicationem maiorem peculiariter reservatam S. Sedi, aliasque poenas canonicas, iidemque omnes fugiendi sint a fidelibus iuxta divinum monitum tamquam alieni aut fures, qui non veniunt, nisi ut furentur, mactent et perdant ». *S. C. C. 23 maii 1874.*

Praeterea, quum instituta fuerit quaedam « Societas catholica italica pro revendicatione iurium ad populum christianum, praesertim ad populum romanum spectantium », quae tuebatur theoriam, romanum Pontificem a populo eligi posse, quaesitum est a S. Poenitentiaria: « 1° An omnes et singuli praedictae societati nomen dantes, vel eam promoventes, aut ei quomodocumque faventes vel adhaerentes excommunicationis maioris poenam ipso facto incurrant? 2° Et quatenus affirmative, an huiusmodi excommunicatio sit romano Pontifici reservata? » Et S. Poenitentiaria respondit: « Attentis omnibus expositis, et inspecta natura et fine huiusmodi societatis, et audito oraculo Summi pontificis; ad primum: Affirmative; ad secundum: Incurri excommunicationem latae sententiae speciali modo romano Pontifici reservatam ». *S. Poen. 4 aug. 1876.*

Pro electione praelati regularis, vid. *Praelatus regularis*. Pro electione abbatissae, vid. *Abbatissa*.

1957 *Litterae emi. card. Secretarii Status ad episcopos Germaniae circa electionem episcoporum.* — Quoad electionem episcoporum operae pretium erit, hic has litteras afferre. Sunt autem: « Ad notitiam S. Sedis pervenit, in electionibus episcoporum, quae in plerisque Germaniae partibus, speciali iuris ordinatione, capitulis commissae sunt, quandoque occurrere tum libertati ecclesiae et apostolicae Sedis dignitati, tum pactis cum loci principe initis minus consentanea. Quum vero ad religionis incrementa, ad regni et sacerdotii concordiam, utiliorem episcopalis muneris procurationem summopere intersit distinctius declarare, quae sint hac in re capituli iura atque officia, SSmus. Dominus noster Leo papa XIII, pro apostolica sua sollicitudine et paterna caritate, universis et singulis earumdem dioecesium ordinariis ea, quae sequuntur, exponi iussit, cum ipsis capitulis communicanda atque ab omnibus diligenter servanda et custodienda, ita ut deinceps, quavis ambiguitate sublata, amotisque iis, qui forte irrepserunt, abusibus, ecclesiae libertas, pactorum fides et Sedis apostolicae dignitas sartae tectaeque maneant.

Illud est in primis animadvertendum, constitutiones apostolicas *De salute animarum* (pro regno Borussiae *16 iul. 1821*), *Impensa Rom. Pontificum* (pro regno Hannoverae *21 mart. 1824*), *Ad dominici gregis* (pro provincia ecclesiastica Rheni superioris *10 apr. 1827*), litterasque in forma brevis *Quod de fidelium* (ad capitula regni Borussici *16 iul. 1821*) et *Re sacra* (ad capitula prov. Rheni super. *28 maii 1827*), ad normam conventionum cum principibus initarum, a romanis Pontificibus s. m. Pio VII et Leone XII editas, capitulis metropolitanis et cathedralibus Germaniae facultatem et officium attribuere, libere prorsus atque ad sacrorum canonum praescriptum archiepiscopos et episcopos eligendi. Capitula nimirum id habent operis ac muneris, ut eiusmodi electionum libertatem, ab apostolica Sede in tuto positam, et a civili regimine, initis respective pactis, admissam neque directe neque indirecte violari umquam sinant aut imminui.

Porro constans doctrina, a qua se recedere nec posse sancta Sedes aperte semper declaravit, acatholicae potestatis interventum hac in re non admittit, nisi negativum, et qui libertatem canonicae electionis incolumem relinquat. Quam libertatem laederet profecto aut minueret positivus concursus vel influxus potestatis ipsius, sicut et illimitatum excludendi ius in negotio electionis pastorum, quos « Spiritus sanctus posuit regere ecclesiam Dei ».

Iamvero negativus interventus, principi vel regimini acatholico permissus, eo demum spectat, ut personae minus illi gratae non eligantur; unde capituli partium est illos tantum adsciscere, quos, ante solemnem electionis actum, inter alias dotes ad ecclesiam instruendam, tuendam et pacifice gubernandam requisitas, pru

dentiae laude, publicae quietis ac fidelitatis studio praestare, ideoque principi non esse minus gratos constet.

Meminerint insuper electores acserio perpendant, quam grave et magni momenti sit illorum munus; ni, hilque aliud ob oculos suos ponant quam animarum salutem et ecclesiae emolumenta, ut, omni deposito humano respectu, illi uni suffragium conferant, quem ceteris aptiorem et digniorem reputaverint.

Quia vero nonnisi digniores et ecclesiae magis utiles promovendi sunt, tenentur electores candidatorum catalogo eos tantum inscribere, quos iudicent omnibus qualitatibus ad ecclesiam sancte sapienterque regendam, reapse pollere. Si enim alios, de cetero benemeritos, sed ob provectiorem aetatem, vel adversam valetudinem, aut aliam ob causam, muneri impares candidatis accenserent, canonici periculo sese committerent ipsos demum inhabiles eligendi cum summo ecclesiae detrimento.

De commissarii civilis interventu in electionibus nihil iuris gubernio attribuunt vel recognoscunt apostolicae Sedis acta et documenta, quae huc spectant. Quod si eiusmodi interventum plenae libertati electionum vel ecclesiae dignitati quomodocumque officere contingat, capitula id ferre nec possent nec deberent.

Speciatim admittere nequit apostolica Sedes, ut canonici, dum electionem peractam commissario significant, approbationem quodammodo expostulent aut exquirere videantur civilis potestatis. Nec permitti potest, ut adstanti populo statim notificetur electio, velut completa et perfecta. Sed comitiorum exitus ita publicandus erit, ut simul declaretur, capitularem actum suos canonicos effectus non sortiri, nisi quum a summo Pontifice fuerit confirmatus. Proinde solemnis et publica gratiarum actio pro electione facta omnino differenda est usque dum apostolicae confirmationis certum habeatur nuncium.

Mandat denique Sanctitas sua, ut, harum litterarum exemplar in tabulario cuiusque capituli diligenter asservetur, itemque praecipit, ut sede episcopali vacante, antequam de electione peragenda canonici capitulariter pertractent, haec mea epistola, simulque breve *Quod de fidelium* vel *Re sacra* (pro diversitate loci) religiose et ad integrum perlegantur.

Haec omnia beatissimus Pater praedictis Germaniae capitulis per episcopos singulos significari iussit, eaque Sanctitati Suae de capitularium integritate, prudentia ac fide est opinio, ut ipsos apprime mandata eiusmodi servaturos, commissoque munere naviter perfuncturos esse minime dubitet.

Erit igitur Amplitudinis tuae, summi Pontificis nomine, hac de re certiores facere capitulares tuae iurisdictioni subiectos; dum sincerae aestimationis meae tibi sensus ex animo profiteor. — Romae, e secretaria Status, die 20 iulii 1900. — M. card. Rampolla ».

Decr. Grat. D. LX. LXI. LXII. LXIII; C I. q. 6; C. VIII. q. 1. 2. 3; C. XVIII q. 2; tit. de electione et electi potest. X. (I. 6); idem tit. (I. 6) in 6°; idem tit. (I. 3) in Clem.; idem tit. (tit. 1) in Xvag. Io. XXII; Conc.

Trid. sess. VII cc. 1. 3. 13 de ref.; sess. XXII c. 2 de ref.; sess. XXIV cc. 1. 12 de ref.; sess. XXV cc. 6. 7. de regul.; Constit. Iul. III «Sanctissimus» 27 maii 1553; Const. Pii IV «Sanctissimus» 31 oct. 1564; Const. Greg. XIII «Exposcit» 1 ian. 1583; Const. Greg. XIV «Onus Apostolicae» 15 mart. 1592; Const. Greg. XV «Inscrutabili» 5 febr. 1622; Const. Inn. XII «Ecclesiae cath.» 2 sept. 1695; Const. Ben. XIV «Pastoralis regiminis» 25 iul. 1754; Const. eiusd. «In postremo» 10 oct. 1756; Const. Clem. XIII «Acceptis» 2 ian. 1762; Const. Pii IX «Ap. Sedis» 12 oct. 1869; *Bonincontri L.* Tract. electionum; *Mandagatus G.* Tract. de electionibus novorum praelatorum utilis et necessarius, cum addit. Nicolai Boerii et Matth. Bogss; *Genebrardus G.* De sacrarum electionum iure et necessitate; *Boerius* De iure electionis; *Mandagotti G.* Tract. de iure electionis novorum praelatorum; *Castellini L.* De electione et confirmatione canonica praelatorum quorumcumque, praesertim regularium; *A Castro H.* De electione et potestate praelatorum; *Hallier Fr.* De sacris electionibus et ordinationibus ex antiquo et novo ecclesiae usu: *Samuellini Fr. M.* Disputationum controversiae de canonica electione in regularibus praelatis atque cathedralium ecclesiarum canonicis eligendis; *Caramuelis a Lobkowitz Io.* Hierarchia ecclesiastica de Pontificis, archiepiscoporum, episcoporum, abbatum etc. promotione, electione etc.; *Stracchius Io.* De electione et electi potestate; *Frances D. A.* De intrusione tractatus; *Cunou S.* Disp. de electione; *De Fourcroy* Réflexions sur la décrétale d'Innocent III sur le concours de l'élection avec la postulation; *Staudenmaier F. A.* Geschichte der Bischofswahlen; *Hirschel* Das Recht der Regierungen bezüglich der Bischofswahlen; *Rosner M.* Zur Kritik der Schrift: Das Recht des Staates bei den Bischofswahlen in Preussen, Hannover und der oberrheinischen Kirchenprovinz. Nach amtlichen Quellen von Friedrich von Sybel Gerichtsassessor, Bonn, 1873; *Rosner M.* Zur Kritik der Schrift: Der Staat und die Bischofswahlen in Deutschland. Mit Actenstücken. Von Emil Friedberg. Das 19 Jahrhundert. Leipzig Dunker et Humblodt 1874; *Imbart de la Tour P.* Les élections épiscopales dans l'église de France du IX^e^ au XII^e^ siècle; *Sägmüller* Die Bischofswahl bei Gratian.

Electio ad publica munia. — «Circa 1958
bonam ordinationem principum in aliqua civitate vel gente duo sunt attendenda; quorum unum est, ut omnes aliquam partem habeant in principatu; per hoc enim conservatur pax populi, et omnes talem ordinationem amant et custodiunt, ut dicitur Polit. *lib. II cap. 1.* Aliud est, quod attenditur secundum speciem regiminis vel ordinationis principatuum; cuius quum sint diversae species, ut philosophus tradit Polit. *lib. III cap. 5°*, praecipuae tamen sunt regnum, in quo unus principatur secundum virtutem; et aristocratia, idest potestas optimatum, in qua aliqui pauci principantur secundum virtutem. Unde optima ordinatio principum est in aliqua civitate vel regno, in quo unus praeficitur secundum virtutem, qui omnibus praesit; et sub ipso sunt aliqui principantes secundum virtutem; et tamen talis principatus ad omnes pertinet, tum quia ex omnibus eligi possunt et ab omnibus eliguntur. Talis vero est omnis politia bene commixta ex regno, in quantum unus praeest, ex aristocratia, in quantum multi principantur secundum virtutem, et ex democratia, idest potestate populi in quantum ex popularibus possunt eligi principes, et ad populum pertinet

electio principum ». S. Th. *1. 2. q. 105 a. 1. c.*

Si igitur populum eligere suos principes optima ordinatio est principatus ex S. Thoma, multo magis probari debet, populum eligere suos repraesentantes, qui certos inter limites potestatem legislativam exerceant.

Si quando autem ita de facto ordinata est respublica, ut aetate nostra plerumque accidit, quaeri potest, an singulis civibus non solum ius insit sed et obligatio eligendi hos populi repraesentantes. Circa quod probe attendenda sunt ea, quae Leo XIII constitutione sua « Immortale Dei » *19 nov. 1885*, christianum populum edocebat: « Illud etiam publicae salutis interest, ad rerum urbanarum administrationem conferre sapienter operam: in eaque studere maxime et efficere, ut adolescentibus ad religionem, ad probos mores informandis ea ratione, qua aequum est christianis, publice consultum sit; quibus ex rebus magnopere pendet singularum salus civitatum. Item catholicorum hominum operam ex hoc tamquam angustiore campo longius excurrere, ipsamque summam rempublicam complecti generatim utile est atque honestum. Generatim eo dicimus, quia haec praecepta nostra gentes universas attingunt. Ceterum potest alicubi accidere, ut, maximis iustissimisque de causis, rempublicam capessere in muneribusque politicis versari, nequaquam expediat. Sed generatim, ut diximus, nullam velle rerum publicarum partem attingere tam esset in vitio quam nihil ad communem utilitatem afferre studii, nihil operae: eo vel magis, quod catholici homines ipsius, quae profitentur, admonitione doctrinae, ad rem integre et ex fide gerendam impelluntur. Contra, ipsis otiosis, facile habenas accepturi sunt ii, quorum opiniones spem salutis haud magnam afferant. Idque esset etiam cum pernicie coniunctum christiani nominis: propterea quod plurimum possent qui male essent in ecclesiam animati; minimum, qui bene. Quamobrem perspicuum est, ad rempublicam adeundi causam esse iustam catholicis: non enim adeunt, neque adire debent ob eam causam, ut probent quod est hoc tempore in rerum publicarum rationibus non honestum; sed ut has ipsas rationes, quoad fieri potest, in bonum publicum transferant sincerum atque verum, destinatum animo habentes, sapientiam virtutemque catholicae religionis, tamquam saluberrimum succum ac sanguinem, in omnes reipublicae venas inducere ».

Si autem magis in particulari quae- 1959
ramus, quaenam sit obligatio, quae de hoc singulis inest, valde probantur ea, quae Lehmkuhl *Casus conscientiae I. 483* tradit. Scilicet:

« 1° Singulorum obligatio concurrendi ad electionem quae et quanta sit, ex diversis capitibus peti debet. Si enim spectamus obligationem intrinsecus seu ex natura rei oriundam, haec non est, nisi ut iis deputatis eligendis provideatur, qui re vera bono communi consulant. Quare, si praevidetur, id aut alioquin etiam futurum esse, aut id efficaciter curari non posse, singulorum obligatio ex se vel nulla vel levissima est.

2° Aliquando lege statuitur, ut qui eligendi iure fruantur, eo etiam uti debeant, nisi sint legitime impediti, idque poena addita sancitum. Quod ubi obtinet, positiva obligatio ex obedientia accedit; ea tamen communiter non gravis, sed levis est.

3° Demum adesse potest obligatio naturalis ex causis accidentalibus, quae gravis sit neque infrequens nostris temporibus. Videlicet obligatio conferendi ad electionem ex eo exsistere potest, quod, nisi confluant viri probi ad eligendos deputatos bonos, hi deficiant, vel mali eligantur atque prevaleant.

4° Sitne haec obligatio in singulis electoribus gravis an levis, pendet ab eo, cum morale sit periculum, ne quis suffragationem omittens, causa sit cur malus eligatur, isque efficaciter influere possit in mala facienda vel non abroganda vel bona omittenda; maxime haec causa esse possit, cur fractio malorum praevaleat in comitiis.

Quod si tale periculum non est, neque aliquis exemplo suo id procreet existimo non usum iuris esse vel nullum vel non grave peccatum, neque legis, si quae iubeat, omnes uti iure suo, violationem esse gravem ».

1960 In his consentit etiam P. Palmieri (B. P. *IV. 639 sqq.*), qui pulchram adiicit annotationem, examinans casum, quo cives in quadam republica cogerentur subire illegitimum regimen. Ait scilicet: « Neque cives, per vim coacti alteri [a legitimo] subesse regimini, tenentur illud fovere, suisque iuribus uti in eius favorem. Unica tantum lex h. e. reipublicae salus ratio esse poterit, cur cives obligentur suis iuribus uti pro publica utilitate. Huius tamen legis tanta est vis, ut in iis adiunctis quoque obliget cives, quantum in ipsis est, sive quantum ipsis legitime permittitur, bonum commune procurare, ne leges iniquae ferantur, corrumpantur mores et religio subvertatur. Ad hoc enim omnes qui possunt, tenentur, non ratione huius vel illius regiminis, sed ratione publici boni debitique obsequii erga ecclesiam et Deum: quae quidem ratio semper viget. Etsi ergo illud tantum restet, quod quinto loco diximus (scilicet licere ad vitanda, dummodo non inanis de hoc spes sit, maiora mala eligere minus indignos, et quum hoc liceat faciendum esse, quia urget gravis obligatio procurandi boni publici); illud opus est procurari ab honestis civibus ».

Ad melius autem definiendam hanc 1961
conscientiae obligationem adnotat ante omnia Vermeersch (*Quaestiones de iustitia n. 91*) eam non oriri formaliter ex iure suffragii, sed ex generali legalis iustitiae obligatione, qua quis tum patriae civili, tum ecclesiae obstringitur. Quare, addit, qui mere abest a comitiis numquam violatae commutativae ustitiae fit reus, etsi praeviderit iniurias committendas ab electis. In ferendo autem suffragio observandum est, ex commutativa iustitia, ius, quod habet societas, ut a dignis magistratibus regatur. Ac pro indigno scribere tabellam (idest suffragium ferre) est committere erga illam communitatem iniuriam per se damnosam, quae, pro efficacia et damno secuto, ex principiis generalibus gignet restitu-

tionis obligationem. Causam autem esse efficacem huiusmodi electionis, qua indignus digno praeferatur, est intrinsece malum. Praeterea eidem suffragio inest ratio cooperationis ad omnes iniurias, quas, ex munere obtento, facturi praevidentur indigni magistratus contra iura, sive status, sive ecclesiae, sive privatorum. Haec cooperatio potest esse formalis ut si ad dandum suffragium movearis fine obtinendi decretum iniuriosum. Secus erit materialis. Hanc autem cooperationem materialem dicit esse cooperationem mediate participantis, satis similem cooperationi venditoris qui arma cedit alicui, quem novit armis abusurum; eam proinde ex proportionata causa posse excusari.

1962 Iuvat etiam hic recolere ea, quae habet Ballerini-Palmieri (*IV. 649*) inter alia multa maxime adnotanda: « Quamvis fructus electionis is tantum sperari possit (spe quidem non inani) ut quaedam graviora mala, quae ad ordinem moralem ac religiosum pertinent, evitentur, electis iis, qui sint minus indigni, id primo facere licet, si aliter consuli bono communi nequit, ratione habita in electione non indignitatis electi, sed *minoris* indignitatis, et cum liceat, fieri debet ut bonum publicum procuretur, malis gravioribus evitatis. Horum omnium una est ratio, obligatio procurandi boni publici, qua cives in tali societate tenentur: quae obligatio gravis est, cum de gravi damno cavendo agitur ». His adhaeret etiam Monitore eccl. *vol. XVII pag. 124 sqq.* Cfr. etiam Monitore *vol. nuper cit. pag. 268 sqq.*

Quoad quaestionem vero, an idoneus electus teneatur acceptare electionem de se factam, audiendus est idem Ballerini-Palmieri (*loc. cit.*): « At recolendum est officium exstare ex utraque parte (eligentium scilicet et electi) atque adeo, si electores tenentur ad electionem concurrere et eligere idoneum; qui idoneus est et communibus votis expetitur, nisi probabilem habeat rationem cessandi, tenetur electioni acquiescere, dum aliter nequeat consuli publico bono. Quisque enim civis in libera republica tenetur iuxta suum modum, bono publico allaborare. Secus frustra esset obligatio ferendi suffragii, si in gravioribus reipublicae necessitatibus, ii, qui solum digni sunt et idonei, possunt pro arbitrio, absque rationabili causa, munus detrectare ». Eodem modo loquitur Villada (*Casus conscientiae cas. VII q. I*), Monitore ecclesiast. *vol. XVIII pag. 453 sqq.*). 1963

Quae autem diximus de electionibus politicis, quas vocant, proportione facta dicendum quoque est de electionibus municipalibus. Vid. *Comitia publica.*

Electrica lux. — Electrica lux non potest in ecclesiis ad cultum adhiberi, sed ad depellendas tenebras, et ad ecclesias splendidius illuminandas adhiberi potest; cauto tamen, ne modus speciem praeseferat theatralem. *S. R. C. 4 iun. 1895 (3859).* 1964

Quaesitum etiam est, num liceret super altari, praeter candelas ex cera, adhiberi etiam lumina ex electricitate. Et S. Rituum Congregatio respondit, hoc esse prohibitum. *S. R. C. in Natcheten. 16 maii 1902.*

Postea sequens praecedentium decretorum declaratio data est a Sacra Congr. Rituum *22 nov. 1907*:

« Lux electrica vetita est non solum una cum candelis ex cera super altari iuxta decretum *Natcheten.* 16 maii 1902., sed etiam loco candelarum vel lampadum, quae coram sanctissimo eucharistiae sacramento vel sacris reliquiis aut imaginibus sanctorum praescriptae sunt. Pro aliis ecclesiae locis et ceteris casibus illuminatio electrica ad prudens ordinarii iudicium permittitur: dummodo species non habeatur theatralis ad mentem decreti n. 3859 diei 4 iunii 1895 ».

Quae declaratio adeo clara visa est S. Congregationi, ut archiepiscopo Angelopolitano in Mexico tria sequentia proponenti dubia, responderit (*17 ian. 1908*): « Pro tribus quaestionibus particularibus dentur et serventur decreta iuxta alias similes resolutiones ». Dubia autem erant haec:

« 1° Licebitne apponere in altari, in quo ss. Sacramentum publicae fidelium patet venerationi, electricas lampades sive tabernaculum circa, sive in vasis florigeris, quae inter candelabra locantur?

« 2° Fasne erit imagines ss. Cordis Iesu vel B. Mariae Virginis iisdem electricis circumcingere luminibus, ad instar scilicet fulgidae coronae circa caput, lunae sub pedibus vel ad modum solarium radiorum ad latera; et in capitibus duodecim Apostolorum linguas igneas effingere rubeis lampadibus?

« 3° Permittine demum poterit quod in lampadibus, quae ex ecclesiae fornicibus pendent, candelae ex cera, fictis candelis electricis substituantur? »

Eleemosyna. — Datur verum praeceptum eleemosynam indigentibus erogandi. Eccli. *IV. 1*; Matth. *XXV. 42.* 1965

Proximo sub gravi subveniendum est in *extrema* eius necessitate, quando nempe illi desunt necessaria vitae, vel ipsi moraliter certum periculum imminet amittendae secus valetudinis, pudicitiae, libertatis et similium (S. Th. *in IV dist. 15. q. 2. a. 1. q. 4*); nisi tamen ille in re alibi haec habeat, vel in spe, quia tunc sufficit dare mutuo. Cfr. Lugo *de iust. et iure d. XVI n. 167 sqq.*: B. P. *II. 202.* Si quis vero pauperi in extrema necessitate posito subvenire tenetur, facere hoc debet etiam ex bonis statui necessariis, quae nempe necessaria sunt pro cuiusque praesenti conditione (ad famulos nempe sustentandos, ad convivia de more instauranda, ad moderatam pompam, etc.), quaeque distinguenda sunt a necessariis vitae, quae nempe requiruntur ad ipsam vitam alendam. S. Th. *l. c.*; G. B. *I. 227.*

In *gravi* necessitate saltem probabile est non adesse obligationem proximo subveniendi ex bonis statui necessariis, sed tantum ex superfluis (Laymann *Th. mor. l. II. tr. 3. c. 6. n. 4*; B. P. *l. c. 203*); neque de hac ipsa obligatione sub gravi in singulis casibus DD. consentiunt. Sanchez *Consil. mor. libr. I. c. 5. d. 5. n. 39. sqq.* 1966

Neque in *communi* necessitate urgeri ulla *certa* obligatio subveniendi singulis ex bonis superfluis, vel sub levi quidem potest. S. Th. *Quodl. VIII a. 12.* Vid. *Caritas, Necessitas.* 1967

Eleemosynam vero facere possunt 1968

hi tantummodo, qui habent dominium et administrationem rei, quam dant. B. P. *l. c. n. 214.* Uxor, etiam sine mariti consensu, de bonis non propriis eleemosynas ordinarias, non autem extraordinarias, pro more suae conditionis facere potest. S. Alph. *III. 540.*

Quoad eleemosynas pro missis, vid. *Stipendium.*

S. Cyprian. de opere et eleemosynis; *S. Th.* 2. 2. q. 30-32; *De Valdes A. I.* De eleemosynis ex medullis utriusque iuris; *Vasquez G.* Opuscula moralia; *Leoncilli A.* Paupertatis opes sive de privilegiis pauperum; *Ulhorn I. G.* Die cristliche Liebestätigkeit; *Ratzinger G.* Geschichte d. kirchl. Armenpflege; *Lachand I.* La civilisation ou les bienfaits de l'Eglise; *Simar* Lebrb. der Moralth. § 183; *Roscher W.* System d. Armenpflege u. Armenpolitik; *Lallemand L.* L'histoire de la charité; *Pruner* Kath. Moraltheol. n. 480; *Koch* Lehrb. der Moraltheol. § 139.

1969 **Elephas.** — In Siam magni aestimatur elephas. albus, utpote animal curiosum, pulcrum et boni ominis pro felicitate regni. Porro quando adducitur in ratibus ad regiam civitatem, magnates aliquando assumunt christianos, ut adiuvent ad trahendam ratem, in qua insidet animal, quod cum comitatu plurimo et signis laetitiae excipiunt in civitate. Quaesitum est a S. Cong. S. Officii, an liceret christianis trahere ratem elephantis albi; et S. Congregatio respondit: « Non esse inquietandos, nisi publica opinione habeatur ut actus superstitiosus ». *S. U. I. ad vic. ap. Siam. 17 sept. 1848.* Cfr. etiam *resp. S. U. I. ad vic. ap. Siam orient. 21 febr. 1850 et S. C. P. F. ad sup. Paris. sem. miss. ad exteros 9 sept. 1850.*

Elevatio ssmi. Sacramenti. — Dum 1970
ss. Sacramentum in missa, sive sub una, sive sub altera specie elevatur, cantoribus est omnino silendum iuxta rubricas, iisdemque Sacramentum una cum ceteris adorandum. Quod si, peracta ultima elevatione, quam iuxta rubricas in missa solemni statim *Benedictus* subsequi debet, ad orationem dominicam usque, aliquid modulari libeat, hoc permissum quidem est dummodo de iis, quae ex liturgia praescripta sunt, nihil omittatur, celebrans a missa continuanda non impediatur, et quod concinitur ad Sacramentum pertineat. *S. R. C. 22 maii 1894 (3827).*

Quando non sit sonanda campanula ad elevationem vide sub *Campanula.* Vide etiam *Genuflexio.*

Emigrantes. — Quoad hoc maximi 1971
momenti est referre litteras S. Congregationis Concilii de mandato ssmi. dni. nri. Pii X datas (quas idem SS. Dnus iterum vulgari recentissime mandavit, quemadmodum factum est a S. Congr. Concilii *7 sept. 1909*) in haec verba:

« Clericos peregrinos, a remotis transmarinis oris venientes, iuxta veterum patrum statuta, et canonicas sanctiones tit. 22 lib. I Decr., ipsasque prudentiae regulas, nonnisi caute ad sacri ministerii exercitii esse admittendos, neminem profecto latet. Nam propter distantiam et dissimilitudinem locorum, de personis earumque qualitatibus ac de valore documentorum, quae ab advenis exhibentur. iustum iudicium tute expediteque

fieri saepe perdifficile est; fraus ac dolus (teste experientia) aliquando subrepunt; unde periculum passim imminet, ne indigni ac nequam viri super gregem fidelium constituantur cum gravissima divinae Maiestatis offensa et rei christianae iactura.

Ad haec arcenda discrimina sacra Concilii Congregatio de speciali mandato SS. D. N. Leonis XIII circularibus litteris ad Italiae et Americae ordinarios die 27 mensis iulii 1890 datis legem tulit, qua italorum sacerdotum emigrationem in Americam certis regulis contineret.

Huiusmodi regulae hae sunt:

1° In futurum prohibentur omnino Italiae episcopi et ordinarii concedere suis presbyteris de clero seculari litteras discessoriales ad emigrandum in regiones Americae.

2° Exceptio tantummodo admitti poterit, onerata episcopi conscientia, pro aliquo eius dioecesano sacerdote maturae aetatis, sufficienti sacra scientia praedito, et vere iustam afferente emigrationis causam; qui tamen bonum testimonium habens intemeratae vitae in operibus sacri ministerii cum laude veri spiritus ecclesiastici et studii salutis animarum hactenus peractae, idcirco solidam spem exhibeat aedificandi verbo et exemplo fideles ac populos, ad quos transire postulat, nec non moralem certitudinem praestet, numquam a se maculatam iri sacerdotalem dignitatem exercitatione quarumcumque vulgarium artium et negotiationum.

3° Sed in huiusmodi casu idem italus episcopus et ordinarius, omnibus rite perpensis et probatis, rem, absque sacerdotis postulantis interventu, agat cum ipso ordinario americano, ad cuius dioecesim ille transire cupit, et habita ab ipso americano ordinario eiusdem sacerdotis formali acceptatione, una cum promissione eum ad aliquod ministerii ecclesiastici munus deputandi, de omnibus et singulis ad memoratam Sacram Congregationem Concilii referat. Quae si tandem assentiatur, tunc poterit episcopus discessorias litteras concedere, communicando cum americano antistite per secretam epistolam, nisi ei iam cognitae sint, notas emigrantis sacerdotis proprias ad impediendas fraudes circa subiecti identitatem.

Ex ea dioecesi ad aliam in America idem sacerdos emigrare nequeat absque nova S. Congregationis licentia.

4° Excluduntur in quavis hypothesi presbyteri ritus orientalis.

5° Quod si non agatur de emigratione, sed de alio Italiae sacerdote, qui ob suas peculiares honestas ac temporaneas causas pergere velit ad Americae partes, satis erit, ut proprius ordinarius, his perspectis, ac dummodo de cetero nihil obstet, eum muniat in scriptis sua licentia ad tempus (unius anni limitem non excedens), in qua ipse abeundi causae declarentur, cum conditione, ut suspensus illico maneat a divinis, expleto constituto tempore, nisi eius legitimam prorogationem obtinuerit.

6° Non comprehenduntur his legibus de emigratione in Americas ii sacerdotes, qui ad hoc speciali aliquo gaudent apostolico privilegio.

Hac lege noxia plura remota et

sublata fuerunt, non tamen omnia, neque ex toto. Experientia enim docuit, ex praepostera articuli quinti superius recensiti interpretatione salutaris illius legis effectum saepenumero fuisse frustratum. Praeterea constitit, nedum ex Italia, sed ex aliis quoque Europae regionibus nimiam esse, quandoque etiam perniciosam, sacerdotum migrationem in Americam et ad insulas Philippinas.

Quare emi. S. C. Patres, plurium episcoporum relationibus, uti par erat, inspectis, eorumdem episcoporum votis obsecundantes, rebus omnibus mature perpensis, censuerunt latius atque uberius esse hac de re providendum nova generali lege, quae his capitibus continetur:

I. Pro Italiae clericis, firmis dispositionibus contentis in circularibus litteris diei 27 mensis iulii 1890 sub nn. 1. 2. 3. 4 et 6, Ordinariorum omnium tam Italiae quam Americae conscientia super plena earum observantia graviter oneratur.

Facultas vero sub n. 5 concessa circumscribitur ad casum strictae et urgentis necessitatis, ut ex. gr. pro gravi infirmitate alicuius in America degentis, quem christiana caritas aut pietatis officium invisere exigant, neque tempus suppetat recurrendi ad S. Sedem. Sed in hoc et similibus adiunctis causa urgentis necessitatis in discessoriis litteris clare ac determinate exprimenda erit, absentiae tempus ad sex menses circumscribendum, et de re statim edocenda Sacra Concilii Congregatio.

II. Extra Italiam vero in posterum ne liceat Europae ordinariis discessoriales pro America suis clericis largiri, nisi requisito prius consensu episcopi dioecesis illius, ad quem sacerdos pergere cupit permutatis ad hunc finem secretis litteris, in quibus de aetate et de moralibus atque intellectualibus qualitatibus migrantis sacerdotis americanus praesul doceatur.

Excipitur tamen casus strictae et urgentis necessitatis, in quo pari modo ac supra, licentia a proprio ordinario concedi poterit, sed ad sex menses tantum valitura, adnotata causa urgentis necessitatis, et monito per epistolam episcopo loci, ad quem sacerdos proficiscitur.

III. Pro migraturis denique ex qualibet orbis parte ad Philippinas insulas, eaedem leges ac normae serventur ac pro italis sacerdotibus ad Americam pergentibus, hac tamen differentia, ut pro Europae aut alterius regionis sacerdotibus venia expetenda sit a S. Congregatione Concilii; pro Americae vero septemtrionalis sacerdotibus, a Delegatione apostolica Washingtoniae.

Itaque in posterum discessoriae litterae pro clericis in Americam et ad insulas Philippinas migraturis conficiantur in forma specifica iuxta regulas superius statutas; et aliter factae nullius valoris sint, et qua tales ab ordinariis illarum dioeceseon aestimentur.

« Facta autem de omnibus relatione ssmo D. N. Pio PP. X in audientia diei 17 septembris p. e. ab infrascripto card. praefecto, Sanctitas sua decreta emorum Patrum confirmavit, per circulares S. C. litteras publicari et ab omnibus rite observari manda-

vit, contrariis quibuscumque minime obstantibus. — Datum Romae ex aedibus S. C. Concilii, *die 14 nov. 1903.* — V. card. VANNUTELLI, *episc. Praen., praef.* ».

1972 Emigratio haec non solum quoad sacerdotes, sed etiam quoad eos, qui nec sacerdotes nec clerici sunt, in Italia ob varias rerum circumstantias, non solum in Americam, sed etiam in Helvetiam, Galliam, Austriam et Germaniam haud raro locum habet. Porro haec emigratio plerumque fideles emigrantes multis periculis quoad fidem et bonos mores exponit. Hinc Leo XIII huic malo mederi cupiens, per litteras card. secretarii Status ad Archiepiscopos Italiae datas *19 iun. 1900*, vehementer apud eos institit, ut simul cum episcopis provincialibus eas consulendi normas statuerent, quas meliores iudicarent, easque cum S. Sede communicarent. - Cfr. C. B. *aa 232-236;* C. A. *aa. 767-769.*

1973 **Emphiteusis.** — Emphiteusis est contractus, quo res immobilis conceditur alteri quoad dominium utile, vel in perpetuum, vel saltem ad 10 annos, cum onere solvendi pensionem annuam domino directo. Cfr. Inst. Iust. *de locatione et conductione* (*III. 24*) § *3.*

In codice italico emphiteusis definitur contractus, quo immobile (domus, praedium etc., *un fondo*) aliquod in perpetuum, vel ad tempus, alicui conceditur sub obligatione illud meliorandi, et certum annuum canonem pecunia vel annona (*derrate*) persolvendi. *C. C. a. 1556.* Remissionem canonis nullo modo exigere potest emphiteuta, etsi sterilitas vel mala tempestas insolite praedium vexaverint, quod exinde fere nullum fructum dedit. *C. C. a. 1559.* Omnia tributa, immobili imposita, solvenda sunt ab emphiteuta (*C. C. a. 1558*), qui tamen in casu omnimodae destructionis immobilis in emphiteusim habiti ab annuo canone etiam persolvendo liberatur. *C. C. a. 1560.* Ab hac tamen canonis praestatione, ne ex parte quidem, emphiteuta liberatur, si immobile non omnino fuerit destructum; at, si vel reditus immobilis residui insufficiens est ad canonem integre persolvendum, vel pars immobilis maior perierit, potest emphiteuta iuri suo renunciare, et concedenti immobile restituere. *C. C. a. cit.* Potest emphiteuta, sive actu inter vivos, sive testamento, de immobili emphiteutico eiusque accessoriis disponere, at subemphiteusis non permittitur. *C. C. a. 1562.* Omnes immobilis et accessoriorum fructus emphiteutae sunt, eique, et non concedenti, iura sunt a lege statuta quoad illum, qui in suo immobili thesaurum aut fodinas invenit. *C. C. a. 1561.* Potest emphiteuta immobile emphiteuticum redimere solutione illius pecuniae vis, quae annuo canoni respondet; hoc autem, si canon pecunia solvitur, computandum est iuxta taxam legalem, si autem annona fit, iuxta earum pretium medium, quod postremis decem annis obtinuerunt. Etiam minori pretio redimere immobile potest, si hoc ipsum intra contrahentes pactum fuerit. *C. C. a. 1564.* Potest concedens, quibusdam in casibus, devolutionem immobilis emphiteutici exigere, nisi emphiteuta voluerit illud redimere. Cfr. *C. C. a. 1565.*

1974 Quum patriarchae armeno Ciliciae concessa fuerit ad quinquennium facultas bona ecclesiastica quibusdam sub conditionibus alienandi, quoad emphiteusim haec statuta sunt: « In contractibus emphiteuticis ineundis praemittatur aestimatio peritorum; audiantur omnes interesse habentes; constet de evidenti ecclesiae utilitate; canon ab emphiteuta persolvendus non sit minor, quam qui a peritis statutus fuerit; stipulatio scripto consignetur, cui descriptio fundi ac topographica eiusdem tabula adiiciatur; praestet emphiteuta hypothecariam inscriptionem super alio idoneo suo fundo, aut saltem, hoc deficiente, cautionem idonearum personarum pro securitate canonum trium annorum; atque in ipsa stipulatione obligationem emittat, pro se suisque heredibus ac successoribus valituram, numquam utendi qualibet praesenti vel futura lege seu privilegio affrancationis canonis, et melioramenta omnia solo cedendi ». *Instr. S. C. P. F. ad patriarch. Ciliciae Armen. 30 iul. 1867.* Cfr. etiam causam agitatam apud *S. C. C. 28 ian. 1865.*

Murelius D. De causis, ex quibus emphyteuta iure suo privatur; *Knopper And.* De iure emphyteutico; *Corbuli A.* Tract. de causis, ex quibus emphyteuta iure suo privatur; *Valasci A.* Tract. de iure emphyteutico; *Coleri Io.* Methodus iuris emphyteutici seu perpetuarii; *Ferrari Io.* Tract. de iure emphyteutico; *Maderi Iac. Chr.* Disp. inaugur. de emphyteusi; *Nizoli M.* Allegationes de emphyteusibus; *Iacobi Th.* Disp. inaug. de emphyteusi et laudemio; *Leonini E.* Tract. de iure emphyteutico; *De Amicis Fr.* De iure emphyteutico; *Mauli Th.* Tract. de emphyteusi; *De Caldas Fr.* De universo iure emphyteutico syntagma; *Reiters A.* Disp. inaug. de iuris emphyteutici soli et superficiei alienatione; *Bluemblacherus Chr.* Tract. de iure emphyteutico vitalitio et de iure precariae; *Fulgineus Fr.* Tract. de iure emphyteutico; *Brockmann Laur.* De iure emphyteutico; *A Degingk B. T.* De contractu et iure emphyteutico; *De Luca Io. B.* De emphyteusi in Th. verit. et iustit. vol. 4; *Krausz P. P.* Tract. de iure emphyteutico; *Gianzana S.* L'enfiteusi nel passato e nel presente; *Castagnola S.* Dell'enfiteusi e sua storia; *Cagnola* Note sul carattere economico della enfiteusi nel giure romano, nel medioevale e nell'odierno; *De Piero V.* Della enfiteusi; *Simoncelli V.* La riforma dell'enfiteusi.

Emptio venditio. — **De natura emptionis et venditionis.** — 1975 Emptio venditio est contractus onerosus dandi determinatum et iustum pretium pro merce, aut vice versa (*l. 5 de praescriptis verbis etc. D.* [*XIX. 5*]); seu etiam definiri potest: contractus de rei (et non modo fructuum) dominio pro pecunia numerata transferendo.

Quomodo iure romano hic contractus perficiatur. — 1976 Iure romano venditio perficitur solo consensu partium (*l. 15 de contrahenda empt. et vendit. C.* [*IV. 38*]), seu nuda consentientium voluntate emptio venditio contrahitur (*l. 1. § 2 de rerum permut. D.* [*XIX. 4*]); sed dominium rei non transit ad emptorem, nisi facta traditione, et postquam ab emptore vel solutum fuerit pretium, vel praestita de illo fides fuerit. Inst. Iust. *de rerum divisione* (*II 1*) § *41.* Attamen statim post perfectum contractum, quem perfici diximus, simulatque de pretio convenerit, quum sine scriptura res agitur, periculum et commodum rei est apud

emptorem, tametsi adhuc ea res emptori tradita non sit, aut pretium non numeratum. Inst. Iust. *de emptione et venditione (III. 23)* § *3*. Hinc, etsi res ante traditionem perierit, tenetur emptor solvere pactum pretium. Attamen venditor in iis tantum securus est, quae sine dolo et culpa venditoris accidunt (Inst. Iust. *loc. nuper cit.*); praestat enim dolum et culpam latam ac levem (*l. 5.* § *2 commodati vel contra D.* [*XIII. 6*]; *l. 23 de div. reg. iur. ant. D.* [*L. 17*]; *l. 11 de periculo et commodo etc. D.* [*XVIII. 6*]), non vero levissimam, nisi custodiam et diligentiam in servanda re exactissimam in se sumpserit. Inst. Iust. *loc. cit. (III. 23)* § *3*. Imo, si et casum fortuitum venditor in se receperit, et ipsum praestare debet. *l. 1 tit. cit. D. (XVIII. 6)*. — Praeterea si venditor in mora tradendi fuerit, ad eum etiam spectat periculum casus postea supervenientis (cfr. *l. 4 de periculo et commodo etc. C.* [*IV. 48*]), quoties scilicet res non eodem modo peritura fuisset apud emptorem. Voet *in tit. 6 lib. 18. Dig. n. 2*. Si in recipienda re vendita per emptorem facta est mora, venditor non tenetur, nisi de culpa lata et dolo; aut si et emptor et venditor in mora fuerint, illi nocebit, qui posteriorem moram fecit. *l. 17 tit. cit. D. (XVIII. 6)*.

Regula generalis hic tradita exceptionem habet, si duae res alternatim sint venditae, quia tunc, una pereunte, altera debet tradi; si ambae perierint, periculum est emptoris, qui proinde pretium solvere debet. *l. 34.* § *6 de contrahenda emptione etc. D. (XVIII. 1)*. Similiter si res non fuerit vendita, in individuo determinata, sed tantum quoad genus, ut ecce tot modios tritici, vel, etsi in specie determinata, sit adhuc mensuranda aut numeranda aut praegustanda, periculum et commodum rei est adhuc apud venditorem. Cfr. *l. 1 tit. cit. D. (XVIII. 6)*; Voet *loc. cit. n. 3*.

Quemadmodum autem periculum, ita et commodum rei tempore medio inter perfectionem contractus per consensum et traditionem rei ac solutionem pretii spectat ad emptorem; nam et commodum eius esse debet, cuius periculum est. Inst. Iust. *loc. cit. (III. 23)* § *3*.

Quomodo hic contractus perficiatur iuribus recentioribus. — Ex iure gallico et italico venditio solo partium consensu perficitur, absque ulla legali formalitate; et acquiritur dominium rei emptori etiam ante traditionem rei et ante solutionem pretii. *C. It. a. 1448*; *C. G. a. 1583*. Excipiuntur res, quae ad mensuram, pondus, vel numerum venduntur; quae, ut perficiatur venditio, debent fuisse mensuratae. *C. It. a. 1450*; *C. G. a. 1535*. Notandum praeterea, quod si summa excedat 150 fr., scriptum authenticum vel privatum requiritur, ut in foro externo probari possit. *C. It. et Gall. a. 1341*. In iure italico a die venditionis omnes fructus rei spectant ad emptorem. *C. It. a. 1470*. Ad quid teneatur venditor erga emptorem relate ad manifestationem defectuum rei venditae, vide sub *Defectus*. Iura incorporea certa vendi certo possunt; incerta etiam, sed pro rata probabilitatis fortunae secundae. 1977

De pretio et de iis, quae ad iustitiam 1978

istius contractus requiruntur. — Pretium est elementum necessarium istius contractus, nam nulla emptio sine pretio esse potest. Inst. Iust. *loc. cit.* (*III. 23*) § *1*. Pretium autem et certum esse debet seu determinatum (Inst. Iust. *loc. nuper cit.*), et consistere debet in numerata pecunia. Inst. Iust. *loc. cit. 2*.

Iustitia autem istius contractus emptionis et venditionis in eo est, ut pretium exaequet valorem rei et vicissim.

Pretium vero dicitur: quanti res aliqua omnibus valet. *l. 33 ad legem Aquiliam D.* (*IX. 21*); *l. 63 ad legem Falcidiam D.* (*XXXV. 2*). Et metitur regulariter ex mercium copia vel inopia, et ex dantium vel requirentium numero. Lugo *de iust. et iure disp. XXVI n. 43*; D'Ann. *II. 106*.

Est autem duplex: aliud *legale* a lege determinatum, quod consistit in indivisibili; aliud *naturale*, seu valor rei in communi aestimatione. Cfr. *l. 63 tit. cit. D.* (*XXXV. 2*). Hoc autem est summum, medium, infimum. Infimum est pretium, infra quod res sine iustitiae laesione non potest emi; summum, ultra quod vendi nequit sine iniustitia; medium inter utrumque consistit. Laymann *Th. mor. lib. III tr. IV. c. 17. n. 4*; Lessius *de iust. et iure II cap. 21 dub. 2. n. 9 sqq.*; Lugo *de iust. et iure disp. XXVI n. 38*.

Si adest legale, illi standum est generatim ex iustitia, et proinde sub onere restitutionis (Lugo *loc. nuper cit.*; Lessius *loc. cit. n. 12*); illo deficiente, standum est vulgari, nec licet tamen, ut diximus, vendere ultra summum aut emere infra minimum (B. P. *III. 759*); si et vulgare deficiat, standum est iudicio peritorum, vel de pretio pacisci licet; attamen in hac pactione hoc cavendum est, ne plus aequo pretium augeatur, quum nunquam iustum pretium rei, etiam rarae, censeri possit illud, quod omnes generatim prudentes iniustum existimant. Lessius *loc. cit. n. 15 sqq.*; Lugo *loc. cit. nn. 39. 46 sqq.*; B. P. *III. 764 sqq.*

Attamen quaedam sunt, quae omne pretium exsuperant, ut esset usus corporis a muliere honesta (non vero a meretrice), praesertim virgine, factus. Quare haec posset quodcumque pretium postulare, etiam matrimonium cum viro nobilissimo et ditissimo, rege quoque. S. Alph. *III. 808*; B. P. *III. 766*.

Res carius (idest etiam ultra summum pretium iustum) vendi potest ob specialem affectum, quo eam prosequitur venditor. (Lugo *l. c. n. 43*), non vero emptor. S. Th. *2. 2. q. 77. a. 1*; S. Alph. *III. 806*. Ratio est, quia in primo casu, non autem in altero, praeter ipsam rem aliquid habetur pretio aestimabile, quod a venditore emptori venditur. Oportet autem tunc, venditorem docere emptorem, cur plus exigat, seu manifestare ei titulum, propter quem pretium, quod exigit, iustum evadit. Ratio est, quia emptor non tenetur redimere illud incommodum venditoris, et forte non vult. Lessius *loc. cit. c. 27 d. 4. n. 27*; B. P. *III. 768*.

Licet autem emere vilius in gratiam venditoris quaeritantis. Molina *de iust. et iure II disp. 348. n. 4*; S. Alph. *III. 802*. — Potest quis multo minoris emere credita solutionis valde difficilis, quae propter circumstan-

tiam specialem sibi sunt solutu facilia. Lugo *l. c. n. 93 sqq.*

Licet etiam exaggerare pretium, ut deveniatur ad iustum, non vero exaggeratum exigere. G. B. *I. 898.* — Peccant contra iustitiam adulterantes ante traditionem rem venditam infimo pretio.

Quoad restitutionem faciendam, excessus, si de venditore agatur, computandus est a summo pretio, si de emptore, ab infimo. G. B. *I. 902.*

An liceat venditori rei venditae aliam substituere, vide sub *Substitutio.*

tit. de emptione et venditione X. (III. 17); idem tit. (III. 5) in Xvag. comm. *De Burgos A.* Super titulo de emptione et venditione; *Mudaeus G.* Commentaria in tit. ff. pro socio, de contrahenda emptione, de actionibus empti et venditi et de pignoribus et de hypothecis; item de petitione hereditatis et de actionibus; *Harprecht Ioan.* Comm. de emptione et venditione; *Fernandi B.* Comment. in l. Pacta conventa ff. de contrah. empt.; *De Salas Io.* Comm. in secundam secundae divi Thomae de contractibus, sive tractatus quinque de emptione et venditione, de usuris, de censibus, de cambiis, de ludo; *De Caldas Fr.* Comment. analyticus ad typum instrumenti emptionis et venditionis; *Mozzi P. N.* Tract. de contractibus et emptione etc.; *Fernandez de Castro N.* Ad princip. Instit. de emptione et venditione; *Rittershusius C.* De actione empti et venditi; *Rath A.* De contrahenda et solvenda emptione; *Possidonius Hon.* Tractatus de emptione et venditione; ubi etiam de locatione et conductione; *Mauli Th.* Tract. de emptione et venditione; *Alderisi A.* Tract. de contractibus symbolicis scilicet de emptione et venditione, locatione et conductione, de mutuo et pignoribus; *Verryn Paul.* Index systematicus emptionis et venditionis, quo ius omne romanum ad dictam materiam pertinens dilucidatur; *Weidmann G. M.* De emptione spei; *De Luca Io. B.* De emptione et venditione in Th. veritatis et iustitiae vol. VII; *Persil-Croissant* Commentaire sur les achats et ventes; *Troplong M.* De la vente; *Trolley Alfr.* Étude sur la chose d'autrui envisagée comme objet des actes juridiques en droit romain et en droit français; *De Folleville* Essai sur la vente de la chose d'autrui; *Ripert* Essai sur la vente commerciale; *Schiavi A.* Discorsi teorico-pratici sulla eredità verbale dei beni immobili e sopra interessanti questioni legali in materia ipotecaria etc.; *Re C.* Trattato sulla compra e vendita secondo il codice civile italiano; *Lods* De la vente a réméré; *Berton* Étude historique sur la lésion en matière de vente; *Berlingieri F.* Della vendita commerciale di cosa altrui; *Giorgi G.* Dell' errore ostativo della vendita per divergenza delle parti sul termine al pagamento del prezzo; *Cuturi T.* Della vendita, della cessione e della permuta; *Supino D.* Carattere giuridico della compra-vendita a premio; *Guillouard L.* Traité de la vente et de l'échange.

Ensis. — Benedictio ensis et pilei seu galeae aut potius cassidis, quae incepta est usurpari ab Urbano III (1378-89), fiebat in officio noctis Nativitatis Christi, qui est rex regum, rex pacificus, princeps pacis, in basilica S. Mariae ad praesepe. Ensis benedicitur in defensionem ecclesiae et reipublicae christianae; ita etiam pileus, in quo repraesentatur Spiritus sanctus, a quo regi se sinere debet is, qui illum gerit. Mittebantur autem ensis et pileus a rom. Pontifice ad aliquem principem vel nobilem equitem christianum, qui de defensione Ecclesiae bene meritus fuerat. Van der Stappen *Sacra liturgia IV q. 324.* 1979

Ephemerides. — Vide *Diaria*.

1980 **Epikeia.** — Epikeia est benigna, sed aequa, legis interpretatio, qua lex ad casum particularem, quamvis verbis legis non exceptum, extendi non censetur. G. B. *I. 113.* Ei locus non est, nisi quando lex generaliter statuit; si enim lex statuit singulariter, non esset interpretatio legis, sed destructio. D'Ann. *I. 187.*

1981 **Epileptici.** — Epileptici, seu illi, qui morbo caduco laborant, sunt irregulares (*c. 1 et 2 C. VII q. 2*); sed, si qui ex his ordines susceperint, et *non frequenter* hoc morbo tanguntur, in suscepto ordine ministrare permittendi sunt. *c. 1 cit.* Non frequenter, idest semel in mense, ait S. Alphonsus (*VII. 399*) quam tamen opinionem, a S. Alphonso communem vocatam, Gasparri (*de sacra ord. I. 280*) appellat laxiorem, putans diversam esse praxim S. Congr. Concilii, nec irregularitatem cessare, nisi quum iudicio medicorum morbus plane evanuerit. - Aliquando concessum etiam est, ut epileptici non solum in sacris ordinibus susceptis ministrarent, sed etiam ad ordines promoverentur. *S. C. C. 26 ian. 1878, 29 ian. 1881.* Hoc autem, ut notat Bargilliat (*Praelect. iuris can. n. 304*), ideo forte concessum in illis peculiaribus casibus est, quia aggressiones morbi noctu tantum manifestabantur.

1982 **Epiphania.** — In nonnullis dioecesibus usus viget perficiendi in vigilia vel in festo Epiphaniae Domini solemnem aquae benedictionem, peculiari adhibito ritu, qui tamen omnino proprius est graecae ecclesiae, et ab indole latini ritus plane alienus. Hinc S. Rituum Congregatio hunc ritum prohibuit, statuitque ad benedicendam aquam in vigilia et festo Epiphaniae non alium ritum permittendum esse, quam qui praescribitur a rituali romano ad faciendam aquam benedictam (*S. R. C. 17 maii 1890* [*3730*] et hoc decretum S. C. de Prop. Fide ad suos subiectos transmisit decreto *11 iun. 1890*), declaravitque hoc decretum respicere omnes dioeceses, ita ut nullo modo liceat amplius usurpare formulam illam longissimam et ecclesiae graecae propriam, imo voluit in rituali annotandam esse abrogationem benedictionis. *S. R. C. in Strigonien. 30 aug. 1892 ad 15* (*3792*).

Episcopatus. — ***De episcopatu, quatenus confert potestatem ordinis.*** — Episcopatus est plenitudo sacerdotii. Per ordinationem vero seu consecrationem episcopalem episcopus fit idoneus, et quidem exclusive, in ecclesia, ad ordinandos valide sacerdotes (Palmieri *de rom. Pont. Prolegomenon § 14*), ad confirmandos fideles tamquam ordinarius confirmationis minister (Conc. Trid. *sess. VII can. 3 de conf.; sess. XXIII can. 7*). Iure autem ecclesiastico ex consecratione obtinet episcopus facultatem conficiendi plura sacramentalia ipsi specialiter reservata, qualia sunt plures consecrationes et benedictiones. Wernz *Ius Decr. II. 23.* Hinc ipse exclusive habilis est ad ungendos reges et imperatores, ad benedicendos abbates, ad sacrandas moniales (*c. 24. d. 23*), ad consecranda et benedicenda plura, quae ad usum ministerii inserviunt, quaeque ecclesia

ordinarie in ministerio non adhibet, nisi ab episcopo prius Deo sacrata. Cfr. Ben. XIV *ep. 1. ad Engelb. Abb. Campid. a. 1748.*

Probabilius episcopatus, etiam prouti consideratur distinctus a presbyteratu, est sacramentum, et imprimit characterem, qui vel est realiter seu adaequate distinctus a charactere presbyterali, vel inadaequate tantum distinctus, qualis realis eius ampliatio et extensio. Palmieri *loc. cit.* Per episcopatum episcopus acquirit supremum gradum in hierarchia ordinis, quo fit simplicibus presbyteris superior. Conc. Trid. *sess. XXIII cap. 4 et cc. 6. 7.*

1984 Quaestio est inter doctores, utrum episcopatus valide conferri possit illi, qui nondum est presbyter; sunt autem, qui negative huic quaestioni censent respondendum S. Th. *in IV dist. 24. q. 3. a. 2;* Schmalzgrueber *in tit. 29 libr. V Decr. n. 2;* Vasquez *in 3 part. tom. 3 disp. 240 cap. 4 sqq.;* Bellarminus *de ordine cap. 5;* Wernz *loc. cit.*); alii qui respondent affirmative (Thomassinus *de veter. et nov. eccl. discipl. p. I lib. 1. c. 1. n. 5;* Mabillonius *Comm. praev. in Ord. rom. § 12*). Hos probabilem sententiam defendere putat Gasparri (*de sacr. ordin. I. 26*), quem praeiverat etiam Ballerini-Palmieri *V. 907.*

Argumenta autem sententiae affirmantium sunt praesertim positiva. Deducuntur ex epistola Nicolai I ad Hincmarum et ceteros episcopos anno 867, ubi haec verba habentur: « Quin et [graeci latinos] reprehendere satagunt, quia penes nos clerici barbas radere non abnuunt, et quia diaconus, non suscepto presbyteratus officio, apud nos episcopus ordinatur; quum ipsi etiam illum, quem patriarcham suum nominant, ex laico subito tonsuratum ac monachum factum, saltu ad episcopatus apices provehere minime formidaverint ». His verbis subiungit Ballerini-Palmieri (*loc. cit.*) annotans, morem romanum non negasse Pontificem, quod ibidem in aliis accusationibus praestat, sed negasse eum esse reprehendendum. Hunc morem ecclesiae romanae testari aliquatenus videtur etiam id. quod factum est a Stephano III (al. IV), postquam deiectus fuit Constantinus antipapa. Scilicet is consecraverat quosdam episcopos, de quibus postea statutum fecit, ut, si aliquis eorum presbyter *aut diaconus* fuerit, in pristinum honoris sui gradum reverterentur.

Argumenta vero sententiae negantium sunt omnia a priori, et non sunt, ut ait Gasparri (*de sacr. ordin. I. 23*), nisi diversae expositiones eiusdem sententiae.

Materia episcopatus est impositio 1985
manuum episcopi consecrantis, et in hoc omnes concordant. At non ita clarum est, quaenam sit forma. In ritu graeco vel est oratio, quae incipit: « Dominator Domine Deus »; vel alia oratio « Domine Deus noster ». In ritu latino vel sunt ea verba « Accipe Spiritum sanctum »; vel probabilius oratio consecratoria, quae ad instar praefationis dicitur. Gasparri *loc. cit. II. 1087 sqq.*

De episcopatu, quatenus obtinet potestatem iurisdictionis. — Episcopus in ecclesia vera gaudet iurisdic- 1986

tione et vere est pastor (Palmieri *de rom. Pont. Prolegomenon § 17*), profecto non oecumenicus aut universalis, sed singularis cuiusdam portionis gregis christiani, quam ipsi pastor universalis romanus Pontifex committit. Palmieri *de Rom. Pont. Th. XIV.* Dioecesim proinde suam iure quidem et proprio nomine regit, sed sub Papa. Cfr. *Brev.* Pii VI « Super soliditate » *28 nov. 1786; prop. 6. 7. 8. Syn. Pist. damn. a Pio VI.* Hinc debet romano Pontifici rationem reddere de munere ipsi commisso fideliter expleto. Vid. *Visitatio Liminum.*

Quoad hanc potestatem iurisdictionis, probabilius omnino est, eam episcopos non accipere immediate a Christo Dno, sed mediante Romano Pontifice. Palmieri *loc. cit. th. XIV.*

1987 ***De iuribus et officiis episcoporum*** — Quum sit pastor ecclesiae, in ea est doctor; quare divino praecepto debet suis fidelibus praedicare verbum Dei (Conc. Trid. *XXIII c. 1 de ref.*; Leo XIII *Encycl.* « Sapientiae christianae » *10 ian. 1890*), in sua ecclesia per se, vel, si impeditus legitime fuerit, per alios, in aliis ecclesiis per parochos (Conc. Trid. *sess. XXIV c. 4 de ref.* Vid. *Concio*); praeterea investigare debet ne plebs sibi commissa errores doceatur ab imperitis vel impiis (vid. *Approbatio*); debet praeterea sanam et orthodoxam doctrinam, expulsis haeresibus, defendere (Conc. Trid. *sess. XXIV c. 3 de ref.*); non potest tamen definitivo iudicio questiones circa fidem dirimere (Ben. XIV *de Syn. VII. c. II. n. 2.*), sed in dubitationibus exortis debet Summum Pontificem consulere; debet praecipue curare rectam iuventutis institutionem. Cfr. *Const.* Pii IX « Nostis » *8 dec. 1849;* Lucidi *de visit. sacr. lim. II. c. 7. n. 206 sqq.* Ius habet prohibendi pro suis subditis libros pravos vel impias epheremides. Vid. *Libri prohibiti.*

Ius pariter habet in sua dioecesi 1988
veras leges ferendi (Bened. XIV *de Syn. XIII. c. 4. n. 3.*), et proinde etiam in pluribus legibus dispensandi (vid. *Dispensatio*); nec non agendi iudicem ordinarium omnium causarum, quae ad forum ecclesiasticum spectant (*c. 16 de off. iud. ord. X.* [*I 31*]; *c. 7 de off. ord.* [*I. 16*] *in 6°*), et non sunt reservatae cuiusdam superioris iudicio: potest etiam poenis latis, censuris quoque, clericos et laicos, inobedientes coercere, sed in his poenis irrogandis non debet esse nimius. Conc. Trid. *sess. XIII. c. 1 de ref.*

In clericos praesertim magna au- 1989
ctoritate pollet. Circa quod notandae sunt sequentes responsiones Sacrae Congregationis Concilii ad infrascripta dubia: 1° Utrum liceat sacerdotibus, qui beneficiis veri nominis non pollent, et speciatim vicariis curatis, oeconomis et cappellanis derelinquere officia ab episcopo illis commissa, non obtenta prius eius licentia. Respon. « Prout exponitur, negative ». — 2° Utrum ex praecepto obedientiae, adhibitis etiam, si opus fuerit, censuris, episcopus ius habeat eos cogendi, ut persistant in suo officio, saltem usquedum ipsis providere valeat per idoneum successorem. Resp.: « Affirmative, quoties ex officii dimissione grave detrimentum curae animarum sit obventurum. Est tamen episcopi sol-

licite providere de idoneo successore, praesertim quum rationabili de causa dimissio expostulatur ». — 3° Utrum sub eodem praecepto obedientiae, et iisdem intentatis censuris, possit episcopus sacerdotes otiosos, vel ferme otiosos, et sanitate suffultos compellere ad suscipiendam ecclesiarum curam, saltem donec illi fas sit providere pastorem. Resp.: « Affirmative, gravi urgente necessitate, et ad tempus ». *S. C. C. in Parmensi 17 ian. 1886.*

Praeterea potest episcopus prohibere sub certa poena, ne quis clericus, etiam minorum ordinum, e diocesi discedat sine licentia ordinarii. Cfr. *S. C. C. in Larinen. 30 aug. 1732.* Attamen, si iusta sit causa discedendi, non debet episcopus petitam facultatem denegare. *S. C. C. in Segnien. 13 sept. 1749.* Attamen nequit episcopus prohibere, ne simplices sacerdotes, idest ii, qui nulla obligatione tenentur celebrandi intra limites dioeceseos, diebus festis e dioecesi discedant, ut in dioecesi contermina missam celebrent. *S. C. EE. RR. 4 mart. 1842.* Vid. *Clerici.*

Nec potest episcopus, clericum ob hanc tantum rationem, quod ad dioecesim suam non pertineat, e diocesi expellere (*S. C. EE. RR. 17 dec. 1839*), nec ullo modo sustineretur decretum, quo id faceret. *S. C. EE. RR. in Spoletana 6 mart. 1846.*

Quid possit quoad regulares exemptos, vid. *Exemptio.*

Quoad relaxationem impedimentorum matrimonii, absolutionem a censuris, dispensationem ab irregularitatibus etc., vid. *suis locis.*

Quoad facultates quinquennales concedi solitas episcopis, vid. *Facultates quinquennales.*

Quad facultates episcoporum delegatas, vid. *Delegatio.*

Inter onera episcopalis sollicitu- 1990
dinis praecipuum quemdam locum obtinet etiam illud onus, quo episcopi obstringuntur, advigilandi scilicet diligenti cura, ut in suis dioecesibus pia legata debitae exsecutioni mandentur, praescriptae missae celebrentur, et iuxta voluntatem piorum fundatorum applicentur. Ben. XIV *de Syn. dioec. lib. XIII c. 25. n. 1.* Hinc est, quod episcopi etiam tamquam Sedis apostolicae delegati, in casibus a iure concessis, omnium piarum dispositionum tam in ultima voluntate, quam inter vivos sunt exsecutores. Conc. Trid. *sess. XXII. c. 8 de ref.* Quare, cessantibus his, ad quos pertinet, episcopus est exsecutor omnium piarum dispositionum, et in casibus dubiis est semper legitimus earum interpres. D'Ann. *I. 94.* Quum vero in his omnibus episcopus sit tantum ut diximus exsecutor, non potest voluntates testatorum commutare. Attamen, quum voluntates testatorum adimplendae sint eo meliori modo, quo fieri potest, quando adimpleri adamussim nequeunt modo a testatoribus praescripto (*c. 3 de testam. etc. X.* [*III. 26.*]), possunt episcopi, si quando missae a testatoribus relictae in ecclesiis ab ipsis designatis celebrari omnino nequeunt, eas ad aliam ecclesiam transferre, quamvis caute in his procedere debeant, quum et sancta Sedes caute admodum in hoc procedat. Lucidi *de vis. sacr. lim. II. c. 7 n. 108.*

sqq. Reducenda est autem hic in memoriam dispositio Concilii Tridentini (*sess. XXI c. 7 de ref.*), qua statuit ut « episcopi, tamquam Sedis apostolicae delegati, transferre possint beneficia simplicia, etiam iurispatronatus, ex ecclesiis, quae vetustate, vel alias collapsae sint, et ob earum inopiam nequeant instaurari, vocatis iis, quorum interest, in matrices seu alias ecclesias locorum eorumdem seu viciniorum arbitrio suo; atque in iisdem ecclesiis erigant altaria vel cappellas sub eisdem invocationibus, vel in iam erecta altaria vel cappellas transferant cum omnibus emolumentis et oneribus prioribus ecclesiis impositis ».

1991 Suas quoque obligationes habet praeter superius enumeratas. Nam, licet cardinalis, suburbicariis exceptis, tenetur ad residentiam, et nequit abesse a dioecesi plus quam tribus mensibus quotannis, nisi graves causae adsint (Conc. Trid. *sess. XXIII c. 1 de ref.*, vid. *Residentia*); ad orandum pro populo, et quidem saltem diebus dominicis et festis sacrum pro eo faciendo (obligatio haec incipit ab adepta possessione ecclesiae, *S. R. C. in una Marsorum 12 novembr. 1831 ad 22* [*2682*]. – Vid. *Applicatio missae*); ad visitandam dioecesim totam intra biennium etc. Vid. *Visitatio.*

1992 Multa potest episcopus quoad cultum: praescribit orationes recitandas in missa vel extra missam, prohibet, et de medio tollit, tum propria, tum potestate delegata Sedis apostolicae ea omnia, si quae sint, quae in missa avaritia, irreverentia, superstitio induxerunt (Concil. Trid. *sess. XXII decr. de obs. et evit. in celebr. missae*); visitat oratoria (vid. *Oratorium*); providet, ut sacramenta rite administrentur; instituit pias confraternitatis (Bouix *de episcopo p. V. c. 31. q. 2*); de iure uni episcopo competit sacra peragere ritu pontificali.

Non posset tamen episcopus suis 1993
clericis concedere insignia quaedam honoris; hinc quum episcopus Cremonensis concessisset praepositis et rectoribus paroeciarum, ut caputia, quae deferre solebant, de nigro in violaceum colorem verterentur, iniunctum ei est, ut iuberet ea denuo in nigrum colorem verti. *S. C. EE. RR. 2 ian. 1601.* Hoc etiam recentioribus temporibus confirmatum est, quum S. Congregatio rituum edixit: « Insignia cuiuscumque generis presbyteris concedere non solum collegialiter. sed etiam singulatim sumptis, privativo iure reservari apostolicae Sedi; et, si eadem insignia fuerint cuicum, que a rmis ordinariis collata, debent statim deponi ». *S. R. C. in Asculana et Ceriniolen. 6 maii 1872* (*3261*). Cfr. etiam *S. R. C. in Jacen. 4 sept. 1875* (*3371*).

Est praeterea episcopo ius utendi 1994
insigniis suae dignitatis, non tamen ante confirmationem in consistorio; quae insignia vide in cerem. episcop. *I. c. 1. et seqq.; II. c. 8.* Inter alia nunc ius habet deferendi pileolum (ex concessione Pii IX *18 iun. 1867*), et birretum (ex concessione Leonis XIII *3 febr. 1888*) violacei coloris. Post consecrationem aliis insignibus adiungit crucem pectoralem et anulum.

Habet praeterea multa privilegia: 1995
praecipua sunt habere usum oratorii privati in suis aedibus (Bened. XIV

Encycl. « Magno cum animi » *2 iun. 1751*), et altaris portatilis ubicumque (attamen, sive in propria dioecesi, sive extra eam, nonnisi iis in domibus privatis, in quibus sive ad longum, sive ad breve tempus ipse habitat aut hospitio excipitur, *c. 12. de privil.* [*V. 7*] *in 6°; decr. Clem. XI. 15. dec. 1703;* Bened. XIII. *in Conc. Rom. tit. XV. c. 3*), nec non in iis sine alterius cuiuscumque licentia et ipsum celebrare posse et permittere, ut in sui commodum alius quicumque sacerdos celebret (*c. 12. de priv.* [*V. 7*], *in 6°*), quibus missis interessentes fideles, quoties opus fuerit, praecepto ecclesiae satisfaciunt (Leo XIII *8 iun. 1896*), vid. *Missa;* posse celebrare divina etiam tempore interdicti sed ianuis clausis, exclusis excommunicatis et interdictis, et voce submissa; non incurrere suspensionem aut interdictum iure latum, nisi episcopi expressa mentio fiat (*cap. 4 de sent. excomm.* [*V. 11*] *in 6°*); posse confessarios in sua dioecesi approbatos secum ducere dum peregre abeunt, et ab eis absolvi. D'Ann. *III. 319* (*9*) etc. Universi christifideles, qui corde saltem contrito ac devote anulum episcoporum aut cardinalium deosculantur, acquirunt ex recentissima concessione Pii X indulgentiam 50 dierum, defunctis quoque applicabilem. *S. U. I. 18 mart. 1909.*

1996 ***Liturgica quaedam quoad episcopos.*** — Episcopus, non solum in missa et in benedicendo populo cum ss. Sacramento, sed etiam quando fidelibus astantibus benedicere debet, post communionem, extra missam ministratam, aut in sacramento poenitentiae, quum absolvit, debet efformare non unam, sed tres cruces. *S. R. C. in una Montis Politiani 20 maii 1890 ad 5* (*3731*); *in una de Chiapas 23 nov. 1906 ad 2.* Potest etiam episcopus cum cappa tantum in minoribus ecclesiis assistere missae cantatae aliisque sacris functionibus, ut ex. gr. benedictioni ssmi Sacramenti a sacerdote impartitae (sed tunc debet ipse ponere incensum in turibulo et incensare ssmum Sacramentum), vel praedicare *S. R. C. in Westmonasterien. 11 dec. 1896 ad 3 et 4* (*3935*). Quoad hoc iuverit etiam referre recentem responsionem S. Congregationis Rituum (*in una de Chiapas 23 nov. 1906 ad 1*). Quaesitum fuerat: « An attentis iisdem circumstantiis [locorum], cum ipse episcopus mozzettam gerens missae solemni assistit, ritus iidem servari possint praescripti a ceremoniali episcoporum cum episcopus cappa magna indutus missae solemni assistit ». Et responsum est: « Negative, sed serventur ceremoniale episcoporum et decreta S. R. C., scilicet: 1° episcopus rochetto et mozzetta indutus non habet assistentiam canonicorum (*decr. n. 650*); 2° incensum non imponit, nec benedicit (*decr. n. 3110 ad 21*); 3° nec benedicit subdiaconum post epistolam nec diaconum ante evangelium cantandum, nec librum evangeliorum osculatur (*decr. n. 3110 ad 22*); 4° semel tantum turificatur post oblata (*decr. n. 2195 ad 2 et Cerem. lib. 2. c. 9. n. 8*); 5° pacem accipit a diacono evangelii (*decr. n. 2089 ad 5*); 6° in fine missae populum non benedicit ».

Episcopus, dum lavat manus intra

missam privatam, non potest tegere caput cum bireto; nec potest gestare mitram, dum in eadem missa privata populo benedicit. *S. R. C. in Romana 20 iun. 1899 ad 3* (*4035*).

1997 Quaesitum autem est, an episcopi coram cardinalibus tenerentur deponere mozzettam; et S. Rituum Congregatio respondit: « Circa cardinales legatos adest ceremoniale (quod scilicet praescribit, ut eam deponant); circa non legatos est facultas in episcopis; tamen se habet consuetudo in Italia, ut episcopi, praesentibus cardinalibus, deponant mozzettam ». *S. R. C. in Januen. 20 iul. 1621* (*388*).

Episcopus, quandocumque accedit ad ecclesiam diebus ferialibus, ut intersit simpliciter horis canonicis, vesperis et completorio, aut etiam missae conventuali, non debet uti cappa magna, sed rochetto et mozzetta. *S. R. C. in Ferentina 12 ian. 1647* (*906*).

Diebus vero solemnibus, accedens ad cathedralem, ut assistat functionibus ecclesiasticis, tenetur episcopus deferre cappam magnam. *S. R. C. in Turritana 25 apr. 1704. ad 5* (*2135*).

In assistendo exsequiis vel in iis peragendis, potest episcopus, ubi ea est consuetudo, deferre vestem talarem nigri coloris cum mozzetta nigra. *S. R. C. in Rhedonen. 26 sept. 1868* (*3184*).

Non potest episcopus in missa, etiam solemni, celebranda crucem pectoralem ex planeta extrahere et in aperto ponere, ita ut supra omnes vestes sacras appareat (*S. R. C. in una S. Iacobi de Chile 6 septem. 1895. ad 2.* [*3873*]); et hoc valet etiam de extrahendo flocculo sericae chordulae, cui crux adhaeret. *S. R. C. in Romana 20 iun. 1899. ad 2.* (*4035*). Attamen episcopi sive dioecesani sive titulares crucem pectoralem gestare possunt, ubicumque degunt. *S. R. C. decr. nuper cit. ad 1.*

Ut consuleretur decori dignitatis 1998
episcopalis, S. Congr. Ceremonialis recenti decreto ad rectores ecclesiarum Urbis directo, post ea, quae statuit ad cardinalium maiestatem tuendam, addit: « Haud par est invitari episcopos ad pontificalia sive missae sive vesperarum, ubi nulla aequa suppetat ratio verae solemnitatis, aut ubi non ante fuerit cautum diligenter, ne forte peragendis iis ritibus vel angustia loci obstet, vel inservientium conditio, vel impar numerus. Quapropter S. Congregatio monet omnes et singulos ecclesiarum Urbis rectores, ut, ad episcopalis dignitatis tutelam, quae circa templi decus et amplitudinem, quae circa solemniorem festi rationem, sacrorum ministrorum aliorumque inservientium qualitatem et numerum superius (pro cardinalibus patribus) praescripta sunt, ea convenienter aptent iis casibus, in quibus invitare episcopum cupiant, sive ad sacra illa solemnia, sive etiam ad missae privatae celebrationem aut ad benedicendum populo cum augustissimo Sacramento, aut ad huiusmodi alia ». *S. C. Cerem. 23 maii 1902.* Vid. *Cardinales.*

Non potest episcopus in aliena dioe- 1999
cesi pontificalia exercere, nisi de ordinarii expressa licentia (Conc. Trid. *sess. VI c. 5. de ref.*); quare episcopus extraneus, sive dioecesanus, sive

titularis non potest, inconsulto ordinario dioecesano, vel in ecclesia tituli cardinalitii, inconsulto cardinali titulari, missam et vesperas pontificales celebrare, etsi id faciat sedens tantummodo in faldistorio, et non utens baculo pastorali, verum ornamentis pontificalibus indutus. *S. R. C. in Asculana 10 apr. 1728 ad 7 et 8 (2283), 4 dec. 1903.*

2000 Episcopus titularis, qui sit canonicus, debet abstinere a celebrandis missis de turno, in quibus celebrandis alium sibi substituere debet; diebus vero solemnioribus potest eas per se celebrare pontificaliter, si ordinarius id permittat. *S. R. C. decr. cit. 10 apr. 1728 ad 7 (2283); in Mediolanen. 16 mart. 1833 ad 3 (2706).*

2001 Nomen episcopi in canone ad verba *et antistite nostro N.* exprimendum est a die captae possessionis, vel per episcopum ipsum, vel per suum procuratorem (*S. R. C. in una Congr. Orator. 4 iul. 1879 ad 2 [3500]*), et est nomen illius episcopi, in cuius dioecesi celebratur, etiamsi nondum fuerit consecratus; et exprimendum est etiam a regularibus et quibuscumque exemptis, sive in suis, sive in aliis ecclesiis celebrent, nec hi suos superiores possunt nominare. *S. R. C. in Lisbonen. 12 nov. 1605 (194), 13 febr. 1666 (1333).* Si quis nomen episcopi ignoret, debet dicere solummodo, *et antistite nostro;* et tempore sedis vacantis nemo nominandus est, quemadmodum, vacante Sede romana, nomen summi Pontificis supprimendum est.

Episcopus autem, qui in dioecesi non sua celebrat, non tenetur in canone nominare episcopum dioecesis, in qua celebrat, sed debet nominare seipsum. *S. R. C. in Lincien. 12 febr. 1892. ad 19 (3764).*

Alia notanda — Plures suspensiones R. Pontifici reservatae habentur in iure contra episcopos male ordinantes, etc., quas vide sub *Ordo.* Cfr. Conc. Trident. *sess. XXIII c. 8 de ref., sess. VI c. 5 de ref.; Const.* « Apost. Sedis » *susp. sub nn. 2. 3. 4. 7.* 2002

Notandum etiam est, quod nomine episcoporum, quoties agitur de iurisdictione, omnes veniunt, qui episcopali iurisdictione gaudent; hinc etiam abbates vere nullius dioecesis in suo territorio, praepositi generales ordinum regularium, etc.

Quinam sit dies electionis episcopi vide sub *Anniversarius.*

Particularia quoad episcopum regularem vide sub *Regulares.*

Quoad censuram incurrendam ab iis, qui iniuria afficiunt episcopos, vide *Canonis privilegium.*

Episcopus in multis debet habere consensum suorum capitularium (vid. *Consensus*), in multis debet eorum consilium exquirere. V. *Consilium.*

Quoad episcopum proprium relate ad ordines conferendos, vid. *Ordo.*

Deferre viaticum episcopo morituro pertinet ad primam dignitatem capituli ecclesiae cathedralis. Vid. *Dignitates.*

Quoad exsequias episcopi defuncti, vid. *Requiem, Exsequiae.*

Decr. Grat. dist. XXIV sq.; tit. de officio iudicis ordinarii X. (I. 31); tit. de off. ordinarii (I. 16) in 6°; tit. de off. iud. ordin. (I. 9) in Clem.; idem tit. (I. 7) in Xvag. comm.; Conc. Trid.

passim; Const. Ben. XIV « Ubi primum » 3 dec. 1740; damn. prop. 6. 7. 8 Synodi Pistor. per const. Pii VI « Auctorem fidei » 28 aug. 1749; Const. Pii IX « Qui pluribus » 9 nov. 1846; Comm. decret. in tit. cit.; *Pavinis Io. Fr.* Baculus pastoralis; *Bertachinus Io.* Tract. de episcopo; *De Torres (Turrianus) Fr.* De residentia pastorum, num ex scripto divino iure fuerit sancita; *Ruffi R.* Defensio Pontificis, cardinalium, episcoporum totiusque ordinis sacri; *Florentinus R.* Collectio de episcopi residentia; *Catharinus A.* Quo iure residentia episcoporum debeatur; *Venetus L.* De residentia episcoporum; *Vargas F.* Responsum de episcoporum iurisdictione et de Pontificis maximi auctoritate; *Caranza de Miranda B.* De necessaria residentia episcoporum; *Pagani A.* Tract. de ordine, iurisdictione et residentia episcoporum; *De Tornaco G.* Tract. de ceremoniis ecclesiae et officio episcopi; *Bellarminus R.* Admonitio ad epum Theanensem nepotem suum; *Regius H.* Lanthrobius, vel de appetitione episcopatus; *Valerius A.* Episcopus; *Aufrerius S.* De officio ordinarii; *Zecchius L.* De statu et munere episcopali; *Socolovius S.* Ritus de consecratione episcopi; *Zerola* Praxis episcopalis; *Filesacus Io.* De sacra episcoporum auctoritate; *Meinardus Fr.* De iuribus episcoporum; *Hammond H.* De iure episcopatus; *D'Alvin S.* Tract. de potestate episcoporum; *Augustini A.* De perfecto iurisconsulto et episcopo; *Ugolini B.* Tract. de officio et de potestate episcopali; *Roguerius M.* Defensio episcoporum auctoritatis contra Acephalos; *Frisius Fr.* Disp. de iuribus episcop.; *Piasecius P.* Praxis episcopalis ea, quae officium et potestatem episcopi concernunt continens; *Narbona Io.* Tract. de appellatione a vicario ad episcopum; *Ugolini B.* Tract. de off. et potestate episcopi; *Buceri Gers.* De gubernatione ecclesiae et de episcopatibus; *Theobaldi D.* Stachyologia, seu Spicilegium ex caeremoniali episcoporum; *A Granada Ludov.* De officio pastorali et moribus episcoporum opusculum; *De Alzedo M.* De praeexcellentia episcopalis dignitatis deque episcopi functionibus ac potestate in credita sibi ecclesia regenda, visitanda, administranda; *De Sosa F.* Obligación con que quedan los obispos religiosos; *Borromaeus F.* De episcopo concionante; *Le Maistre N.* De episcoporum necessitate, splendore et dignitate; *Gavanti B.* Praxis episcopalis; *Hallier Fr.* De sacris electionibus et ordinationibus; *Petavius D.* Dissertationum ecclesiasticarum de episcoporum dignitate ac potestate libri duo; *Aureli P.* De episcoporum auctoritate; *Du Saussay A.* Panoplia episcopalis, seu de officiis episcopi; *Piasecius* Praxis episcopalis; *Squillanti P.* Tract. de obligationibus et privilegiis episcoporum; *Gerunda* Episcopus seu libri IV de episcopatus ratione, necessitate, statu; *D'Alvin S.* Tract. de potestate episcoporum, abbatum aliorumque praelatorum; *Barbosa* Pastoralis sollicitudo seu de officio et potestate episcopi; *Rinuccini* Della dignità et offitio dei vescovi; *Hammond H.* Dissertationes quatuor de episcopatu contra Blondellum; *Turrianus F.* Tract. de residentia episcoporum, an sit iuris divini; *Morinus Io.* Comment. de sacris ecclesiae ordinationibus; *Bagoti* Defensio iuris episcopalis; *Veneri H.* Examen episcoporum; *Lucarinus R.* Episcopus regularis; *Abelly L.* Enchiridion episcopalis sollicitudinis, complectens illius ministerii quascumque partes, cum appendice vicarii generalis et officialis; *Romani P. Fr.* Disputatio de iure episcopali; *Sperelli Al.* Episcopus, opus tripartitum ethico-politico-sacrum; ex italico latine ab Hannibale Adami S. I.; *Palafox* Directions pastorales pour les évêques; traduction du P. Claude Saumaise, de l'Oratoire; *Antonelli Io. C.* Tract. de regimine ecclesiae episcopalis; *Brancatius L.* Dissert. de optione sex episcopatuum; *A. Corona Matth.* Tract. de potestate iudiciali episcoporum et de dignitate et potestate archiepiscoporum; *De Rosa Th.* De vera residentia episcoporum; *Zerola Th.* Praxis episcopalis in qua episcoporum non

tantum eorumque vicariorum munus sed parochorum etiam etc.; *Weber* Nucleus iuris episcopalis; *Ziegler* De episcopis eorumque iuribus privilegiis et vivendi ratione; *Dauth* Episcoporum et presbyterorum iura vi iuris divini quaesita; *Maffei Ferd.* De insignitis amplo episcopatus charactere; *Thomassin* p. 1. lib. 1. c. 50 sqq.; *Antonelli* Tract. de regimine ecclesiae episcopalis; *Lincke D. H.* Tract. de iure episcopali; *Fontana Io.* Tyrocinium episcoporum; *Lupus Chr.* Dissertatio de consecratione episcoporum per Rom. Pontificem (in Op. omn.); *De Manentibus Card. A.* Tract. de potestate episcopali; *Birkner* Dissertatio de decreto, quod de electionibus episcoporum fit; *Bona Card. Io.* Epistolae (in quibus alia dat responsionem ad dubium, utrum sit valida consecratio episcopi sine auctoritate patriarchae vel metropolitani facta in ecclesia orientali; in alia responsio habetur ad dubium an episcopus ritus graeci ab uno tantum episcopo consecratus sit valide consecratus); *Caraphaeus Ios.* Commentarius de re domestica episcoporum; *De Dominicis Dom.* Liber de dignitate episcopali; *Ben. XIV* De Syn. lib. XIII 1-4; *Corgne* Défense des droits des évêques dans l'église; *Alvarez Pegas* Tract. de competentiis inter arch. epis. et nuntium apostol. cum potest. legati a latere etc.; *Petavius* Diss. de episcopis et eorum iurisdict. ac dignitate; *Andreucci* Diss. de officio et potestate episcopi; *Gavanti Barth.* Enchiridion seu manuale episcoporum; *Gervaise* De la sainteté et des devoirs de l'épiscopat; *Voglsanger* Iurisdictio episcoporum proxime a Deo deducta; *Cestari G.* Lo spirito della giurisdizione ecclesiastica sull'ordinazioni dei vescovi; *Bolgeni* L'episcopato ossia la potestà di governare la Chiesa; *Helfert J.* Von d. Rechten u. Pflichten d. Bischöfe u. Pfarrer u. deren Gehilfen u. Stellvertreter; *De la Luzerne* Droits et devoirs des évêques et des prêtres; *Bouix M.* Tract. de episcopis et synodo dioecesana; *Furtner E.* Das Verhältnis d. Bischofsweihe z. heil. Sakr. d. Ordo; *Phillips* KR. VII. 1 ff.; *Hinschius* KR. 6. 79; *Friess* De episcopatus unitate commentarius; *Kurz A.* Der Episcopat, der höchste vom Presbyterate verschiedene Ordo; *Schulte-Plassmann* Der Episcopat ein vom Presbyterat verschiedener und sakramentaler Ordo, oder d. Bischofsweihe e. Sacrament; *Rinaldi-Bucci P. I.* De insignibus episcoporum commentaria; *Scherer* KR. I. 553; *Réville* Études sur les origines de l'épiscopat. La valeur du témoignage d'Ignace d'Antioche; *Fayot* Et. sur les origines de l'épiscopat et les lettres d'Ignace; *Braun* Die pontifikalen Gewänder des Abendlandes; *Gobet L.* De l'origine divine de l'épiscopat; *Holtum G.* Quaeritur utrum episcopatus sit ordo; *Segna Fr.* De ecclesiae Christi constitutione et regimine; *V. Dunin-Borkowski St.* Studien z. ältesten Litt. üb. d. Ursprung d. Episkopats; *Michels* L'origine de l'épiscopat. Étude sur la fondation de l'église, l'œuvre des apôtres et le développement de l'épiscopat aux deux premiers siècles; *Gillmann* D. Institut d. Chorbischöfe im Orient; *Crépon des Varennes* Nomination et institution canonique des évêques; *Cantiniau* Du mode de nomination des évêques de France, de l'époque méroving. à nos jours; *Ruffini* Della facoltà dei vescovi in rapporto alla rappresentanza giuridica della parrocchia; *Vives* De dignitate et officio episcoporum et praelatorum; *Müller Jos.* Die bischöflichen Diözesanbehörden, insbesondere das bischöfliche Ordinariat; *De Genouillac* L' Église chrétienne au temps de St. Ignace; *Beissel St.* Der Bischofsstab; *Smith S.* Co-consecrators.

Episcopus auxiliaris. — Vid. *Coadiutor.*

Episcopus suffraganeus. — Vid. *Suffraganeus.*

Episfola. — Quum missa cantatur 2003
sine ministris, et nullus est clericus inserviens, qui superpelliceo indutus

epistolam decantet iuxta rubricas, satius est, quod ipsa epistola legatur sine cantu ab ipso celebrante; numquam vero in ecclesiis monialium decantari potest ab una ex ipsis. *S. R. C. in Lisbonen. 23 apr. 1875* (*3350*).

2004 **Epulae.** — Quid dicendum sit de parandis epulis, quae ad superstitiosa inservient, vide sub *Cooperatio ad superstitiosa.*

Erectio. — Pro erectione novarum domorum religiosarum, vid. *Conventus.* - Pro erectione beneficii ecclesiastici, vid. *Beneficium.* - Pro erectione congregationum B. M. V., vid. *Congregationes B. M. V.* - Pro erectione confraternitatum, vid. *Confraternitas.*

2005 **Ergastulum.** — In iure italico poena ergastuli (quae est maxima) infert privationem patriae potestatis, auctoritatis maritalis et facultatis testandi, atque hac poena affecti censentur civiliter interdicti. *C. P. a. 32.*

2006 **Error.** — **De natura et divisionibus erroris.** — Error est falsum pro vero habere, vel vicissim verum pro falso. Distinguitur autem error praecipue in errorem facti et iuris. Error iuris versatur circa dispositionem legis; error vero facti circa id, quod evenit. Cfr. *l. 1 de iuris et facti ignorantia D.* (*XXII. 6*), ubi nota, ignorantiam sumi pro errore, uti saepe fit in iure, in quo ignorantia et error valent tantumdem. Cfr. Vicat *Vocab. iuris utr. v.* « *Error* ». - Distinguitur etiam error vincibilis et invincibilis, crassus, supinus etc. Scilicet omnes divisiones ignorantiae et errori applicari plerumque proportionaliter possunt, quum error saepe ignorantiam consequatur. Quare quood has divisiones erroris, vide *Ignorantia.*

In iure canonico, quum agitur de iurisdictione, sermo etiam est de errore communi. Porro error dicitur communis, quum eo in loco, ubi quis iurisdictionem exercet, ea praeditus esse existimatur, quamvis revera ea careat, sive error sit facti, sive iuris, dummodo error iuris sit probabilis. D'Ann. *I. 79* (*72*). Vid. *Iurisdictio.*

De errore quoad contractus. — 2007
De errore circa substantiam. — In contractibus error circa substantiam rei aut naturam contractus nullum illum reddit, quia nulla est errantis voluntas, nullus errantis consensus. Cfr. *l. 8 et 9 de iuris et facti ignorantia C.* (*I. 18*); B. P. *III. 795.* Nota tamen, ut advertit B. P. (*III. 600*), errorem circa substantiam spectandum esse in ordine ad ipsum contractum, adeo ut obiectum substantiale illud dicatur, circa quod voluntarius actus, quo contrahitur, versatur *per se*, non autem *per accidens.* Idcirco in matrimonio persona pertinet ad substantiam, et ideo error personae invalidat matrimonium. Item persona, cui donatur, plerumque pertinet ad obiectum substantiale donationis, quae est liberalitas erga *certum* quemdam hominem. Non item pertinet persona ad substantiale obiectum in venditione aut emptione; quum ferme nihil tua intersit, cui vendas, et a quo emas. Adverte tamen, quod, si quis aut explicite aut implicite intendit donare personae praesenti, quaecumque sit, aut rem praesentem emere, quaecumque sit, tunc error circa personam in dona-

tione, aut rem in emptione, esset tantum accidentalis.

Hinc error circa personam contractus gratuitos invalidat, oneros generatim non item.

2008 **De errore circa qualitatem.** — Error circa solam qualitatem contractum per se non invalidat, nisi agatur de contractu gratuito (contractus enim onerosi, etsi talis error intervenerit, verius omnino validi sunt iure naturae [B. P. *III. 605*] quamvis sint rescindibiles; excepto tamen casu, quo intentio contrahentis actu aut virtute fuerit conditionalis, quia tunc etiam hi contractus iure naturae essent invalidi), cui ipse dederit causam, idest quem quis initurus non fuisset, ablata deceptione et errore submoto. B. P. *III. 606.*

Verum, etsi error circa qualitatem contractus generatim non invalidet, restituendus tamen est a venditore emptori decepto excessus supra pretium iustum, et, si deceptio ex parte venditoris fuerit culpabilis, restituendum est etiam pro aliis damnis, quae forte deceptus ex deceptione passus est. B. P. *III. 602.*

2009 **De erroribus circa motivum, qui ad errorem sive circa substantiam, sive circa qualitatem reducuntur.** — Ad errorem circa substantiam reducitur error circa motivum finale, si motivum finale, seu causa, sit intrinsecum contractui; et haec causa generatim in contractu oneroso est utilitas, quam ipse actus natura sua parit, in contractu autem gratuito est liberalis voluntas dantis vel gratitudo. Huiusmodi error haberetur in casu, quo alicui ob summam egestatem a te petenti aliquam pecuniae vim, eam misericordia motus ad auxilium ei ferendum praeberes, ipse vero ea nulla ratione indigeret.

Si vero error circa motivum finale versatur tantummodo circa utilitatem quamdam extrinsecam, quam contrahens per contractum intendebat, non reducitur ad errorem substantiae, sed ad errorem qualitatis, et proinde non vitiat contractum; essentia enim rei manet (sic non irritatur emptio equi, quem emptor putabat velocissimum, et e contrario tardus est). B. P. *III. 559.*

Ad eumdem errorem qualitatis reducitur error circa motivum impellens, qui proinde contractum non irritat; (ut si eleemosynam pauperi tribuas, quia eum probum existimas, ille autem improbus est). S. Alph. *III. 737. Hom. apost. n. 137;* G. B. *I. 778.*

Ex iure italico error iuris contractum invalidat, si est eius causa unica et principalis; error facti, si cadit super substantiam rei, quae est obiectum contractus. *C. C. a. 1109. 1110.*

De errore ex dolo. — Exceptis qui- 2010
busdam contractibus, circa quos (praecipue sunt matrimonium et professio religiosa) iure statuitur, ut semper validi ac firmi sint, nisi error sit circa substantiam, pro casibus, in quibus relate ad aliquem contractum intervenit error ex dolo, has regulas habe ex Ballerini-Palmieri *III. 612:*

« 1° Quando dolus dat causam contractui bonae fidei, altero contrahentium in dolo communicante, contractus, iuxta communiorem, neque in conscientia neque in exteriori foro valet, sed in decepti favorem est ipso

iure nullus: esto deceptus non sit laesus ultra aut infra dimidium iusti pretii. Iuxta alios autem rescindi potest, et quidem rescindendi ius habet deceptus etiam ante iudicis sententiam. Iuxta quosdam nempe contractus est validus, sed ita ut nulla sit obligatio decepti standi pactis; quod in priorem sententiam fere recidit.

In eo tamen et prioris sententiae patroni conveniunt, quod, si quis per dolum dantem contractui causam cum alio contrahit, obligatus manet in conscientiae foro ad standum illi etiam ante iudicis sententiam, modo deceptus id velit; nec obstat, quod deceptus ex parte sua nec in conscientiae nec in externo foro ullam habeat obligationem.

Insuper quando contrahentis dolus dat causam contractui, non solum est ipso iure nullus aut certe rescindendus, sed praeterea decipiens tenetur decepto ad damna omnia tam lucri cessantis quam damni emergentis, quae ex illo contractu subsequentur.

2° Quando dolus causam quidem dat contractui, sed adhibetur a quodam tertio, non communicante in dolo alterutro contrahente, validus est contractus; datur tamen decepto actio adversus tertium, qui dolum adhibuit...

3° Quando dolus fuit commissus a contrahente, sed non dat causam contractui, quia alter empturus etiam hoc pacto rem erat, licet non tanto pretio: tunc validus est contractus tam in foro conscientiae, quam in externo; sed decepto datur actio (etiamsi non ultra dimidium iusti pretii sit deceptus) ad repetendum id, quod ratione doli plus dedit... Quocirca restituendum est, quidquid per dolum acceptum est supra pretium, quod iuste emptor daturus erat; nam totum hoc incrementum iniuste per dolum fuit extortum.

Quoad alios casus, hanc praxim tradit Molina *de iure et iustitia disp. 352 n. 16:*

1° Quum quis decipitur, ignorante altero contrahente, tunc si nulla inaequalitas in contractu oriatur, quia nulla inest transgressio iusti valoris, contractus in utroque foro validus est et firmus, nec quidquam mutetur opus est. Si vero inaequalitas oriatur, tunc reduci ad aequalitatem in foro conscientiae debet usque ad limites iusti pretii.... Debet etiam in exteriori foro reduci ad iustum pretium, si inaequalitas excedit dimidium iusti pretii. *L. Rem maioris pretii C. de rescindenda venditione;* cfr. *c. Cum dilecti de emptione et venditione.*

2° Eadem norma servanda est, quando deceptio fit quidem, sciente altero contrahente, abest tamen dolus, nec contrahens reticet illa, quae tenebatur manifestare.

3° Quum mendacia ac doli intercesserunt, et his inductus alius est ad contrahendum, vel ad augendum pretium, tunc si dolus causam dedit contractui, hic irritus erit ad decepti arbitrium, idque etiam in foro exteriori, etsi nulla exsurgat inaequalitas.

4° Si vero mendacia et doli non induxerunt ad contrahendum, quia alter fidem non adhibuit, sciens hanc esse consuetudinem celebrantium similes contractus, aut si similiter con-

traxisset licet abessent doli illi ac mendacia; tunc idem dicendum est ac in primo et secundo casu. Atque hinc saepe mercatores mentientes ac iuramento affirmantes, vel rem plus valere, vel carius se eam emisse, ac multa alia confingentes, tam ut vendant aut carius vendant, quam ut emant aut vilius emant, excusabuntur ab onere rescindendi huiusmodi contractus, tum etiam a restitutione partis eius, quod ita acceperunt, ad limites usque iusti, licet rigorosi.

5° Quando nulla intercedat inaequalitas, etsi dolus causam dederit contractui et deceptus possit rescindere contractum, tamen, si res adhuc integra non sit, regulariter non consurgit obligatio aliquid restituendi sub letali culpa. Hinc a letali culpa et ab onere restituendi sub gravi excusabuntur, qui mentientes vinum esse plurium annorum, aut non esse illius loci, illud vendiderunt ei, qui si rem bene novisset, illud omnino non emisset, aut non emisset tali pretio; quando vinum in se, computatis omnibus circumstantiis, erat aeque bonum et aequalis valoris.

Idem dicatur, si illud alius non emisset tanti, sed incrementum pretii non esset tantum, quantum requiritur ad culpam letalem.

6° Sub levi tamen erit obligatio, aut rescindendi contractum, aut restituendi excessum pretii (licet excessus non praetergrediatur limites iusti, etiam rigorosi), quando alter, absente dolo, rem aeque bonam minori pretio ab aliis fuisset empturus. Quod si a nullo alio rem meliorem, aut viliori pretio alter fuisset empturus, tunc, etsi peccetur leviter ex iniuria illi facta, quia tamen nullum damnum subsecutum est, nulla exsurgeret obligatio restitutionis.

Si res esset magni valoris, aut si pretium, quo rem aeque bonam ab aliis emere alius potuisset, ita excedat, ut ad culpam letalem sufficiat; tunc graviter peccabitur, aut non rescindendo contractum re integra, aut non restituendo pro damno, si res adhuc integra non sit ».

Ayreri Iac. De errore calculi ad l. unicam Cod. de errore calculi; *Fabri A.* Tract. de erroribus pragmaticorum; *Salvioli D.* Sull'errore considerato quale vizio del consenso in materia di contratti.

De errore quoad matrimonium. — 2011
De errore facti. — Error facti in *contrahendo matrimonio* tunc habetur, quum quis consensum externum praestat personae, quae alia est ab ea, quam mente existimat, et voluntate vult sibi matrimonio copulare. Feije *de imp. et disp. matr. n. 105.*

Huiusmodi autem error: *a*) Alius est *substantialis* (idest error circa ipsam personam); cui reducitur error, qui vocatur *redundans in personam,* et iuxta Feije (*l. c. n. 114.*) post S. Alphonsum (*VI. 1015 sqq.*) consistit in errore circa qualitatem, α) quae personam distinguat a qualibet alia, eamque pro errante veluti individuet (cfr. S. Th. *Suppl. q. 51. a. 2. ad 5*); - β) sub qua tantum, vel saltem praecipue, persona nota sit erranti; - γ) in quam praeterea principaliter et directe cadat errantis intentio. Et hae conditiones huc redeunt, ut qualitas sit *determinativa personae,* seu tessera, qua in mente contrahentis de-

terminatur, et distinguitur prae aliis persona in coniugem accipienda, quae alioquin esset ignota. B. P. *VI. 608.*

b) Alius est *accidentalis* (idest error circa qualitatem personae seu fortunae, pulcritudinis, sanitatis, conditionis servilis etc.).

Praeterea error alius est *antecedens*, seu dans causam contractui (adeo ut matrimonium secus nunquam fieret); alius est *concomitans* sive incidens (quo nempe remoto, matrimonium nihilominus fieret).

2012 Ex natura rei matrimonium dirimit error, quicumque ille sit (idest sive fuerit invincibilis sive vincibilis, imo etiam crassus et supinus, sive antecedens fuerit sive concomitans, S. Alph. *VI. 1010;* Schmalzgrueber *in tit. 1 libr. IV Decr. n. 444*) personae seu qualitatis redundantis in personam. S. Th. *l. c. a. 1.* Ratio est, quia ad valorem matrimonii essentialiter requiritur mutuus consensus duarum *certarum* personarum; in casu autem non habetur. *c. 2. C. XXVII. q. 2; S. C. C. 19 sept. 1774, 27 maii 1820.*

2013 Ex intentione contrahentis expresse addita dirimit matrimonium error cuiuslibet rei, quae pro conditione *sine qua non* habita sit; tunc enim non habetur, nisi consensus conditionatus, conditione non purificata. S. Alph. *VII. 1014;* Schmalzgrueber *l. c. n. 448;* B. P. *VI. 606.*

2014 Si vero non habemus conditionem *sine qua non* adiectam, nullus error de sola qualitate personae (excepto errore circa conditionem servilem), quae in errorem circa personam non redundet, ne tunc quidem, quum error daret causam matrimonio (*S. C. C. 20 dec. 1862*), matrimonium irritum facit (S. Alph. *VI. 1011 sqq.;* B. P. *VI. 604. sqq.*); imo ne ille quidem error hunc habet effectum, qui ex fraude (cfr. *c. 18 de sponsal. etc. X. [IV. 1]*; attamen qui dolo malo in hoc agit, peccat, et tenetur quoque de damnis) etiam alterius contrahentis inductus est (Feije *l. c. n. 108;* hinc ne tunc quidem, quum mulier se ex viro praegnantem finxit, et vir nonnisi ratione praegnantiae eam uxorem duxerit, *S. C. C. in Avenionen. 22 iun. 1907*); neque ille, qui, si cognitus fuisset, matrimonium certissime impedivisset, ut esset, si mulier ex alio praegnans esset. *S. C. C. 24 febr. 1720.* Ratio est, quia in iis, quae constituunt statum ex natura sua firmum et irrevocabilem, voluntas iuxta rei naturam, de qua agitur, accommodat se, et consentit sine restrictione vel conditione, sed omnino absolute et independenter ab aliis conditionibus praeter eas, quae sunt de substantia eiusdem contractus, nisi tamen ipsa expresse conditionem apponat. Lugo *de iust. et iure disp. XXII. n. 88;* B. P. *l. c. n. 605;* D'Ann. *III. 444.*

In foro externo, nisi extra omne dubium sit, errantis intentionem principaliter et directe latam fuisse in qualitatem personae, matrimonium solvendo locus non est; sed eius valor ordinarie praesumitur, nisi conditio expresse addita fuerit. Cfr. Feije *l. c. n. 117.*

De errore iuris. — Error iuris seu 2015 theoreticus circa essentiam, iura, bona matrimonii, ut si putes matrimonium dissolvi posse, non irritat

matrimonium, nisi quando in pactum deducitur, ut conditio *sine qua non*. Cfr. Ben. XIV *de Syn. lib. XIII. c. 22. n. 8*; Pium VI *ad arch. Pragensem 11 iul. 1789*; *S. U. I. n. Oct. 1680, 1 aug. 1748* (Denzinger *Enchirid. n. 1485*); D'Ann. *l. c.*

Hinc, exempli gratia, etsi quis putet matrimonium esse dissolubile, potest verum matrimonium inire. Quando autem verum matrimonium contraxisse aliqui in casu dicendi sint, quando non, bene, more suo, recapitulat Ballerini-Palmieri (*VI. 287.*) post Lugo (*de sacramentis in gen. disp. VIII sect. 8 n. 127-132*) aliosque Doctores. Recenset autem sequentes casus:

« *a*) Quando contrahunt cum pacto expresso, ut possint uti repudio ex. gr. in casibus sibi permissis a lege civili, matrimonium est nullum. Cfr. *c. 7 de condit. etc. X.* (*IV. 5*); Lugo *loc. cit. n. 128.*

b) Pariter nullum est matrimonium, si unus ex contrahentibus eo tantum interno animo contrahat, ut liceat sibi uti repudio, licet id non deducat in pactum externum. Sanchez *de matr. lib. V disp. 12. n. 5.*

c) Si coniuges sciant, in republica sua licere repudium, nec tamen tempore contractus addiderint hanc limitationem, se non aliter obligandi, quam sub eo ritu repudii; tunc si ea scientia, quam habebant de usu repudii, se habuit antecedenter, hoc est, si ideo contraxerunt, quia sciebant licere repudium, et aliter non contraxissent, iam videntur se implicite noluisse obligare ad perpetuitatem, atque adeo in nullitatem matrimonii declinandum est iudicium. Lugo *loc. cit. n. 131.*

d) Si vero contrahentes ignorabant omnino, num vinculum foret perpetuum, vel si credebant etiam esse dissolubile, sed non limitarunt suam intentionem tempore contractus ad eam existimationem, verum habuerunt voluntatem generalem contrahendi matrimonium validum, ita ut illa ignorantia, vel existimatio se habeat concomitanter, quum etiam sine illa aeque contraherent, tunc matrimonium videtur validum et observandum. Lugo *loc. cit. n. 132* ». Cfr. Ben. XIV *de Syn. lib. XIII. c. 22. n. 7.* Patet autem, quod in dubio standum est pro valore actus ».

Ad maiorem claritatem eorum, quae 2016
nuper dicta sunt, iuverit hic in compendium referre ea, quae S. Congr. de Prop. Fide statuit in Instructione, quam dedit vicario ap. Constantinopolitano. Postquam diviserit eos Armenos, de quibus quaestio erat, et apud quos non viget decretum tridentinum de clandestinitate, in tres classes, quorum *a*) quidam se sistunt iudici turcico ad ducendam concubinam, *b*) quidam ad declarandum matrimonium vel iam contractum vel mox contrahendum, *c*) quidam ad ducendam uxorem mulierem, quam ex aliquo impedimento impediente non potuerunt ducere coram ecclesia, nescientes tamen ex eo actu coram ministro turcico posito, eos illicite quidem sed valide posse in matrimonium consentire; resolvit congregatio matrimonia eorum, qui ad primam classem pertinent, nulla esse et irrita, quamvis aliquando in foro ex-

terno debeat censeri validum matrimonium, tunc scilicet quum intentio ineundi concubinatum fuit occulta tantum in alterutra parte, et legitimis argumentis probari nequit. Accessus vero ad iudicem turcicum eorum, qui ad secundam classem pertinent, nihil facit quoad validitatem vel invaliditatem eorum matrimoniorum. Pro iis vero tertiae classis, qui volunt revera uxorem ducere, sed errant, putantes non sufficere ad valorem matrimonii sistere se iudici turcico, qui si scirent hunc eorum actum sufficere ad valide matrimonium contrahendum, intentionem haberent contrahendi, S. Congregatio respondit, ea matrimonia pro validis habenda esse, nisi aliud obsit canonicum impedimentum, cum eorum error non concernat substantiam matrimonii, nec tollat antecedentem voluntatem illud contrahendi, sed cadat tantummodo in forma et solemnitate. *S. C. P. F. 1 oct. 1785.*

2017 Iuverit etiam hic referre resolutionem S. Cong. Inquisitionis ad dubia episcopi Siouxormensis, quae huc referenda sunt. Scilicet exposuerat episcopus, morem esse Indianis illius regionis contrahendi matrimonia, uxorum suarum indolem ac qualitates tentandi gratia, nempe utrum bonae sint ac prudentes necne, et animo dimittendi, si fatuae ac improbae deprehendantur. Hinc duo dubia proponebat: « 1° Potestne ipsis fides adhiberi, si iureiurando affirment, se numquam indissolubili vinculo cum praecedentibus uxoribus matrimonium contraxisse, eisque permitti, ut sibi iungant secundum leges s. matris ecclesiae eam, quam nunc habent? — 2° Possuntne illi pagani, praecedentibus uxoribus adhuc viventibus dimissis, ducere eam, cum qua nunc vivunt, si cum ipsa baptizari velint et christianorum more matrimonium contrahere? » Et S. Congregatio respondit: « Ad 1^um^ affirmative, si agatur de infidelibus, post institutum diligens examen omnium adiunctorum circa ipsorum credibilitatem, et nullum aut leve dubium supersit de assertionis veritate; negative, si agatur de fidelibus, sed requiritur legitima probatio. — Ad 2^um^ Si instituto diligenti examine matrimonium cum prima, quae iam baptizata fuerat, validum inveniatur, ad illam redire omnino tenentur; si autem non fuerit baptizata, vi articuli secundi formulae primae satis erit eam interpellare, utrum velit converti. Ubi vero converti nolit, vel serio dubitetur de validitate matrimonii cum prima, poterunt quamlibet ducere, dummodo erit baptizata, renovato consensu ». *S. U. I. 18 mai 1892.* Quum autem novus casus occurreret et dubium aliquod haberetur circa responsionem supracitatam, idem episcopus eumdem casum Sacrae Congregationi proposuit, quae sic respondit: « Primam partem resolutionis S. O. diei 18 maii 1892 spectare eos, qui in infidelitate contraxerant, ideoque applicari non posse iis, qui post susceptum baptismum contraxerunt, ut in casu. Restat igitur, ut episcopus diligenter inquirat, an eorum matrimonium fuerit invalidum ob aliud impedimentum; vel ut ipse Indianus legitime probet, se habuisse in contrahendo explicitam voluntatem repudii in casu adulterii,

exterius manifestatam ». *S. U. I. 25 maii 1898.*

2018 **De accusatione matrimonii ex capite erroris.** — Matrimonium accusare ex capite erroris, et nullitatis declarationem postulare potest ille tantum, qui circa alterius personam erravit (Feije *l. c. n. 584*), quique hoc ius amittit, si, quum scientiam haberet nullitatis, libere copulam habuit, vel per aliquod tempus (cuius diuturnitas a iudice ecclesiastico determinanda est, cfr. *c. 21 de sponsal. et matr. X.* [*IV. 1*] *cum Glossa ibi*) continuavit cohabitationem. Feije *l. c.* Hoc quidem ex iure communi; nam ex indulto apostolico etiam alteri coniugi aliquando conceditur ius accusandi matrimonium, dummodo ipse non fuerit causa culpabilis erroris in comparte, vel non usus sit dolose errore, in quem alteram partem tertia quaedam persona induxit. Wernz *Ius Decr. IV. 232.* - Nota autem, quod etiam in illis casibus, in quibus, ut diximus, pars errans excidit ordinarie a iure accusandi matrimonium, hoc ipsum ius eidem conservatur, quando ad convalidationem matrimonii faciendam necessario servanda est forma tridentina. Wernz *l. c. n. 233.*

2019 **De ablatione impedimenti erroris.** — Impedimentum erroris ne ab ipso quidem summo Pontifice tolli potest, sed tollitur solummodo per consensum expresse vel tacite (idest per copulam cum affectu maritali aut per diuturnam cohabitationem) manifestatum ipsius errantis in matrimonium, postquam suum cognovit errorem. Si vero noluerit errans renovare consensum, quoad torum possunt partes propria auctoritate se separare, quoad cohabitationem vero dissolvendam indigent auctoritate ecclesiastica fori externi. Feije *l. c. n. 118;* cfr. *c. 3 de div. X.* (*IV. 19*).

Ad convalidandum autem matrimonium ex errore nullum, si impedimentum fuerit publicum, in locis subiectis decreto tridentino, necesse est iterum in forma tridentina contrahere.

Si pars errans inducta fuerit in errorem ex malitia alterius partis, nunc autem ipsa pars errans petat convalidationem matrimonii, nec alia via supersit ad totaliter reparandam iniuriam et damnum parti erranti illatum, altera pars, quae malitiose egit, tenetur per verum et novum consensum matrimonium convalidare, ratione illatae iniuriae et damni. *Arg. c. 1. de eo qui duxit etc. X.* (*IV. 7*); Wernz *l. c. n. 231.*

Quoad errorem circa conditionem servilem compartis, vid. *Conditio servilis.*

Quoad iurisdictionem, quam ius supplet vel non supplet in casu erroris communis, vid. *Iurisdictio.*

C. XXIX. q. 1.; cc. 18. 26 de sponsal. et matr. X. (IV. 1); *Sanchez* De matrim. lib. VII. disp. 18; *Reiffenstuel* in tit. 1 lib. IV Decret. n. 342-350; *München* Ueber Irrthum als Ehehinderniss; *Stahl Fr. I.* De matrimonio ob errorem rescindendo; *Richter-Schulte* Concilium tridentinum pag. 244 nn. 83, 84; *Schulte I. Fr.* Handbuch des kath. Eherechts § 19; *Daller* Der Irrthum als trennendes Ehehindernis nach katholischem Eherechte; *Halfes* De impedimento erroris; *Zimmermann* Ueber den Einfluss des Irrtums und des Betruges auf die Gül-

tigkeit der Ehe; *Zitelmann* Irrtum und Rechtsgeschäft; *Leonhard* Der Irrtum bei nichtigen Verträgen nach röm. Rechte; *Freisen* Geschichte d. can. Eherechts 276-306; *Sehling E.* Zur Lehre v. Irrtum i. d. Person; *Pfersche* Die Irrtumslehre des österr. Privatrechtes; *Andreae* Ueber den Einfluss des Irrtums auf die Gültigkeit der Ehe; *Rosset* De sacr. matrimonii II 1247 sqq.; *Flügel* Das kanon. Ehehinderniss des Irrtums; *Scherer* Handbuch des Kirchenrechtes § 112; *Mastelloni* L'errore nella persona come causa di nullità del matrimonio; *Gerigk* Irrtum und Betrug als Ehehindernisse nach kirchlichem und staatlichem Rechte; *Gaugusch* Der Irrtum als Ehehinderniss; *Sagmüller* Lehrb. d. k. KR. § 131; *Leitner M.* Lehrbuch des katholisch. Eherechts § 20; *Gerigk* D. Irrtum b. Ehevertrage nach d. Naturrecht; *Dusi* Ancora della nullità del matrimonio per cagione di errore o di dolo; *Gasparri P.* Tract. can. de matrimonio [3] II. 887 sqq.; *Soleri* Nuovamente dell'errore e del dolo nel matrimonio; *Wernz* Ius Decr. IV. 220 sqq.; *Hergenröther-Hollweck* Lehrb. des k. KR. n. 904 sqq.; *Breit* Die rechtlichen Besonderheiten des Irrtums und der arglistigen Täuschung bei der Eheschliessung; *Friedberg* Lehrb. des kath. und evangel. Kirchenrechts § 141.

2020 **Et amplius.** — Vid. *Clausulae.*

Ethnici. — Ad horum conversionem toto animo intendere debent missionarii, praesertim vero vicarii apostolici (*Instr. S. C. P. F. ad vic. ap. Sinenses 18 oct. 1883*), qui tamen curare debent, ne ethnici ad baptismum admittantur, nisi prius gentiles mores prorsus exuerint, et in fide sint sufficienter instructi. *Constit.* Alexandri VII «Sacrosancta» *18 ian. 1658.* Cum ethnicis autem magna moderatione proceden dum est, et christiani, etiam quum ab iniustis gentilium vexationibus sese defendere coguntur aut sua iura vindicare, idipsum debent ea ratione atque animi moderatione perficere, ut nullum inde christianae rei periculum, nullum possit obvenire damnum vel dedecus. *Instr. S. C. P. F. ad vic. ap. Sutchuen. 28 febr. 1815.* Cfr. *Baptismus, Cooperatio, Sacrificium,* etc.

Eucharistia. — ***De natura eucharistiae.*** — Eucharistia est sacramentum corporis et sanguinis Christi, sub speciebus panis et vini, ad spiritualem animarum refectionem, Concil. Trid. *sess. XIII.* In ea Christus est praesens vere realiter et substantialiter (Conc. Trid. *loc. cit. can. 1*); totus sub utraque specie et sub qualibet eius parte (Conc. Trid. *l. c. c. 3. can. 3*); fit autem praesens per transsubstantiationem totius substantiae panis et totius substantiae vini in eius corpus et sanguinem. Conc. Trid. *l. c. c. 4. can. 2.* Remanet praesens, quamdiu species remanent integrae. Conc. Trid. *c. cit. can. 4.* 2021

Est unicum specie sacramentum, licet sint plura signa. S. Th. *3. p. q. 73. a. 2.* Praecipuus eius effectus consistit in augmento vitae spiritualis. *Decr. pro Armenis in Bulla Eug. IV.* «Exsultate Deo». Cfr. Conc. Trid. *l. c. c. 2 can. 5.*

De materia. — Materia remota est panis triticeus et vinum de vite. Conc. Lat. *IV c.* «Firmiter»; *Decr. cit. pro Armenis;* Conc. Trident. *sess. XIII. por totum.* 2022

De pane. — Panis autem, qui sit materia certa pro eucharistia, non solum debet esse triticeus, sed subactus 2023

aqua naturali et assus igne. Croix *Th. mor. VI. 1. 427.* Hinc non esset materia apta panis ex alica seu spelta (quam tamen Germani quidam idoneam omnino habent, Voit *Th. mor. tom. 2. n. 275*), vel ex secali (quam ne cum siligine confundas, ut fecerunt multi; hanc enim tritici delicias vocat Columella, et Plinius dicit esse genus frumenti, ex quo laudatissimus panis conficitur, B. P. *IV. 827*); dubia etiam materia est panis subactus aqua rosacea (Rubr. miss. *tit. de defect. III. 2*), vino, oleo, lacte, butyro, ovis, etc. (Suarez *de euch. disp. XLIV sect. 2 n. 2*); vel coctus oleo, adipe etc. (Croix *Theol. mor. VI. p. 1. n. 421. sqq.;* S. Alph. *VI. 199*). In hoc autem regula generalis ea est, quam tradit Lugo *de euch. d. IV. n. 6,* dicens: « in universum est observandum ad huiusmodi quaestiones non tam debere attendi unitatem vel diversitatem specificam materiae, quam si iuxta communem usum reputatur pro pane talis materia, necne ».

Patet, panem corruptum esse materiam ineptam; panem vero, qui ad corruptionem disponitur, vel incipit corrumpi, esse validam quidem, sed gravi peccato non vacare sacerdotem, qui eo uteretur, nisi in gravi necessitate. Ben. XIV *Inst. eccl. 77.* Perinde autem est ad valorem Sacramenti sive panis sit azymus, sive fermentatus. *Decr. union. Graec. in Bulla Eug. IV.* « Laetentur Caeli » *in Conc. Flor.,* vide tamen dicenda intra de materia adhibenda pro licita consecratione.

Illicitum autem omnino est, cum micis panis sacrificare. *Decr. Alex. III ex Bulla a. 1263 ad Upsalensem epum.*

De vino. — Vinum debet esse de vite. *Decr. cit. pro Armenis.* Hinc non est materia valida sicera, seu cerevisia, et quodvis vinum artificiale, ut hydromeli vel mulsum; dubia saltem materia erit lora, quae fit ex aqua superinfusa acinis, ex quibus succus iam sit expressus (Suarez *de euch. disp. 45 sect. 1 n. 8*); et omphacium seu agresta, idest succus ex uvis immaturis expressus. Rub. miss. *tit. de defect. IV. 1.;* B. P. *IV. 834.* At valide consecratur vinum imbibitum in offa panis (Lugo *de euch. d. IV. n. 12*, et post eum D' Annibale *III. 385*, contrarium tenent, sed ratio Lugonis haec est: quia vinum in casu demonstrari non posset; quod tamen non videtur verum), vel gelu concretum. (S. Alph. *VI. 207. q. 2;* B. P *IV. 842;* argumentum autem deducitur etiam ex Rubr. miss. *tit. de defect. X. 11*). Cum sicca autem faece vini sacrificare omnino prohibitum est. *Decr. Alexandri III. supracit.* Vinum autem corruptum, ut acetum (S. Alph. *VI. 206*), vel vappa (Scavini *Theol. mor. lib. 3. tr. 9. n. 126*) non est materia apta. Mustum ex rubricis missalis (*tit. de def. IV. 2*). etiam nuper de uvis maturis expressum, est materia idonea, imo in necessitate, idest in defectu alterius materiae, ex canone 7 distinctionis 2 de Cons. licet in musto consecrare. 2024

Vinum, quod coepit acescere, materia valida est ex Rubr. miss. (*tit. de defect. IV. 2*); sed graviter illicita, si de notabiliori quadam acescentia agatur, nam vinum parum acescens,

deficiente alio vino, adhiberi potest sine scrupulo (S. Alph. *VI. 207. q. 1*), praesertim ab iis, qui in aliena ecclesia celebrant, aut ad quos cura vini non pertinet, quum difficulter aliud vinum habere possint. Ben. XIV *Inst. 77. n. 2;* Lehmkuhl *II. 120.*

2025 **Responsiones quaedam S. Congr. S. Off. circa materiam eucharistiae.** — Quoad hanc sacramenti eucharistiae materiam has habe magis scitu dignas responsiones Sacrae Congregationis S. Officii.

1° Vic. apostolicus Coimbaturen. haec exposuit: « In hac regione difficillimum est conficere panes eucharisticos farina proprie dicta; unde consuetudo orta est (exceptis forsitan locis, in quibus facile haberi potest farina ex Europa) panem conficiendi ex granis contritis et per aliquas horas in aqua infusis, non tamen usque ad corruptionem. Quae grana manibus comprimunt, et ex materia alba adveniente, panes conficiunt ferro calido, modo in Europa consueto. Aliquod habeo scrupulum de tali confectione... Unde humiliter quaero: utrum licita sit supradicta confectio panis pro missa ». Sacra Congregatio Sancti Officii (*25 iun. 1852*). respondit: « Affirmative; curet tamen, si fieri possit, vic. apostolicus, ut frumentum, ex quo panis eucharisticus conficitur, non contundatur solummodo, sed apto instrumento in farinam redigatur, quae deinde cribro exacte purgetur, et panis ex eadem conficiatur, modo in Europa usitato ». Hanc emorum Patrum resolutionem SS. Dnus approbavit.

2° P. Iosephus de Ierusalem O. M. praefectus missionibus Aethiopiae exposuit modum conficiendi vini ita: « Sumuntur ex. gr. quatuor librae zebibi (acinarum uvae passae), franguntur, atque in apto vase tunduntur, ac deinde totidem frigidae aquae librae in idem vas infunduntur, eaque in infusione servantur per sex, octo, vel ad summum decem horas; extrahitur postea uvae passae materia, eaque ab exteriore aqua purgata panno stringitur vel torculari premitur. Liquor inde expressus vinum est, quo sine ulteriore diligentia utuntur, dum celebrant ». Porro, hac praemissa explicatione et variis experimentis factis pro eliciendo tali vino, « Sanctissimus, auditis votis cardinalium dixit, licere, dummodo ex colore, odore et gustu dignoscatur esse vinum ». *S. U. I. 22 iul. 1706.*

3° Rmus dnus episcopus Carcassonen. et Massilien. Sacrae Congr. Universalis Inquisitionis exposuit: « Ad vini corruptionis periculum praecavendum duo remedia proponuntur: *a*) vino naturali addatur parva quantitas *d'eau-de-vie; b*) ebulliatur vinum usque ad sexaginta et quinque altitudinis ». Atque inde quaerebat, utrum haec remedia licita essent in vino pro sacrificio missae, et quodnam praeferendum. Eadem sacra Congregatio (*8 maii 1887*), respondit: « praeferendum vinum, prout secundo loco exponitur ».

4° Rmus episcopus Massiliensis haec exposuit: « In pluribus Galliae partibus... vinum album, quod incruento missae sacrificio inservit, tam debile est ac impotens, ut diu conservari non valeat, nisi eidem

quaedam spiritus vini (alcool) quantitas admisceatur. Quaeritur *a*) an istiusmodi commixtio licita sit, *b*) et, si affirmative, quaenam quantitas huiusmodi materiae extranea vino adiungi permittatur, *c*) in casu affirmativo, requirirturne spiritus vini ex vino puro seu ex vitis fructu extractus? » Responsum est: « dummodo spiritus (alcool) extractus fuerit ex genimine vitis, et quantitas alcoolica addita, una cum ea, quam vinum, de quo agitur, naturaliter continet, non excedat proportionem duodecim pro centum, et admixtio fiat, quando vinum est valde recens, nihil obstare, quominus idem vinum in missae sacrificio adhibeatur ». *S. U. I. 31 iul. 1890.*

5° Archiepiscopus Tarraconensis exposuit: « Vinum dulce, quod pro missae sacrificio adhiberi solet in Hispania, spiritum ultra proportionem duodecim pro centum naturaliter continet. Quaeritur: *a*) utrum decem partium spiritus pro centum commixtio, ut ex experientia constat, omnino ad vini dulcis conservationem necessaria, continuari possit: *b*) utrum vinum ita confectum adhiberi possit in missae sacrificium ». Responsum est: « negative in ordine ad missae sacrificium ». *S. U. I. 15 apr. 1891.*

Attamen quoad hoc confer recentiorem responsionem. S. Officii sub n. 9.

6° Vicarius apostolicus Tcheli-Meridio-orientalis exposuit: « Quum difficile sit meracum emere vinum in Europa, et difficilius adhuc illud, pretio haud modico comparatum, in Sinas transvehere, quin in via fraude adulteretur, iam abhinc pluribus annis tutius, nec non facilius missionariis huius vicariatus visum est, vinum pro missae sacrificio in hac ipsa regione confici. Uvae vero, quas in septentrionalibus Sinensis imperii partibus reperire est, sacchari quantitatem nimis exiguam continent; ex quo fit, ut vinum ex his ad sacrificium missae expressum alcoolis portionem infimam tantum habeat, et propterea vix incorruptum asservari possit, attentis praesertim diuturnis intensisque aestivi temporis ardoribus, corruptioni quam maxime faventibus. Tollitur incommodum, obtineturque vinum tuto servabile, nec non oculis, gustui olfactuique haud ingratum, si centum libris uvarum mox contusarum addantur decem librae *saccari ex canna* (idest ex planta graminea, botanice *saccharum officinarum,* gallice vulgo *canne a sucre* nuncupata) haecque massa deinde more solito fermentetur, quae cum deferbuerit, ex centum libris massae (novem sacchari libras iuxta exposita continentibus) obtinentur sexaginta septem vini librae, quae ut ex calculo chimico coniicere licet, practice ad summum quatuor libras cum dimidia (idest circiter quintam decimam ponderis totalis partem) alcoolis ex saccharo geniti continent..... Quam praxim eo libentius retinuimus, quo maior in dies evadit nobis impossibilitas spiritum vini (alcool) ex vite genitum comparandi. Nunc autem, aliquo exsurgente dubio, humiliter quaeritur: *a*) an haec praxis ad obtinendum vinum pro missae sacrificio tuta sit; si negative, *b*) an valida, *c*) quid si

huiusmodi vinum adhibitum fuit in missis *ex iustitia?* » Responsum est: « Vino pro sacrosancto missae sacrificio addendum potius esse spiritum seu alcool, qui extractus fuerit ex genimine vitis, et cuius quantitas una cum ea, quam vinum, de quo agitur, naturaliter continet, haud excedat proportionem duodecim pro centum. Huiusmodi vero admixtio fiat, quando fermentatio sic dicta tumultuosa defervescere inceperit, et ad mentem ». Mens fuit, ut missionarii, non valentes a seipsis sibi comparare spiritum vini, illum e vino regionis distillantes, uvam passam sibi compararent aliunde, inde vinum exprimerent, vel miscerent uvam passam uvae regionis, eas simul fermentare facientes. *S. U. I. 25 iun. 1891.*

7° Ad eamdem fere quaestionem propositam a rmo episcopo titulari Camacensi, auxiliari rmi episcopi Mariannensis in Brasilia, in eumdem modum respondit eadem S. Congr. S. Officii *5 aug. 1896.*

8° Petitum est a quodam Galliae episcopo, utrum, ad corrigendam naturalem acritudinem vini pro missa adhibendi, liceret uti quodam chimico processu (videlicet mixtione cuiusdam quantitatis *tartrati potassae*). Responsum est: « Non expedire ». *S. U. I. 9 maii 1892.*

9° Archiepiscopus Tarraconensis in Hispania exposuit: « Vina dulcia, quae hac in regione conficiuntur, quaeque magnopere a sacerdotibus pro missae celebratione desiderantur, post primam fermentationem iam duodecim vis alcoolicae gradus exsuperant, ad quos massiliensia, nec permissa succi alcoolici additione, pertingunt. Nihilominus, ut haec generosa et dulcia vina, licet maiori, qua massiliensia, virtute praedita, ad exteras nationes tuto exportari queant, decem et octo vis alcoolicae gradibus polleant oportet; secus enim propter ipsam eorum dulcedinem novis fermentationibus sunt obnoxia, et in maris transmissione, ut plurimum, acescunt. Quam ob rem vinarii nostri mercatores gratiam implorant ei similem, quae episcopi Massiliensis supra laudati votis concessa fuit, facultate videlicet roborandi spiritu seu alcool, ex genimine quidem vitis extracto, vina praesertim dulcia, ita ut ea, quae naturaliter plus minusve ad quindecim vis alcoolicae gradus pertingunt, ad octodecim increscant. Ita enim eorum impeditur corruptio, quam iteratis fermentationibus subire solent, tutiusque evehi possunt ad exteras nationes, quae apto vino carent ad decorose litandum. Praeterea, ut aiunt, in nonnullis Hispaniae regionibus viget perantiqua consuetudo, qua plures sacerdotes vinum pro s. missae sacrificio, sibi conficiunt, praemissa, vel ignea musti evaporatione, vel uvarum ad solis radios exsiccatione; qui mos cohonestari videtur declaratione S. Officii die 22 iulii 1706 circa vinum ex acinis uvae passae confectum. Hinc petit: 1° Utrum praelaudatis vinis, praesertim dulcibus, pro eorumdem conservatione, tantum spiritus seu alcool ex uva deprompti addi queat, ut ad septemdecim circiter vel octodecim vis alcoolicae gradus increscant, quin cessent exinde esse materia apta pro

s. missae sacrificio. 2° Utrum licitum sid ad s. missae sacrificium conficiendum uti vino ex musto obtento, quod ante fermentationem vinosam per evaporationem igneam condensatum est ». Et S. Congregatio respondit: « Ad 1um Attentis noviter deductis, dummodo in casu proposito spiritus extractus fuerit ex genimine vitis, et quantitas alcoolica adiungenda, una cum ea, quam vinum, de quo agitur, naturaliter continet, non excedat proportionem septemdecim vel octodecim pro centum, et admixtio fiat, quando fermentatio tumultuosa, ut aiunt, defervescere inceperit, nihil obstare, quominus idem vinum in missae sacrificio adhibeatur. — Ad 2um licere ; dummodo decoctio huiusmodi fermentationem alcoolicam haud excludat, ipsaque fermentatio naturaliter obtineri possit, et de facto obtineatur. — Ssmus relatas sibi EE. PP. resolutiones benigne approbare dignatus est ». *S. U. I. 5 aug. 1896*.

10° Archiepiscopus N. exposuit: « In regionibus nostris admodum difficile est verum et genuinum vinum pro ssmo missae sacrificio mihi comparare. Fidi namque debeo mercatoribus extraneis et ignotis, qui aliquando iam non genuina merce defraudarunt. Nunc ab aliquo tempore in ipsa civitate N. quidam vir ex uvis nostrae regionis vinum parare coepit. Sed, quum haec uva egentissima sit materia saccharina, et consequenter vinum inde proveniens non multum alcool contineat, curatione aliqua opus est, ut vinum elevetur ad illum gradum alcoolicitatis, quem eius conservatio requirit. Hunc in finem laudatus vir methodum evaporationis musti adhibere proponit ad vinum pro ssmo sacrificio parandum, ea quidem ratione, ut liquor ex uvis expressus, ad dimidium decoctus, vinum producat, quod 14 vel 16 gradus alcool habeat. Ad omnem tamen in re tanti momenti dubitationem tollendam, archiepiscopus orator humiliter declarari postulat: Utrum licitum sit ad ssmum missae sacrificium offerendum huiusmodi vino uti ». Et S. Congregatio respondit: « Detur decretum diei 5 augusti 1896 ad 2 ». (Hoc autem decretum nos proxime superius retulimus). *S. U. I. 22 maii 1901*.

Has responsiones integras dedimus, ne in re tanti momenti aliquid excideret, quod menti sacrae Congregationis s. Officii adamussim non responderet.

Litterae circulares S. Congr. s. Officii — 2026
Ad complementum eorum, quae dicta sunt de materia eucharistiae iuverit hic referre litteras circulares quoad hoc a S. Congr. s. Officii ad locorum ordinarios ultimis hisce annis datas. Sunt autem hae: « Pluries et variis ex locis supremae huic Congregationi S. Officii dubia proposita sunt circa materiam (panem et vinum) ssmi eucharistici sacramenti. Quum enim inhonestorum quorumdam mercatorum eo iam malitia pervenerit, ut farinas triticeas aliarum, tum vegetalium, tum etiam mineralium substantiarum admixtione adulterare, vinaque vel ex toto, vel ex parte, haud ex genimine vitis conficere passim non vereantur, quumque non raro dif-

ficile admodum sit, vel ipsis chimices peritis huiusmodi fraudes agnoscere; non immerito dubitatum est, num ad licitam, imo et validam consecrationem farinae, vel hostiae, vinaque, quae sunt in commercio, tuto adhiberi valeant.

Quum res, ut patet, maximi sit momenti, et, ceterum, de farinarum vinorumque frequentibus adulterationibus dubitari nequeat, emi dni cardinales una mecum inquisitores generales pastoralem rmorum dd. ordinariorum sollicitudinem excitandam censuerunt, ut, accuratis institutis investigationibus, si quos abusus irrepsisse compererint, funditus convellere satagant, ac diligenter caveant, ne quid in posterum in propriis ditionibus fiat, quod a latis, nedum circa naturam, sed et circa conservationem sacrarum specierum, dispositionibus quae a probatis auctoribus traduntur, quaeque praesertim in rubricis missali romano praepositis continentur, quomodocumque sit absonum. Quoties vero de venalium farinarum vel hostiarum vinorumque genuinitate rationabile adsit dubium, sacerdotes sibi subditos ab eorum usu in conficiendo ssmo altaris sacramento omnino prohibeant eosque practicam rationem doceant, genuinam materiam comparandi. Quod demum spectat ad missas dubia materia antehac forte celebratas, ad S. C. recurrant. - Quae quidem omnia dum, ut mei muneris est cum Emin. tua communico, libenter occasionem nactus, fausta quaeque ac felicia tibi precor Domino. - Datum Romae ex S. O. die 30 aug. 1901. - L. M. Card. Parocchi ».

Cfr. etiam litteras, quibus patres eiusdem S. Congreg. commendarunt S. Congr. de Prop. Fide, ut in responsionibus, quae ab ea dantur episcopis super relationibus status suarum ecclesiarum, capta opportunitate insinuetur, ut quibus possunt maioribus cautelis utantur in procurando pane et vino, quae non sint adulterata pro usu Ss. Sacrificii. *S. U. I. 9 iul. 1881.*

De aqua vino admiscenda. — Ex praecepto ecclesiastico vino consecrando admiscenda est aqua modicissima (cfr. *c. 13 de celebr. miss. X.* [*III. 41*]; *Decr. cit. pro Armenis*), eaque naturalis (cfr. *c. 8 tit. cit. X.* [*III. 41*]), sub qua non comprehendi aquas naturales potabiles, sed acidulas, gazosas aut alcalinas, nullae probabiles rationes probant (*litt. Assessoris S. Officii ad epum Anglonensem et Tursiensem 11 aug. 1904*); quod, si aqua non fuerit admixta, vel fuerit admixta aqua rosacea vel alterius distillationis, conficitur sacramentum, sed conficiens graviter peccat. Rubr. miss. *tit. de defect. IV. 2.* 2027

Quoad quantitatem aquae vino admiscendae nota, unam guttam sufficere (S. Alph. *VI. 210*); quidam vero mixtionem licitam extendunt ad octavam partem, alii ad quintam, alii etiam ad tertiam, maxime si vinum sit generosum. Pro praxi uti quis potest his sententiis ad sedandos scrupulos, sed curandum est, ut modicissima aqua admisceatur. B. P. *IV. 845.* 2028

Admixtio autem fieri debet in ipso ritu celebrationis missae. Quid autem si suo tempore facta non fuerit? Ante 2029

consecrationem defectus supplendus, postea vero non. Rubr. miss. *tit. IV. num. 7.*

2030 **De praesentia materiae.** — Ad validam consecrationem, praeter materiam aptam requiritur, ut ea sit physice praesens, et per intentionem ministri determinata. B. P. *IV. 847. sqq.* Nota etiam, omnem materiam consecrandam, etiam parvas hostias pro communione fidelium, adesse debere tempore oblationis; attamen, si paullo post oblationem afferuntur, licet eas consecrare, etiam sine gravi causa, facta prius mentaliter oblatione; incepta praefatione, gravior quaedam causa requiritur (Ben. XIV *de sacr. missae III. c. 18. n. 5*); incepto iam canone, necessaria est causa absolute gravis, ut esset, si secus magna pars populi non sine offensa aut communione privaretur, aut nimis diu exspectare deberet. S. Alph. *VI. 217;* Lehmkuhl *II. 126;* Bucc. *II. 512;* Gury *Casus II. n. 261.*

Errare omnino videntur illi, qui dicunt, ciborium, ex oblivione extra corporale inadvertenter relictum, praesumendum esse non consecratum, quia sacerdos praesumitur non habere intentionem consecrandi, nisi quando id licite faceret; illicite autem consecraret particulas extra corporale. Numquid praesumi etiam debet, episcopum non habere intentionem ordinandi, vel sacerdotem absolvendi indignum?

Si particulae consecratae misceantur non consecratis, sacerdos debet consecrare totum cumulum sub conditione: « si non sint consecratae ». Cfr. Ball. *in Gury II. 93 (2).*

De materia adhibenda pro licita consecratione. — Ad licitam consecrationem requiritur praeterea, ut sacerdos sequatur suum ritum, praesertim quoad usum panis azymi vel fermentati. Cfr. *Const.* Benedicti XIV « Etsi pastoralis » *VII kal. Iun. 1742.* Nam pro Latinis azymus, pro Graecis fermentatus tantum est materia licita. *Decr. union. Graecor. in Bulla Eugenii IV.* « *Laetentur caeli* » *in Conc. Flor. §. 2.* Sacerdos tamen latinus inter Graecos versans, ubi nulla est ecclesia latini ritus (nam, si ecclesia sui ritus adest, debet ibi in suo ritu celebrare), licite in fermentato consecrat; similiter et Graecus inter Latinos in azymo. Salmanticenses *Th mor. tr. IV. c. 4. p. 1. n. 20. sq.;* S. Alph. *VI. 203.;* B. P. *IV. 831;* Lehmkuhl *II. 121. 3.* 2031

De forma. — Forma duplex: altera pro pane, et est haec: *hoc est enim corpus meum;* altera pro vino, et est: *hic est enim calix sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum;* idest « forma huius sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc confecit sacramentum; sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum ». *Decr. cit. pro Armenis.* 2032

In forma consecrationis panis essentialia sunt haec verba: hoc est corpus meum; in forma consecrationis vini haec sunt essentialia; hic est calix sanguinis mei (et validam etiam esset haec: hic est sanguis meus). Cfr. Lugo *de euch. disp. XI. n. 60. sqq.;* S. Alph. *VI. 223.* Praeterea Pius VII

litt. ad patriarcham Melchit. « prohibet omnibus, quominus sustineant ac tueantur illam opinionem a schismaticis hominibus propugnatam, consecrationem non consistere unice in verbis Christi, quibus utraque ecclesia occidentalis et orientalis utitur, sed ad perfectam consummatamque consecrationem addi oportere precandi formulam, quae in liturgia occidentali antecedit, in orientali subsequitur ». Hinc nullo modo admittenda videtur sententia Scoti (*in IV dist. 8. qu. 2*) necessaria nempe esse ad valorem formae verba praecedentia *Qui pridie etc.*; quae sententia merito ab omnibus reiecta est. Cfr. Lugo *de euch. disp. XI. n. 39;* B. P. *IV. 866.*

2033 Verba autem consecrationis non tantum recitative seu historice, sed assertive seu significative proferenda sunt, quia proferuntur in persona Christi (*Decr. cit. pro Armenis*); qui autem recitative solum verba alterius pronuntiat, non in eius persona, sed in sua loquitur. In praxi tamen non est, cur sacerdos anxius sit; dummodo intentionem habeat conficiendi sacrificium, seu faciendi quod Christus iussit, sive quod in ecclesia fit, proferet, prout oportet, verba consecrationis. B. P. *IV. 865.*

2034 Notandum etiam est ad sedandos quorumdam scrupulos, quod, si quis ex negligenti pronuntiatione sine prava mente corrumperet in forma « est » in « es », « corpus » in « colpus », « meum » in « meu », « calix » in « calis », « sanguinis » in « sanguis » etc. non redderet invalidam, nec dubiam consecrationem; sed sacerdos, ex negligentia hoc admittens, veniali non vacaret. S. Alph. *VI. 224.*

De ministro. — Minister alius est 2035 consecrationis, alius dispensationis. Utriusque ordinarius est solus sacerdos. Conc. Trid. *sess. XIII. c. 8.*

De ministro dispensationis. — Dis- 2036 pensationis minister extraordinarius est diaconus, qui eucharistiam ministrare potest in necessitate etiam non extrema (Lugo *de euchar. disp. XVII. n. 27*), ut si sacerdos impeditus sit, et nequeat populo eucharistiam ministrare (S. Alph. *VI. 237;* Mon. eccl. *1900-1901 pag. 79*); quare sufficit gravis necessitas, ut dicit Suarez (*de euch. disp. 72 sect. I. n. 8*); at sine ulla necessitate eam distribuere non potest. *S. R. C. in una Ord. Min. S. Franc. 25 febr. 1777* (*2504*). Notat autem Lugo (*l. c. n. 19*), in casu non requiri pro diacono facultatem, quae a legitimo pastore fiat, expressam et formalem, sed satis esse praesumptam.

In casu autem diaconus debet communionem populo distribuere eo ritu, quo eam distribuit sacerdos, signans cruce communicandos ad « Indulgentiam » etc., nihil omittens, nisi benedictionem cum verbis « Benedictio Dei omnipotentis etc. », quae post communionem datur, iuxta quosdam (cfr. Lehmkuhl *II. 140;* aliis de hoc dubitantibus, et forte non immerito, cfr. Mon. eccl. *1900-1901 pag. 79 sq.*); at benedicere cum Ss. Sacramento infirmo et assistentibus, quando deferret viaticum, deberet omnino. *S. R. C. in una Tunk. Occid. 14 aug. 1858 ad 1* (*3074*).

Per se minister eucharistiae est 2037

solus parochus, vel illius superior (cfr. *c. 1 de privilegiis etc.* [*V. 7*] *in Clem.;* Lugo *de euch. disp. XVIII n. 36*); sed in praxi consuetudo obtinuit, ut quicumque sacerdos missam celebrans eam distribuere possit (S. Alph. *VI. 235;* B. P. *IV. 882;* D'Ann. *III. 395*). Hoc autem intelligendum etiam est de sacerdote ex indulto celebrante in sacello cuiusdam domus privatae, etsi de permissa distributione communionis in indulto mentio nulla fiat. Nam quamvis alias S. Congregatio Rituum rem strictius intelligens ad dubium: « Utrum non tantum indultariis, sed etiam fidelibus sacro astantibus in praedictis oratoriis (privatis) sacra communio ministrari possit » responderit (*in Malacitana 10 febr. 1906*): « Negative, nisi adsit indultum apostolicum », postea tamen rem melius considerans de mandato Ss. Domini decretum dedit (*8 maii 1907*), quo declaratur in indultis oratorii privati nunc inclusam intelligi facultatem distribuendi sacram communionem omnibus christifidelibus petentibus, qui sacrificio missae assistunt, salvis tamen iuribus parochialibus. Et hoc concordat magis cum doctrina Benedicti XIV (*Const.* « Magno cum animi » *2 iun. 1751 num. 23 sqq.*), unice exclusa licentia episcopi, quam Benedictus XIV requirit et novum decretum nullo modo exigit.

Religiosi vero privilegium habent,
2038 eam quotidie ministrandi in suis ecclesiis (Ben. XIV *de Syn. XI. c. 14. n. 5;* S. Alph. *VI. 239 sqq.*); excepto die Paschatis (*Const. cit.* Bened. XIV *2 iun. 1751 n. 22*), et Romae etiam feria quinta in Coena Domini (B. P. *IV. 887*); sed suis semper eam possunt ministrare.

Tempore persecutionis liceret fi- 2039
delibus eucharistiam per seipsos sumere, ne sacerdos ipsis illam distribuens deprehenderetur; dummodo nulli irreverentiae, alterive periculo tantum sacramentum exponatur. *S. C. P. F. 10 aug. 1841.*

De obligatione dispensandi eucharistiam in ministro. — Parochus tenetur ex iustitia eucharistiam per se vel per alium subditis ministrare, quoties rationabiliter petunt (Barbosa *de parocho cum addit. Giraldi c. 20. n. 15;* Bouix *de parocho part. V. c. 5. n. 1*); nota tamen, grave peccatum dici non posse raro alicui petenti non obsecundare, etsi fiat sine iusta causa, quamvis hoc ipsum per accidens grave fieri potest (Lehmkuhl *II. 137. 1*); imo sacerdos quilibet, deficiente parocho, eam morituro ministrare ex caritate tenetur. Lehmkuhl *II. 137. 4.* 2040

De requisitis in ministro ad licitam dispensationem. — Ad licitam dispensationem requiritur praeterea, ut minister sit in statu gratiae (an sub gravi controvertitur, cfr. D'Ann. *III. 413*), liber ab omni excommunicatione, interdicto, et suspensione a sacris, eamque distribuat ritu ecclesiae consueto. S. Alph. *VI. 245.* 2041

De ipsa distributione eucharistiae. — Regulariter communio ministrari debet horis, quibus, sive ex connuetudine, sive ex peculiari indulto (*S. R. C. in Tuden. 7 septemb. 1816* [*2572*] *ad 23*) missam celebrare (Lehmkuhl *II. 138*) licet (excipitur tamen communio in nocte Nativitatis Domini, 2042

quae dari nequit fidelibus, sine privilegio, etiam ab iis sacerdotibus, qui missam ex peculiari indulto celebrant; vid. *Nativitas D. N. I. Ch.*); verum ex speciali causa etiam sub vesperis eam ministrare licere, tradunt nonnulli. S. Alph. *VI. 252.* Attamen propositum fuit sequens dubium S. Congr. Rituum: « An tantummodo a tempore ad tempus, quo missa celebrari permittitur, communio christifidelibus ministranda sit, iuxta decr. 2572 ad 23; aut etiam ultra praedictum tempus, nempe usque ad occasum solis ministrare liceat », quod S. Congr. remisit responsione: « Affirmative ad primam partem; negative ad secundam ». *S. R. C. in una ord. FF. Min. prov. Portug. 11 iun. 1904 ad 3.*

2043 **De distributione intra missam.** — Generatim distribuenda est fidelibus intra missam post communionem sacerdotis, et tunc eucharistia ante alios omnes ministranda est ministris altaris, si velint communicare, quia ratione ministerii, non praeeminentiae, praeferendi intra missam sunt ceteris, quamvis dignioribus. *S. R. C. in una Galliarum 13 iul. 1658* (*1074*).

2044 **De distributione extra missam.** — Communio dari etiam potest extra missam, vel immediate ante, vel post eam Ben. XIV *de sacr. missae l. III. c. 19. n. 1; S. R. C. 17 iul. 1894 ad 3* [*3832*]; etiamsi de missa defunctorum agatur, omissa tunc benedictione (*S. R. C. 27 iun. 1868 decr. confir. a Pio IX 23 iul. eiusd. anni* [*3177*]). Non tamen immediate ante vel post missam solemnem aut cantatam aut conventualem. *S. R. C. in una ord. FF. Min. prov. Apuliae 19 ian. 1906 ad 3.*

Post communionem, quae non datur intra missam post communionem sacerdotis, sacerdos *debet* dicere: « Dne exaudi etc. », « Dnus vobiscum » et orationem « Deus, qui nobis etc. », (quae concludi debet ut in rituali romano, idest longiori conclusione: « Qui vivis et regnas cum Deo Patre etc. », non autem breviori, seu: « Qui vivis et regnas in secula seculorum ». *S. R. C. in Viglevanen. 11 iun. 1880 ad 2* [*3515*]) vel tempore paschali « Spiritum nobis, Dne etc. ». (Rit. Rom. *tit. IV. c. 2. n. 7; S. R. C. in Strigonien. 30 aug. 1892 ad 10* [*3792*]), quibus orationibus de praecepto etiam addenda est benedictio sub formula: « Benedictio Dei omnipotentis etc. », quae relinqui tantum debet, quando communio datur immediate ante vel post missam defunctorum (*S. R. C. decr. nuper cit.*); his autem praemittere *potest* « O sacrum convivium etc., Panem de coelo etc. » (Rit. Rom. *l. c. n. 6*) et omnes hae preces dicendae sunt infra ablutionem et extersionem digitorum, non vero iunctis manibus, antequam pyxis cooperiatur et digiti abluantur. *S. R. C. in Parisien. 15 ian. 1898 ad 3* (*3975*).

In distributione eucharistiae, tempore paschali, ante vel post missam de requie debent recitari oratio et versiculi de tempore, sed omitti debent alleluia. *S. R. C. in Senen. 26 nov. 1878* (*3465*).

Sacerdos vero duas genuflexiones facere debet, unam statim ac deposuit pyxidem super altare, et antequam eam cooperiat; alteram priusquam, reposita in tabernaculo pyxide, ipsius tabernaculi ostiolum claudat.

S. R. C. decr. nuper cit in Romana 23 dec. 1862 (3116).

Post distributionem sacramenti eiusque repositionem in tabernaculo, antequam sacerdos elevatis et extensis manibus populo manu dextera benedicit, non debet osculari prius altare. *S. R. C. in Veronen. 16 mart. 1833 ad 6 (2704).*

Stola in administratione eucharistiae extra missam iuxta ritualis romani rubricam debet esse coloris officio illius diei convenientis, sed potest esse etiam alba (*S. R. C. in Tridentina 12 mart. 1836 ad 12* [*2740*]; nec non adhibenda est bursa cum corporali (*S. R. C. in una Congr. Pass. 27 febr. 1847 ad 1. 2. 3* [*2932*]), quam decet esse eiusdem coloris ac stola a sacerdote deferenda (*S. R. C. in Viglevanen. in iun. 1880 ad 1* [*3515*]), nec loco corporalis sufficit palla (*S. R. C. decr. nuper cit. ad 4*); et bursam a sacerdote, non a ministro, deferri convenit. *S. R. C. in Neapolitana 24 septemb. 1842 ad 3 (2850).*

Omittere autem solam stolam, aut solum superpelliceum in administranda eucharistia certe letali damnari nequit. S. Alphonsus *VI. 241.* Non possunt canonici ecclesiae cathedralis, induti cappa magna et stola, sacram synaxim distribuere, vel patenam, episcopo communionem distribuente, sustinere. *S. R. C. in Lauden. 23 iun. 1892 ad 9 (3779).*

Potest etiam sacerdos, si adsit necessitas, quum ad aliquod altare ad celebrandum accedit, vel quum, postquam celebraverit, ab eo recedit, sacris vestibus sacrificii indutus, et prae manibus calicem tenens, ascendere in transitu ad altare, ubi asservatur ss. eucharistia, ut sacram communionem fidelibus distribuat. *S. R. C. decr. nuper cit. ad 11.*

Deficiente omnino idoneo ministro potest in distributione eucharistiae ipse sacerdos recitare *Confiteor. S. R. C. in una de Zacathecas 31 mart. 1879 (3488) ad 3.*

Varia quaedam quoad distributionem eucharistiae tam intra, quam extra missam. 2045
— Non licet distribuere communionem in altari, in quo est expositum ssmum sacramentum, quando in ecclesia alia altaria non desunt, sive extra missam sive intra missam, quam imo in casu sine necessitate, vel gravi causa, vel ex indulto, in eo altari celebrare non licet. *S. R. C. in una Soc. Iesu 11 maii 1878 ad 1 (3448).* Cfr. etiam *S. R. C. in una ord. FF. Min. prov. Portug. 11 iun. 1904 ad 1.*

Dari non possunt plures particulae uni communicanti, vel una maior devotionis gratia.

Si deficiant particulae, frangi possunt, sed tantum ex iusta causa: imo servanda est consuetudo dividendi consecratas particulas, si adsit necessitas (*S. R. C. in Veronen. 16 mart. 1833 ad 1* [*2704*]); si supersint, vel in tabernaculo reponendae, vel, eo deficiente, consumendae a sacerdote ante ablutiones, vel, si fieri facile non possit, ritu consueto ad proximum tabernaculum deferendae. Numquam autem in ritu latino licet laico communionem ministrare sub specie vini, ne morituro quidem, qui species panis deglutire non posset. Lugo *Responsa moralia lib. I. dub. 10. n. 2;*

D'Ann. *III. 407 (9)*; Lehmkuhl *II. 138 sqq.*

Generatim fideles accedentes ad s. communionem supponunt ori linteam tobaleam; at alicubi mos invaluit, ut loco linteae tobaleae utantur fideles parva quadam patena, diversa ab ea, quae in usum sacrificii destinatur, seu parva quadam patella. Quum nihil certi in hac re praescriptum sit, non videtur haec altera consuetudo improbanda.

Quoad modum administrandi communionem monialibus, vide *Monialis.*

2046 **De defectibus in distributione eucharistiae.** — Si hostia consecrata in terram deciderit, locus, in quem decidit, statim tegendus est purificatorio, vel aliqua re munda, et postea abluendus. Rubr. miss. *tit. de defect. c. 10. n. 15.* Idem faciendum, si deciderit in mappam communicantis. Rubr. miss. *loc. cit.* Hoc autem faciendum non esset, si decideret in vestem aut barbam communicantis (S. Alph. *VI. 250*); si vero decideret in sinum mulieris, ipsa mulier deberet eam e sinu extrahere et sacerdoti dare, abluendo postea digitos, quibus sacram hostiam tetigit. Croix *Th. mor. lib. VI. tr. 3. de euchar. n. 485.* Vid. *Hostia.*

2047 ***De subiecto.*** — **De ipso subiecto.** — Subiectum eucharistiae est solus homo baptizatus, qui, si indispositus, sacramentaliter tantum, secus spiritualiter quoque eam manducat. Conc. Trid. *sess. XIII. c. 8.*

2048 **An sumptio eucharistiae sit necessaria ad salutem.** — Neque eucharistia, neque votum eucharistiae necessarium est ad salutem necessitate medii (cfr. Conc. Trid. *sess. XXI. c. 4*); attamen eucharistiae sumptio necessaria est ad salutem necessitate praecepti tum divini (cfr. *Io. VI. 54; I. Cor. XI. 26;* Conc. Trid. *sess. XIII. c. 2*) tum ecclesiastici (*c. 12 de poen. et remiss. X.* [*V. 38*]; Pesch *de euch. n. 813*); non tamen sub utraque specie (Conc. Trid. *sess. XXI. c. 2. et can. 1*), nisi pro solis sacerdotibus sacrificantibus. Cfr. Conc. Trid. *sess. XXI. c. 1.*

Quando autem iure divino obligetur quis eucharistiam sumere non est facile determinare, et theologi in hoc non concordant; sed certe obligari aliquoties in vita concedunt omnes Eodem modo certum non est, exstare obligationem ex iure divino suscipiendi eucharistiam, morte adveniente, quamvis plures hanc sententiam dent tamquam probabilem et piam (cfr. Suarez *de euch. disp. 69 sect. 3 n. 2*), alii tamquam indubiam (cfr S. Alph. *VI. 290. 295*). Et certe ecclesia pro quibusdam criminibus consuevit denegare viaticum. Cfr. Suarez *loc. cit. n. 12;* Pesch *loc. cit. n. 812.*

Per accidens urgere aliquando potest praeceptum sumendi eucharistiam, ut ecce ad superandam gravem aliquam tentationem; hoc tamen raro evenit, quia ad hoc praesto sunt alia media, orationes, poenitentiae, etc. S. Alph. *VI. 295.* Cfr. etiam Toletum *Instructio sacerdotum lib. V. c. 13. n. 11;* Lehmkuhl *II. 148.*

De praecepto ecclesiastico antiquitus ter in anno debebat sumi eucharistia, scilicet in Natali Domini, in Paschate Resurrectionis et in Pentecoste (*c. 19. dist. II. de Cons.*); nunc autem semel in anno sumenda est. Vid. *Communio Paschalis.*

Pueri ex Concilio Lateranensi IV c. 21 (*c. 12 de poenit. et remiss. X.* [*V. 38*]) tenentur ad communionem paschalem, postquam ad annos discretionis pervenerint. Qua aetate proinde admittendi sint ad primam communionem vide in *Communio paschalis;* ubi etiam alia quoad hanc obligationem. Cfr. Lehmkuhl *II. 147.*

2049 **De dispositionibus ad sumendam eucharistiam.** — Requiruntur autem dispositiones animae et corporis; quoad animam, immunitas a quacumque excommunicatione, et status gratiae (*I. Cor. XI. 28*) acquisitae a peccatore per absolutionem sacramentalem nisi desit confessarius (Conc. Trid. *sess. XIII. c. 7;* Vid. *Copia confessarii*); quoad corpus, ieiunium naturale a media nocte (S. Alph. *VI. 278.*, cfr. *c. 5. de celebr. miss. etc. X.* [*III. 41*], vid. *Ieiunium*, ubi etiam de indulto quoad hoc pro infirmis) et corporis decentia. Lehmkuhl *II. 159.*

2050 Hic aliquid notandum est de casu haud raro pollutionis nocturnae. Porro quoad hoc rubricae missalis rom. (*tit. de defectibus* § *9. n. 5*) haec statuunt: « Si praecesserit pollutio nocturna, quae causata fuerit ex praecedenti cogitatione, quae sit peccatum mortale, vel evenerit propter nimiam crapulam, abstinendum est a communione et celebratione, nisi aliud confessario videatur. Si dubium est, an in praecedenti cogitatione fuerit peccatum mortale, consulitur abstinendum extra tamen casus necessitatis. Si autem certum est, non fuisse in illa cogitatione peccatum mortale, vel nullam fuisse cogitationem, sed evenisse ex naturali causa, aut ex diabolica illusione, potest communicare et celebrare; nisi ex illa corporis commotione tanta evenerit perturbatio mentis, ut abstinendum videatur ». Et Ballerini-Palmieri *(IV. 928)* ait: « collatis omnibus, quae de hac re dicuntur, hoc videtur colligi, certius culpae veniali locum esse, quando non generalis quaedam ineptitudo, sed perturbatio adest secundo loco dicta (idest quando praecedens illusio relinquit animum seu phantasiam variis speciebus gravatam et perturbatam, aut etiam commotione aliqua sensibili adhuc hominem concussum). Attamen obligatio sub levi est disiunctiva, nempe vel ut abstineas, vel ut, si accedere velis, comprimere pravas illas motiones coneris. Idque sive aliqua causa urgeat ad celebrandum aut communicandum, sive ex mera devotione fiat. Quando vero generatim habetur solum mentis distractio, gravitas, hebetudo, indevotio, difficilius est probabili aliqua ratione decernere, quando intervenire queat venialis culpa, quando res consilii solum sit; praesertim quum haec indispositio maior aut minor per plurimos gradus esse possit. Generatim illud dici poterit, venialem aliquam culpam intercedere posse, quando tanta est mentis distractio et hebetudo, ut consequens irreverentia seu defectus reverentiae censeri debeat culpa venialis. Verum et hoc disiunctive accipiendum, scilicet veniale erit non abstinere, aut non curare devotionem ».

De liturgicis quibusdam quoad sumptionem. — 2051 Sacerdos, si quando non celebrans vult communicare, non potest

per seipsum s. eucharistiam sumere (sed hoc ipsum deficiente alio sacerdote, et probabilius ac verius etiam praesente diacono [cfr. Croix *Th. mor. lib. VI. p. 1. c. 11. n. 471*], etiam ex sola devotione, potest ex S. Alphonso *VI. 238*; cfr. Mon. eccl. *1900-901 pag. 81 sq.*), et ex praescripto ritualis romani (*tit. IV. c. 4. n. 4*) debet deferre stolam, eamque iuxta colorem, quo utitur sacerdos communionem distribuens, vel albam. *S. R. C. in Antibaren. 4 iul. 1879 ad 1* (*3499*). Etiam diaconi accedentes privatim ad sacram communionem *debent* deferre super cottam stolam transversam. *S. R. C. eod. decr.*

Quoad alios autem clericos decet eos ad communionem accedere indutos superpelliceo; et hoc etiam ad exclusionem aliarum vestium, quibus in solemnibus occasionibus uti solent regulares. Hinc, quum missionarii SSmi. Cordis Iesu petiissent, num illi, qui inter eos ad presbyteratum nondum promoti sunt, possent ad s. communionem accedere non induti superpelliceo, sed pallio talari, vulgo « mantello », quo ipsi utuntur, S. Rituum Congregatio respondit: « A fratribus laicis affirmative; a clericis negative ». *S. R. C. 18 dec. 1896* (*3940*).

Laici vero tempore divinorum officiorum non possunt intra cancellos altaris cum clericis consistere (*c. 30 d. II. de Cons.; c. 1 de vita et honest. Clericor. X.* [*III. 1*]); attamen addit Barbosa (*Ius eccl. univ. lib. 1. c. 39 n. 18*): « sed ego hodie non ita stricte intelligerem dispositionem textus in dicto cap. 1°, ut velit laicos excludere, ne intrent intra cancellos altaris ad effectum recipiendi ssmum eucharistiae sacramentum, sed tantum ad effectum sedendi vel standi cum ipsis ministris »; quod tamen vereor, ne in praesenti ecclesiae disciplina verum sit.

Fideles omnes communicare debent ordinarie loquendo in suo ritu, idest iuxta modum et ceremonias ritus sui. Attamen ii, qui ibi sunt, ubi nulla est ecclesia catholica sui ritus, ex concessione Leonis XIII (*18 aug. 1893*), licite communicant iuxta ritum loci, etiam ex pura tantum devotione. Vid. *Ritus*.

De viatico. — Servandae etiam sunt 2052
praescriptiones ritualis romani in deferendo viatico ad infirmos; quod generatim de die et non noctu (Rit. Rom. *tit. IV c. 4 n. 10*); manifeste et honorifice, et non secreto (Rit. Rom. *l. c. n. 6*; *S. R. C. in Mantuana 6 febr. 1875* [*3337*]); capite aperto (et contraria consuetudo esset abusus omnino eliminandus, *S. R. C. Toletana 31 aug. 1872 ad 2.* [*3176*]; attamen concessum aliquando est, ut propter aëris inclementiam vel nimium calorem solis, ex quibus periculum valetudinis sacerdotis eucharistiam deferentis iure timetur, posset ordinarius eidem concedere delationem pileoli amplitudinis etiam solita maioris, *S. R. C. in Bisinianen. 23 maii 1846* [*2908*]; *in Oriolen. 27 apr. 1871* [*3246*]; *in Templen. 12 ian. 1878 ad 7* [*3438*]; in casu autem verae necessitatis, quando non posset indultum S. Sedis, nec venia episcopi peti, posset quis iuxta quosdam hoc ipsum ex se facere, epikeia utens, Lehmkuhl *II. 140*); sed in necessitate etiam currendo (Croix *Th. mor.*

de euch. n. 603), vel equitando (Rit. rom. *l. c. n. 10;* S. Alph. *VI. 243.*, sed tunc vase, in quo sacramentum defertur, incluso bursae decenter ornatae et ad collum appensae, Rit. rom. *l. c.;* et, ut videtur, de consensu episcopi, si commode haberi possit), deferri potest.

2053 In locis haereticorum et infidelium potest s. eucharistia deferri ad infirmos sine ulla veste sacra (*S. C. P. F. 20 sept. 1739; ad vic. ap. Sutchuen. 26 iun. 1820, 9 dec. 1822*), sed curandum est, ut sacerdos eucharistiam deferens sub sua communi veste stolam et superpelliceum vel saltem solam stolam deferat (*Const.* Ben. XIV «Inter omnigenas» *2 febr. 1744, n. 25*), et si hoc quoque fieri non potest, sacerdos veste talari et stola in cubiculo infirmi se induat (*S. R. C. in una vic. ap. de Dania 4 febr. 1871 ad 1* [*3234*]), et, si hoc quoque fieri nequeat, ut si ab haereticis et infidelibus sit periculum sacrilegii, potest etiam ministrare communionem sine ulla veste sacra et sine lumine; quamvis, si fieri posset (ut ex. gr., si alicubi praevideantur dari huiusmodi circumstantiae), petendum esset de hoc indultum a S. Sede, quae illud sine difficultate concedit (Cfr. *S. R. C. in una vic. ap. de Dania 4 febr. 1871 ad 1* [*3234*]); et hoc valeret etiam pro iis, qui longo tempore in carceribus acatholicis detinentur, si secus diu sacra communione carere deberent, dummodo adsint causae prudenti iudicio missionarii graves pro s. eucharistia administranda. *S. R. C. decr. nuper cit.* In his casibus, ut patet, ss. sacramentum cooperto capite defertur.

Inter alia, quae generatim praescripta sunt in deferendo viatico, illud quoque est, ut sacerdos eucharistiam deferat sub umbella comitatus acolythis seu clericis aut etiam presbyteris superpelliceo indutis qui luminaria et umbellam sustineant (Rit. rom. *loc. cit. n. 9*); nec tolerari posset consuetudo, quod sacerdos procederet solis mulieribus comitantibus, quae umbellam et intorticia ferrent; sed sacerdos curare deberet, ut aliqui saltem adessent adolescentes, pro campanula, umbella et luminibus; mulieres autem, si vellent deferre lumina, deberent sequi sacerdotem. *S. R. C. in Cotronen. 11 dec. 1903.* 2054

In casu verae necessitatis, ne moribundus privetur viatico, licere laico ss. eucharistiam alteri deferre (ac proinde etiam sibi sumere, si hoc potest), idque ei committi posse, censent Suarez (*de euch. disp. LXXII. sect. 3. n. 3*), Laymann (*Th. mor. lib. V. tr. 4. c. 7 n. 6.*), aliique; quam sententiam S. Alphonsus (*VI. 237*) referens non improbat. Cfr. Lehmkuhl *II. 136.* 2055

Religiosi, praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis sacramentum eucharistiae per modum viatici ministrare absque parochi licentia, incurrunt excommunicationem l. s. R. P. simpliciter reservatam. *Const.* «Ap. Sedis» *serie 2. n. 14.* Quoad hanc excommunicationem Vid. *Viaticum.* 2056

De delatione eucharistiae non per viaticum ad infirmos. — In deferenda sacra communione ad infirmos, etiam non per modum viatici, servanda per se sunt ea, quae in viatico deferendo diximus servanda, ita 2057

ut deferatur publice, capite aperto, a sacerdote induto superpelliceo, stola et velo humerali, comitantibus quibusdam, saltem duobus, cum candelis accensis, et altero, qui deferat umbellam. Attamen in aliquo valetudinario posset sacerdos, recitato ad altare *Confiteor*, *Misereatur*, etc., deferre ad infirmos sacram communionem, comitatus a duobus candelam deferentibus, cum pyxide sine velo humerali, dummodo tamen in delatione ss. sacramenti umbella omnino adhibeatur; et hoc fieri potest, non solum in toto valetudinario, sive in parte anteriori, sive in parte posteriori altaris, sed etiam in cubiculis propinquioribus, ex quibus, etsi altare non videatur, vox tamen sacerdotis celebrantis auditur. *S. R. C. in una Ord. S. Ioann. de Deo 7 febr. 1874 ad 1 et 2* (*3322*). Quod si sacerdos celebrans missam, accedendo ad lectum alicuius aegroti, altare e conspectu non amittat (nam secus non liceret), posset ad eum communionem deferre etiam intra missam. *S. R. C. in Florentina 19 dec. 1829 ad 1* (*2672*); *in una Soc. Iesu 11 maii 1878 ad 8* (*3448*).

In administranda vero infirmis s. communione non per modum viatici servandae sunt, tam extra, quam intra cubiculum infirmi, omnes ceremoniae a rituali romano praescriptae sub titulo de communione infirmorum, quae non referuntur tantum ad administrationem viatici. *S. R. C. in Calaguritana 13 febr. 1892 ad dub. addit. III* (*3761*); *in Urgellen. 19 febr. 1892 ad 2* (*3769*).

2058 Iuverit autem hic referre quasdam declarationes, quas expetenti kalendaristae Eremitarum Camaldulensium nuper dedit S. Congregatio Rituum, scilicet:

« 1° Sacerdos infirmo communionem distribuens semper dicere debet *Miseretur tui* etc. sive infirmus accipiat viaticum, sive communicet ex devotione aut ad implendum praeceptum paschale.

2° Infra missam vero, si sacerdos in altari proximo penes infirmum celebrat, dicendum est *Misereatur vestri* etc.

3° Minister infra missam in casu *Confiteor* et celebrans *Misereatur* dicere debent ad altare more solito, non vero prope infirmum. *S. R. C. in una Eremitar. Camald. Congr. Montis Coronae 16 nov. 1906* ».

De asservatione eucharistiae. — 2059 **Quibus in locis possit asservari.** — Asservanda est eucharistia in qualibet ecclesia cathedrali (extra tamen altare maius, *S. C. EE. in Lucensi 10 febr. 1579*) et parochiali (Rit. rom. *tit. cit. c. 1. n. 5*); potest autem asservari in ecclesiis regularium (etiam monialium, non autem infra chorum, Cfr. Conc. Trid. *sess. XXV c. 10 de reg.*; dummodo monasteria sint auctoritate apostolica erecta, *S. R. C. in Marianen. 16 apr. 1644* [*860*]; Lucidi *de visit. ss. liminum vol. I. p. 85. n. 92*, et dummodo ecclesiae illae a regularibus aut monialibus actu administrentur, nec ii eam reliquerint, quippe ob iniuriam ab iis exturbati, *S. C. super neg. eccl. extr. 5 nov. 1901*). in aliis vero non (*S. R. C. in Calaritana 14 iun. 1646* [*895*], *in una Montis Regalis 21 mart. 1699* [*2022*]; De

Angelis *Prael. iur. can. lib. III. tit. 44. n. 1*), sine speciali R. P. licentia, vel sine immemorabili consuetudine, quae, ut ait Benedictus XIV Constitutione « Quamvis iusto » *30 apr. 1749* huiusmodi licentiae praesumptionem inducat. *S. C. C. 27 apr. 1709.*

Hinc non possunt sine indulto apostolico asservare ss. sacramentum eucharistiae ecclesiae collegiatae, quae non sint parochiales *S. C. C. 7 sept. 1652*), neque ecclesiae confraternitatum (*S. C. C. in Neapolitana a. 1609*), neque domus religiosae, auctoritate episcopi erectae, ut evenit peculiariter de mulierum conservatoriis et monasteriis, in quibus simplicia tantum vota emittuntur (*Constcit.* Ben. XIV *30 apr. 1749 ;* Lucidi *loc. cit.*), nec in oratoriis publicis aut semipublicis, ut sunt oratoria seu cappellae seminariorum, prout expresse declaratum est a S. Rituum Congregatione. *S. R. C. in Nivernen. 8 mart. 1879 ad III (3484).* In ecclesiis filialibus paroeciae asservari non debet, nisi per aliquot diei horas aditus pateat fidelibus s. eucharistiam visitare cupientibus. *S. R. C. in Compostellana 15 nov. 1890 ad 1 (3739).*

2060 **De indulto pro asservanda eucharistia.** — Ad obtinendum indultum asservandi ss. sacramentum recurrendum est ad S. Congregationem de sacramentis. Et generatim non conceditur, nisi semel saltem in quavis hebdomada in illis oratoriis sacrum peragatur (*S. R. C. in Baionen. 14 maii 1889 ad 2* [*3706*]), et si nihil in indulto dicatur, ex citato decreto videtur requiri, ut in iis quotidie sacrum celebretur. Cfr. Mon. eccl. *vol. XIII pag. 519 et S. C. NN. EE. EE. 9 febr. 1904.*

Nec permitti potest, nisi de speciali gratia (et tunc ordinarie praescribitur, ut altari imponatur ampla umbella, vulgo « Baldacchino »), ut ss. sacramentum asservetur in sacellis, quae dormitoriis, ut ex. gr. puellorum vel puellarum educandarum, subsunt. *S. R. C. in Papien. 23 nov. 1880 ad 2. (3525).* Imo nota generaliter prohibitum esse asservare ss. sacramentum in altari etiam baldacchinum habente, si super illud habeatur habitaculum cum lectulo. *S. R. C. 24 iun. 1908 ad 3.* Habemus etiam quoad hoc strictiorem quamdam responsionem S. Congregationis. Nam ad dubium : «An liceat clericis seminarii habitare diu noctuque et etiam dormire in domibus aedificatis super cappellis dexterae navis ecclesiae cathedralis, in quibus quotidie celebratur » responsum est : « Non licere, sed omnino prohibendum ». *S. R. C. in Caialen. 11 maii 1641 (756).* Attamen, sicubi super oratorium, in quo asservatur ss. sacramentum, adesset locus ad ambulandum destinatus, camera tamen lapidea ac crassa ab oratorio ipso separatus, cui loco superextructum esset cubiculum pro habitatione, ex. gr. novitiorum, haec locorum dispositio licite servari posset. *S. R. C. in Senonen. 27 iul. 1878 (3460).*

De missionibus quoad asservationem eucharistiae. — Quamvis autem eucharistia nonnisi in ecclesia servanda sit, aliquando in missionibus, tempore 2061

persecutionum, quum nullum aliunde irreverentiae periculum timendum erat, ne plurimi sine viatico morerentur, concessum est aliquando, ut asservaretur in domibus particularibus in cubiculis decenter ornatis cum lampade accensa. *S. C. P. F. ad vic. ap. Tunk. Occ. 22 sept. 1850.* Et si quando secus catholici deberent eucharistiam, oleum sanctum et s. chrisma in sacrario asservare protestantibus communi, debent potius ea asservare in domo parochi aut alterius sacerdotis catholici. *S. C. P. F. ad Helvetios 3 aug. 1803; 7 mart. 1805; ad vic. ap. Iaffnae 23 aug. 1852.*

2062 **Ubinam reponenda.** — Reponi debet in tabernaculo mundo, bene clauso (*c. 1 de cust. euch. etc. X.* [*III.*] *44*]; Conc. Trid. *sess. XIII. c. 6*); in pyxide decenti, benedicta, super corporali reposita, et albo velo cooperta (Rit. rom. *tit. cit. c. 1. n. 5*); et in uno tantum altari designando ab episcopo (*S. R. C. in una Augustae Praetoriae 21 iul. 1696 ad 3* [*1946*]), quod in cathedralibus non debet esse altare maius, propter functiones, quae in ipso fiunt, versis renibus ad altare; in parochialibus vero et regularibus ecclesiis decet esse altare maius, tamquam dignius (*S. C. EE. RR. in Lucen. 10 febr. 1579; in Casertana 28 nov. 1594; in Casalen. 16 maii 1708; S. R. C. in Sebenicen. 6 febr. 1875 ad 1* [*3335*]); quamvis hoc non sit omnino necessarium, sed possit esse etiam aliud (*S. R. C. in Gandaven. 18 mati 1878 ad 1* [*3449*], imo debeat aliud esse, si in altari maiori adsit expositio perpetua ssmi sacramenti, uti fit in ecclesiis sanctimonialium Adoratricum *S. R. C. decr. nuper cit. ad 3.*

Non potest admitti consuetudo asservandi ss. sacramentum continuo in duobus vel pluribus altaribus (*S. C. EE. RR. 13 oct. 1620; S. R. C. in una S. Iacobi de Chile 14 mart. 1861 ad 13* [*3104*]); attamen licet occasione alicuius festi, tridui novendialis, aut mensis v. gr. maii B. M. V. dicati, seu iunii in honorem ssmi Cordis Iesu, ss. eucharistiam ab altari, in quo asservatur, transferre ad aliud altare, in quo festum celebratur, ut ibi sacra communio distribuatur aut populo benedictio impertiatur, etsi interim in duobus altaribus aliquamdiu maneat. *S. R. C. in Cuneen. 2 iun. 1883 ad 6* (*3576*); *in una Montis Regalis 10 mai 1890 ad 1* (*3728*).

Diximus ss. sacramentum asservandum esse in tabernaculo mundo, nec posset asservari in corporali tantum involutum, etsi hoc fieret ad praecavendum, ne latrones, ut sacra vasa furentur, eucharistiam violent; curandum tamen, ut adsit custos, qui prope eam commoretur. *S. R. C. in Altonen. 17 febr. 1881* (*3527*). Pariter modus iste asservandi eucharistiam etiam ad unum tantum vel alterum diem, ratione quoque solemnitatis alicuius celebrandae in aliqua ecclesia, ubi praxis non adest, strictissime prohibetur, et contraria consuetudo, sicubi adesset, consideranda esset abusus omnino eliminandus. *S. R. C. in una ord. FF. Min. prov. Portug. 11 iun. 1904 ad 1.*

Varia quaedam de asservatione eucharistiae. — Penes quem sit ius reti- 2063

nendi clavem tabernaculi, in quo asservatur ss. sacramentum, vide sub *Clavis*.

Quomodo debeat esse tabernaculum, in quo asservari debet ss. sacramentum, vide sub *Tabernaculum;* vid. etiam *Lumen*.

Coram tabernaculo semper ardere debet lumen (Rit. rom. *tit. cit. c. 1. n. 6*), quod si negligatur per integrum diem, grave per se peccatum est. S. Alph. *VI. 248*. Oleum pro lampade debet esse olivarum, vel, in necessitate, ex vegetalibus de licentia episcopi. *S. R. C. 14 iul. 1864 decr. conf. a Pio IX* (*3121*).

2064 ***De translatione eucharistiae.*** — Eucharistia, si quando ab uno altari ad aliud deferenda est, deferri debet a sacerdote vel diacono cotta et stola induto; at, remoto scandalo, eam sine ulla veste sacra ad aliud altare deferre veniale non excedit. Lehmkuhl *II. 139*.

2065 ***De furto eucharistiae.*** — Quoad casum furti ss. eucharistiae habemus hoc decretum S. Congregationis Rituum, scilicet: « Rector ecclesiae Patricanae S. Petri SS. Rituum Congregationi exposuit, turcas sacra vasa furatos esse, inter quae vas sacrosanctae eucharistiae cum particulis consecratis; hinc quid agendum quaesivit de pulvere ecclesiae. Sacra Rituum Congregatio ad emum cardinalem epum Comensem dedit epistolam, una cum opportuna instructione, quam per ecclesiae rectorem exsequendam curaret. In illa autem monet, ut diligenter examinet pavimentum, si forte aliqua in ea reperiatur ex sacris particulis, tunc enim devote ac reverenter super patenam positas, vel in aliquod vas ad id destinatum, in tabernaculum recondat et sumat in missa. Sive autem reperiat, sive non, sacras particulas, pavimenti pulverem diligenter cribret, decenterque mundet super altaris mappam. Quod si aliquam particulam vel fragmentum reperiat, se gerat ut supra: si reliquias reperiat, in sericis pannis obvolvat aptoque loco recondat. Totum vero pulverem, etsi nihil repertum fuerit, in aliqua ecclesiae parte muro clausa reponat ». *S. R. C. in Albanen. mense maio 1588* (*1*).

De adoratione eucharistiae. — 2066 SSmum sacramentum semper a catholicis adorandum est. Cfr. *c. 10 de celebratione missarum etc. X.* (*III. 41*). Quare illud adorare debent, et in ecclesiis schismaticorum (etsi in precibus cum schismaticis coniungi non debeant), si quando eas ingrediuntur; et quum offendunt in parochum schismaticum illud ad infirmos deferentem, etsi tunc abstinere debeant ab eo associando. *S. C. P. F. ad episc. Chien. 15 decemb. 1764; S. U. I. ad archiep. Smirn. 7 iulii 1864.*

Alia dicenda de eucharistia (*remissive*). — De communione frequenti vid. *Communio frequens;* de communione spirituali, vid. *Communio spiritualis;* de eucharistia ut sacrificio, vid. *Sacrificium, Celebratio missae*.

Decr. Grat. D. I. II. de cons., D. V de cons. c. 13 sqq.; tit. de celebr. miss. et sacr. euch. et divinis officiis X. (III. 41); tit. de custodia euch. etc. X. (III. 44); Conc. Trid. sess. III decr. de ss. euch. sacram.; Const. Ben. XIV « *Certiores effecti* » 13 nov. 1742; Const. eiusd. « *Quamvis iusto* » 16 ap. 1749;

Const. eiusd. « *Quadam* » 24 mart. 1756; Const. eiusd. « *Quum ut recte* » 27 iul. 1755; *du Moulin P.* Dissertatio de altaribus et sacrificiis veterum christianorum; *Visconti I.* De antiquis missae ritibus et apparatu; *de l'Aubespine G.* Ancienne police de l'Eglise sur l'administration de l'Eucharistie et sur les circonstances de la Messe; *Aubertin E.* L'Eucharistie dans l'ancienne Eglise; *Novarinus Lud.* Agnus eucharisticus seu de eucharistiae sacramento, eius institutione, mysterii ritibus etc.; *Bermudez Fr.* Historia eucharistica; *Sanchez Io.* Disputationes de rebus in administratione sacramentorum, praesertim eucharistiae et poenitentiae, occurrentibus; *Mulmann Io.* De calice eucharistico disputatio theologica; *de Macedo F.* Disquisitio de ritu azymi et fermentati; *id.* Ioannis Bona doctrina de fermentato in sacrificio missae; *Mabillon Io.* Dissertatio de pane eucharistico azymo et fermentato ad emum Card. Bona; *Florentini Fr. M.* Tumultuaria disquisitio de antiquo usu fermentati panis et azymi pro sanctissimo eucharistiae sacrificio; *Ciampini Io.* De perpetuo azymorum usu in ecclesia latina, qua occasione vox *Fermenti* in Melchiadis et Siricii decretis aliique veteres ecclesiastici ritus declarantur; *Keiser Io. Leonard.* De altaribus portatilibus; *A Schelestrate E.* De disciplina arcani; *Grancolas Jo.* Les anciennes liturgies; *Owen Jo.* The History of the consecration of Altars, Temples and Churches; *Hicler* De cultu et veneratione sacrosanctae Eucharistiae; *Grancolas Jo.* Traité de la Messe et de l'Office divin; *Brett Th.* Collection of the principal Liturgies used by the christian Church in the celebration of the holy Eucharist.; *Du Guet Jac. Jos.* Traité dogmatique sur l'Eucharistie, sur les exorcismes et sur l'usure; *Berlendi F.* Delle oblazioni all'altare antiche e moderne; *Hermann Gottfr.* Historia concertationum de pane azymo et fermentato in Coena Dni; *Leuglet du Fresnoy* La Messe des fidèles; *Argelati* Storia del Sacrificio della santa messa; *Anonymus* Bibliotheca selecta de ritu azymi ac fermentati [2]; *Zanolini Ant.* De eucharistiae sacramento cum christianorum Orientalium ritibus in eo conficiendo et administrando; *Hueber* Historiae Missae Romano - catholicae tractatus; *Fassini V.* De singularibus eucharistiae usibus apud veteres Graecos commentarius; *De Albertis F.* De sacris utensilibus tractatus; *Frint* Darstellung der kath. Lehre vom heil. Abendmale; *Döllinger J.* Die Lehre v. d. Eucharistie i. d.drei ersten Jhdten; *Kock D.* Hierurgia or the holy sacrifice of the Mass; *Wabnitz Aug.-Theoph.* Etudes sur le dogme de l'Eucharistie; *Laib et Schwarz* Studien über die Geschichte des christlichen Altars; *Probst F.* Die Verwaltung d. Eucharistie als Sakrament [2]; *Maier W. A.* Die Behandlung d. Allerheiligsten auss. d. hl. Messe; *Kreuser J.* Le saint sacrifice de la Messe exposé historiquement; traduit de l'allemand en français par Thierry; *id.* Der christlich. Altar; *Schmidt A.* Der christl. Altar und sein Schmuck; *Probst F.* Die Sakramente u. Sakramentalien i. d. drei ersten christl. Jhdten: *Bridget I. F.* History of the holy Eucharist in Great Britain; *Corblet I.* L'autel chrétien; *Rohault de Fleury Ch.* La Messe; *van Caloen G.* La commuionn des fidèles pendant la Messe; *Corblet J.* Histoire de l'Eucharistie; *Franzelin I. B.* Tract. liturg. de ss. euch. sacramento et sacrificio [4]; *Hoffmann J.* Geschichte d. Laienkomm. b. z. Trid.; *Milne* The doctrine and practice of the Eucharist; *Schäfer R.* Das Herrenmahl n. Ursprung u. Bedeutung; *Gasparri P.* Tract. canonicus de ss. Eucharistia; *Schmitt V.* Die Verheissung d. Eucharistie b. d. Vätern; *Behringer* Die Wirkungen der heiligen Kommunion; *Berning W.* Die Einsetzung d. hl. Eucharistie n. d. Berichten d. N.S.; *Schweitzer A.* Das Abendmal i. Zusammenhang m. d. Leben Jesu u. d. Gesch. d. Urchristentums; *Schmitt V.* Die Verheissung d. Euchar. bei Cyrill. v. Jerusal. u. Chrysost.; *Hoffmann I.* Das

Abendmahl i. Urchristentum ;*Rauschen G.* Eucharistie und Bussakrament in den ersten sechs Jahrhunderten der Kirche.

Reliquam bibliographiam quaere sub *Sacrificium*.

2067 **Eunuchus.** — Qui virilia sibi abscindit, vel facit abscindere, dummodo hoc ex culpa sit eademque gravi, verius semper irregularitatem incurrit. Cfr. Bened. XIV *de Syn. II. c. 7. n. 5*; B. P. *VII. 485.* Ille autem, cui virilia abscissa sint violenter ab alio, vel qui sibi ipse fecerit abscindere ex causa morbi, non est irregularis. *cc. 3. 5 de corpore vitiatis etc. X.* (*I. 20*); S. Alphons. *VII. 416.* Similiter irregularis non est ille, qui eunuchus natus est (*c. 3 tit. cit. X.* [*I. 20*]), sive probabiliter ille, qui virilia abscindi sibi fecit ad conservandam canoream vocem virgineam. S. Alph. *VII. 418.*

Dubitant plures, an nomine abscissionis virilium veniat etiam abscissio testiculorum; quidquid sit, etiamsi haec non veniret, certe tamen is esset irregularis ob mutilationem in se factam, si nempe is prudens sciens fecit aut fieri in se permisit. B. P. *VII. 486.* Ratio autem irregularitatis ex mutilatione est; quare est irregularitas ex delicto.

Se castrare ad vitandas tentationes non licet, et est inutile. S. Th. *2. 2. q. 65 a. 1. ad 3;* Ball. *in Gury I. 391* (*10*). An liceat parentibus castrare filios ad vocis conservationem, controvertitur. S. Alph. (*III. 374*) putat licere, si absit morale periculum vitae, et non fiat pueris invitis. Cfr. Ben. XIV *l. c.*

2068 **Evangelium.** — A sacerdote celebrante osculari debet evangelium, et praecise verba *textus sacri,* dicendo « *per evangelica dicta etc.* ». Rubr. miss. *de ritu servando in celebr. missae c. 6. n. 2.* In missis vero defunctorum sacerdos nec osculatur evangelium, nec dicit « *per evangelica dicta etc.* » *S. R. C. in Veronen. 11 sept. 1847 ad 10* (*2956*), et ipsa rubr. miss. *l. c. c. 13. n. 1.*

Non potest celebrans in missa solemni, dicto « Munda cor meum », benedicere incensum et diaconum, et evangelium legere, dum illud cantatur. *S. R. C. in una S. Iacobi de Chile 16 mart. 1861 ad 1* (*3104*).

Quando sacerdos celebrat coram cardinali ubique terrarum, vel coram archiepiscopo in sua provincia, aut coram ordinario loci etiam in ecclesiis exemptis, finito evangelio, non osculatur librum, nec dicit « *per evangelica dicta* » etc.; sed statim incipit *Credo*, vel exspectat, donec cappellanus episcopi, vel in eius defectu minister, qui missae inservit, eidem episcopo attulerit missale deosculandum. Cer. ep. *lib. I. c. 30 n. 1;* De Herdt *Sacrae lit. prax. II. 39. 4.* Si plures adsunt praelati, digniori tantum liber deosculandus affertur, et si plures fuerint aequales, nemini (Cer. ep. *l. c. n. 3;* De Herdt *l. c.*); sed etiam tunc celebrans nec librum osculatur, nec dicit « *per evangelica dicta* » etc. De Herdt *l. c.*

Ultimum evangelium in fine missae eodem prorsus modo legendum est, prout primum, idest sacerdote oblique stante, sive parum per suam sinistram converso ad populum. *S. R. C. in Strigonien 30 aug. 1892 ad 5* (*3792*).

Quoad inclinationes et genuflexiones faciendas ad evangelium, quando missa dicitur in altari, in quo ss. Sacramentum publice est expositum, vid. *Expositio ss. Sacramenti.*

Non possunt acolythi in missa solemni ad evangelium loco candelabrorum deferre intorticia. *S. R. C. in Taurinen. 22 iun. 1874* (*3333*).

Est abusus omnino eliminandus, diaconum in missa solemni canere evangelium super « predella » altaris. *S. R. C. in Mantuana 6 febr. 1875* (*3337*).

2069 Leo XIII omnibus utriusque sexus christifidelibus, pie ac devote, saltem per horae quadrantem, legentibus s. evangelium, cuius tamen editio a legitima auctoritate fuerit recognita et approbata, indulgentiam tercentum dierum, semel in die lucrandam concessit; iis vero, qui mense integro singulis diebus praefatae lectioni, ut supra, vacaverint, plenariam concessit, eo die intra mensem acquirendam, quo vere poenitentes, confessi, ac s. synaxi refecti, simul ad mentem Sanctitatis suae pias ad Deum preces effuderint. Quas omnes indulgentias declaravit etiam esse applicabiles animabus purgatorii. *S. C. Indulg. 13 dec. 1898.*

2070 **Evictio.** — Evictio est actualis vindicatio rei a domino facta ex eius possessore. Stante evictione, ille, qui alteri rem alienam vendidit, tenetur ipsi pretium refundere. Cfr. S. Alph. *III. 601 sqq.; G.* B. *I. 638 sqq.*

Caballini G. Tract. de evictionibus; *Mangili Io. A.* Tract. de evictionibus; *Burgundi Nic.* Comment. de evictionibus; *de Guzman Alph.* Ad tit. de evictionibus; *Bicci Alfr.* Sulla surroga ipotecaria per evizione e dei lucri dotali; *Boggio G.* Della evizione negli atti traslativi di diritti in materia civile e specialmente nella rendita.

Examen. — ***De examine quoad parochos.*** — 2071 An praeponendus alicui paroeciae idoneus sit muneri regendo, debet episcopo constare; quare etiam quando ad parochiam conferendam non est necessarius concursus, ut si agatur de parochia iurispatronatus laici, episcopus debet praeficiendum examinare. Conc. Trid. *sess. XXIV cap. 18 de ref.* Imo etiam parochos iam semel examinatos, quando gravis quaedam suspicio de eorum imperitia habeatur, examinare iterum potest ordinarius (*S. C. C. in Pampilonen. 16 ian. 1667*), hinc etiam vic. capitularis (*S. C. C. 5 febr. 1688*), extra visitationem quoque dioecesis: nec ad dictum examen faciendum necesse est, ut iudiciales probationes imperitiae praecedant; quod episcopi successores facere possunt, etiam hac suspicione non exsistente, pro sola quiete animae suae, tam in visitatione dioecesis, quam extra (*S. C. C. 28 aug. 1628*), etsi ageretur de parocho regulari. *S. C. C. 13 ian. 1634.* Attamen non potest episcopus, nulla exsistente suspicione imperitiae, in visitatione parochos examinare, quotquot visitat. *S. C. C. in Miden. 22 sept. 1668.* Cfr. Ben. XIV. *de Syn. XIII. c. 9. n. 21.* Cfr. Ferraris *Prompta bibl. v.* « *Parochus* ». *a. 1. n. 26 sqq. cit. decis. Rotae.* Vid. *Concursus.*

Bibliographiam quaere sub *Parochus.*

De examine quoad confessarios. 2072

— Examinare etiam episcopi debent approbandos pro confessionibus, de quorum sufficienti scientia ipsis non constat (cfr. Conc. Trid. *sess. XXIII c. 15 de ref.*); imo simplices confessarios ad examen revocare ex iusta causa potest ordinarius. Hoc dici etiam debet de regulari, qui simpliciter et absque ulla temporis praefinitione ab aliquo episcopo, (non autem ab eius vicario, seu ab episcopis antecessoribus) praevio examine approbatus non potest ab eodem episcopo iterum examinari (*Const.* Clem. X « Superna » *21 iul. 1670*), sed ab episcopo successore pro maiori conscientiae suae quiete novoexamini subiici potest. *Const.* Pii V " Rom. Pontificis " *6 aug. 1871.* Vicarius autem capitularis nulla ex causa approbationem datam a defuncto episcopo in hoc casu revocare potest; sed, si exinde gravia inconvenientia immineret, posset ipse ad Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium, nunc autem Concilii, ni fallor, recurrere. *S. C. EE. RR. 19 iun. 1866.* Vid. *Confessarius.*

Bibliographiam quaere sub *Confessarius.*

2073 ***De examine quoad ingredientes religiones.*** — **Quoad puellas religionem ingredi aut professionem emittere volentes.** — Examinare etiam debet episcopus, vel, eo impedito, vicarius generalis aut alius ab ipsis deputatus, puellas, quae ordinem regularem ingredi volunt ante susceptionem habitus, et ante emissionem professionis (Conc. Trid. *sess. XXV c. 17 de regul.*); et hoc peragere ipse debet intra quindecim dies a facta sibi notificatione voluntatis puellae. *Const.* Pii V « Etsi mendicantium » *16 maii 1567.* Praeterea examinans non potest his puellis alias facere interrogationes, quam eas, quas faciendas praescripsit Concilium Tridentinum, idest an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat. *Const. cit. Pii V.* Quod tamen ita intelligendum est, ut materia interrogationum non sit alia, sed modus eas faciendi alius esse possit, et plures materialiter possint fieri interrogationes. Bouix *de iure regul. p. IV. s. 3. c. 1. q. 6.* Qui hoc examen instituit, non potest ingredi septa monasterii, sed ante crates manere debet. *Const. cit. Pii V.*

Voluntatis autem puellae exploratio haec, seu hoc examen, fieri debet ab episcopo tum ante susceptionem habitus, tum ante professionem votorum simplicium, tum ante professionem votorum solemnium, ita ut scilicet nunc, postquam Leo XIII statuit ut ad validitatem professionis solemnis mulieres quoque emitterent vota simplicia saltem ad triennium, ter examen istud ab episcopo instituti debeat. *S. C. R. 19 ian. 1909.*

Ad hoc non tenetur episcopus quoad puellas, quae ingrediuntur congregationes religiosas, sed, si vult, statuere potest, ut ne hae quidem ad susceptionem habitus, vel ad simplicia vota emittenda admittantur absque praevio examine ab ipso faciendo; quo in casu ad servandam normam a Concilio Tridentino et a Pio V statutam non tenetur episcopus. Bouix *l. c. q. 7.* Attamen nota, quod in Normis pro approbandis institutis votorum simplicium a S. Congregatione

Episcoporum et Regularium editis et approbatis die 28 iun. 1901, cavetur, ut id, quod S. Conc. Tridentinum pro monialibus statuit, etiam extendatur ad nova instituta sororum. *Normae etc.* § *80.*

Bibliographiam quaere sub *Congregationes religiosae* etc.

2074 **Quoad viros volentes ingredi religionem.** — Pro religiosis viris pariter cautum est, ut antequam quis ad habitum admittatur, probari debeat in duplici scrutinio ab examinatoribus, qui ordinarie octo esse debebunt, vel saltem quatuor, per secreta suffragia, et postquam examinatores ad sancta Dei evangelia iuraverint, se, quacumque humana affectione postposita, fideliter munus suum exsecuturos; nemo autem approbatus censeatur, qui pro se saltem unum supra medietatem votum non retulerit; is autem, qui in duobus scrutiniis fuerit approbatus, possit a generali repelli; ille, qui fuerit repulsus, non possit a generali admitti. Similiter statutum est, ut, duobus mensibus ante professionem, provincialis, sive per se, sive per alium idoneum religiosum sibi benevisum, novitii voluntatem diligenter exploret, an coactus, an seductus sit, quo spiritu ad statum religiosum ductus, an sciat quid agat, an obligationes status religiosi et regulae agnoscat; secreto audiat tum magistrum novitiorum, tum novitios, nec non religiosos, etiam conversos, conventus seu domus novitiatus circa novitium ad professionem admittendum. Quo facto, capitulum conventuale eiusdem conventus seu domus convocet, ut capitulares per secreta suffragia declarent, an novitius ad professionem admitti possit. Denique omnium actorum et resultantium relationem scripto exaratam propria manu subscribat, quin tamen eos, qui secreto deposuerunt, ullo modo in aliquod discrimen adducat. *S. C. super statu regul. 25 ian. 1848.*

Huic decreto declarando data est postea instructio, quam refert Lucidi *(de vis. sacr. lim. III. doc. 47)*, scilicet: 1° Examinatores provinciales, seu examinator deputatus, interrogent postulantem de eius nomine, parentibus, patria et aetate. Diligenter postulantis voluntatem explorent, et praesertim an coactus, an seductus sit, et quo spiritu, quo consilio, qua ratione ad statum religiosum ducatur, et utrum aliquam cognitionem habeat obligationis votorum, quae deinceps emittere debet. - 2° Si recipiendus, uti clericus religionem ingredi postulet, inquirant examinatores, vel examinator, an eam litterarum scientiam calleat, aut illius addiscendae spem indubiam prae se ferat, ut minores, et suis temporibus maiores ordines iuxta decreta S. C. Trid. suscipere valeat. Quod si agatur de admittendis ad habitum conversorum, an saltem praecipua doctrinae christianae capita noverint. Quoad omnes vero, et praesertim relate ad postulantes provectioris aetatis examinatores vel examinator sagacius, sed prudenter, curent odorari, si recte de catholica doctrina sentiant, prout conditio cuiusque personae postulet. - 3° Exquirant a postulante, utrum eius parentes, vel alter

eorum adhuc vivat; quam artem et professionem exerceant, vel exercuerint, et an adeo pauperes sint, ut filii subsidio indigeant. - 4° Exquirant etiam a postulante eius conditionem et statum: an habeat in seculo media sufficientis sustentationis; si sit aere alieno gravatus, an et quam artem vel professionem exerceat; an alicui religioso instituto nomen dederit, vel saltem uti novitius illius habitum induerit, vel eremitarum habitum susceperit; utrum fuerit inquisitus, aliqua nota, infamia, irregularitate irretitus, gravi morbo affectus. - 5° Videant, an postulans notabili deformitate laboret; utrum aliquod signum valde infirmae valetudinis, vel fatuitatem prae se ferat; et cetera exquirant, quae in respectivis constitutionibus ab admittendis ad habitum in eorum personali examine exquirenda praescribuntur. - 6° Verum licet ex huiusmodi personali examine, si diligenter fiat, plura agnosci possint, et in scrutinio, de quo in art. 9° primae partis decreti « Regulari disciplinae » (de quo supra diximus) de eodem personali examine ratio omnino habenda sit, tamen praeter illud a Provinciali exquirenda sunt documenta et informationes, prout in eodem art. 3° praescribitur, et reliqua omnia perficienda, quae in enuntiatis decretis cum suis declarationibus decernuntur.

Circa hoc autem attendenda etiam est sequens responsio S. Congr. EE. et RR. Quaesitum fuerat: « 1° Utrum magister novitiorum munere examinatoris, iuxta decretum " Regulari disciplinae „ fungi valeat, etiam pro admissione ad professionem et quando agitur de suis novitiis. Et quatenus negative: — 2° Utrum saltem officium hoc exercere possit pro receptione ad habitum, imo, si agatur de novitiis, quorum curam non habet, pro admissione ad professionem ». Et responsum est: « Ad 1° negative; ad 2° affirmative ». *S. C. EE. RR. 14 iun. 1904.*

Bibliographiam quaere sub *Congregationes religiosae* etc.

De examine quoad eos, qui a S. C. P. F. ad loca missionum mittuntur. 2075 — Etiam illi, qui a S. Congregatione de Prop. Fide ad loca missionum mittuntur, examinandi sunt a tribus emis cardinalibus eiusdem S. Congregationis, inter quos sit emus praefectus, una cum secretario, adhibitis ad hoc etiam lectoribus theologiae controversiarum collegii urbani, qui examinandos interrogent super materiis, quae locis missionum, ad quas transmittendi sunt, congruant, praecisè vero super usu ac praxi facultatum, quae ipsis missionariis communicari solent; hoc examen emi Patres possunt cum aliquo notae virtutis viro vel omnino omittere, vel in forma minus solemni instituere. *S. C. P. F. decr. gen. coram SSmo. 4 oct. 1707.*

De examine quoad candidatos ad ordines. 2076 — Ad ordines quoque conferendos debet episcopus candidatos examini subiicere (Conc. Trid. *sess. XXIII c. 7 de ref.*); et, si subditos suos ad alium episcopum aliqua de causa ordinandos mittit, debet eos ex Trid. *(sess. XXIII. c. 3. de ref.)* iam

probatos et examinatos mittere; quamvis, si incommodum esset, eos ad se vocare pro examine, posset eorum examen committere episcopo ordinanti (*S. C. C. an. 1587*; Fagnan. *in c. 16 tit. 5 l. III Decr. n. 60*), qui ius habet novo examini subiiciendi etiam illos, qui iam a proprio episcopo examinati et approbati ad se veniunt. *S. C. C. 16 ian. 1595*; *17 ian. 1693*.

Clerici exteri, qui Romae ad ordines promoventur, debent examinari in curia emi Cardinalis vicarii, etsi iam examinati et approbati fuerint a suo episcopo. *Const.* Alex. VII «Apostolica sollicitudo» *7 aug. 1662*.

Ii vero clerici exteri, qui Romae ultra quatuor menses commorati sunt, et in Urbem sunt reversuri, non possunt extra Urbem ab alio quam ab epicopo proprio promoveri ad ordines cum episcopi proprii dimissorialibus, nisi prius examinati fuerint et approbati ab examinatoribus Urbis. *Decr. Clem. VIII. 24 nov. 1602.*; *dec. ann. 1668*. Imo clerici seculares exteri, ultra quatuor menses in Urbe commorantes, ordinati ab alio, quam ab ipso suo ordinario, absque licentia Cardinalis Urbis vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio ordinario, postquam in praedicto examine reiecti fuerint, suspensionem ab ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso iure incurrunt; episcopi vero ordinantes ab usu pontificalium per annum. *Const.* «Ap. Sedis» *susp. sub n. 7*.

Clerici provinciae romanae, qui in aliena dioecesi volunt promoveri ad titulum beneficii, reversuri deinde ad dioecesim domicilii, debent examinari ab episcopo domicilii et ab ipso approbari. *Conc. Rom. tit. VI. de aet. et qualit. praeficiend. c. 4;* Gasparri *de sacra ordinat. II. 748*.

Regulares quoque, nisi habeant speciale privilegium post Concilium Tridentinum obtentum (quod clerici Soc. Iesu ex const. Greg. XIII «Pium et utile» *22 sept. 1582*, cum aliis tamen ordinibus incommunicabile, obtinent), ante ordinationem ab episcopo examini subiiciendi sunt (Conc. Trid. *sess. cit. c. 12 de ref.*; *Const.* Ben. XIV «Impositi nobis» *27 febr. 1747*), et ab ipso reprobati non possunt a superioribus ad alium episcopum mitti. Monacelli *Form. leg. pract. tit. XIII form. 4. n. 29*.

Circa hoc, quoad Italiam et insu- 2077
las adiacentes, notandum est sequens decretum Pii PP. X motu proprio editum:

«Religiosorum ordinum familias, utpote quae praeclaro semper et adiumento et ornamento fuerint ecclesiae, peculiari quadam Nos providentia studioque prosequimur; inprimisque dandam operam arbitramur, ut constanter pergant, pro necessitatibus temporum, salutares esse ac frugiferae. Hanc ob causam, quoniam ipsae, praeterquam sanctarum exercitatione virtutum, etiam doctrinae laude floreant necesse est, Nos e re esse haud id pridem duximus, aliquid in hoc genere statuere. Etenim, noveramus quidem Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium negotiis et consultationibus praepositam, auctoritate decessoris

Nostri fel. rec. Leonis XIII, die IV novembris MDCCCXCII, prudentissime praescripsisse, ut "professi tum votorum solemnium, tum votorum simplicium ab ordinariis locorum ad sacros ordines non admittantur, nisi, praeter alia a iure statuta, testimoniales litteras exhibeant, quod saltem per annum sacrae theologiae operam dederint, si agatur de subdiaconatu, ad minus per biennium, si de diaconatu, et quoad presbyteratum saltem per triennium, praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo." Sed praescriptiones huiusmodi non aliter videbantur suos omnes fructus efferre posse, quam si candidati ad sacros ordines legitimo experimento probare deberent, se in constitutis doctrinae studiis satis profecisse. Id quod ceteroqui sacrosanta Tridentina Synodus iusserat; nam sess. XXIII cap. VII de reform. haec habet generatim: "Episcopus ordinandorum omnium mores et doctrinam diligenter investiget et examinet;" nominatim autem de regularibus eiusd. sess. cap. XII: "Regulares non sine diligenti episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis". Opportunum igitur apparebat esse, hanc Tridentini Concilii legem revocari, quae diuturnitate obsolevisset: idque nos anno superiore praestitimus pro Urbe, quum die XVI mensis iulii motu-proprio decrevimus, ut quicumque sive de seculari sive de regulari clero ad sacros ordines promovendi essent, omnes, excepto nemine, doctrinae periculum facerent in curia cardinalis vicarii nostri.

« Nunc vero placet, etiam ex consulto moderatorum Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, memoratum Nostrum decretum per has litteras extendere. Quare Nos, motu item proprio, volumus ac iubemus, ut in Italia et in insulis Italiae ditioni subiectis, religiosi omnes, vel ad instituta votorum simplicium, vel ad votorum solemnium pertinentes, ne ante ad sacros ordines promoveantur, quam ab episcopo loci, diligenti doctrinae examine probati sint idonei: sublato, ad hunc tantummodo effectum, quocumque contrario privilegio, etiam specialissima et individua mentione digno, abrogataque quacumque contraria consuetudine, etiam centenaria et immemoriali, quam in futurum quoque induci prohibemus. Id examen qua ratione instituendum sit, episcopi definient: hique vero curabunt, quemadmodum Nos eo pro Urbe motu-proprio constituimus, ut candidati non solum in iis rebus, quae ad ordinem adeundum pertinent, sed in aliis quoque de theologia dogmatica tractationibus periculum faciant. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

« Datum Romae apud S. Petrum die XIX martii anno millesimo nongentesimo sexto, pontificatus Nostri tertio ».

Ferus Examen ordinandorum; *Holthusius* Examen ordinandorum; *Bail L.* De triplici examine ordinandorum, confessariorum et poenitentium; *Sennyei* Examen ordinandorum; *Hörmonseder* Ordinandus examinatus et approbatus. Reliquam bibliographiam quaere sub *Ordo*.

De examine sponsorum. — Paro- 2078

chus tenetur gravi obligatione, sponsos, qui volunt proclamationes de suo matrimonio fieri, prius examinare, ut intelligat, an aliquod impedimentum validae vel licitae celebrationi matrimonii obstet, necne. Rit. rom. *tit. VII. c. 1. n. 1; c. 3 de cland. desp. X.* (*IV. 3*). Praeter hoc examinandi etiam sunt sponsi a parocho de rudimentis fidei, utrum nempe sciant ea, quae necessaria sunt ad salutem necessitate medii vel praecepti (Rit. rom. *l. cit.; decr. S. U. I. sub Inn. XII a. 1697 ab eodem Pont. et postea a Clemente XI confirmat.; Const.* Ben. XIV « Etsi minime » *7 febr. 1742* § *11.* Cfr. Aichner *Comp. Iur. eccl.* § *160*); vel saltem, si agatur de rudioribus personis, utrum illa sciant, haec vero discere sint curaturi. Ben. XIV *de Syn. XII c. 14 n. 6.*

Schneid Das Brautexamen; *Schulte* Handb. d. k. ER. § 11; *Schmitz J.* Der dreifache Segen d. Ehe; Grundlage z. Brautexamen; *Hertlein C. B.* Das kirchl. Brautexamen; *Försch J.* Das prakt. Brautexamen[2]; *Lauterborn J.* Das kirchl. Brautexamen; *Glöckl* Brautunterricht; *Krick L. H.* Der kirchl. Brautunterricht[2]; *Hössle J.* Das Brautexamen; *Scherer* KR. § 111; *Aichner* Comp. iuris eccl.[9] § 165; *Sägmüller* Lehrb. d. k. KR. § 127; *Leitner* Lehrb. d. k. ER. § 61; *Hözle* Das Brautexamen; praktische Anleitung für den Kuratklerus; *Hortmanns R.* Das Brautexamen: *Joseff* Conseils pour la préparation au mariage.

2079 **Examen conscientiae.** — Poenitens sub gravi per se tenetur diligens examen peccatorum mortalium ante confessionem instituere. Cfr. Conc. Trid. *sess. XIV de poen c. 5.* Hoc examen debet esse vere diligens, sed humanum; hoc est tale, quo sacramentum istud non reddatur nimis grave et onerosum, ut dicit Lugo (*de poen. disp. XVI n. 590 sqq.*), et *pro varietate* personarum et circumstantiarum maior vel minor diligentia requiritur; hinc minor in aegrotantibus, quam in sanis, in timoratis, quam in laxis sufficit. B. P. *V. 215 sqq.;* Lehmkuhl *II. 343.* Nec poenitens, timens ne peccatorum obliviscatur, tenetur ea scribere, et scripta confessario legere. S. Alph. *VI. 471;* B. P. *V. 219.*

Pro illis, qui raro ad confessionem accedunt, modus aptior examinis peragendi est percurrere praecepta Dei et ecclesiae, atque obligationes proprii status. Pro illis, qui saepe confessionem peragunt, sufficit, ut se examinent circa peccata consueta, et summatim considerent, an aliquid aliud contra Deum, proximum et seipsum commiserint. A scrupulosis autem investigatio eorum, quae ipsis statim non occurrunt, est omittenda, et aliquando ipsis interdicenda omnino, quia inutilis et nociva. G. B. *II. 320.*

Illos, qui non satis discussa conscientia accedunt, si sint instructi, et nullum periculum sit, quod non revertantur, potest confessarius benigne dimittere, ut accuratius se examinent (S. Alph. *VI. 471*); si vero sint rudes, aut parum assueti rebus spiritualibus, non debet eos facile dimittere, sed potius interrogationibus iuvare. B. P. *V. 217.* Meminisse debet praeterea quoad hoc confessarius verborum catechismi romani *de poen. n. 60:* « Si audita confessione iudicaverit (confessarius) neque in enumerandis pec-

catis diligentiam, nec in detestandis dolorem poenitenti *omnino* defuisse, absolvi poterit (poenitens) ».

2080 **Examinatores synodales.** — « A Concilio Tridentino (*sess. XXV. c. 10*) statutum fuit, in singulis synodis dioecesanis aliquot personas aptas ab episcopo esse designandas, quibus causae ecclesiasticae ac spirituales, atque ad forum ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandae committantur, ita ut unaquaeque dioecesis quatuor saltem, ac etiam plures habeat probatas personas, quibus huiusmodi causae delegari possint. Quam Tridentini dispositionem latius explicat ac illustrat Benedictus XIV in suis apostolicis litteris, quarum initium « Quamvis » (*26 aug. 1741*) ac etiam in suo aureo opere de Synodo *lib. IV. c. 5.* Idem dicendum de examinatoribus synodalibus; nam Tridentinum Concilium (*sess. XXIV. c. 18*) decrevit, ut in dioecesana synodo ad minus sex proponantur examinatores, qui synodo satisfaciant et ab ea probentur. - Ex tali autem loquendi modo et plures, quam sex, designari posse, et, ut plures proponantur se optare, satis aperte Tridentinum innuit, ceu merito observat Benedictus XIV in suo opere de Synodo (*lib .IV. c. 7. n. 3*) post Barbosam (*in Collect. ad cap. 17. sess. 24. n. 85*), ubi tamen a S. Congregatione Concilii decisum refertur non esse ultra viginti proponendos, fortasse, prosequitur Pontifex, ob periculum, ne, nimium aucto numero eorum, minus diligens sit personarum, quae proponuntur, delectus. - Haec emi Patres huius S. Congregationis matura deliberatione perpendentes, in eam per praesens decretum venerunt sententiam, ut cohibeatur numerus iudicum et examinatorum synodalium, ita tamen, ut, hoc auctorante sacro ordine, ii tantummodo habeantur, ac tales sint, qui sequuntur, nimirum iudices synodales novem, examinatores synodales viginti ». *S. C. C. 15 sept. 1874.*

Examinatores synodales in synodo 2081
probari possunt tam per vota secreta quam per aperta. *S. C. C. ad patr. Venet. 11 iul. 1592;* Ben. XIV *de Syn. lib. IV. c. 7.*

Electio examinatorum synodalium debet fieri expresso nomine et cognomine, et non tantum titulo dignitatis; secus probabiliter est nulla. Hinc S. Congregatio Concilii, quum in synodo diocesana Policastrensi inter examinatores synodales deputatus fuisset etiam vicarius generalis episcopi sub solo appellativo nomine dignitatis vicariatus, atque hic cum aliis duobus examinatoribus synodalibus interfuisset concursui habito ad quamdam parochiam, concursum convalidavit ad cautelam, et simul scribendum duxit episcopo, vicarium generalem non posse deinceps synodalis examinatoris munus exercere, nisi proprio nomine expresse ad illud iterum deputaretur. *S. C. C. 19 sept. 1745;* Ben. XIV *de Syn. lib. IV. c. 7;* Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 18 de ref. ed. Richter nota n. 5.*

Examinatores synodales debent 2082
esse ex Tridentino (*loc. cit.*) magistri seu doctores aut licentiati in theologia aut iure canonico, vel alii clerici, seu regulares etiam ex ordine mendicantium, aut etiam seculares, qui ad id videbuntur magis idonei. Iurare

autem debent omnes ad sancta Dei evangelia, se, quacumque humana affectione postposita, fideliter munus exsecuturos. *Conc. Trid. loc. cit.* Et hoc iuramentum est de substantia, quare concursus coram eis factus ante hoc iuramentum est nullus. *S. C. C. in Bisignanen. 2 dec. 1628.* Imo iuxta plures invalidus est actus, si unus assistat examinator, qui iuramentum non dederit. Ferraris *Prompta bibl. v. « Examen » n. 32.* Praestari autem potest iuramentum sive in synodo sive extra synodum, illudque semel praestare sufficit. Ferraris *loc. cit.* Sed, cessato munere, si quis ad illud iterum assumatur, novum quoque iuramentum praestandum est. Cfr. Monitore eccl. *vol. XVII pag. 236.*

Cavere autem debent examinatores, ne quidquam prorsus occasione examinis ad parochias, nec ante, nec post accipiant; alioquin simoniae vitium tam ipsi quam alii dantes incurrunt, a quo absolvi nequeunt, nisi dimissis beneficiis, quae quomodocumque etiam antea obtinebant, et ad alia in posterum inhabiles redduntur. Conc. Trid. *loc. cit.*

Examinatores synodales durant usque ad novam synodum, etsi synodus quotannis non celebretur. *S. C. C. in Imolen. 10 dec. 1695.* Si autem quidam ex designatis in ultima synodo moriantur, vel in longinqua recedant, tunc si saltem sex ex designatis remaneant, illis uti debet episcopus nec fas est illi alios substituere. Si vero sex saltem non supersint, potest episcopus ex decreto Clementis VIII alios subrogare, qui tamen praediti sint qualitatibus a Tridentino praescriptis, approbentur a capitulo, et simul cum illis, qui a synodo electi sunt, senarium numerum non excedant, nec non praeterea haec substitutio fiat intra annum a celebrata synodo; quo anno elapso haec facultas expirat. Imo si, sex remanentibus, post annum ab ultima synodo, unus moriatur, omnium munus cessat. Quare tunc debet episcopus exquirere a S. Congr. Concilii facultatem examinatores eligendi. Et S. Congregatio hanc facultatem concedit sub conditione, quod a capitulo approbentur; vult autem eorum munus ad annum durare. Postea tamen ad preces episcopi eos in munere ad alium annum confirmare solet, et sic deinceps. Ferraris *loc. cit. n. 60 sqq.* Cfr. *S. C. C. in Nicosien. 29 iul. 1905.*

Hi examinatores suffecti pro-synodales vocantur.

Nota autem hic, episcopos non teneri uti examinatoribus synodalibus in examine ordinandorum. *S. C. EE. RR. in Iadren. 17 sept. 1660.* Cfr. Schmitz B. *Der Pfarrkonkurs u. d. Synodalexaminatoren.*

Excardinatio. — Excardinatio est 2083
facultas perpetuo transeundi ad aliam dioecesim, quae clerico conceditur; seu est perpetua dimissio clerici a sua dioecesi, ut in alia recipiatur, auctoritate ordinarii facta. Datur autem per litteras dimissorias speciales, quae dicuntur litterae excardinationis, vel etiam *exeat.* His clericus solvitur a potestate et iurisdictione sui episcopi. Vid. *Clerici.* Vicarius capitularis sine venia rom. Pontificis iuxta plures nequit clericos e dioecesi excardinare, aliis in contrariam sententiam abeuntibus. Cfr. Leurenium *de*

vicariis episcopi tr. III. c. 2. qu. 507; Fagnanum *in c. 11. tit. 33. lib. I Decr. num. 59.*

Excardinatio fieri non debet, nisi iustis de causis; nec effectum undequaque sortitur, nisi incardinatione in alia dioecesi exsecutioni demandata. *S. C. C. 20 iul. 1898.* Vid. *Incardinatio.*

Per se excardinatio *clerici* est, neque enim laicus incardinatus dioecesi dicitur. Attamen aliquibus in locis per quamdam analogiam etiam laicos e dioecesi excardinari consueverat; hanc praxim Congr. Concilii sequenti decreto approbavit:

« Sed pluribus in locis mos iam pridem invaluerat ut quaedam litterae quasi *excardinatoriae,* seu *excorporationis* aut *exeat* nuncupatae, laicis quoque traderentur, eodem ferme modo ac pro clericis fieri consueverat: quibus litteris episcopus originis laicum suae dioecesis subditum dimittebat, et ius nativum, quo pollebat eum in clericalem statum ascribendi, in alium ordinarium transferre eique cedere videbatur: et vicissim hic illum suscipiens eum proprium subditum sibi facere, et qua talem ad primam tonsuram et ss. ordines promovere libere arbitrabatur, quin aut ratione domicilii aut ratione familiaritatis subditus sibi esset iuxta constitutionis " Speculatores " praescripta.

« Porro evulgato decreto " A primis ", de huius praxis legitimitate disputari coepit, et plura dubia hac de re ad S. Sedem delata sunt.

« Quapropter de mandato SSmi quaestione semel et iterum in hac S. Congregatione examinata, tandem die 15 septembris 1906 emi patres censuerunt, permitti posse, si Sanctitas sua id probaverit, ut praefatae litterae, quibus laici a propria dioecesi dimittuntur, ab ordinariis concedantur, earum vi extradioecesanus fieri proprius valeat episcopi benevoli receptoris, et hoc titulo ad clericalem tonsuram et ad ss. ordines ab eo promoveri; dummodo tamen:

« 1° Dimissio ab episcopo proprio ex iusta causa, in scriptis et pro determinata dioecesi concedatur.

« 2° Acceptatio ne fiat nisi servatis regulis, quae pro clericis *incardinandis* statutae sunt, et superius sub num. II. III. IV et V recensentur; et servato quoque decreto " Vetuit " diei 22 decembris 1905 quoad alumnos a seminariis dimissos.

« 3° Sed iuramentum ad tramitem constitutionis " Speculatores " requisitum, praestandum esse ante clericalem tonsuram. Verum cum obligatio permanendi in dioecesi non propria, eique in perpetuum serviendi, ante maiorem aetatem non sine difficultatibus et periculis suscipi possit, cavendum esse ab episcopis ne ad clericalem tonsuram admittant qui aetate maior non sit.

« Facta autem de his omnibus relatione SSmo D. N. Pio Papae X ab infrascripto secretario in audientia diei 16 septembris 1906, Sanctitas Sua deliberationem em. patrum probavit et confirmavit, mandavitque ut evulgaretur per litteras S. C. Concilii, ut omnibus, ad quos spectat, lex et regula esset, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

« Datum Romae, die 24 mensis novembris 1906 ».

Cfr. etiam Hofmann M. D. Excardination einst und jetzt *in Zeitschrift f. k. Th. XXIV (1900) 92-124, 393-424.*

2084 **Excessus.** — Excessus in iure canonico respiciunt neglectum regularum mores efformantium, et officia, maxime clericalia, determinantium. Hinc apparet discrimen inter excessus et crimina, quae respiciunt facta illicita sub gravioribus poenis a legibus prohibita, quaeque primario tendunt ad rempublicam turbandam. Hinc in iure habemus titulum (*V. 31. X.*) de excessibus praelatorum et subditorum, nec non titulum (*V. 33. X.*) de privilegiis et excessibus privilegiatorum, qui praescribunt officia aliquorum in ecclesia, quaeque officia excessu vel defectu violantur.

2085 **Excommunicatio.** — ***De natura et divisionibus ex communicationis.*** — **De natura excommunicationis.** — Excommunicatio est censura, qua quis separatur a communione fidelium (Suarez *de censuris disp. VIII. s. 1. n. 1*), seu censura, qua christianus aliquibus bonis spiritualibus ecclesiae communibus, quorum distributio ad ipsam pertinet, vel omnino vel ex parte privatur. Cfr. D'Ann. *comm. in Const. «Ap. Sedis» n. 25.* Communio qua excommunicatio excommunicatos privat, est ea communio in divinis, quae pendet a voluntate ecclesiae; nec tantum externa, qua excommunicatus arcetur a sacramentis, divinis officiis et sepultura ecclesiastica; sed etiam interna, qua privatur bonis, quae unusquisque fidelium participat ex sacrificio missae, ex publicis ecclesiae precibus, ex indulgentiis. D'Ann. *l. c.* Hinc excommunicatio non privat ea interna communione, quae consistit in interiore Christi influxu, qui ex Christo capite omnia membra sui mystici corporis pervadit.

Patet exinde, excommunicationem merito haberi uti omnium canonicarum poenarum maximam (cfr. *c. 10 de iudiciis X.* [*II. 1*]), eamque virtute in se continere censuras alias suspensionis et interdicti, utpote quae non ita plene, sed tantum partialiter privant bonis ecclesiae, seu illorum usu. Pichler *in tit. 39 lib. V Decr. n. 23;* Suarez *de censuris disp. XVIII sect. 3. n. 5.*

De excommunicatione maiore et minore. 2086 — Veteri iure excommunicatio maior et minor distinguebatur; haec, quae non univoce, sed analogice dicebatur excommunicatio, privabat tantummodo perceptione sacramentorum (*c. 4 de clerico excomm. ministr. X.* [*V. 27*]; *c. 59 de sententia excomm. X.* [*V. 39*]); excommunicatio vero maior ea est, quam supra definivimus. Iure decretalium excommunicatio simpliciter dicta supponit pro excommunicatione maiori, non autem pro minori (*c. 59 de sent. excomm. X.* [*V. 39*]); antiquiore vero iure non item. Cfr. *c. 12. C. III. q. 4;* Schmalzgrueber *in tit. 39 lib. V Decr. n. 119.*

Iure recentiore per const. «Ap. Sedis» inducto, excommunicatio tantum maior viget. *S. U. I. 5 dec. 1883.* Qui eam incurrunt, dicuntur excommunicati, et nunc ordinarie sunt tolerati. Iure antiquo quicumque maiorem excommunicationem, sive ab homine, sive a iure latam incurrissent, vitandi erant, eo solum cum discri-

mine, quod ii, quorum excommunicatio publica ac notoria erat, publice essent vitandi, ii vero, quorum excommunicatio publice non erat nota, tantum privatim vitandi ab iis essent, qui conscii erant. *c. 14 de sent. excomm. X.* (*V. 39*); B. P. *VII. 214.*

2087 **De excommunicatis vitandis et toleratis.** — Hoc discrimen inter excommunicatos iure novo introductum est a Martino V constitutione sua « Ad evitanda » *ann. 1418;* et alii dicti sunt excommunicati *tolerati*, alii *non tolerati* seu *vitandi.* Cum his omnis communio (intra eos limites, qui postea indicabuntur) est prohibita fidelibus; cum illis, quaecumque communio, etiam in divinis, permissa est, nulla quoque, quantum est ex hoc capite excommunicationis (nam caritas frequenter prohibebit ab indignis ex. gr. petere, vel indignis dare sacramenta, B. P. *VII. 214*), necessitate aut utilitate cogente. Nota tamen, quum dicitur licere fidelibus communicare in divinis cum excommunicatis toleratis, intelligi divina seu sacra catholicorum, non sacra ex. gr. haereticorum; hoc enim naturali iure est prohibitum. Ben. XIV *de Syn. lib. VI. c. 5. n. 2.*; B. P. *l. c.* Notandum praeterea etiam est, Martinum V constitutione sua citata nullum favorem excommunicatis ipsis concessisse, sed solummodo fidelibus. D'Ann. *l. c. n. 17.*

Ut quis sit vitandus, debet nominatim et publice excommunicatus declarari (sive hoc a summo Pontifice, sive ab episcopo fiat), exceptis publicis clericorum percussoribus (*S. U. I. 9 ian. 1884*); pro his autem, ut vitandi sint, non solum requiritur de crimine notorietas quaedam facti, sed etiam iuris, idest non solum necesse est, ut constet, eos clericum percussisse, sed constare etiam debet, eos incurrisse censuram, ita ut non solum factum non possit aliqua tergiversatione celari, sed nec aliquo suffragio excusari, ut dicit citata constitutio Martini V. S. Alph. *VII. 144*; B. P. *VII. 214*; Lehmkuhl *II. 884.* Quare, ut S. Alphonsus (*l. c.*) dicit, quum raro contingat percussionem clerici ita notoriam esse facto, ut non possit aliquo suffragio excusari (puta, quod percussio facta fuerit in ebrietate aut ad sui defensionem etc.), nisi saltem constet facto, quod percussor advertenter voluerit censuram incurrere, probabiliter numquam est vitandus. Ceterum mandantes percussionem clerici eamque ratam habentes, etsi iuxta quosdam excommunicationem incurrunt, aliis contradicentibus, vitandi tamen non sunt. Cfr. Lehmkuhl *II. 945.*

2088 ***De effectibus excommunicationis.*** — Effectus excommunicationis immediati, de quibus statim mox in particulari dicemus, octo numerantur, idest:

1° Privatio sacramentorum. *c. 59 de sent. excomm. etc. X.* (*V. 39*); Suarez *de censuris disp. X. sect. 1. sqq.*; S. Alph. *VII. 158.*

2° Privatio divinorum officiorum. *c. 43 de sent. excomm. etc. X.* (*V. 39*); Suarez *de censuris d. XII. s. 1. n. 3.*

3° Privatio suffragiorum ecclesiae. *c. 38 tit. cit. X.* (*V. 39*).

4° Privatio sepulturae ecclesiasticae. *c. 12 de sepulturis X.* (*III. 28*).

5° Privatio iurisdictionis ecclesiasticae. *c. 24 de sent. et re iud. X.* (*II. 27*); *c. 1 de officio vicarii* (*I. 13*) *in 6°*; cfr. *c. 18 de excessibus praelat. etc. X.* (*V. 31*).

6° Privatio beneficiorum obtinendorum. *c. 7 de cler. excomm. etc. minist. X.* (*V. 27*).

7° Privatio communicationis forensis. *c. 7 de iudiciis X.* (*II. 1*); *c. 5. de exception. X.* (*II. 25*).

8° Privatio societatis civilis. *c. 31. tit. cit. X.* (*V. 39*).

Mediati vero sunt:

1° Irregularitas, si excommunicatus exerceat actum ordinis. *c. 9 de clerico excomm. etc. et ministr. X.* (*V. 27*).

2° Suspicio haeresis, si insordescat in censura, seu toto anno contumaciter in ea persistat. Conc. Trid. *sess. XXV. c. 3 de ref.*

3° Probatio delicti, si insordescat in censura. *cc. 36. 37. C. XI. q. 3.*; Schmalzgrueber *in tit. 39 lib. V. Decr. n. 196.*

4° Privatio beneficiorum obtentorum, si per triennium in excommunicatione perseveret. *arg. ex c. 8 de aet. et qual. etc. X.* (*I. 14*).

2080 **De effectu privationis sacramentorum.** — Hinc excommunicatus privatur iure sacramenta accipiendi (*c. 59 tit. cit. X.* [*V. 39*]) et administrandi (*c. 10. de clerico excomm. etc. ministr. X.* [*V. 27*]); eaque recipiens graviter peccat (B. P. *VII. 245*), quamvis valide, excepta poenitentia mala fide suscepta (Schmalzgrueber *l. c. n. 140 sqq.*; B. P. *VII. 248*), recipiat. B. P. *loc. nuper cit.* Ab hac culpa excusat ignorantia inculpabilis, nec non metus mortis, vel gravis iacturae; quia lex ecclesiastica inculpabiliter ignorantes non ligat, nec censetur ita rigide obligare et cum tam gravi incommodo. B. P. *VII. 245.* Exinde facile etiam consequitur, quemadmodum peccat excommunicatus (etiam toleratus) recipiendo sacramenta, antequam absolvatur, eodem modo peccare ministrum, qui scienter sacramenta excommunicato administrat (*c. 8 de privilegiis* [*V. 7.*] *in 6°*); attamen hoc non impedit, quominus excommunicato in bona fide sacramenta petenti possint ea administrari, illum in bona fide relinquendo. B. P. *VII. 246.*

Excommunicatus quicumque, in casu necessitatis, quando alius minister deest, tum valide tum licite sacramenta, quae potest, administrat, exceptis iuxta plures sacramentis confirmationis et extremae unctionis aegroto, qui sacramentum poenitentiae iam recepit. Schmalzgr. *l. c. n. 146.* Attamen non intelligo, cur auctor iste cum aliis non paucis permittat vitando eucharistiam dare aegroto iam confesso, quia maxime necessaria est, uti dicit, ut adiuvetur aegrotus et vires recipiat ad suggestiones daemonis in illo articulo superandas; extremam vero unctionem dare in casu ei non permittat, quum extrema unctio praecise in dictum finem fuerit instituta.

Extra casum necessitatis, ut licite administret, supposito quod sit in statu gratiae, et non possit prius obtinere absolutionem a censura, toleratus debet rogari a fidelibus (qui id etiam sine necessitatis aut magnae utilitatis causa facere possunt, S. Al-

phon. *VII. 165.*), idque sufficit (Bucceroni *Comm. de censuris n. 97*); hinc valide etiam poenitentiae sacramentum administrat, quum ipsa iurisdictione non privetur, ut mox dicemus. S. Alph. *VII. 168.* — Notandum tamen est, extra necessitatem et petitionem fidelium (saltem tacitam, S. Alph. *VII. 169*) excommunicatum, etiam toleratum, sacramento ministrando peccare, et irregularitatem incurrere ob illicitum exercitium ordinis sacri. S. Alph. *VII. 171.* Vitandus vero, etiamsi a fidelibus rogatus, si absque necessitate sacramenta ministret, peccat et irregularitatem incurrit (S. Alph. *VII. 172*); dummodo secus non incurrat periculum gravis damni. Schmalzgrueber *l. c. n. 144.*; S. Alph. *VII. 170.* Excommunicatus multo magis prohibetur a celebranda missa. *cc. 4. 10 tit. cit. X.* (*V. 27*).

2090 **De effectu privationis divinorum officiorum.** — Excommunicatus quilibet (B. P. *VII. 259*) prohibetur sub gravi ab auditione missae, nec non a divinis officiis (cfr. *c. 43 tit. cit. X.* [*V. 30*]); et, si sit vitandus, monendus est, ut exeat e templo, et interim cessandum (*c. 2 de sent. excomm. etc.* [*V. 10*] *inter Clem.*; cfr. etiam *c. 18 eiusdem tituli* [*V. 11*] *in 6°*); et, si noluerit, expellendus est vi; quod si fieri nequeat, nondum incoepto canone, missa abrumpenda est; coepto canone, potest sacerdos abrumpere vel prosequi usque ad communionem, ceteris abeuntibus; consecratione peracta, semper subiungenda sumptio. Ben. XIV *de sacr. miss. lib. 3. c. 14. n. 14*; Suarez *de censuris disp. XII. sect. 1. n. 11.*

Duo tamen quoad hoc sunt advertenda. — Alterum est, certum quidem esse, vitandum, si divinis officiis assistat, graviter peccare; hoc autem non eodem modo de tolerato certum esse. Nam D'Annibale in Summula (*I. 362.* [*19*] *edit. 3ª*) timidus et forte omnium primus, ut ipse ait, dicit, toleratum, aut nullatenus, aut leviter peccare, si intersit divinis officiis, licet usque ad finem intersit. Etenim, quum vix reperies confessarium, qui hodie excommunicatum his prohibeat, vel excommunicatum, qui sibi his abstinendum ducat, rigorem iuris hac in re obsolevisse videri dicit. Et in comm. in const. « *Ap. Sedis* » (*n. 25* [*4*]) sine timore ait, hanc prohibitionem quoad divina officia obsolevisse videri, quod saltem de toleratis intelligendum est. — Alterum, quod erat advertendum, hoc est, hanc ipsam communicationem cum fidelibus in divinis officiis, etsi graviter prohibitam, ex levitate vel parvitate materiae posse esse venialem, ut si ex. gr. exiguam missae partem, puta usque ad evangelium, excommunicatus audiat cum fidelibus (B. P. *VII. 259*), vel utatur socio in recitando divino officio vel rosario (S. Alph, *VII. 178*).

De effectu privationis suffragiorum ecclesiae. — Vitandus privatur omnibus suffragiis communibus ecclesiae (quae nempe praestantur nomine ecclesiae, quaeque ex publicis ministrorum officiis et sacrificiis provenire fidelibus solent, itemque fructus satisfactionum, qui ex communi ecclesiae thesauro per indulgentias applicatur praelatorum auctoritate, B. P. *VII. 249*), *c. 38 tit. cit. X.* (*V. 39*), cfr. 2091

prop. 23 Lutheri damn. a Leone X Const. « Exsurge Domine » *16 maii 1520*; non tamen privatis (quae scilicet praestantur nomine singulorum fidelium, quo censu comprehenduntur ipsi quoque ecclesiae ministri, ut particulares personae sunt; eiusmodi sunt oratio, eleemosynae etc., et oblatio quoque sacrificii missae, quoties privato cuiusque nomine ac privata intentione fiant, B. P. *l. c.*). S. Th. *in IV. dist. 18. q. 2. a. 1. q. 1. ad 2*; Salmanticenses *Th. mor. tr. X cap. 3. n. 56*; Suarez *de censuris disp. IX sect. 5.*

Toleratus iuxta quosdam (cfr. S. Alph. *VII. 164*; Salmanticenses *Th. mor. tr. X cap. 3. n. 57*) nullis privatur suffragiis. Verum dicendum omnino videtur, excommunicatum etiam toleratum, non minus ac vitandum, publicis ecclesiae suffragiis omnino privari. Suarez *de censuris disp. IX sect. 2. n. 16 sqq.* Quod, si de acatholicis sermo sit, certissimum est; nam Gregorius XVI cuidam monachorum praesidi in Bavaria *die 9 iul. 1842*, hanc dedit responsionem: « Nos sanctissimae insistentes ecclesiae regulis respondemus, intentionem illam offerendi divinum sacrificium seu alias preces, pro defunctis e catholica regia familia universis, haudquaquam satis esse ad cohonestandum, publici funeris causa, quod pro acatholica persona nominatim postulatum est, et in eius obitus aut annua die celebratur .... Nec enim permittere possumus, ut ullo modo fraus fiat prohibitioni illi, quae in catholica ipsa doctrina innititur, de sacro funere pro defunctis acatholicis non celebrando ». B. P. *VII. 254. sqq.*

Animadvertendum autem est, quum dicimus, excommunicatum, etiam catholicum et toleratum, privari publicis ecclesiae suffragiis, non exinde sequi excommunicatum occultum privandum esse publicis ecclesiae officiis (cfr. *c. 14 tit. cit. X.* [*V. 39*]), quia nemo censendus est excommunicatus, nisi probetur. B. P. *VII. 253.*

De effectu privationis sepulturae ecclesiasticae. — Vitandus et toleratus privantur sepultura ecclesiastica. *c. 1. C. XXIV. q. 2.*; *cap. 12 de sepulturis X.* (*III. 28*); *c. 1 de sepulturis* (*III. 7*) *in Clem.* Discrimen tamen est inter utrumque; vitandus enim, etsi signa poenitentiae dederit, ante absolutionem sepeliri nequit in loco sacro (*c. 28 tit. cit. X.* [*V. 39*]), et, si in loco sacro sepultus fuerit, inde extrahendus est (*c. 12 de sepulturis X.* [*III. 28*]), et coemeterium, seu locus sacer, hac sepultura pollutus, expiandus et reconciliandus est. *c. 7 de consecr. eccl. etc. X.* (*III. 40*). 2092

Toleratus, si poenitens decessit, sepeliri potest in loco sacro etiam ante absolutionem, quamvis deceat, eum prius ab excommunicatione absolvi (Schmalzgrueber *in tit. 39 l. V Decr. n. 127*); attamen, etiamsi sine poenitentiae signis decesserit, si in loco sacro sepelitur, quamvis illicite id fiat, non inde locus sacer polluitur, nec cadaver inde extrahendum. Suarez *de censuris disp. XII sect. 4. n. 5.*; De Angelis *in tit. 28 lib III Decr. n. 9.* Cfr. tamen B. P. *VII. 266.*: Lehmkuhl *II. 893.*

De effectu privationis iurisdictionis ecclesiasticae. — Vitandus privatur etiam omni iurisdictione ecclesiastica 2093

(Schmalzgrueber *in tit. 39 lib. V Decr. n. 164*); hinc si quos actus iurisdictionis ponat, hi sunt nulli (*c. 1 de supp. neglig. prael.* [*I. 8*] *in 6°; c. 1 de off. vicarii* [*I. 13*] *in 6°; c. 10 de off. et pot. iud. del.* [*I. 14*] *in 6°*); quare nulla est sententia ab eo lata (*c. 24 de sent. et re iudic. X.* [*II. 27*]), absolutio, dispensatio, facultatis concessio pro sacramentis administrandis (Schmalzgr. *l. c.*), collatio beneficii (cfr. *c. 1 ne sed. vac. etc.* [*III. 8*] *in 6°*) etc.

Toleratus, etsi notorius, ipsa iurisdictione ecclesiastica non privatur, sed privatur solummodo licito exercitio et usu iurisdictionis ecclesiasticae (Suarez *de censuris disp. XIV sect. 1 n. 1. sqq.* B. P. *VII. 265*); hinc actus iurisdictionis, quos toleratus exercet, per se valent; impediri tamen potest, ne agat, et agat valide, si nempe ob causam excommunicationis contra eum excipiatur, manifeste probata excommunicatione. Schmalzgrueber *in tit. 39 libr. V Decr. n. 166 ;* B. P. *l. c.* Illicite tamen semper toleratus iurisdictione sua utitur, nisi eam exerceat ex gravi causa vel rogatus. B. P. *l. c.*

2084 **De effectu privationis beneficiorum.** — Uterque, idest tum excommunicatus vitandus, tum toleratus, publicus, vel occultus, fit inhabilis ad beneficia ecclesiastica obtinenda (*c. 6 de clerico excomm. etc. ministr. X.* [*X. 27*]), sed beneficiis iam obtentis ipso facto non privatur, ne vitandus quidem, quamvis iis privari possit, si forte in excommunicatione insordescat (confer *c. 8 de aet. et qual. etc. X.* [*I. 14*]); et contumacia gravis sit. Schmalzgr. *in tit. 39 lib. V Decr. n. 159.* Fructus etiam beneficii iam obtenti, dummodo, vel per se, vel per alium, oneribus beneficii faciat satis, non amittit excommunicatus ante sententiam iudicis. In iure enim c. 53 de appellationibus etc. *X.* (*II. 28*) dicitur, proventus ecclesiae illi merito *subtrahi* (quod significat actionem spoliationis, quae fit ab homine, non a lege, B. P. *VII. 262*), cui ecclesiae communio denegatur. Cfr. *Glossam in cap. cit. de appellationibus;* Schmalzgrueber *l. c. n. 158.*

Nota tamen, nomine fructuum hic non venire distributiones quotidianas; has enim excommunicatus ipso iure amittit. Dantur enim pro praesentia divinis officiis, quibus excommunicatus nequit interesse. Schmalzgrueber *l. c. n. 159.* Attamen excommunicatus occultus, qui ne se prodat, interest choro, quoniam opus praestat, distributiones quotidianas retinere potest, nisi per sententiam iudicis iis privetur. B. P. *VII. 262.*

Collatio pensionis, quae datur in titulum beneficii, nulla est, quum talis pensio induat rationem beneficii. Idem dicendum est de illa pensione ecclesiastica, quae ob officium ecclesiasticum, puta vicarii aut coadiutoris, datur; haec enim invalide confertur excommunicato, quia hic ab officio prohibetur. S. Alph. *VII. 180.;* B. P. *VII. 263.* Valida est collatio pensionis laicalis vel mixtae; est enim aliquid temporale nullum spirituale officium exigens. B. P. *l. c.*

Nominatim excommunicatus fit inhabilis ad gratias pontificias recipiendas. *Const.* « Sap. consilio » *Norm. pec. c. 3 n. 6.* Vid. *Rescriptum.*

2095 **De effectu privationis communicationis forensis.** — Vitandus privatur communicatione forensi (*c. 8 de sententia excomm., etc. X.* [*V. 11*] *in 6°*), non vero toleratus, quamvis eius acta per exceptionem repelli possint (*c. 1 de exceptionibus* [*II. 12*] *in 6°*); nostra autem aetate huius privationis poena obsolevisse videtur. Nunc enim, ut bene advertit Ballerini-Palmieri (*VII 267*), adeo mutatis conditionibus societatum civilium et iuribus, quibus reguntur, dubitandum saltem est, utrum velit ecclesia, nullam esse in foro civili sententiam latam a iudice civili iure legitimo, sed excommunicato, etsi vitando. Cfr. etiam D'Ann. *Comm. in const. « Ap. Sedis » n. 25.*

2096 **De effectu privationis societatis civilis.** — Vitandus privandus est etiam signis benevolentiae (*os*); qualibet communicatione in divinis (*orare*); salutationibus particularibus (*vale*); qualibet societate negotii, contractus etc. (*communio*); invitatione reciproca ad mensam (*mensa*), *c. 17. C. XI. q. 3.* Excusabant tamen etiam veteri iure ab hac communicatione variae causae, idest utilitas tam spiritualis quam corporalis (*utile*), cfr. *cap. 43 de sent. excomm. etc. X.* (*V. 39*); lex matrimonii (*lex*), *c. 31. tit. cit. X.* (*V. 39*); humilitas subiectionis (*humile*), quod accidit in filiis, servis, subditis, etc., *c. 103. C. XI. q. 3;* ignorantia iuris et facti (*res ignorata*), *can. nuper cit.;* necessitas (*necesse*), sive spiritualis, sive temporalis, sive ipsius, sive aliorum, *can. nuper cit.* — Communicatio autem mere civilis, non censebatur prohibita sub gravi.

Nunc autem, ait Lehmkuhl (*II. 897*), rationes illae, quae iamdiu, ut causae excusantes afferebantur, propter quas civilis communicatio licita in singulis casibus fieret, tam late patent, ut eae vix non pro quolibet adsint. Lex autem, quae communiter servari amplius nequit, censetur amisisse vim suam; quare, ne tunc quidem obligat, quum ab aliquo in particulari servari potest.

Tolerati vero, non solum si requirantur, sed etiamsi commercio civili cum fidelibus sponte se ingerant, nullatenus peccant. *S. Poen. 5 iul. 1867.*

Omnis excommunicatus, qui communicat cum fidelibus, et fideles, qui cum vitando communicant, peccant, si in divinis, graviter (toleratus tamen in praesenti vel nullatenus vel leviter, D'Ann. *I. 362.* [*19*]); si in humanis, leviter, at ex iusta causa, ne leviter quidem. Hi tamen nullam poenam incurrunt. *S. U. I. 9 ian. 1884.*

Varia quoad excommunicationem. 2097 — Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa (non autem a Romanis Congregationibus, etiamsi accederet approbatio Summi Pontificis, *S. U. I. 16 iun. 1894*) in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem, excommunicationem incurrunt latae sententiae Romano Pontifici simpliciter reservatam. *Const. « Ap. Sedis » ser. 2. n. 16.* Eamdem excommunicationem incurrunt clerici communicantes in divinis cum personis a Romano Pontefice nominatim excommunicatis, et ipsos in officiis recipientes. *Const. « Ap. Sedis » ser. 2 n. 17.* Vide *Communicatio cum excommunicatis.* Item praesumentes

absolvere extra mortis articulum ab excommunicationibus speciali modo apostolicae Sedi reservatis, sine debita facultate, quocumque praetextu, incurrunt excommunicationem latae sententiae R. Pont. simpliciter reservatam. *Const.* «Ap. Sedis» *ser. 2 n. 18.* Praeterea qui mandant, vel cogunt tradere vitandum ecclesiasticae sepulturae, incurrunt excommunicationem nemini reservatam (*Const.* «Ap. Sedis» *ser. 4. n. 1*); qui vitandum sepulturae ecclesiasticae admittunt, incurrunt interdictum ab ingressu ecclesiae, donec ad arbitrium eius, cuius sententiam contempserunt, competenter satisfecerint. *Constit.* «Ap. Sedis» *int. sub n. 2.*

Quoad auctorem, subiectum etc. excommunicationis, Vid. *Censura.*

Tit. de sententia excommunicationis, suspensionis et interdicti X. (V. 39); idem tit. (V. 11) in 6°; idem tit. (V. 10) in Clem.; idem tit. (tit. 13) in Xvag. Ioann. XXII; tit. de sententia excommunicationis (V. 10) in Xvag. comm.: *Foxii Io.* De censura seu excommunicatione; *Ibañez Io.* De excommunicatione; *Severtii Iac.* Summa excommunicationum et absolutionis tam papalis quam episcopalis; *Kifer W.* Propositiones super gladii spiritualis iurisdictione, sententiae excommunicationis etc.; *de Veimburg G.* Appellatio ab excommunicatione; *Gersonis Io.* De excommunicationis valore; *Archtandri N. L.* De excommunicatione ecclesiastica; *Pertsch J. G.* Das Recht des Kirchenbannes; *Schilling B.* Der Kirchenbann u. kan. Recht; *Mendelssohn* De monitione canonica; *Fessler J.* Der Kirchenbann u. s. Folgen; *Molitor W.* Ueber d. Folgen d. excomm. maior; *Kober* Der Kirchenbann; *München* Das kan. Gerichtsverfahren u. s. w. II. 156 ff.

Reliquam bibliographiam quaere sub *Censura.*

Exemptio. — ***De natura exemptionis.*** — Exemptio est privilegium, quo corpus aliquod morale seu communitas aliqua, vel aliqua persona, aut etiam locus aliquis subtrahitur iurisdictioni inferioris ordinarii, ut a superiore praelato ecclesiastico immediate dependeat. 2098

Exempti a iurisdictione episcopi multo magis, ut patet, exempti sunt a iurisdictione parochi.

De exemptione personali. — **Quibus competat exemptio.** — Privilegium exemptionis a iurisdictione episcopali ipso iure communi habent ordines regulares virorum. *Const.* Bened. XIV «Apostolicum ministerium» *30 maii 1753; Const.* Leonis XIII «Romanos Pontifices» *VIII id. maias anno 1881.* Hoc autem privilegio non gaudent congregationes votorum simplicium (*S. C. Ep. 16 sept. 1864*), quamvis hae quoque, si ultra unam alteramve dioecesim se extendant, et a sancta Sede fuerint approbatae, generatim speciali privilegio a iurisdictione episcopi eximantur: generale autem hoc privilegium ordinarie respicit exemptionem circa bonorum temporalium administrationem, domorum gubernium, superiorum electiones, novitiorum receptiones, transgressiones et alios domesticos excessus puniendos. Cfr. Bizzarri *Coll. S. C. EE. RR. pag. 429. 740.* Vid. *Congregationes religiosae.* 2099

Moniales vere regulares tunc exemptae sunt a iurisdictione episcopi, quum subduntur praelatis regularibus

eiusdem ordinis, quamvis etiam huiusmodi moniales in quibusdam casibus a iure expressis episcopo subdantur. Aliae moniales per se episcopo subduntur, nisi aliquando speciale privilegium habeant, ut immediate R. Pontifici subiiciantur; sed etiam tunc ab episcopis gubernantur, tamquam delegatis sedis Apostolicae. Conc. Trid. *sess. XXV. c. 9 de reg.*

« Privilegium generale, per quod regulares sunt exempti a iurisdictione ordinaria praelatorum ordinariorum, quum sit expressum in corpore iuris et tam facto quam iure notorium et manifestum, non est exhibendum ». Passerini *De hom. statib. tom. 3. q. 189. a. 10 n. 711.* Cfr. tamen *S. C. C. in Viennen. 1 dec. 1905.*

2100 **De his, in quibus regulares exempti subsunt iurisdictioni episcoporum.** — Regulares exempti, quamvis generatim exempti a iurisdictione episcoporum, in multis tamen ipsis subduntur, vel tamquam ordinariis, vel tamquam delegatis Sedis apostolicae. *Const. cit. Leonis XIII.*

Haec autem iuverit quoad summa capita et quoad magis practica heic enumerare ex Schmalzgrueber *in titul. 33 lib. V Decr. n. 253.*

2101 Subsunt igitur episcopo loci tamquam ordinario: 1° in omnibus, quae sunt ordinis episcopalis, ut est susceptio ordinum (nisi habeant speciale privilegium), consecratio ecclesiarum, petitio chrismatis (*c. 19 de praescript. X.* [*II. 26*]); 2° in observatione festorum, quae ab episcopo indicuntur, et censurarum ab eo promulgatarum (Conc. Trid. *sess. XXV. c. 12 de reg.*); hinc tenentur servare interdictum, non communicare cum excommunicatis ab episcopo, etc. (B. P. *VII. 51*); - 3° in censura librorum (Conc. Trid. *sess. IV. decr. de edit. et usu sacr. libr.*); quare non potest regularis exemptus libros imprimere, sine licentia episcopi loci, in quo liber publici iuris fit (*Const.* Leonis XIII « Officiorum ac munerum » *VIII kal. febr. 1906*); - 4° in vocatione ad publicas processiones, et controversiis de praecedentia in iis et funerum deductione exortis (Conc. Trid. *sess. XXV c. 13 de reg.*); - 5° in approbatione ad confessiones secularium audiendas (Conc. Trid. *sess. XXV. c. 11 de reg.*; *sess. XXIII. c. 15 de ref.*); 6° in erectione monasteriorum, ecclesiarum, etc. (Conc. Trid. *sess. XXV. c. 3. de reg.*, vid. *Erectio*); 7° in promulgatione indulgentiarum a Papa impetratarum (quas scilicet regulares, postquam impetraverint, publicare nequeunt sine licentia episcopi, Conc. Trid. *sess. XXI. c. 9 de ref.*); - 8° quoad praedicationem verbi divini in ecclesiis, quae sui ordinis non sunt (Conc. Trid. *sess. V. c. 2 de ref.*, vid. *Concionari*); - 9° quoad exsecutionem ultimarum voluntatum (*c. un. de testamentis etc.* [*III. 6*] *in Clem*).

Subsunt autem episcopo tamquam 2102
delegato Sedis apostolicae: 1° quoad lectionem s. Scripturae in monasteriis habendam (Conc. Trid. *sess. V. c. 1 de ref.*; - 2° quoad clausuram monialium (Conc. Trid. *sess. XXV. c. 5 de reg.*); - 3° quoad electiones abbatissarum *Const.* Greg. XV. « Inscrutabili » (*a. 1623*); 4° in causis haereseos et aliis spectantibus officium s. Inquisitionis (*c. 9 de haereticis X.*

[*V. 7*]); - 5° si religiosi exempti extra monasterium et conventum regularem degant et vagentur (Conc. Trid. *sess. VI. c. 3 de ref.*).

2103 His autem adiungendum est, regulares subdi episcopo quoad expositionem ss. Sacramenti (vid. *Expositio ss. Sacr.*); quoad ea, quae spectant missae celebrationem (Conc. Trid. *sess. XXII decr. de obs. et evit. in celebr. missae,* vid. *Celebratio missae;* non vero quoad inspectionem librorum circa adimplementum onerum missarum manualium etiamsi in casu ageretur de ecclesia parochiali regulari, *S. C. EE. RR. in una S. Hippolyti 11 maii 1904*); quoad curam animarum eos omnes, qui illam exercent in parochia regulari (Conc. Trid. *sess. XXV. c. 11 de reg.*); in poenis, quas episcopus, supplens negligentiam praelati regularis ab eo moniti, fert in exemptum, qui, etsi in monasterio degat, crimen notorie extra monasterium commisit (Conc. Trid. *sess. XXV. c. 14 de reg.*), etc. Vid. *Visitatio.*

2104 **De conditionibus ad exemptionem requisitis.** — Attamen notandum est, regulares, ut eorum domus non subsint iurisdictioni episcoporum, alicui conditioni satisfacere debere. Ex decreto Urbani VIII (*21 iun. 1625*) subsunt ordinarii loci visitationi, correctioni atque omnimodae iurisdictioni conventus omnes, seu quaelibet religiosae domus, in quibus duodecim saltem religiosi degere, et ex reditibus et consuetis eleemosynis, detractis omnibus detrahendis, competenter sustentari non valent, et actu non habitant. Hoc decretum Urbani VIII confirmavit Innocentius X suo decreto «Ut in parvis» *10 febr. 1654.* Praeterea in hoc decreto Innocentius X quaedam alia statuit, quae hic sunt indicanda. Scilicet ipse constitutione sua «Instaurandae» (*id. oct. a. 1652*), quae Italiam tantum et insulas adiacentes spectabat, de medio sustulit exiguos conventus, quorum census non valerent alere canonicum religiosorum numerum. Postea ad instantiam quorumdam religiosorum, ne plura loca, in quibus praedicti conventus claudi debuissent, magno spirituali auxilio destituta manerent, decreto suo «Ut in parvis» concessit, ut quidam ex supradictis conventibus in pristinum statum restituerentur. Voluit tamen, ut illi ex his conventibus, in quibus non alerentur duodecim religiosi, plene ordinariis tamquam Sedis apostolicae delegatis subiicerentur. Conventus autem non suppressi, in quibus ob varias circumstantias canonicus numerus duodecim religiosorum ali non poterat, voluit esse exemptos, si in eis alerentur saltem sex religiosi probatae vitae, quorum ad minus quatuor essent sacerdotes maturae aetatis (scilicet quadraginta annorum expletorum, *S. C. super statu regul. 17 iul. 1655*); dummodo ageretur de conventibus erectis ante decretum Urbani VIII; secus voluit, ut visitationi, correctioni et omnimodae iurisdictioni ordinarii loci, ut Sedis apostolicae delegati, plene in omnibus subiecti essent. Pro conventibus autem post diem 21 iun. 1625, idest post decretum Urbani VIII erectis, voluit, ut subiicerentur iurisdictioni (ut vi-

detur non delegatae, sed ordinariae) ordinariorum, nisi duodecim in eis religiosi ali possent et de facto alerentur. Quare per se numerus canonicus religiosorum ad fruendum privilegio exemptionis, est numerus duodecim religiosorum.

2105 Attamen in praesenti disciplina ex consuetudine videtur introductum, ut senarius numerus pro exemptione sufficiat. Quod praeter alia probare videtur constitutio Leonis XIII «Romanos Pontifices» *VIII id. maii 1881,* in qua expresse dicitur: «Iure autem communi constitutum est, ut domus, quae sodales religiosos sex minimum non capiant, in potestate episcoporum esse omnino debeant». Cfr. *S. C. EE. RR. in Segovien. 8 maii 1908.*

2106 Sed et praeterea exceptiones sunt notandae. Nam ante omnia in missionibus senarius etiam iste numerus, vel quicumque alius numerus, pro exemptione fruenda non exigitur; sed omnes religiosi in residentiis missionum (et hoc nomine veniunt etiam domus religiosorum apud Britannos ac Scotos) commorantes, non secus ac regulares intra claustra viventes, praeter quam in casibus a iure nominatim expressis, et generatim in iis, quae concernunt curam animarum et sacramentorum administrationem, exempti sunt ab ordinarii iurisdictione. Hoc pluries declaravit s. Congregatio de Prop. Fide (cfr. *decr. 30 ian. 1627; 27 mart. 1631; 5 oct. 1655; 23 sept. 1805; 29 mart. 1834*) et confirmavit Leo XIII in constitutione citata, in qua etiam declaravit comprehendi, ut diximus, domus religiosas apud Britannos et Scotos.

Praeterea quoad Italiam revocan- 2107
dae huc sunt dispositiones s. Poenitentiae pro religiosis dispersis. Scilicet s. Poenitentiaria decrevit pro Italia, ut in praesentibus rerum adiunctis, domus religiosae, dummodo in eas tres saltem ad ibi degendum convenerint regulares, quorum unus ad minus sit sacerdos, iurisdictioni superioris regularis sint subiectae, eaeque regantur per peculiarem superiorem ibi constituendum (*S. Poen. 18 apr. 1867*); declaravit praeterea eas domus gaudere eadem immunitate a iurisdictione ordinarii, qua prius gaudebant (*S. Poen. 12 sept. 1872*), voluitque, religiosos, adactos alibi nec unitos manere, dependere ab ordinario circa ea tantum, quae politiam et disciplinam ecclesiasticam spectant, in reliquis subesse superioribus ordinis. Hinc ad quaesitum: «An s. Poenitentiariae responsum diei 12 sept. 1872 derogavit omnino decreto Innocentii X "Ut in parvis" cum declarationibus suis, ita ut quocumque respectu minime ordinarius visitare possit ecclesias et domos, ubi non adsunt sex saltem religiosi probatae vitae, ex quibus quatuor ad minus sint sacerdotes maturae aetatis», s. Congregatio episcoporum et regularium respondit: «Pro locis, ad quae extenduntur instructiones s. Poenitentiarie diei 18 apr. 1867 et durantibus praesentibus adiunctis, affirmative». *S. C. EE. RR. in Neritonen. 26 mart. 1897.* Sunt etiam quoad hoc specialia quaedam privilegia. Cfr. quoad fratres hospitalarios S. Ioannis

a Deo Brev. Urb. VIII « Cum sicut » *9 iul. 1638;* Brev. Ben. XIV « Quam in procurandam » *27 mart. 1747; S. C. EE. RR. in Mediolanen. 3 mart. 1905.*

2108 **De regularibus extra claustra delinquentibus.** — Adnotandum praeterea hic aliquid est circa regulares delinquentes extra claustra. Scilicet Concilium Tridentinum (*sess. XXV. c. 14. de reg.*) sanxit, ut « regularis, non subditus episcopo, qui intra claustra monasterii degit, et extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, episcopo instante, a suo superiore intra tempus ab episcopo praefigendum, severe puniatur, ac de punitione episcopum certiorem faciat; sin minus, a suo superiore officio privetur, et delinquens ab episcopo puniri possit ». Hoc statutum Concilii Tridentini a Clemente VIII const. « Suscepti » (*23 febr. 1596*) ampliatum est. Is enim haec addit: « Ceterum, si superior in regularem delinquentem non animadverterit; quin imo si illum impunitum ad alia suorum ordinum loca extra episcopi dioecesim, ut praefertur, transmiserit, volumus, ac simili motu atque auctoritate decernimus, ut superior, instante episcopo intra terminum ab episcopo praefigendum, et sub eisdem indignationis nostrae ac privationis dignitatum et officiorum obtentorum, nec non et sub inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda, ac ulterius privationis activae et passivae vocis, ad quas a nemine, praeterquam a nobis et a rom. Pontifice pro tempore exsistente, restitui possit, ipso facto similiter incurrendis ipsum regulatem delinquentem a loco, ad quem transmissus fuit revocare, et in quo deliquit, constituere seu sistere teneatur. Quod si hoc etiam facere praetermisit, per praesentes similiter statuimus, ut ordinarius loci, in quo deliquit, similiter requisitus vel alias de illius delicto informatus, ut praefertur, tamquam Sedis apostolicae delegatus praedictum concilii decretum omnino exsequi et in regularem delinquentem severe animadvertere possit ac debeat ». Cfr. etiam resp. s. Congregationis ad id deputatae in causa inter Ioannem Palafox ep. Angelopolitanum et patres Soc. Iesu *14 martii 1642 ad dubium 12.* Hinc in citata causa Neritonen. ad dubium secundum: « Quomodo episcopi se gerere debeant, si certi tutique sint, in aliquibus ecclesiis et conventibus, de quibus est verbum, non omnia recte ac ordine procedere? » S. Congregatio respondit: « Ad 2^um^ satis provisum per S. Concilium Tridentinum *sess. XXV c. 14 de reg.*, si regulares delinquant extra claustrum vel domum; si vero delinquant intra claustra, episcopus moneat superiorem regularem, et, quatenus ipse non provideat, recurrat ad hanc congregationem EE. et RR. ». *S. C. EE. RR. 26 mart. 1897.*

De regularibus degentibus extra claustra. — Quoad regulares autem extra claustra degentes notanda sunt praeterea ea, quae habet idem Concilium Tridentinum *sess. VI. c. 3 de ref.*: « Nemo.... regularis extra claustra degens, etiam sui ordinis privilegii praetextu, tutus censeatur, quominus, si deliquerit, ab ordinario loci, 2109

tamquam super hoc a Sede apostolica delegato, secundum canonicas sanctiones visitari, puniri et corrigi valeat ».

Animadvertenda etiam ea sunt, quae Gregorius XV constit. sua « Inscrutabili » (*a. 1622*) sanxit, nimirum : « Ad haec tam regulares, quam seculares huiusmodi nullis privilegiis aut exemptionibus tueri se possint, quominus, si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem monasteriorum monialium etiam regularibus subiectarum, ab episcopo loci similiter, tamquam ad hoc Sedis apostolicae delegato, quoties et quando opus fuerit, puniri et corrigi valeant..... Administrantes bona ad eiusmodi monasteria sanctimonialium, ut praefertur, etiam regularibus subiectarum pertinentia, sive seculares exstiterint, sive regulares quomodolibet exempti, episcopo loci, adhibitis etiam superioribus regularibus, singulis annis rationes administrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque iuris remediis cogi et compelli queant; liceatque episcopo ex rationabili causa superiores regulares admonere, ut eiusmodi... administratores amoveant; iisque superioribus id facere detrectantibus aut negligentibus, habeat episcopus facultatem praedictos..... administratores amovendi totiès quoties, et quando opus esse iudicaverit ». Quum vero occasione huius constitutionis propositum fuisset S. Congregationi Concilii: « An eadem constitutio, qua parte supponit episcopi iurisdictioni regulares delinquentes circa personas degentes intra septa monasteriorum monialium, aut circa clausuram, vel bonorum administrationem eorumdem monasteriorum, habeat locum in omnibus delictis, an vero solum in notoriis èt cum scandalo populi », S. Congregatio respondit: « Constitutionem habere locum in omnibus delictis, non autem in notoriis tantum et cum scandalo populi ». Confer hanc responsionem apud Lucidi *de visit. sacr. lim. II. c. 5 n. 241*, ubi refertur sine diei obsignatione.

Decr. Grat. C. IX. q. 3; C. XXV. q. 2; tit. de relig. domib. ut episcopo sint subiectae X. (III. 36); tit. de cappellis monach. et aliorum religios. X. (III. 37); tit. de excessibus praelat. X. (V. 31); idem tit. (V. 6) in 6°; idem tit. (V. 6) in Clem.; tit. de privileg. et excessib. privileg. X. (V. 33); tit. de privilegiis (V. 7) in 6°; tit. de privileg. et excessib. privileg. (V. 7) in Clem.; tit. de privileg. (V. 7) in Xvag. comm.; litt. Pii VI « Quod aliquantum » 10 mart. 1791; litt. Pii IX ad D. Darboy arch. Parisien 26 oct. 1865; Const. Leon. XIII « Rom. Pontifices » 8 maii 1881; Const. eiusd. « Conditae » 8 dec. 1900; S. C. EE. RR. 26 mart. 1897; litt. eiusd. S. Congr. ad epos Galliae 10 iul. 1901; *Negri Ph.* De exemptione canonica; *A. Pespinoy C.* Notae ad Philippum Nigrum de exemptione canonica; *Pellizarius* Manuale t. 2. tr. 8. c. 6. s. 1; *Chokier E.* Tract. de iurisdictione ordinariorum in exemptos deque illorum exemptione ab ordinariorum iurisdictione; *Tamburini* De iure abbatum t. 3. d. 15; *Cespedes Fr.* Tract. de exemptione regularium tam ex iure antiquo quam ex novo desumptus; *Lomedé Io.* Tract. de exemptionibus ecclesiasticis; *Karg de Bebenburg* Pax religiosa seu de exemptionibus et subiectionibus religiosorum; *a S. Antonio Iac.* Consultationes pro regulanda praes. ord

mendic. a iurisdictione ordinariorum post. conc. trid. exemptione; *de Buck V.* De exemptione regularium conservanda et confirmanda; *Thomassin* Vet. et nov. eccl. disciplina P. 1. lib. 3. c. 26 sqq.; *De Prosperis Ios.* De territorio separato nullius; *Rotarius Th.* mor. regul. t. 3. l. 3. c. 5. punct. 6; *Passerini* De hom. statibus t. 3. in 2. 2. q. 189. a. 10; *Anonym.* Disquisitio de tollendis regularium exemptionibus; *Zaccaria* Antifebronius p. 2. l. 5. c. 1. n. 5 sqq.; *id.* Antifebronius vindicatus diss. 10. c. 4; *Bouix* De iure regularium t. 2. p. 5. s. 2. c. 2; *Schäfler J.* Der Bischof u. die Regularen seiner Diözese; *Weiss K. F.* Die kirchl. Exemtionen d. Klöster v. ihrer Entstehung b. z. gregorian - clugniac. Zeit; *Scherer* KR. § 145; *Vermeersch A.* De religiosis institutis et personis. Tom. alt. Suppl. 7. De vie exemptionis regularium; *Vermeersch A.* De religiosis instit. et personis[2] I. 362 sqq.; *Besson Jul.* Erection et exemption des maisons religieuses; *Hüfner D.* Rechtsinstitut d. klösterlich. Exemtion.

Exemptio a lege. — De exemptione a lege, Vid. *Lex.*

2110 **Exemptionis privilegium.** — Exemptionis privilegium quod a nonnullis etiam dicitur *privilegium servitiorum,* illud est, quo clerici et regulares eximuntur ab oneribus personalibus et a servitiis et officiis civilibus, quae statui clericali minus conveniunt (confer quoad exemptionem ab agenda militia pro clericis propositionem 32am damnatam in syllabo); nec non a solvendis tributis, gabellis, exactionibus et aliis huiusmodi, quae imponuntur civibus a laica potestate. *c. 4 de immunitate ecclesiae etc. X.* (*III. 49*); Schmalzgr. *in tit. cit. n. 14 sqq.* De facto hoc privilegium nullibi nunc viget.

Bibliographiam quaere sub *Clerici.*

Exercitia spiritualia. — Exercitia 2111
spiritualia ordinationi sacrae praemittenda sunt in Italia et insulis adiacentibus ex positiva lege Alexandri VII (*Const.* « Apostolica sollicitudo » *7 aug. 1662*), Innocentii XI (*per decr. S. C. EE. RR. 9 oct. 1682*), Innocentii XII (*per decr. S. C. EE. RR. 1 febr. 1700*) et aliorum rr. pontificum; alibi ex consuetudine. Nota autem, haec exercitia ad decem dies protrahi debere pro illis, qui sacros ordines debent suscipere; pro illis vero, qui ad ordines minores sunt promovendi, minori temporis spatio concludi. Cfr. Ben. XIV. *de Syn. lib. XI c. 2. n. 16;* Lucidi *de vis. sacr. lim. I. c. 3. n. 429; S. C. C. in Nucerina 20 dec. 1817.*

Clerici vero pertinentes ad aliquem ex sex episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim, non praemissis ad ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana sacerdotum a missione nuncupatorum, suspensionem ab ordinibus sic susceptis ad beneplacitum s. Sedis ipso iure incurrunt; episcopi vero ordinantes ab usu pontificalium per annum. *Const.* « Ap. Sedis » *susp. sub. n. 7.*

A sacra Congregatione EE. et RR. in instructione pro ecclesiasticis curiis quoad modum procedendi oeconomice in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum edita die 11 iun 1880, exercitia spiritualia recensentur inter remedia praeventiva, quibus episcopus uti potest ad praecavendos abusus.

Pontifices saepe clericos et sacer- 2112
dotes ad exercitia spiritualia impu-

lerunt ut spirituales vires instaurarent. Cfr. *litt. Pii X ad card. P. Respighi urbis vicarium de spiritualibus exercitiis a clero romano peragendis 27 dec. 1904.*

2113 In Italia insulisque adiacentibus ex encycl. Innocentii XII (*1 febr. 1700*) canonici, beneficiati et alii omnes choro addicti, qui vacant exercitiis spiritualibus decem per annum continuis diebus de licentia ordinarii (qui tamen hanc licentiam concedere non debet tempore adventus et quadragesimae ac in solemnioribus festivitatibus, nec omnibus simul choro addictis) in domibus religiosorum Soc. Iesu seu presbyterorum missionis, si in loco adsint, sin minus in alia pia et regulari domo ab ipsis ordinariis designanda et approbanda, dummodo diu noctuque in praefatis domibus permanserint, fictione iuris choro adesse reputantur; quare non solum faciunt fructus suos, sed lucrantur etiam distributiones quotidianas.

Pariter ex eodem Innocentio XII ad hunc effectum peragendi exercitia spiritualia, semel tantum in anno parochi omnes absoluti sunt a residentia. Idemque pontifex hortatur ordinarios, ut animarum rectores, confessarios, canonicos, aliosque beneficiarios chori servitio astrictos diligenter excitent ad eadem exercitia saltem semel in anno peragenda. — Hoc idem praestitit pro missionariis sacra Congregatio de Prop. Fide *ad vic. app. Ind. 8 dec. 1699.*

Etiam Benedictus XIV concessit capitularibus, qui spiritualibus vacant exercitiis, ut eo tempore valeant « lucrari integros fructus et quotidianas distributiones quascumque perinde ac si choro divinisque officiis personaliter interessent ». Constit. « Inter gravissimas » *1 febr. 1740.*

Episcopus potest praescribere pro 2114
sacerdotibus suae dioecesis, ut identidem spiritualibus exercitiis vacent, et suum decretum de iis peragendis potest etiam, paterna monitione praemissa, poenis impositis urgere. *S. C. C. 20 sept. 1878.*

Mos erat sacrae Congregationi Epi- 2115
scoporum et Regularium, nunc autem s. Congreg. religiosorum, praescribere, ut sorores congregationum votorum simplicium exercitia spiritualia peragant per decem dies, tum antequam per habitus receptionem novitiatum incipiant, tum antequam, novitiatu expleto, vota emittant. *Normae S. C. EE. RR. pro appr. Inst. vot. simpl. nn. 77. 98.* Quod pro monialibus stricte dictis praeceperat iam sacra congregatio episcoporum et regularium per litteras encyclicas *9 oct. 1682.*

Exorcismus. — Vi constitutionis Be- 2116
nedicti XIV « Magno cum animi » *2 iun. 1751*, possunt episcopi decernere, ne ullus sacerdos vel secularis vel regularis exorcizare audeat, quin prius ab ipsis fuerit approbatus, eiusque rei licentiam antea obtinuerit. Vid. *Adiuratio.*

Exorcizari autem possunt etiam infideles. *S. C. P. F. ad ep. Scodren. 11 sept. 1779.*

Exorcistatus. — Exorcistatus est 2117
ordo, quo alicui confertur specialis potestas eiiciendi daemonia ab energumenis, sive baptizatis, sive catechumenis.

Facultas tamen exorcizandi nunc

solis presbyteris reservatur, et generatim nonnisi de licentia ordinarii. *S. C. P. F. 11 sept. 1779.* Vid. *Exorcismus.*

Materia huius ordinis est traditio libri exorcismorum; forma vero: « Accipite et commendate memoriae, et habete potestatem imponendi manus super energumenos sive baptizatos sive catechumenos »; loco libri exorcismorum potest etiam ordinandis tradi pontificale vel missale. Pont. Rom. *tit. de ordinat. exorcistarum.*

2118 **Expeditor apostolicus.** — Expeditor apostolicus ille dicebatur, qui pro negotiis pertractandis accessum habebat ad Datariam apostolicam; neque enim ad eam omnes indiscriminatim admittebantur agentes ecclesiastici (hi sunt ii, quibus episcopi singuli fidunt, quibusve utuntur ad negotia Romae pertractanda, vel etiam ii quorum opera ad eumdem finem utuntur privati homines), quos vocant. Hinc litterae continentes preces oratorum pro dispensationibus matrimonialibus de ordinarii vel oratorum mandato ad aliquem ex his expeditoribus apostolicis mittendae erant. Is autem ex acceptis litteris supplicationem Pontifici directam conficere debebat secundum statutas Datariae formulas: quam supplicationem exhibebat officiali Datariae apostolicae.

Haec quidem vim habuerunt usque ad constitutionem « Sapienti consilio » de nova ordinatione romanae Curiae. Ea enim statutum est (Norm. comm. *cap. VIII*): « Privilegium exclusivae, quo apostolici ministri expeditionum in Datariae officio fruuntur, ubi primum habere vim coeperit constitutio *Sapienti consilio*, cessabit ».

Dignum tamen notatu adhuc est 2119
decretum, quod anno 1877 confectum est, et normae traditae circa modum servandum ab expeditoribus et agentibus in negotiis tractandis apud ss. urbis congregationes et secretarias. Normae autem sunt sequentes: « 1° Expensae ad diversas litteras gratiae vel iustitiae obtinendas et taxae ad laborem compensandum, quae vulgo *agenzia* dicuntur, in ipsis transsumptis, brevibus ac rescriptis accurate ex officio in singulis secretariis notantur, nec praeter ipsas aliquid aliud quocumque sub titulo aut praetextu a procuratoribus, expeditoribus aut agentibus exigatur, demptis tabellariorum taxibus (*tasse postali*). Excipiuntur brevia et transsumpta Datariae apostolicae, pro quibus neque hae postremae exigi possunt. Ad tollendas vero quascumque dubietates, summa pecuniae taxatae non numeris, sed expressis litteris linea terminatis scribetur. Quod spectat ad advocatos et procuratores, qui apud sacras congregationes causas iuris ordine servato agunt, peculiares expensarum normae in ipsis congregationibus statutae sunt. — 2° Notulae expensarum, si quae ab agentibus vel expeditoribus privato suo nomine ad locorum ordinarios, parochos aut fideles alicuius dioecesis mittuntur, uti abusivae ac reprobandae habendae sunt; pariterque ut nullius roboris habendae litterae circulares ab iisdem confectae, quibus de ecclesiasticorum negotiorum pertractatione aliisque taxas *agentiae* spectantibus sermo est;

quae omnes ut prorsus vetitae haberi debent. — 3° Si quis vero e procuratoribus maiorem summam ea, quae lege taxata est, exigere ab oratoribus praesumpserit, a gerendis negotiis suspendatur; et si, quod deterius est, summam expensarum ut supra (art. 1°) expressam vitiaverit, penitus amoveatur. Suspensus autem vel amotus in una ex secretariis, suspensus vel amotus in omnibus aliis censeri debet. Ideoque secretaria, quae sic in aliquem animadvertet, de hoc ipso alias opportune monebit. — 4° Quod si quis e procuratoribus, expeditoribus vel agentibus preces sive supplices libellos in materia gratiae vel iustitiae alicui ex sacris Congregationibus aut secretariis Urbis quomodolibet obtulerit, ita ut in toto vel in parte fuerint reiectae, aut alias ipsa congregatio vel secretaria, mediante praesentatione precum praeventa manus quomodocumque apposuerit, haud poterit idem negotium, causa, vel petitio ad alteram ex sacris Congregationibus vel secretariis, etiam mediante rescripto Sanctitatis suae (quod in hoc casu, nisi facta expressa mentione, subreptitium habendum est) sub quovis praetextu deferri; alias rescripta, decreta et indulta, quae ab altera Congregatione vel secretaria impetrantur, vel etiam litterae apostolicae desuper expeditae haberi debent pro subreptitie extortis et nullius roboris, perinde ac si numquam emanassent. Qua super re placuit sa: me: Innocentii pp. XII a Clemente XIII confirmatum renovare decretum, quo cavetur, ultra praemissam nullitatem rescriptorum ac litterarum, tam oratores, quam illorum procuratores, a gentes, expeditores, qui adversus hoc attentaverint, puniri debere poenis arbitrio congregationis mediante secretario pro tempore, facto tamen verbo in ipsa Congregatione, et ipsos procuratores, agentes, expeditores, ubi ipsi sint, qui, ignara parte principali, attentaverint, omnino teneri ad compensandas expensas omnes ac damna, quae principalem partem pati contigerit, ad quod summarie per eumdem secretarium, facto item verbo in ipsa congregatione, compelli debeant. Quae poenae praesenti regula renovatae intelliguntur, ac praeterea respectivae Congregationis vel secretariae moderator agentem vel expeditorem, qui haec admiserit, a gerendis negotiis suspensum, et, si rursus in idem inciderit, amotum declarare poterit. — 5° Pro rescriptis et responsis, quae dantur a sacra Poenitentiaria absque ulla adnotatione *taxae* vel *agentiae*, agentes et procuratores praeter expensas tabellarii id tantum recipere poterunt, quod ab oratoribus seu mandantibus sponte fuerit oblatum; et, si quis secus fecerit, puniatur ut in n. 3° suspensione vel amotione, prout magis expedire visum fuerit. — 6° Sacerdotes, qui procuratores vel agentes gerere exinde incipient, nonnisi exhibitis commendatitiis ordinarii sui litteris admittantur. Regulares cuiuscumque ordinis ad idem officium superiorum suorum expressa licentia habita accedant, nec, nisi litteras ad id datas ostendant, admittantur. — 7° Procuratores, agentes, expeditores, qui apud sacras Urbis Congregatio-

nes et secretarias negotia agunt, si insolenter petulanterve cum officialibus se gerant, moneantur, et inemendabiles reiiciantur. — 8° Qui adversus eosdem agentes ac procuratores recursum instituere intendunt, ad secretariae moderatorem, in qua negotium geritur, rem deferat. — 9° Praedicti sacrarum Urbis Congregationum ac secretariarum moderatores praesentem regulam diligenter servari curabunt ». *S. C. C. 11 nov. 1877.*

2120 Pariter quum occasione congresus episcoporum provinciae Taurinensis et Vercellensis aliqui episcopi adnotassent, nonnullos apostolicos expeditores seu agentes non uniformiter agere solitos esse in exigenda *agentia* pro dispensationibus matrimonialibus, nonnulli enim perseverabant in exigenda *agentia* quinque libellarum pro una quaque dispensatione, etsi *agentia* a s. Poenitentiaria statuta esset libellarum trium, vel etiam minor; quumque episcopi illi deliberassent, se in posterum conformaturos omnino taxae in singulis rescriptis appositae, et circa hoc expetiissent sententiam eiusdem s. Poenitentiariae; haec deliberationem episcoporum laudavit et approbavit veluti maxime consentaneam menti et praxi s. Poenitentiariae. *S. Poen. 10 nov. 1910.* Vid. *Transmissio.*

2121 In constitutione autem « Sapienti consilio » haec quoad procuratores et agentes statuta sunt (Norm. comm *c. IX*):

« 1. Qui ad sanctam Sedem recurrens sui particularis ac privati negotii causa uti opera velit procuratoris, potest ad id munus deputare quemlibet suae fiduciae virum, dummodo catholicum, integra fama, et ad officium, in quo agenda sit res, minime pertinentem. Praeterea oportet eumdem legitimo mandato munire, quod in actis, ad ipsius officii cautionem, servabitur; aut sin minus apud moderatores eiusdem in tuto ponere delecti viri honestatem et requisitas conditiones.

« 2. Si exhibitum virum moderatores iudicaverint admitti non posse, certiorem facient mandantem, ut aliter consulat.

« 3. Ad procuratoris munus legitime et constanter obeundum pro episcopo eiusque dioecesi, oportet inscriptum habere nomen in procuratorum albo, quod patebit in officio a secretis sacrae Congregationis Consistorialis.

« 4. Salvis iuribus acquisitis ab exercentibus hodie munus *agentium* seu ministrorum expeditionis, qui, ubi postulaverint, in memoratum album referentur, posthac quicumque volet inscribi debebit petitionem, cum titulis, quibus illa nititur, exhibere assessori S. C. Consistorialis.

« 5. Ad iustam admissionem requiritur ut orator catholicam fidem profiteatur, sit integra fama, calleatque satis latinum sermonem et ius canonicum. Si agatur de sacri ordinis viro, oportet ab officio Urbis Vicarii assensum impetret Romae residendi; religiosus autem sodalis id a praeposito generali impetrabit.

« 6. Iudicium de petitione, utrum ea admitti possit necne, edetur a cardinali a secretis S. C. Consistorialis, audito *congressu;* qui, ut magis explorata sit candidati doctrina, poterit

ipsum experimento subiicere, prout melius iudicaverit.

« 7. Nihil obstat quominis ordinarius procuratorem eligat virum non dum in album relatum; qui tamen, antequam exerceat mandatum, inscriptionem postulabit.

Hoc autem in casu ordinariorum prudentiae reliquitur ante videre, num cui forte obstaculo propositus procurator esse possit obnoxius, ne sese repulsae periculo obiiciant.

« 8. Praeter inscriptionem in album, ut quis publicus habeatur et stabilis procurator dioecesanus, necessario requiritur iustum ordinarii mandatum ab allecto exhibendum, cuius mandati authenticum exemplar apud officium a secretis Consistorialis Congregationis deponitur.

« 9. Munerum a procuratore dioecesano explendorum haec summa est: curare ut epistolarum commercium inter apostolicam Sedem et episcopum, de omnibus dioecesis negotiis, rite et cum fide procedat; ea referre, de quibus officio alicui praepositi, in rebus ad ipsum pertinentibus, eum sint percontati; in cognitione versari negotiorum, quae apud varia sanctae Sedis officia evolvuntur spectantque dioecesim, cuius habet ipse procurationem.

« 10. Quae scripta data sint obsignata, inviolata transmittenda sunt; neve procurator umquam ullave de causa sibi fas esse ducat ea resignare. Qua in re cuiusvis generis culpa censebitur gravis.

« 11. Circa res omnes dioecesis, quarum, ratione sui muneris, notitiam acceperit, nisi agatur de re publica et notoria, procurator secreto officii tenetur. Huius legis violatio culpae gravis instar habebitur.

« 12. Procuratoribus interdicitur ne litteras passim dimittant ad clientum aucupium, exhibentes faciliores conditiones aut similia.

« 13. Nemini procuratori licet pro sua opera maiorem pecuniae summam exigere quam quae pro rescriptis, brevibus, bullis officiorum sanctae Sedis constituta sit atque descripta; quam qui fregerit legem, restitutionis obligatione tenebitur, etiam poenis aliis non irrogatis.

« 14. Qui christiano plane more non agat, quae conditio ad exercendum procuratoris munus est omnino necessaria, aut in memoratis officii sui partibus grave aliquid admittat, potest ad tempus removeri, aut etiam perpetuo dimitti.

« 15. Advocatorum consistorialium collegium erit *agentibus* seu procuratoribus omnibus instar consilii disciplinae. Ex eius collegii sententia, cardinalis a secretis S. C. Consistorialis (si agatur de prave acta vita sociali vel de alia publice nota culpa): aut praepositi officio, cuius intersit (si de culpa officium spectante), poterunt ad admonitionem rei, aut ad eius remotionem sive temporariam sive perpetuam procedere.

« 16. Procurator, sive remotus ad tempus sive perpetuo dimissus ab uno officio, hoc ipso remotus censetur, aut omnino exclusus ab omnibus. Quare praepositi officio, a quo eiusmodi sit prolata sententia, ceteris officiis rem significandam curabunt ».

Expositi. — Pueri expositi, etiamsi 2122
habeant schedulam de baptismo te-

stantem, baptizentur sub conditione, nisi schedula praebeat omnimodam certitudinem. *Const.* Ben. XIV « Postremo » *28 febr. 1747; S. C. C. 5 ian. 1724.* Idem dicendum de pueris a vagis derelictis, licet bimulis aut trimulis. D'Ann. *III. 277 (73).*

Parentes, qui sine iusta causa prolem exponunt, gravi non carent; iustam autem causam tunc parentes habent, quum secus laborant gravi periculo vel vitae vel infamiae, vel etiam si quando versantur in gravi necessitate, ut esset ex. gr. si, deficiente matri lacte, vel matre mortua, pater non habet, quo nutricem conducat. B. P. *II. 824.*

Quaestio est inter doctores, an parentes divites exponentes prolem in brephotrophio, teneantur eidem expensas refundere. Communior est iuxta s. Alphonsum (*III. 656*) sententia affirmans; ipse tamen negantem putat probabiliorem, quia, ut ipse dicit, « huiusmodi hospitalia non solum sunt instituta ad subveniendum pauperibus, sed etiam divitibus in infamiae periculo, in quo ipsi solent vel procurare abortum, vel prolem necare, ne infamentur, et huic malo intendunt hospitalia occurrere; imo dico, ista potiusquam pro pauperibus erecta esse pro pueris spuriis, ad eos liberandos a discrimine mortis aeternae, quam facile subirent ob infamiae timorem, si adulteri ex proprio deberent eos alere ».

Quaerunt etiam doctores, utrum expositi habendi sint illegitimi; et communius respondent negative, quia de eorum illegitimitate non constat. Hinc, quum in casu illegitimitas sit dubia dubio iuris, si quis expositus esset ad ordines promovendus, non requireretur dispensatio apostolica. Cfr. Mon. eccl. *vol. XI pag. 277.*

Carpzovius A. B. De infantibus expositis ; *Ballerini R.* Aborto, infanticidio ed esposizione d'infante ; studio giuridico-sociologico.

Expositio ss. sacramenti. — **Quae expositio publica, quae privata, et sub quibus conditionibus liceat.** — 2123 Expositio ss. sacramenti alia dicitur publica, alia privata.

Publica ea est, qua ssmum sacramentum in ostensorio inclusum in throno exponitur adorationi fidelium.

Privata vero ea, qua ss. sacramentum clausum in pyxide albo suo velo cooperta, aperto tantummodo tabernaculi ostiolo, exponitur adorationi fidelium.

Publica expositio fieri nequit, nisi ex causa publica et de licentia episcopi; quod valet pro quibuscumque ecclesiis, etiam privilegio immunibus, sive secularibus, sive regularibus. *Const.* Ben. XIV « Accepimus » *16 apr. 1746;* Ben. XIV *Inst. eccl. XXX. n. 9; S. R. C. in Savonen. 31 maii 1642 (800).* Cfr. Lucidi *De vis. ss. lim. I cap. 1. app. ad art. 3.* Post publicam expositionem ss. sacramenti, antequam in tabernaculo reponatur, debet omnino cum eodem impartiri populo benedictio. *S. R. C. in Tlascalen. 12 iul. 1899 (3713).*

Privatam vero expositionem, dummodo scilicet sacramentum non extrahatur e tabernaculo et maneat velatum, ita ut ipsa sacra hostia videri non possit, licet regularibus (et quod de regularibus dicitur, valere pro

quacumque ecclesia aut oratorio, tradunt Ben. XIV *loc. cit. n. 21*, De Herdt *Sacrae lit. praxis II. 24*, etc.) facere ex privata causa sine ullius licentia. *S. C. C. in Neapolitana 17 aug. 1630; S. R. C. decr. cit. 31 maii 1642.* Antiquitus ad habendam expositionem privatam necesse erat, pyxidem non extrahi tabernaculo (*S. C. EE. RR. 9 dec. 1602*); nunc indiscriminatim permissum est, ut post expositionem privatam ss. sacramenti, scilicet aperto ostiolo tabernaculi, dari possit benedictio cum eodem venerabili sacramento in pyxide recondito. *S. R. C. in una Congr. presb. ss. sacr. 30 nov. 1895 ad 3* (*3875*).

Episcopus autem concedere potest, solemnem expositionem, remotis cuiuslibet abusus occasionibus, saepe fieri, etiam ob causam devotionis in domibus seu oratoriis religiosarum. *S. R. C. in Presmilien. 18 febr. 1889* (*3703*). Sic admitti potest consuetudo exponendi ss. sacramentum, et coram eo celebrandi missam (occasione novendialis), in qua fiat post evangelium praedicatio verbi Dei vel concio de sanctis, apposito tamen velamine ante ss. eucharistiam, dum habetur concio. *S. R. C. in una Montis Regalis 10 maii 1890 ad 2* (*3728*). Cfr. etiam *S. R. C. decr. cit. 11 maii 1878 ad 5.*

Ex dictis patet, non licere regularibus, in propriis etiam ecclesiis ss. sacramentum publice exponere, etiam ex causa publica, vel magnae devotionis, sine licentia ordinarii (*S. R. C. in Senogallien. 12 aug. 1673 ad 5* [*1487*]); quam licentiam petere debent regulares, etiamsi recurrat eadem causa, quae iam per plures annos praecedentes ab ordinario fuit approbata. *S. R. C. in una S. Miniati 7 iun. 1681 ad 1 et 3* (*1673*). Possunt tamen regulares sine licentia ordinarii infra hebdomadam Corporis Christi intra missarum solemnia et ad vesperas ss. sacramentum exponere. *S. R. C. in Smirnen. 20 apr. 1641* (*753*).

Expositio ss. sacramenti publica seu solemnis, etsi fiat de licentia ordinarii, nequit fieri cum pyxide collocanda in throno tabernaculi. *S. R. C. in Labacen. 28 apr. 1902 ad 13.*

In nocte nativitatis Domini non licet exponere ss. sacramentum. *S. R. C. in Portugallien. 17 sept. 1785 ad 4* (*2528*).

De modo faciendi expositionem et de ornatu altaris requisito. — Ad exponendum vero vel reponendum ss. sacramentum sacerdos debet esse stola et cotta indutus, nec potest umquam hoc facere cum alba, cingulo et stola tantum. *S. R. C. in una Capuc. 7 dec. 1888 ad 12* (*3697*). Et etiam diaconus exponens vel reponens sacramentum (quod sui quoque officii est) stolam adhibere debet, praeter duos casus, quos vide sub *Diaconatus.* 2124

Propositus fuit ad elevandum ac deponendum ostensorium usus cuiusdam machinae, sed Congregatio Rituum hanc machinam adhiberi posse in hunc finem negavit (*S. R. C. in Taurinen. 7 iul. 1877* [*3425*]), et multo magis reprobavit consuetudinem alicubi introductam exponendi ssmum sacramentum in quibusdam

festivitatibus, praevio quodam machinismo ad hoc specialiter constructo, in manu alicuius statuae B. M. Virginis, vel iuxta latus vulneratum sculptae imaginis D. N. I. Ch. e cruce pendentis. *S. R. C. in Lisbonen. 23 apr. 1875* (*3349*).

Exposita etiam sunt Sacrae Congregationi Rituum duo sequentia dubia:

1° « Variis in ecclesiis dioeceseos Colimensis iam inde ab immemorabili tempore mos viget, iuxta quem in expositione ss. eucharistiae sacr. velum extensum in tabernaculo expositionis plicatur, et ipsum in repositione explicatur, media chordulae cuiusdam distensione in expositione, aut relaxatione in repositione; quae omnia a sacrista vel acolyto peraguntur.

Queritur: an continuari possit haec praxis?

2° Item moris est, ante missam solemnem, post cereos accensos, in throno expositionis ostensorium cum ss. sacramento collocare, super quod velum explicatur ad cooperiendum donec, vel incepta missa, et « Aufer a nobis » dicto, sacerdos turificat: in cuius turificationis actu, praevia eiusdem veli plicatione, ut dictum est, expositio absque ullo cantu fit. Huiusmodi usus probandusne est? » – Et S. Congr. respondit: « Ad 1 et 2 negative ». *S. R. C. in Colimen. 12 iul. 1901.*

Quando exponitur ss. sacramentum debet ante ipsum collucere conveniens numerus luminum (*S. C. EE. RR. 1 sept. 1598*), qui tamen non est determinatus (pro expositione XL Horarum Romae ex instructione Clementina debent esse viginti); quare pro pauperibus ecclesiis dioceseos potest episcopus numerum candelarum, quae tunc temporis ardere debent, ad duodecim reducere (*S. R. C. in Aturen. 8 febr. 1879* [*3480*]), imo etiam sex sufficiunt. *S. R. C. in Narnien. 15 mart. 1698* (*1992*). Qui postremus numerus candelarum requiritur etiam pro expositione privata. *S. C. EE. RR. 9 dec. 1602.*

Non licet in expositione ss. Sacramenti lumen aliquod eo artificio collocare a parte postica spherae, ut recta illuceat in ipsam sacratissimam Hostiam, quae exinde lucida appareat. *S. R. C. 31 mart. 1821 ad 5* (*2613*).

Throno, qui pro expositione inservit, affigi possunt hinc inde candelabra pro eadem expositione accendenda. *S. R. C. in Romana 12 iul. 1892 ad 4* (*3780*).

In altari expositionis, sive expositio fiat in forma XL Horarum, sive alia quavis de causa, amovendae omnino sunt tres tabellae, quas rubricae ad celebrantis commoditatem exigunt in missae celebratione, excepto tamen missae tempore. *S. R. C. in una tert. ord. S. Franc. 20 dec. 1864 ad 3* (*3130*).

Super altare, in quo expositum est ss. sacramentum, non autem in aliis altaribus ecclesiae (*S. R. C. in una presb. Soc. ss. sacr. 11 mart. 1871 ad 4* [*3241*]), non sunt collocandae reliquiae sanctorum (et quamdiu ss. sacramentum manet expositum, etsi reliquia in alio altari exponi possit, debet omitti benedictio et deosculatio

reliquiae, *S. R. C. in Lauden. 17 iul. 1900*) vel eorum imagines (*S. R. C. in Aquen. 2 sept. 1741 ad 1* [*2365*]; *in Senen. 19 maii 1838* [*2779*]; *in Lisbonen. 23 apr. 1875* [*3349*]; De Herdt *Sacrae lit. praxis II. 25*), imo ne imago quidem Iesu infantis, etsi ecclesia ipsi divino Infanti fuerit dicata (*S. R. C. in Lisbon. 7 feb. 1874* [*3320*]); multo magis autem prohibentur figurae animarum in purgatorio exsistentium, etiamsi officium in earumdem suffragium fiat. Ita in instructioneClementina,in qua expresse dicitur, hoc obligare semper, etiam in quibuslibet expositionibus particularibus.

In expositione ss. sacramenti pallium et conopeum altaris semper debent esse albi coloris, etiam quando color officii diei esset alius. *S. R. C. in Taggen. 9 iul. 1678 ad 1* (*1615*). Attamen, quum expositio et repositio ss. sacramenti fit immediate ante vel post missam seu officium, ita ut celebrans et ministri ab altari non recedant, licet retinere conopeum et altaris paramenta coloris, quem exigit officium diei. *S. R. C. in Annecien. 1 dec. 1882* (*3559*).

Numquam vero licet quacumque de causa exponere ss. sacramentum cum paramentis nigris, aut illud in processione deferre cum vexillis nigri coloris. *S. R. C. in Antuerpien. 10 febr. 1685* (*1744*).

Si sacerdos, qui vesperas cum expositione sacramenti paratus celebravit, non recedit ab altari, sed assistit precibus, quae postea fiunt, daturus in fine benedictionem, omnia peragenda sunt cum paramentis coloris respondentis officio diei et cum velo humerali coloris albi; si vero recedat, quum benedictio et repositio sacramenti habeatur tamquam functio omnino distincta, paramenta omnia debent esse coloris albi. *S. R. C. in Toletana 20 sept. 1806* (*2562*).

Pariter, si ante expositum ss. sacramentum canitur missa « pro quacumque tribulatione », et statim sequuntur litaniae, benedictio et repositio ss. sacramenti, omnia peragenda sunt in paramentis violaceis; si vero missa non praecedat, etsi functio fieret in memoriam calamitatis cuiusdam publicae, color albus est adhibendus. *S. R. C. in Limana 27 iun. 1868 ad 3* (*3175*).

In exponendo aut reponendo sacramento, vel in celebranda missa ante sacramentum expositum uti non licet colore flavo vel ceruleo. *S. R. C. in Veronen. 16 mart. 1833 ad 4* (*2704*).

Ad exponendum in ostensorio ss. sacramentum necessaria omnino est incensatio, et contraria consuetudo est omnino eliminanda. *S. R. C. in Senen. 30 iun. 1883 ad 6* (*3580*); *in Pinerolen, 14 maii 1907*. Turificatio autem haec, etiam intra missam solemnem, facienda est duplici ictu in triplici ductu. *S. R. C. 22 mart. 1862 ad 20* (*3110*); *decr. cit. 24 nov. 1899 ad 9*.

Iuverit hic referre sequens decre- 2125
tum S. Congr. Rituum:

« Cum circa reverentias a sacris ministris faciendas in expositione sanctissimi eucharistiae sacramenti dissideant probati liturgiae interpretes, hodiernus revmus procurator generalis Piae Salesianae Societatis sequen-

tia dubia sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna declaratione humillime subiecit, nimirum;

« I. Cum flectendum est utrumque genu ad sacramentum adorandum (puta in accessu ad altare ubi expositum est ss. sacramentum et in recessu ab eodem) flectioni genuum estne addenda profunda inclinatio totius corporis an solius capitis?

« II. Cum expositor, aperto ostiolo tabernaculi, genuflectit priusquam ss. sacramentum extrahat et cum, reposito sacramento, genuflectit priusquam ostiolum claudat, debentne ceteri, qui genuflexi adsunt, adorare cum profunda inclinatione solius corporis, an cum inclinatione solius capitis, an, utpote iam genuflexi, nullam praeterea reverentiam exhibere?

« III. An et quam reverentiam exhibere debeat minister genuflexus antequam surgat aliquid facturus? Videlicet: 1) Celebrans antequam surgat recitaturus orationem *Deus, qui nobis sub sacramento,* etc. debetne omittere quamlibet reverentiam, an inclinare caput, an corporis inclinatione adorare? 2) Idem quaeritur de celebrante ac ministris surrecturis ad imponendum incensum; 3) De celebrante antequam surgat ad altare ascensurus ut populo benedicat; 4) De expositore antequam surgat ascensurus ad altare ad deponendum e throno ss. sacramentum; 5) De acolytho antequam surgat iturus ad abacum ad velum accipiendum.

« IV. Celebrans postquam benedictione impertita, ab altari descendit, et genua flectit in infimo gradu, debetne omittere quamlibet inclinationem, an inclinare caput, an totius corporis inclinatione adorare?

« V. More apud subalpinos receptos, secundo tus imponitur post cantatam orationem *Deus, qui nobis,* etc. Iam quaeritur: 1) an mos servari possit? Et quatenus affirmative, quaeritur: 2) an sacerdos, cantata oratione, debeat ante impositionem incensi aliquam praestare reverentiam et qualem?

« VI. Utrum sacerdos qui ss. sacramentum exposuit et ab altare descendit tus impositurus, debeat ante impositionem adorare uno genu flexo, an utroque, an statim absque genuflexione incensum imponere, ut quidam eruunt ex memoriali rituum Benedicti XIII c. II. § III. n. 5?

« VII. Iuxta Ceremoniale episcoporum, dum celebrans canit orationem *Deus, qui nobis* etc., ministri librum sustinent genuflexi; contra liturgiae expositores eos surgere iubent vel saltem id iis permittunt. Quaeritur qua norma utendum?

« VIII. An celebranti in impertienda benedictione cum ss. sacramento ministrare nequeant, loco diaconi et subdiaconi, duo clerici pluvialibus induti? An diacono et subdiacono dalmatica et tunicella indutis adiungi queant duo vel quatuor clerici induti pluviali?

« Et sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti secretarii, exquisito Commissionis liturgicae suffragio, omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuit:

« Ad I. Inclinatio mediocris, id est capitis, et modica humerorum inclinatio, quae in casu habetur uti profunda.

« Ad II. Nulla reverentia facienda est.

« Ad III. Quoad primum, nullam reverentiam debet facere; quoad secundum, inclinationem mediocrem faciant; quoad tertium, quartum et quintum, nulla reverentia facienda est; at si acolythus transeat ante altare, genuflectat in medio.

« Ad IV. Nulla reverentia facienda est.

« Ad V. Quoad primum, Negative; quoad secundum provisum in praecedenti.

« Ad VI. Ambo genua flectat in infimo gradu, inclinationem mediocrem faciat, assurgat et ponat incensum in thuribulo.

« Ad VII. Ministri genuflexi maneant, librum sustinendo iuxta ceremoniale episcoporum lib. II cap. XXXIII n. 27.

« Ad VIII. Quoad primum, affirmative si benedictio cum ss. sacramento fiat immediate post vesperas sollemnes, id est si celebrans cum pluvialistis non recedat ab altari; dummodo alter sacerdos vel diaconus exponat ss. sacramentum, illudque celebranti tradat et ab eo recipiat. Quoad secundum, Negative.

« Atque ita rescripsit die 16 februarii 1906 ».

2126 Aliud pariter recentius deeretum observandum est, sequens scilicet:

« Hodiernus calendarista dioecesis Derthonensis, de consensu sui rmi episcopi, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humiliter expostulavit, nimirum;

1. Queties incensandum ss. eucaristiae sacramentum, si hoc exponatur pro benedictione?

2. Quum ss. sacramentum a mane usque ad vesperas maneat expositum, celebrans, qui cum ministris accedit ad altare expositionis, post praescriptam reverentiam et antequam aliquid cantetur, debetne facere incensationem?

Et S. Rit. Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto commissionis liturgicae, ita respondendum censuit:

Ad 1. Iuxta responsum diei 14 maii 1907 in Pinerolen., nempe: Pro expositione in pyxide incensationem non requiri. Quoad expositionem vero in ostensorio duplicem incensationem requiri, unam post expositum ss. sacramentum, antequan incipantur preces, alteram ad stropham *Genitori*, etsi inter expositionem et *Tantum ergo* nullae interponantur preces; et haec est praxis ecclesiarum Urbis.

Ad 2. Negative.

Atque ita rescripsit die 5 iulii 1907. 2127

De missa in expositione. — Sine necessitate, vel gravi causa, vel ex speciali indulto non licet celebrare missam coram sacramento publice exposito in ecclesiis, in quibus non desunt alia altaria, aut distribuere communionem in eodem altari. *S. R. C. in una Soc. Iesu 11 maii 1878 ad 1* (*3448*); *in una ord. FF. Min. prov. Portug. 11 iun. 1904 ad 1.* Si quando autem ibi celebratur, non debet in missis agitari campanula. *S. R. C. decr. nuper. cit. ad 2.* Vid. *Campanula.*

Numquam autem licet tempore expositionis in ipso expositionis altari,

sive ss. sacramentum exponatur in pyxide, sive in ostensorio, celebrare missam de requie (*S. R. C. in Agrigentina 14 iun. 1873 ad 2* [*3302*]; *in Labacen. 28 apr. 1902 ad 14*), imo neque in altari e conspectu altaris expositionis constituto, saltem quando agitur de sacello, in quo per totam diem quotidie exponitur ss. eucharistia. *S. R. C. in una S. Iac. de Venez. 16 iun. 1900.*

Extra tamen altare expositionis, quando expositio est in pyxide, missae de requie celebrari possunt, dummodo tamen oratio coram ssmo non sit ex publica causa. *S. R. C. decr. cit. 7 maii 1746 ad 4.*

Quando autem in altari expositionis missa celebratur, celebranda ea est cum paramentis festo seu officio convenientibus (*S. R. C. in una ord. Carm. 29 ian. 1752 ad 3* [*2417*]), et clericus transferens missale unicam debet facere genuflexionem in plano ante medium altaris, et eodem modo in plano genuflectere debet tam ante ascensionem ad altare, quam post descensionem de eodem, quando ad offertorium et purificationem ad altare ascendit et postea descendit. *S. R. C. in una presb. ss. sacr. 7 iul. 1877. ad 6* (*3426*); *in Parisien. 14 ian. 1898 ad 1* (*3975*).

2128 In omnibus missis *solèmnibus*, quae cantantur coram ss. sacramento in altari exposito, in ipso altari expositionis dici *debet* oratio de eodem ss. sacramento post omnes alias orationes de praecepto, et ante omnes collectas, quae forte etiam in his missis dici iussae sint, ut tempore concilii Vaticani factum est pro oratione Spiritus sancti (*S. R. C. in Mechlinien. 16 febr. 1737 ad 1* [*2327*]; *in Tornacen. 22 apr. 1871* [*3245*] *in una de Zacatecas 18 mart. 1874 ad 2* [*3328*]; *in una Soc. Iesu 18 sept. 1877 ad 3* [*3436*]) in festis vero 1ae et 2ae classis, in dominica Palmarum, in vigiliis nativitatis Domini et Pentecostes et in missis votivis solemnibus haec commemoratio facienda est sub unica conclusione; si quando autem in his casibus post orationem diei alia commemoratio fieri debet, ut dominicae ex. gr., huic coniungenda est oratio ss. sacramenti (*S. R. C. decr. cit. 16 febr. 1737; in una ord. Min. 18 dec. 1779 ad 1* [*2515*]), nisi forte agatur de collecta, quia tunc oratio de ssmo sacramento coniungenda est cum oratione festi. *S. R. C. decr. cit. 22 apr. 1871.* — Omittenda autem semper est in festis Passionis, Crucis, ssmi Redemptoris, ssmi Cordis Iesu et pretiosissimi Sanguinis (*S. R. C. in Strigonien. 3 iul. 1896 ad 4* [*3924*]), non autem in aliis festis Dni. *S. R. C. decr. nuper cit.; in una Galliarum 7 iul. 1877 ad 1* (*3426*).

In missis *privatis*, quae celebran- 2129
tur in ecclesia, ubi ss. sacramentum publicae fidelium adorationi ob causam publicam expositum est, sive celebrentur in ipso altari expositionis, sive in aliis, potest addi oratio de ss. sacramento, quae facienda est post omnes orationes de praecepto, sed ante quascumque collectas seu imperatas; in duplicibus tamen 1ae et 2ae classis, in vigiliis nativitatis Domini et Pentecostes et in dominica Palmarum omitti debet. *S. R. C. in Varsavien. 7 maii 1746 ad 4* (*2390*).

In missis privatis omitti etiam debet in iis omnibus expositionibus, quae fiunt ex privata causa. *S. R. C. decr. cit. 7 mati 1746 ad 4 et 5.*

Coram exposito ss. sacramento, etsi velato vel in pyxide, in missa lecta omnes genuflexiones observari debent, quae alias fiunt coram ss. sacramento publice exposito *S. R. C. in Vilnen. 22 dec. 1753 ad 10* (*2427*).

Tempore expositionis ss. sacramenti, dum missa in eo altari celebratur, potest crux super altari collocari vel non, prout cuilibet ecclesiae placet. *S. R. C. in Aquen. 2 sept. 1741 ad 1* (*2365*).

Sacerdos celebrans coram ss. sacramento patenter exposito, dum in evangelio dicit: « et Verbum caro » etc., genuflectit aliquantulum versus ss. sacramentum, et versus idem venerabile sacramentum inclinationem facere debet, quotiescumque in lectione evangelii pronuntiat nomen Iesu. *S. R. C. in una presb. ss. sacram. 30 nov. 1895. ad 4* (*3875*).

2130 Quum in altari expositum est ss. sacramentum, omittuntur omnes reverentiae ad chorum, excepta reverentia a diacono facienda ante turificationem sacerdotis. Pariter tunc ministri dantes aut accipientes aliquid a celebrante omittunt oscula usitata; excipiuntur subdiaconus, qui post epistolam debet deosculari manum celebrantis, et diaconus, qui idem debet facere post acceptam benedictionem pro canendo evangelio, et quum tradit celebranti patenam et calicem in offertorio, et patenam sub finem orationis dominicae. Martinucci *Man. cerem. lib. II. c. 7. n. 6.*

Etiam exposito sacramento, celebrans et ministri in missa cantata pergere debent ad sedendum per breviorem. *S. R. C. decr. cit. 12 iul. 1901.*

De missa in expositione XL horarum. — 2131 In oratione quadraginta horarum iuxta instructionem Clementinam (quam advertas extra Urbem non obligare, quamvis laudandi sint, qui se illi conformant, nisi ordinarii locorum aliud statuant, *S. R. C. in Lisbonen. 4 iun. 1874 ad 1. 2. et 3* [*3332*]) missa expositionis et repositionis ss. sacramenti regulariter canitur in altari, in quo exponendum, vel expositum est sanctiss. sacramentum, et dicenda est missa votiva de sanct. sacramento, omissa qualibet commemoratione et collecta. Excipiuntur dominicae privilegiatae 1ae et 2ae classis, festa 1ae et 2ae classis, fer. IV cinerum, feria 2a, 3a et 4a maioris hebdomadae, omnes dies infra octavam Paschae, Pentecostes et Epiphaniae, vigiliae nativitatis Domini et Pentecostes, nec non octava propria privilegiata. His diebus canenda est missa diei currentis cum oratione ss. sacramenti sub unica conclusione, omissis omnibus commemorationibus et collectis. Quod si festum aliquod 1ae vel 2ae classis occurrat in dominica, tunc secundo loco fit commemoratio dominicae, et dicitur eius evangelium in fine. Infra octavam ss. Corporis Christi missa erit de eadem octava cum sequentia et unica oratione absque commemorationibus et collectis.

Die intermedia inter expositionem et repositionem canenda est missa *de pace* (exceptis diebus supra enumeratis, in quibus dicitur missa diei cum

oratione de pace sub unica conclusione), sed non in altari expositionis, neque in altari, ubi ss. sacramentum in tabernaculo asservatur.

In omnibus autem missis privatis de die addenda est post omnes orationes a rubrica praescriptas oratio de ssmo sacramento. Cfr. De Herdt *Sacrae lit. praxis I. 31; II. 25. 36.*

Si autem haec expositio ss. sacramenti habenda sit in solemni commemoratione omnium defunctorum, missa unica de eo non est omittenda, sed reliquae missae debent esse pro defunctis, dici non debent ad altare expositionis, et celebrandae sunt in colore violaceo. *S. R. C. decr. gen. 9 iul. 1895 ad 4* (*3864*).

2132 **Varia quaedam quoad expositionem.** — Non potest sacerdos post missam de requie aperire tabernaculum, et, dicto « Tantum ergo » populo benedicere cum ss. sacramento, adhibito super planeta velo humerali albo. *S. R. C. in una Castrim. Stabiae 12 mart. 1897 ad 8* (*3949*).

Attamen in die etiam commemorationis omnium defunctorum licet, expleto ex. gr. officio vespertino, benedicere populo cum ss. sacramento. *S. R. C. in una Montis Pessul. 11 aug. 1853 ad 1* (*3017*).

Quum in altari expositionis non debeat distribui communio, ss. sacramentum in tabernaculo asservari debet in alio altari, etiam in ecclesiis ruralibus parochialibus, saltem in aliquo parvo ciborio amovibili; et ubi opus sit, loco transennae, vulgo « Balaustra », scamna circumponenda sunt. *S. R. C. in Papien. 23 nov. 1880 ad 4* (*3525*).

Post missam solemnem, qua finita, datur benedictio cum ss. sacramento celebrans et ministri recedentes ab altari ad scamnum, ut manipulos deponant etc., genuflectunt in plano utroque genu (*S. R. C. in Minoricen. 24 nov. 1899 ad 5* [*4048*]), et semper accedentes et recedentes ab altari, ubi est expositum sacramentum, utroque genu flectere debent. *R. S. C. 19 aug. 1651 ad 6* (*937*); *decr. sup. cit. 24 nov. 1899 ad 11.*

Dum preces dicuntur ad benedictionem, exposito ss. sacramento, officium faciens et ministri assistentes manere debent genuflexi, excepto hymno ambrosiano, in quo stant, iuxta rubricas et praxim. *S. R. C. in Augustodunen. 17 sept. 1897 ad 2* (*3965*).

Numquam licet coram sanctissimo exposito concionari tecto capite, etiamsi ss. sacramentum velo serico obductum fuerit. *S. R. C. in Mutinen. 23 sept. 1837 ad 2* (*2769*). Clerus in choro, dum expositum est ss. sacramentum, potest sedere, tecto etiam capite cum bireto; sed laudandus esset, si sederet, detecto capite *S. R. C. in Bracharen. 10 sept. 1796* (*2552*).

Coram exposito ss. sacramento laudes « Dio sia benedetto » etc. recitari possunt vulgari sermone, aut immediate post orationem « Deus. qui nobis etc. » ante benedictionem, aut post benedictionem cum venerabili sacramento. *S. R. C. in una Burgi S. Donn. 11 mart. 1871 ad 1* (*3237*).

Exposito ss. sacramento non est prohibitum canere cantica in lingua vernacula, dummodo non agatur de

textibus proprie liturgicis et de functionibus insuper stricto sensu liturgicis. *S. R. C. in Buscoducen. 31 mart. 1909 ad 9.*

Quando clerus e sacristia procedit ad altare ad exponendum ss. sacramentum, possunt etiam congregati laici, se illis cum luminaribus associare, et procedere debent ante clerum; in processionibus vero ss. sacramenti debent procedere non solum ante clerum sive secularem sive regularem, sed etiam ante confraternitatum sodales, si adsint, sacco indutos; nec debent ingredi presbyterium, sed extra presbyterium parandum est ipsis aliquod scamnum, ubi se sistant ad orandum coram sacramento exposito. *S. R. C. in Oriolen. 22 ian. 1876 (3388).*

Lupi De ss. Sacramenti expositione et processionibus theoforicis; *Benedictus XIV* Institut. XXX; *Bendel* Ueber den Adorationscultus d. Euch.; *Maier W. A.* Die Behandlung d. Allerheiligsten auss. d. hl. Messe; *De Herdt I. B.* Sacrae liturgiae praxis I 56 sqq. 145 sqq. II 18-36; *Hoffmann* Die Verehrung und Anbetung des allerheiligsten Sakramentes geschichtlich dargestellt; *Scherer* Handb. des KR. § 141; *Schüch I.* Handb. der Pastoral-theologie § 264.

Expulsio. — Vid. *Dimissio, Eiectio.*

2133 **Exsecratio.** — Exsecratio ecclesiae tunc habetur, quum ecclesia amittit suam consecrationem vel benedictionem. Quando hoc locum habeat vide sub *Dedicatio.*

Quando ecclesia exsecrata est, non potest sacris mysteriis inservire, nisi denuo sacris ritibus sanctificetur.

Quoad exsecrationem calicis et patenae, vid. *Consecratio.* - Quoad exsecrationem sacrorum paramentorum vid. *Paramenta.* Exsecratio altaris fixi fit per remotionem mensae a suo stipite; tum fixi tum portatilis per fractionem tumuli, vel per reliquiarum amissionem (vid. *Altare*); sacrorum vasorum et aliarum rerum consecratarum, quando formam suam amittunt, nec ad usum inservire amplius possunt.

Exsecutor. — De exsecutore rescriptorum. — 2134 In rescriptis generatim romanus Pontifex aliquem ad rescripti exsecutionem delegat, seu aliquem constituit exsecutorem rescripti. Notandum autem, quod, ut quis valide rescriptum exsecutioni mandet, necesse est, ut ipsum rescriptum seu litteras autographas de facto acceperit, nec sufficeret, eum accepisse transscriptum aliquod rescripti exemplar (*c. 12 de appell. X.* [*II. 28*]; Conc. Trid. *sess. XXII. c. 5 de ref.*; S. Alph. *III. 251, VI. 1133*) aut nuntium a suo agente seu procuratore Romae rèsidente de concessione gratiae iam facta. *S. Poen. 15 ian. 1894.* Vid. *Telegramma.*

Et si litterae autographae semel missae deperditae fuerint, antequam pervenerint ad exsecutorem, debent aliae iterum impetrari in forma « Vidimus ». S. Alph. *III. 251, VI. 1133.*

Requiritur etiam ad validitatem exsecutionis, ut exsecutor formam substantialem servet in rescripto praescriptam et conditiones appositas. *c. 22 de rescriptis X.* (*I. 3*); *c. 17 de praebendis etc.* (*III. 4*) *in 6°.*

Generatim praescribitur, ut inqui- 2135 rat, an preces veritate nitantur (quod

tamen non videtur sub conditione validitatis praescribi, quando apponitur formula « si preces veritate nitantur », sed tunc, quum formula, quae apponitur, est haec alia « si preces veritate niti repereris », vel alia similis). D'Ann. *I. 241.* Cfr. *S. C. EE. RR. in Conchen. 3 sept. 1852.* Inquisitio, quae in casu praescribitur, est summaria et extraiudicialis; nec in foro conscientiae deferendum est oratori iuramentum de veritate. Ben. XIV *Inst. LXXXVII. n. 34.*

Quaestio est, utrum, stante appositione clausulae: « Si preces veritate niti repereris », valeat dispensatio, quum exsecutor inquisitionem omittit in casu, quo notorium omnino est, causam subesse et exposita fuisse vera. Ratio dubitandi est, quia notoria inquisitione non egent. *c. 15. C. II. q. 1.* Dicunt tamen generatim, in praxi tutius esse ab exsecutore inquiri. Cfr. de Iustis *I. pag. 249.* Pro sententia tamen negante videtur stare Praxis ap. disp. super imp. matr. *n. 197.* Et nota hic in dispensationibus matrimonialibus ex decreto S. Congregationis S. Officii (*27 aug. 1885*) veteri clausulae, quae prius ponebatur: « Si per informationem eamdem preces veritate niti repereris » substitutam fuisse eiusque loco hodie semper poni hanc aliam: « si vera sunt exposita ». Cfr. Praxis etc. *n. 201; decr. S. Poen. 27 apr. 1886.*

2136 Exsecutio rescripti committitur generatim personis habentibus dignitatem ecclesiasticam, aut saltem canonicatum in ecclesia cathedrali, vel superioribus regularium (vid. *Delegatio*); et standum est praecise indicationi factae. Hinc, si exsecutio alicuius rescripti commissa esset officiali episcopi, non posset illud exsequi ipse episcopus. *S. Poen. 6 mart. 1835.* Cfr. *etiam S. C. EE. RR. 23 sept. 1807.* Attamen, si exsecutio commissa est ordinario loci, potest fieri et ab episcopo et a vicario capitulari. In dispensationibus matrimonialibus, quae in posterum, ex decr. S. U. I. (*20 febr. 1888*) iussu Leonis XIII edito, omnes sunt committendae oratorum ordinario vel ordinario loci, notandum est, appellatione ordinarii venire: episcopos, administratores seu vicarios apostolicos, praelatos seu praefectos habentes iurisdictionem cum territorio separato eorumque officiales seu vicarios in spiritualibus generales, etc.; sede vacante, vicarium capitularem vel legitimum administratorem. *Decr. cit. n. 2.*

Vicarius capitularis seu administrator eas quoque dispensationes apostolicas exsequi potest, quae remissae fuerint episcopo aut vicario eius generali vel officiali, nondum exsecutioni mandatas, sive hi illas exsequi coeperint, sive non. Et vicissim, sede deinde provisa, potest episcopus vel eius vicarius in spiritualibus generalis seu officialis exsequi dispensationes, quae vicario capitulari exsequendae remissae fuerant, seu hic illas exsequi coeperit, seu minus. *Decr. cit. n. 3.*

Dispensationes matrimoniales ordinario oratorum commissae exsequendae sunt ab illo ordinario, qui litteras testimoniales dedit, vel preces transmisit ad s. Sedem apostolicam,

sive sit ordinarius originis sive domicilii, sive utriusque sponsi, sive alterutrius eorum; etiamsi sponsi, quo tempore exsecutioni danda est dispensatio, relicto illius dioecesis domicilio, in aliam dioecesim discesserint non amplius reversuri, monito tamen, si id expedire iudicaverit, ordinario loci, in quo matrimonium contrahitur. *Decr. cit. n. 4.* - Ordinario praedicto fas est, si ita quoque expedire iudicaverit, ad dispensationis exsecutionem delegare alium ordinarium, eum praesertim, in cuius dioecesi sponsi actu degunt. *Decr. cit. n. 5.*

2137 Quaesierunt etiam doctores an exsecutor ad dispensandum uti debeat verbo *dispensamus* aut alio simili, quod explicitam dispensationem dicat. Et D'Annibale (*III. 503 [16]*) haec habet circa hanc quaestionem: « Quod si oratoribus (delegatus) renunciaverit tantum posse ipsos matrimonium contrahere, vel rescripserit ut matrimonium ineant, vel contrahatur, Giovine (*I. § 89. 2. 8*) retur nihil actum esse ex citata regula 51 (*Cancell. apost.*). Quod non puto: primo quia haec regula ad signaturas Romanae Curiae dumtaxat pertinet; deinde quia nihil interest quomodo quis voluntatem suam prodat. (Ex leg. 31 de leg.; V. Pontium VIII. 15. 5) ». Hanc sententiam amplectitur etiam Monitore ecc. (vol. XV pag. 417), qui tamen concludit, quum ambae opiniones sint probabiles, ante matrimonium rigidiori, post matrimonium benigniori standum esse.

2138 Exsecutor in rescriptis alius dicitur *necessarius*, alius *voluntarius*.

Necessarius ille est, qui exsequitur gratiam iam factam, quae aliquando sub quibusdam conditionibus, quarum exsistentiam ipse verificare debet, antequam pontificium rescriptum partibus notificet, conceditur. Quare in hoc casu vere Pontifex est, qui immediate gratiam facit. Hinc exsecutor, postquam verificaverit, conditiones requisitas de facto exstare, non potest gratiam iam a pontifice factam denegare; et rescriptum sic concessum dicitur continere *gratiam factam*.

Exsecutor voluntarius ille est, cui delegatur a Pontifice facultas, ut gratiam aliquam concedat, si ipse concedendam putaverit. Quare generatim exsecutor voluntarius hac formula constituitur: « Cognita veritate precum, si expedire tibi visum fuerit ». Quando rescriptum pro gratia sic conceditur, continere dicitur *gratiam faciendam*. Hinc exsecutor non solum debet inquirere in veritatem precum, sed etiam in exsistentiam et in valorem causae relate ad ipsam gratiam concedendam. Cfr. causam actam apud S. C. C. *31 mart. 1868* in Acts. Sedis *vol. III. p. 519 sqq.*

Exinde resolvi posse videtur quae- 2139
stio, an exsecutor subdelegare possit. Et patet, exsecutorem necessarium subdelegare non posse, quia ipsi committitur nudum ministerium: delegatus enim etiam summi Pontificis, cui nudum ministerium committitur, subdelegare nequit. *c. 43 de off. et pot. iud. del. X.* (*I. 29*). Quaestio est, an subdelegare possit exsecutor voluntarius. Et ratio dubitandi est, quia exsecutori voluntario, quum eius voluntati et iudicio commissum sit gra-

tiam concedere vel denegare, videtur commissa iurisdictio, et non nudum ministerium. Attamen melius videtur dicendum, et ipsum subdelegare non posse, tum quia hoc videtur receptum in praxi, tum quia in casu videtur electa industria personae, quum in formula habeatur: « Si *tibi* expedire visum fuerit ».

Bibliographiam quaere sub *Rescriptum*.

2140 **De exsecutore testamenti.** — Exsecutor testamenti ille est, quem testator nominavit ad dispositiones testamentarias exsequendas. Nemine nominato, exsecutio ad heredes pertinet. Exsecutor debet esse capax se obligandi (*C. C. a. 904*); hoc munus ad heredes non transmittit (*C. C. a. 909*); pluribus invigilare debet; impensae, quas ob suum munus facit, hereditate solvuntur. *C. C. a. 911.* Praeterea non potest immutare voluntatem defuncti, ne in melius quidem. *S. C. C. 2 maii 1862.* Possunt autem exsecutores esse iure canonico tam mares quam feminae, laici, clerici, imo et religiosi de licentia superioris, modo hi omnes excesserint 17um aetatis annum. Iure italico (*C. C. a. 905*) minor non potest esse exsecutor testamentarius; idem dicendum iure gallico. *C. C. a. 1030.*

Etiam quum agitur de piis dispositionibus exsequendis, exsecutoribus, si quos testator instituerit, ius est earum exsecutionem curare, nec potest episcopus id, exsecutoribus neglectis, per se ipsum praestare; quamvis, exsecutoribus negligentibus, et monitis in sua negligentia perseverantibus, post factam monitionem, possit episcopus exsecutores ipsos demandato ministerio privare. Cfr. Lucidi *de visit. sacr. lim. c. VII. n. 31.*

Bibliographiam quaere sub *Testamentum*.

Exsequiae. — Notiones praeviae. 2141 — Exsequiarum nomine veniunt iure nostro omnes illi ritus, quibus ecclesia cadavera suorum fidelium cohonestat usque ad eorum inhumationem. Quare exsequiae plura comprehendunt, scilicet levare de domo cadaver, funus ducere, cadaver ad ecclesiam deferre, officium mortuorum recitare, missam exsequialem peragere, benedictionem cadaveri impertiri illudque in loco sacro reponere. Ius completum igitur exsequias peragendi haec omnia complectitur simul cum iure percipiendi debita emolumenta. In vigente disciplina principium generale est, ut locus sacer, in quo cadaver alicuius fidelis reponitur, sit ecclesia illa, in qua ipse officia consuevit audire divina et ecclesiastica recipere sacramenta (*c. 2 de sepulturis* [*III. 12*] *in 6°*), nisi tamen ipse aliam sibi ele gerit sepulturam vel alibi habeat sepulcrum maiorum. Quare nunc tres sepulturae species distinguuntur: electiva, gentilitia et parochialis. Electiva omnibus praefertur, gentilitia cedit electivae et generatim praefertur parochiali Notandum autem hic est, publica coemeteria, in quibus nunc fere ubique per civiles leges civium cadavera sepelienda sunt, locum iuridice tenere sepulturae sive electivae sive gentilitiae sive parochialis. Hinc per institutionem publici coemeterii et impeditam tumulationem cadaveris in sepulcro proprio seu gentilitio,

nihil innovatum est iure nostro quoad reliqua iura connexa cum proprietate sepulcri ex. gr. quoad funeralia eorumque emolumenta. Cfr. Acta S. Sedis *I. 87. 124 et causas agitatas apud S. C. C. in Clavaren. 17 febr. 1900 et S. C. EE. RR. in Sorana 15 sept. 1899, 15 mart. 1900, 9 aug. 1901.*

2142 **De iure exsequias peragendi et de funere ducendo.** — Ius levandi de domo cadaver, sepeliendi et exsequias peragendi, ut ex dictis patet, pertinet ad parochum illius loci, in quo defunctus domicilium vel quasi domicilium habebat (Pirhing *in tit. 28 lib. III Decr. n. 7.* Cfr. etiam *S. C. C. 28 iul. 1878*) excepto casu, quo quis habeat sepulcrum gentilitium (quod sepulcrum est sepulcrum familiare aut hereditarium aut maiorum, quo nomine veniunt maiores tam agnati quam cognati, cfr. *S. C. C. in Clavaren. 22 iul. 1899, 17 febr. 1900*), vel sepulturam alibi elegerit. *cc. 1. 10 de sepulturis X.* (*III. 28*); *c. 3. tit. cit.* (*III. 12*) *in 6°.*

Ad removendum a parocho ius circa exsequias non sufficit quaecumque consuetudo, sed iuxta quosdam (Petra *Comm. ad const. apost. Comm. in const. 9 Inn. III. n. 55*) requiritur quadragenaria; iuxta alios non sufficit nisi immemorialis aut saltem centenaria. Mon. eccl. *vol. XVI pag. 149.* Cfr. *S. C. C. in Melevitana 30 apr. 1904.*

2143 Si quis casu extra suam parochiam moriatur, debet de iure humari in parochia sua, dummodo absque periculo ad eam valeat deportari. *c. nuper cit.* (*III. 12*) *in 6°.* Quando autem cadaver absque periculo valeat ad parochiam domicilii deportari, non est determinatum a iure; Benedictus XIV pro sua dioecesi Bononiensi statuit, id locum habere, quum locus mortis non distat a parochia minus quam tribus milliaribus (*Inst. CV. n. 45*); attamen nunc multum immutatae sunt conditiones, praesertim quoad maiorem facilitatem res de uno in alium locum transferendi; quare in casu dubii de hoc iudex est episcopus.

Si extra suam civitatem decessit, et ad parochiam suam, vel ad aliam sibi longius constitutam sepulturam iusserit defunctus deportari, ius eo associandi cadaver habet ille parochus, in cuius parochia decessit, ubi saltem brevi tempore et perfunctorie moratus est. *S. C. C. 22. dec. 1866*; Cfr. Acta s. Sedis *III. 46.*

Qui moritur in loco domicilii vel quasi domicilii, et alibi aliud habeat domicilium, vel quasi domicilium, debet sepeliri, ubi mortuus est (Ferraris *Prompta bibl. v.* « *Sepultura* » *n. 25*), nisi alibi elegerit sepulturam, vel habeat sepulcrum gentilitium; sed quacumque in hypothesi, parochus domicilii, si defunctus mortuus est in loco quasi domicilii, et vicissim, nullum haberet ius, ne ad quartam quidem funerariam. Cfr. Mon. eccl. *vol. XIII. pag. 376 vol. XII pag. 420.*

Si quando agitur de alicuius cadavere, quod de loco, ubi mortuus est, ferreo curru transfertur in aliam civitatem, ut ibi in coemeterio tumuletur, quoad defunctos, qui habebant domicilium in civitate, vocandus est parochus respectivae paroeciae; quoad ceteros, quatenus non constet de se-

pultura legitime electa, ius funerandi spectat ad ecclesiam cathedralem (si nempe ibi est), salvis consuetudinibus et constitutionibus particularibus in singulis casibus (*S. C. C. in Novarien. 27 maii 1893, 21 iun. 1895; in Asten. 26 ian. 1907*); si autem non agatur de loco, ubi sit ecclesia cathedralis, ad ecclesiam principalem loci. *S. C. C. in Romana et Bredanen. 27 aug. 1904.*

Ius funerandi fideles decedentes in hospitalibus non exemptis spectat ad parochum domicilii horum defunctorum (*S.C.C. in Bononien. 24 ian. 1857; 19 maii 1888;* cfr. etiam *in Lucana 22 iun. 1907*), nisi forte ex consuetudine legitima derogatum fuerit iuri parochorum in aliorum favorem, ex. gr. cappellanorum hospitalis (*S. C. C. in Papien. 20 ian. 1906;* vid. *Quarta funeraria*) aut defunctus statuisset perpetuo in hospitali permanere; quia tunc ius pertinet ad parochum loci, in quo est hospitale non exemptum.

Beneficiati residentiales sepeliri certo debent in ecclesia beneficii, si in ea habeatur sepultura ad beneficiatos ipsos destinata (*S. C. C. in Narnien. 26 sept. 1699*), quae praevalet ipsi sepulturae gentilitiae, quam forte beneficiatus habeat. *S. C. C. in Tiburtina 12 maii 1685; S. C. EE. RR. in Senogallien. 15 maii 1650.* Si vero in ecclesia beneficii nulla habeatur sepultura beneficiatis destinata, tunc eos sepeliendos adhuc esse in ecclesia beneficii asserunt plures doctores, suam assertionem deducentes ex c. 1 tit. cit. X. et 2 eiusd. tit. in 6°. Quae omnia valent semper in suppositione, quod beneficiatus nullam sibi elegerit sepulturam; si enim eam elegerit, ipsa praevalet. *S. R. C. in Senen. 9 iun. 1668 (1368).* Parochus autem ecclesiae, ubi tumulandus de iure est beneficiatus demortuus, ipse est, ut semper, qui ius habet ad emolumenta funeris, detracta quarta pro parocho domicilii. Cfr. Gennari *Consultazioni canoniche cons. 13.*

Licitum est unicuique fideli sepul- 2144
turam sibi eligere, ubi melius placuerit. *c. 1 tit. cit. X. (III. 28); c. 2 tit. cit. (III. 12) in 6°.* Neque ab hoc prohibentur uxor, etiam sine consensu sui viri (*c. 7 tit. cit. X.*), vel filiusfamilias sine consensu patris (*c. 4 tit. cit. in 6°*), nisi is sit impubes, quo in casu patris est (si consuetudo terrae adsit) illi sepulturam eligere. *c. 4 nuper cit.*

Regulares, solemniter professi (non autem advenae [*S. C. C. in una Monopolitana 27 sept. 1670*], vel alumni [*S. C. C. 21 iul. 1848*] in ipsorum conventibus decedentes), quum suum velle et nolle non habeant, non possunt sibi eligere sepulturam, sed sepeliendi sunt in ecclesia monasterii sui, et tunc solummodo ius habent eligendi aliam sepulturam, quando adeo longe a suo monasterio moriuntur, ut ad illud commode portari non possint. *c. 5 tit. cit. (III. 12), in 6°.*

Religiosi votorum simplicium tum in ordinibus regularibus, tum in institutis recentioribus, quum retineant suum velle et nolle (et proinde multo magis novitii) possunt per se sibi eligere sepulturam, nisi ipsis constitutionibus ordinis vel expressa prohibitione superioris iubentis iuxta eas-

dem constitutiones inhibeantur. Cfr. Mon. eccl. *vol. XVI pag. 414 sqq.* Nonnulli ex hac eadem ratione hoc affirmant de iis, qui moriuntur praelati valentes suum velle et nolle exercere, ut episcopi, abates non exempti, superiores ordinum generales. Abbas *in cap. 7 de sepulturis:* Reiffenstuel *in tit. 28 lib. III Decr. n. 42 sq.* Idem dicendum de regulari in perpetuum secularizato, ut dicitur. Mon. eccl. *loc. cit.*

Uxor, quae sepulturam sibi non eligit (etsi habeat sepulcrum gentilitium suorum) sepelienda est in loco, quem elegerit pro se vir eius, si vivat, aut in sepulcro maiorum viri sui, si ibi vir statuerit sepeliri, et, si defunctus est, in loco, ubi vir sepultus fuit, nisi alio se uxor transtulerit. *c. 3. C. XIII. q. 2.* Si autem plures habuit viros, in sepultura ultimi viri, cuius domicilium retinet et honorem, tumulanda est. *c. 3 tit. cit.* (*III. 12*) *in 6°.*

2145 Electio sepulturae probari etiam potest per duos testes vel etiam per unum confessarium, dummodo in sui commodum non testetur. Mühlbauer *Th. S. C .C. v. Cadaver 2.*

2146 Ius eligendi sepulturam habetur in iure tamquam beneficium et privilegium personaliter alicui concessum; quare is tantum, et non alii pro ipso, ne de commissione quidem ipsius defuncti, possunt alicui sepulturam eligere. Quare, mortuo filio, quin sepulturam sibi elegerit, non possunt parentes sepulturam ipsi eligere diversam a gentilitia vel a parochiali; vel mortuo Titio, qui commisit arbitrio Sempronii in testamento locum suae sepulturae, non potest Sempronius aliam sepulturam eligere praeter iam dictas, gentilitiam scilicet, aut parochialem. Pirhing *in tit. 28 lib III Decr. n. 29;* Mon. eccl. *vol. XIII pag. 424.*

Dicebam igitur unicuique fideli ius 2147
esse sepulturam sibi eligendi, *ubi melius placuerit.* Quod hic aliquantulum explicandum venit. Scilicet iuxta plures illis verbis: ubi melius placuerit, addendum est vel subintelligendum, dummodo de eo loco agatur, quod iure gaudeat sepulturae, ut dicitur. Ius autem sepulturae duobus constat, iure nempe peragendi officium funebre super corpus defuncti et iure deponendi corpus in loco sepulturae. Many *Prael. de locis sacris n. 155.*

Porro ius istud ab his doctoribus ascribitur in primis ecclesiis parochialibus (*cc. 1. 10 tit. cit. X* [*III. 28*]; *cc. 1. 2 eiusd. tit.* [*III. 12*] *in 6°*; *c. 2 eiusd. tit.* [*III. 7*] *in Clem.*), quo nomine veniunt non solum parochiae stricte dictae, sed omnes illae ecclesiae, quae vice parochiae habentur seu a legitima auctoritate stabilitae sunt ut in ipsis ab aliquo certo sacerdote sacramenta fidelibus distribuantur, ut sunt in missionibus stationes, quae dicuntur.

Idem ius ex privilegio clauso in corpore iuris monasteriis ascribitur sive conventibus omnibus ordinum Fratrum Praedicatorum et Minorum (*c. 2 tit. cit.* [*III. 7*] *in Clem.*) et quorumdam aliorum religiosorum, quibus hoc idem specialiter concessum est. *c. 10 tit. cit. X.* (*III 28*). Ex his vi communicationis privilegiorum ad

omnes regularium ecclesias extensum est, fatentibus omnibus. Quod tamen ius in regularibus non importat etiam obligationem recipiendi et admittendi quoscumque ad sepulturam in suis ecclesiis. Const. Clem. « Virtute conspicuos » *1265.*

Monasteriis monialium hoc ius ascribitur ab omnibus, si intelligatur de iure restricto ad ipsas moniales earumque novitias. Quoad extraneos vero ab omnibus denegatur, quibusdam tantum exceptionibus factis. Scilicet permittuntur in monasteriis monialium sepeliri, dummodo eae ipsam eligant sepulturam, puellae, quae in ipsarum monasteriis commorantur educationis causa (*S. C. C. in Pennen. 6 iul. 1737 ; in Feretrana 21 apr. 1742*) et aliae mulieres, quae pariter in iisdem monasteriis commorantur habitualiter, quacumque de causa, famulatus ex gr. aut hospitii.

His omnibus addunt ecclesiae, quibus speciali privilegio hoc ab auctoritate apostolica seu etiam episcopali fuerit concessum.

Alii tamen benigniores sunt. Audiatur Reiffenstuel *in tit. 28 lib. III Decr. n. 40:* « Habentes ius eligendi sepulturam possunt sibi in quovis loco religioso eligere, etiamsi alias eidem ius sepulturae non competat, qualis est cappella vel alia ecclesia sepulturam non habens et in qua raro celebrantur missae. Abbas *in c. 3 h. t. n. fin. ad fin.*; Gonzalez *ibid. n. 9;* Pirhing *h. t. n. 17* et alii apud Fagnanum *in cit. c. 3. h. t. n. 1. arg. cit. c. 1. h. t. et c. 2 Si quis h. t. in 6°* ibi : - Si quis antiqua dimissa novam etiam in loco minus religioso elegerit sepulturam, electionem huiusmodi (licet iura super hoc videantur esse diversa) nequaquam volumus impugnari - et ibi Glossa in casu. Nec obstat c. Fraternitatem 3 h. t., ubi sepultura *in loco minus religioso* electa expresse reprobatur. Nam contra est, quod in hoc textu per *locum minus religiosum* intelligatur vel locus omnino profanus, vel si aliquo modo religiosus, tamen irrationabiliter et malitiose, vel non soluta portione canonica ecclesiae parochiali, electus in cap. 2. h. t. in 6° verum per *locum minus religiosum* intelligatur talis locus, qui religiosus quidem est, tamen minus talis utpote in quo minus frequenter officia divina, missae aut publicae orationes fiunt, uti cum doctoribus citatis bene docet Glossa *in cit. c. 2. h. t. in casu,* quae vel ideo recipienda, quia sic evitatur iurium correctio ».

Quum non semper sit uni eidemque 2148
ius completum peragendi exsequias, in casu electae sepulturae haec adnotentur.

Etiam praesente capitulo, sive collegiatae, sive cathedralis, proprio parocho competit ius levandi e domo cadaver, et illud deducendi ad ecclesiam, etiamsi ecclesia, in qua tumulandum est, sua non sit, sed tunc recto tramite debet ad eam defunctum deducere. In ingressu autem ecclesiae tumulantis relinquit munus suum, quod assumit alter parochus vel rector ecclesiae pro sepultura electae. — Haec saepius definita sunt pro ecclesiis regularium ad sepulturam electis. *S. C. EE. RR. 16 dec. 1661., 22 aug. 1670.*

Si vero agatur de electa ecclesia confraternitatis distinguendum est. Nam si defunctus non pertinet ad parochum loci, in quo sita est ecclesia tumulans, parochus illius loci nullum ius habet, parochus vero defuncti habet ius tantum ad quartam funerariam, non vero ad cantandam missam exsequialem. Si vero defunctus pertinet ad parochum loci, in quo sita est ecclesia confraternitatis tumulans, tunc parocho non solum ius est levandi e domo cadaver, sed etiam in ipsa ecclesia confraternitatis agendi exsequias et exsequialem missam cantandi. *S. R. C. decr. gen. 10 dec. 1703 ad 20 (2123), in Casertana 7 iul. 1878 ad 1 (3423), in Isclana 20 nov. 1885 ad 4 (3465); S. C. EE. RR. in Sorana 15 sept. 1899, 15 mart. 1900, 9 aug. 1901; S. C. C. 24 mart. 1906.*

Rector tamen ecclesiae electae, si parochus invitatus non intervenit, potest funus ducere sine pompa, et recto tramite ad suam ecclesiam. *S. C. EE. RR. 17. sept. 1880; 28 martii 1887; in Sipontina a. 1893.*

Ecclesia tumulans habet sola ius persolvendi officium funebre, corpus sepeliendi et percipiendi omnia funeralia emolumenta, excepta portione canonica parocho solvenda. V. *Quarta funeraria.*

In ecclesiis regularium, in quibus ob praesentes circumstantias in Italia, regulares non habitant, sed quas ipsi actu inserviunt, exsequias peragere competit religioso rectori ecclesiae non autem parocho, salvis iuribus parocho competentibus, et exsequiis in ecclesia absolutis, possunt religiosi, quorum unus superpelliceum et stolam induat, deferre cadaver defuncti ad coemeterium. *S. R. C. in Neritonen. 12 sept. 1884 (3619).*

Sepultura gentilitia seu sepulcrum 2149
maiorum illud est, quod aliquis sibi et posteris constituit, vel quod pro se ab aliquo ascendente sibi constitutum invenit.

Ad habendum sepulcrum gentilitium in sensu iuris canonici requiritur iuxta quosdam consensus sive episcopi sive religiosorum, qui sepulturam in suis ecclesiis, cappellis, coemeteriis concedere ex privilegio possunt. Pirhing *in tit. 28 lib. III Decr. n. 24;* Barbosa *de off. et potest. parochi p. 3. c. 26. n. 9.* Cfr. *S. C. C. in Clavaren. 17 iun. 1605.* Hinc hi putant talia non esse habenda sepulcra constructa in modernis publicis coemeteriis, nisi dicta licentia accesserit. Berardi *de parocho n. 770;* Alberti *de sepult. eccl. n. 21.*

In casu quo quis in sepulcro gentilitio sepeliri debeat, omnia iura et emolumenta exsequialia pertinent ad ecclesiam sepulcri, excepta quarta funeraria et aliis iuribus, quae facile ex dictis eruuntur, quaeque parocho domicilii sunt.

Religiosi votorum solemnium, vel 2150
etiam simplicium exempti, sepeliri debent in ecclesia sua (excepto casu quo extraordinarie eligere sibi potuerint sepulturam, ut supra diximus). Tunc autem ius peragendi exsequias pertinet ad eorum superiorem vel cappellanum.

Religiosi e contra votorum simplicium, quos S. Sedes non exemit ab auctoritate dioecesana, sequuntur in hoc leges omnibus communes et

subsunt parocho loci quoad exsequias, quae proinde ab ipso, non autem a superiore vel cappellano, peragendae sunt. Mon. eccl. *vol. XIV. pag. 180.*

In praesenti, quum omnium cadavera in communi coemeterio tumulanda sunt, possunt regulares suorum cadavera, sine parochi interventu, ad coemeterium ducere, dummodo hoc faciant absque pompa et recto tramite (*S. C. C. 24 ian. 1846; in Pisauren. 5 maii 1905*); et hoc valet etiam pro monialibus stricte dictis, etsi iurisdictioni ordinarii subiectis, quarum cadavera deferri possunt ad coemeterium, modo praedicto, ab eorum cappellanis, absque interventu parochi. *S. C. C. 24 febr. 1872; in Pinerolien. 19 apr. 1907.* Nota autem nullam haberi pompam, si aliqui, ex amicis defuncti cadaver comitantur, et e contra non posse regulares hanc delationem facere, etsi a recto tramite sequendo non libera voluntate ipsi abstineant, sed quia ad hoc coguntur a consanguineis defuncti vel etiam ab ipsa auctoritate civili. *S. C. C. in Pisaurien. 5 maii 1905.*

2151 Si in calamitate publica, e. gr. grassante lue asiatica, cadavera tradi debent sepulturae sine ullo ritu, emolumenta funerum cessant.

Episcopo competit ius determinandi taxam pro exsequiis et funeribus. Rit. rom. *tit. VI cap. 1 n. 6.*

Nota etiam ex eodem Rituali (*l. c. n. 8*), pauperes, quibus mortuis nihil, aut ita parum superest, ut propriis impensis humari non possint, gratis omnino sepeliendos esse; ac debita lumina suis impensis, si opus fuerit, adhibere debere sacerdotes, ad quos defuncti cura pertinet, vel aliquam piam confraternitatem, si fuerit, iuxta loci consuetudinem.

Parochus, qui illegitime tumulavit cadaver alicuius fidelis, debet omnia funeris emolumenta vero defuncti parocho restituere. (*c. 5 tit. cit. X.*); imo ii omnes qui praesumunt violare electam sepulturam alio in loco cadaver sepelientes damnari debent ad restitutionem cadaveris in sepulturam electam propriis sumptibus et debita pompa faciendam, necnon ad restitutionem omnium emolumentorum. *S. C. C. 24 mart. 1871*; *S. C. EE. RR. 1 feb., 31 mart. 1647, 5 feb. 1649, 14 ian., 1 apr. 1650, 22 sept. 1657.* Mühlbauer *Thes. S. C. C. v. Cadaver n. 2*

Occasione autem transitus cadaveris per alienam parochiam parochus loci, per quem fit transitus, nihil potest exigere. *S. R. C. saepe.*

Ius levandi de domo cadaver illudque ducendi ad ecclesiam etiam non suam, in qua sepeliendum est, pertinet ad defuncti parochum, qui transeundo per parochiam alterius cuiuscumque parochi (vel etiam per alienam dioecesim) potest libere et licite per hanc aliam parochiam transire cum stola et cruce elevata, etiam hoc altero parocho irrequisito. *S. C. C. 14 nov. 1676; in Ragusina 11 iul. 1885; in Novarien. 27 maii 1893.* — 2152

Heredes defuncti possunt advocare ad funus religiosos quoscumque volunt, et numerus eorum religiosorum nec non electio religionum ad ipsos spectat et pertinet pro libitu suae voluntatis (*S. C. EE. RR. 7 sept. 1688. 4 iun. 1794*; *in Ventimilien 19 nov,*

1904; S. R. C. in una ord. Min. obs. 14 ian. 1640 [*696*]), et parochus non potest eos repellere, etsi invitati fuerint ipso inscio, debetque iis permittere, si velint, ut in ecclesia parochiali missas celebrent, praesente cadavere. *S. C. EE. RR. in una ord. Carmelit. 16 dec. 1729.*

Regulares ad funus vocati incedere debent sub cruce ecclesiae sive exponentis sive sepelientis; et canonici collegialiter intervenientes sub cruce capituli. *S. R. C. in Fodiana 27 sept. 1873* (*3311*). Hoc autem in casu licet capitulo et canonicis ecclesiae cathedralis ingredi ecclesiam, etiam regularium, cum propria cruce, nec possent a regularibus impediri. *S. R. C. in Neapolitana 26 ian. 1641* (*732*), *8 iun. 1669* (*1389*); *in Andrien. 19 iul. 1710 ad 6* (*2206*); *in Alexanen. 21 mart. 1779 ad 1* (*2342*).

Regulares advocati ad funus associandum nullo modo exspectare debent per vias aut in domo defuncti; sed prius convenire debent ad ecclesiam parochialem defuncti, et inde cum clero parochiae se conferre ad levandum cadaver, non obstante contrario usu, etiam immemorabili. Quod si ad funus vocatum est capitulum cathedralis, et capitulariter interveniat, ad hanc ecclesiam debent omnes convenire, et inde incipienda est processio. *S. R. C. in Nicien. 9 aug. 1670 ad 1 et 2* (*1408*); *in Aesina 24 ian. 1671* (*1413*).

Nota autem, capitulum sive cathedralis (*S. R. C. in Interamnen. 12 ian 1641* [*727*]), sive collegiatae (*S. R. C. in Licien. 11 maii 1641* [*759*]), funeri intervenire non posse, nisi fuerit vocatum, etiam stante contraria consuetudine.

Quando ad funus intervenit totum capitulum, non potest canonicus gerens personam parochi deferre stolam supra cappam, sed debet indui rochettum et superpelliceum ac deinde stolam, vel retento rochetto, sumere stolam cum pluviali nigri coloris. *S. R. C. in Maceraten. 23 mart. 1889* (*3754*).

Si non interveniat capitulum, sed unus tantummodo vel alius canonicus, ius deferendi stolam pertinet ad parochum vel eius substitutum ex. gr. viceparochum; decet tamen in hoc casu ut viceparochus (non parochus) delationem stolae canonico cedat. *S. C. C. 24 mart. 1906.*

Societates catholicae in habitu laicali, etiam cum vexillis benedictis incedentes, non possunt praecedere clero cum cruce, sed debent sequi feretrum. *S. R. C. in Stabian. 14. mart. 1903.*

Confraternitates, quae in habitu ac cedunt associationibus defunctorum, possunt in funeribus associandis extra oppidum vel civitatem aut in eius extremitate, tempore pluvio, gestare pileum congruentem habitui, iuxta usum archiconfraternitatis a bona morte in Urbe. *S. R. C. in Sipontina 17 iul. 1903.*

Fidelium cadavera non sunt deportanda statim a propria domo ad coemeterium, sed, quoad fieri potest, sunt prius deferenda ad ecclesiam pro exsequiis celebrandis (*S. R. C. in Fodiana 21 apr. 1873* [*3291*]), eaque semper, sive deferantur ad ecclesiam

sive ad coemeterium, a sacerdote sunt associanda (*S. R. C. in Santanderien. 15 iul. 1876* [*3405*]), et ius istud etiam associandi cadaver de ecclesia ad coemeterium parochi est. *S. C. C. in Asten. 26 ian. 1907.*

Sicubi antiqua est consuetudo, iuxta quam in deducendis funebri pompa fidelium cadaveribus semel aut pluries feretrum in publicis viis deponitur et post cantum antiphonae *Libera me, Domine* lustrali aqua aspergitur, tolerari ea potest, dummodo, si exinde aliquod clero lucrum accrescat, hoc non fiat turpis lucri gratia et ita ut scandalum pariat aut admirationem. *S. R. C. in una Marsorum 20 nov. 1885* (*3644*).

2153 Ad totam hanc materiam elucidandam iuverit hic referre instructionem, quam in Compostellana (*1 aug. 1902*) dedit S. C. Ep. et Reg., et decretum generale super exsequiis a S. R. C. latum, quod antiquiora decreta in unum colligit.

Citata instructio S. C. Ep. et Reg. est sequens:

« Funerum iuribus per plura SS. CC. decreta consultissime moderatis, omnis praeclusus videbatur aditus quaestionibus, quae occasione electae in alia a parochiali ecclesia sepulturae tum ante tum post communium coemeteriorum erectionem inter defuncti parochum et ecclesiam tumulantem oriri solebant. At quum in Hispaniis civili lege statutum fuerit, ut defunctorum cadavera, quin prius ad ecclesiam afferri possint, a domo defuncti ad publicum coemeterium directe deducantur; hinc novis exsurgentibus factorum circumstantiis, nova inter defuncti parochum et regulares ecclesiae tumulantis creata est controversia circa cuique spectantia funebris associationis iura. Re ad hanc sacram Congregationem negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium expediendis dirimendisque praepositam delata, emi ac rmi patres in generalibus comitiis habitis die 1 augusti 1902, omnibus mature perpensis, haec, quae infrascripta sunt, statuenda ac decernenda censuerunt. Nimirum:

« 1° Parochi est stolam deferre, cadaver e domo levare, et funus ducere usque ad ianuam publici coemeterii.

« 2° Regularibus ecclesiae tumulantis ius competit in propria ecclesia iusta funebria peragendi; una cum parocho ab ecclesia parochiali ad domum defuncti accedendi, et, cadavere per parochum levato, ad publicum coemeterium associandi; si tamen velint, possunt ad coemeterii ianuas exspectare, quin funeris associationem accedere teneantur.

« 3° Pariter regularibus spectat recipere cadaver ad ianuas coemeterii, ceteraque peragere, quae in cadaveris tumulatione fieri solent.

« 4° Denique, si una cum parocho regulares ecclesiae tumulantis funebri associationi intersint, unica crux conventualis seu ecclesiae tumulantis deferenda est, sub qua et ipse parochus incedere tenetur: dummodo ecclesiae cathedralis vel collegiatae capitulum non adfuerit, cui privative spectat crucem in associatione levare.

« Et sic observari mandarunt, non obstantibus contrariis quibuscumque ».

Decretum vero generale citatum S. Congreg. Rituum est sequentis tenoris:

« Sacra Rituum Congregatio, Ritualis romani rubricis pluribusque alias evulgatis decretis inhaerens, declarat:

« 1° Cadavera defunctorum associanda esse cum unica tantum cruce (cfr. *S. R. C. in Gadicen. 8 iun. 1899 ad 1 cit. apud Mon. eccl. vol. XI pag. 203*), quae debet esse illius ecclesiae, ad quam corpus defuncti defertur; dummodo non interveniat capitulum ecclesiae cathedralis, sub qua omnes incedere debent funus associantes.

« 2° Ius et onus inesse semper, etiam praesente capitulo cathedralis ecclesiae, extra hanc tamen, parocho induendi stolam et officia omnia persolvendi super cadavere defuncti ad suam pertinentis ecclesiam, usque dum e loco obitus ingressus fuerit ecclesiam tumulantem, ad quam per alias quoque paroecias libere transeundo (recto tamen tramite, nisi aliud consuetudo ferat), cadaver deferendum est.

« 3° Eumdem parochum primas habere super omnem clerum; excepto (si interfuerit) capitulo cathedralis ecclesiae, quod in associatione incedet post ipsum parochum; excepto etiam capitulo ecclesiae collegiatae, si ita consuetudo ferat. Hoc tamen in casu dignior capituli cathedralis incedat cum stola et etiam cum pluviali, quod tamen non ferat parochus; et idipsum servabitur, si capitulum ecclesiae collegiatae post parochum incedat.

« 4° Si defunctus in alia parochiali ecclesia sit tumulandus, illius uni ecclesiae rectori, stola pariter induta, ius et onus competere reliqua officia ibidem peragendi super cadavere; aliisque omnibus praecedere, ne defuncti quidem parocho excepto, qui cadavere ad ecclesiae limen delato, recedat.

« 5° Haec autem omnia servanda sacra Rituum Congregatio iubet pro quibuscumque ecclesiis etiam collegialibus, sive ad regularem clerum pertinentibus, quacumque in contrarium consuetudine minime obstante.

« Atque ita decrevit et servari mandavit ». *23 apr. 1895* (*3854*).

(Attamen hoc decreto non obstante S. Congr. Concilii *in Ianuen. 29 febr. 1896* quum pro capucinis vigeret antiqua consuetudo deferendi crucem in associationibus cadaverum, quando invitabantur, idque parocho displiceret, pro capucinis stetit, et ad quaesitum: an constaret de hoc iure capucinorum, respondit: affirmative et amplius).

Notanda circa exsequialem functionem peragendam. — Aliquando post aliquod tempus a morte cadaver alicuius ex longinqua civitate vel regione ad civitatem vel regionem patriam transfertur; tunc potest clerus cadaver vel cineres comitari eadem prorsus solemnitate ac ritibus, qui adhibentur, quando cadaver nuper demortui ad ecclesiam transfertur; si tamen cadaver exponatur in aliqua cappella ardenti, ut dicitur, non potest ibi celebrari funus, quod e contra celebrandum est in ecclesia, vel saltem in aliqua sacra cappella. *S. R. C. in una s. Iac. de Venezuela 11 aug. 1888* (*3693*). 2154

Non est probanda praxis, quae alicubi invaluerat, cooperiendi feretra, ubi ponuntur corpora canonicorum defunctorum, velo perlucido albo cum fimbriis auratis, sive in ecclesia, sive in deferendo ad ipsam cadavere. *S. R. C. in Urgellen. 22 apr. 1871 ad 3* (*3248*).

Alicubi consuetudo erat cooperiendi feretrum, in quo recondebatur corpus puellae aut pueri innuptorum panno ex lana vel serico albo in signum virginitatis. Episcopus hoc aegre ferebat utpote rubricis ac decretis haud conforme; sed interrogatis rectoribus ecclesiarum cognovit hanc consuetudinem difficile removendam, quin timeri deberent perturbationes ac tumultus. Rem totam proinde sacrae Rituum Congregationi exposuit, quae respondit, in casu, attentis expositis, consuetudinem tolerari posse, dummodo fascia nigri coloris, non tamen in modum crucis, superponeretur panno albo ita ut in quatuor lateribus appareret, quo fideles agnoscerent defunctum egere suffragiis et ecclesiae precibus etiam proprias adiungerent. *S. R. C. in Alben. 31 aug. 1872* (*3263*).

Non potest tolerari consuetudo, ut in feretro vel tumulo, dum pro aliquo defuncto exsequiae peraguntur, tam praesente, quam absente cadavere, exponatur imago illius defuncti; et huiusmodi usus, sicubi invaluit, curandum est, ut eliminetur. *S. R. C. in Senogallien. 30 apr. 1896* (*3898*).

In exsequiis defuncti sacerdotis, praesente corpore (non autem corpore absente), locanda est crux ad caput defuncti inter feretrum et altare. *S. R. C. in una Massae 3 sept. 1746 ad 2* (*2392*). Scilicet crux semper locanda est ad caput defuncti, sed caput defuncti sacerdotis debet poni prope altare et pedes in conspectu ianuae, caput non sacerdotis e contra. In delatione autem, omnium cadavera deferri debent pedibus ad crucem versis. *S. R C. decr. cit. 8 iun. 1899 relatum a Mon. eccl. loc. cit.*

In exsequiis, antequam cadaver efferatur, debet recitari tantum, et non cantari, psalmus « De profundis ». *S. R. C. in Augustana 11 apr. 1902 ad 1.*

In officiis vero mortuorum extra diem obitus seu depositionis, sumi debet semper nocturnum, quod feriae occurrenti respondet, sive onera adimplenda sint fixa, sive sint adventitia. *S. R. C. decr. nuper cit. ad 2; in una de Guatemala 22 iun. 1888 ad 3* (*3691*); *in Lincien. 6 febr. 1892 ad 5* (*3764*).

In reditu autem ad sacristiam, absolutione ad tumulum expleta, in officiis et missis cum cantu pro uno vel pluribus defunctis die septima, trigesima et anniversaria, aut etiam extra has dies celebratis, dici debet: « Anima eius (vel, animae eorum) et animae omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace » et antiphona « Si iniquitates » cum psalmo « De profundis » et oratione « Fidelium Deus ». *S. R. C. in Brixien. 28 iul. 1832* (*2696*); *in Florentina 31 aug. 1872* (*3267*); *in Vicentina 11 mart. 1899* (*4014*). Cfr. etiam *S. R. C. in Vicentina 20 aug. 1901 ad 3.*

Contrarius omnino est rubricis, et

proinde omnino eliminandus, usus cantandi a cantoribus in choro antiphonam « Salve Regina » post missam cantatam de requie, et immediate post absolutionem ad tumulum. *S. R. C. in una Congr. a Resurr. D. N. I. Ch. 20 nov. 1903.*

Pro demortuis episcopis Sacra Rituum Congregatio statuit: « Ut dum corpus episcopi dioecesani defuncti, sacris indutum vestibus, in propriae aedis aula maiore publice et solemniter iacet expositum, missae in suffragium animae eius per totum mane celebrari valeant, iis omnibus servatis, quae de episcopi defuncti corpore exponendo ac suffragiis ferendis in ceremoniali episcoporum (*libr. II. c. 38*) praescribuntur. Quod privilegium episcopis in sua dioecesi concessum, ad vicarios apostolicos in suis vicariatibus, nec non ad abbates ceterosque praelatos Nullius dioeceseos, iurisdictione in plebem ordinaria, quum vita cesserunt, fruentes, in proprio tamen territorio, pari intelligatur ratione extensum. De speciali tandem gratia Sacra Rituum Congregatio indulget, ut eodem quoque privilegio frui valeant episcopi titulares defuncti, dummodo eorum cadavera in aula convenienti exponantur et ornamentis pontificalibus (absque tamen baculo pastorali), si extra urbem, fuerint induta; si vero in urbe, habitu tantum praelatitio ». *S. R. C. 3 apr. 1894* (*3822*).

2155 Improbatus est tamquam abusus in exsequiis mos exponendi ss. Sacramentum, quando eae celebrantur sive in die obitus aut depositionis sive in anniversario aut aliis quibuslibet diebus pro persona quadam privata (et tunc praeceptum est episcopo, ut omne studium conferat ad illum eliminandum); qui tamen usus probatur, si quando agitur de solemnibus exsequiis alicuius magni principis, vel pro omnibus fidelibus defunctis, vel pro defunctis alicuius congregationis tam ecclesiasticorum quam laicorum; et tunc potest etiam tota ecclesia nigris velis esse ornata, dummodo nihil lugubris sit in altari, in quo ss. eucharistia exponitur. *S. R. C. in Florentina 13 mart. 1804* (*2558*).

Ab hac tamen decisione videtur resiliisse postea Sacra Congregatio Rituum. Nam ad dubium: « An liceat publice exponere eucharistiae sacramentum, quum non sit consuetudo, in forma quadraginta horarum, pro una tantum die in suffragium alicuius defuncti loco officiorum de requie », S. Congregatio respondit: « *Quum non adsit consuetudo*, negative ». *S. R. C. in Fanen. 17 iul. 1900.* Vid. *Commemoratio.*

Attamen, si simul fiat officium defunctorum, expositio ss. Sacramenti facienda est absoluto defunctorum officio, ac remoto, si fieri potest, tumulo, vel saltem extinctis candelis circa illum accensis. *S. R. C. in Conversanen. 13 iul. 1883 ad 4* (*3582*).

Improbata etiam est tamquam abusus consuetudo, ut in exsequiis pro episcopo aut archiepiscopo aut patriarcha aut etiam cardinali, tam praesente quam absente corpore, vel in exsequiis pro summo pontifice, absente corpore, poneretur, vel deferretur baldachinus niger super defunctum aut castrum doloris. *S. R. C. in una Congr. Orat. 4 iul. 1879 ad 1* (*3500*).

Absolutiones ad tumulum non sunt faciendae immediate post matutinum, sed post missam, etsi haec non cantetur. *S. R. C. in Vincentina 20 aug. 1901.* Vid. *Associatio, Requiem.*

Absolutiones, quae fiunt in exsequiis summi Pontificis, episcopi ordinarii vel imperatoris etc. fieri debent a dignitatibus et in ecclesia cathedrali, vel in alia ecclesia arbitrio ordinarii eligenda, si ipsa ecclesia cathedralis impedita fuerit. In ceteris autem ecclesiis et a simplicibus sacerdotibus non sunt faciendae, nisi interveniente apostolico indulto. *S. R. C. in Pharen. 20 nov. 1903 ad 1.*

Alicubi introducta fuerat consuetudo, ut missa solemnis pro defuncto celebraretur, perinde ac si adesset cadaver, illaque completa, sacerdos una cum ministris domum defuncti accederet, atque huiusmodi absolutionem identidem repeteret, antequam cadaver terrae mandaretur. Consuetudinem hanc non esse tolerandam, rescripsit S. Congregatio de Prop. Fide *ad vic. ap. Tunk. Occ. 21 ian. 1789.*

In solemni commemoratione et exsequiis defunctorum ad altare ss. Sacramenti non potest adhiberi pallium nigri coloris (*S. R. C. in una Montis Regalis 20 mart. 1869 ad 10* [*3201*]); sed sacri tabernaculi saltem conopeum debet esse violacei coloris, quando scilicet exsequiae celebrantur in altari, ubi asservatur ss. Sacramentum, quia ex. gr. est unicum ecclesiae altare. *S. R. C. in Nesqualien. 1 dec. 1882* (*3562*).

Exsequiae pro defuncto, quum effertur corpus, non possunt expleri in ecclesiis diebus solemnioribus primae classis; et huiusmodi funera transferenda sunt ad sequentem diem aut saltem ad horas postmeridianas post diei festi vesperas, et sacris functionibus non impeditas, abstinendo tamen ab emortuali aeris campani sonitu. *S. R. C. in Corduben. 27 ian. 1883 ad 1* (*3570*); *in Illerden. 15 ian. 1897* (*3946*). Neque potest episcopus aliquam exceptionem admittere; sed e contra tenetur pro sua prudentia providere, ut praescripta Ritualis romani et decreta S. R. C. quoad hoc observentur. *S. R. C. in Parentin. 8 ian. 1904.* Festa autem, quae in supradicto decreto in Corduben. comprehenduntur, sunt omnia festa, quae iuxta catalogum festorum a S. Congr. Rituum publicatum die 22 aug. 1898 (*decr. gen.* [*3810*]) uti festa primaria sub ritu duplici primae classis et quidem de praecepto celebrantur; et, si non sint de praecepto, illae dominicae, ad quas praefatorum festorum solemnitas transfertur. *S. R. C. decr. nuper cit. 8 ian. 1904.*

Postquam funeralia in ecclesia parochiali persoluta fuerunt, etiamsi in eadem missa exsequialis non celebraretur, licet in aliena ecclesia, etiam apud regulares, cantare missam de requie quam fideles celebrare petant pro propinquis vel amicis defunctis. *S. R. C. in una ord. Min. Conv. S. Fr. 13 maii 1879* (*3494*) *ad. 1; S. C. EE. RR. in Tusculana 13 maii 1904 ad 4.* Cfr. etiam *S. C. C. in Barcinonen. 27 aug. 1904.*

Quod exsequias parvolorum, vid. *Parvuli.*

Bibliographiam quaere sub *Sepultura.*

Exsequialis missa. — Vid. *Requiem*

2156 **Exsilium.** — Vicarius apostolicus Sutchuensis petit a Sacra Congregatione de Prop. Fide: « Utrum vic. apostolicus concedere possit missionariis sui districtus, damnatis ad exsilium in alienas provincias, facultates ordinarias et extraordinarias, ut illas exercere possint in locis exsilii ». Et S. Congregatio *26 sept. 1821.* respondit: « Affirmative; sed exerceri nequeunt nisi de licentia ordinarii aut ob difficillimum accessum ad ordinarium loci, aut ob deficentiam eiusdem ordinarii ».

Episcopum exsulantem propter persecutionem acatholicorum posse eligere et deputare vicarium, qui dioecesim regat tempore sui exsilii, et hanc deputationem non spectare ad capitulum, declaravit S. Congregatio Concilii *in Tuamen. 20 iun. 1676.*

2175 **Exspuere.** — Exspuere post communionem non est per se illicitum, quum oesophagus, quo cibi in stomachum traiiciuntur, sit alius a via respirationis, per quam sputa in os confluunt. Sed propter periculum, ne aliquod hostiae fragmentum in ore remanserit, congruum est, ut, qui communicavit, per aliquod temporis spatium ab exspuendo abstineat. S. Alph. *VI. 283.*

2158 **Exsultet.** — Praeconium paschale, seu « Exsultet » cani debet versus aquilonem, prout fit ad cantum evangelii, nisi cantetur in ambone. *S. R. C. in Urgellen. 29 maii 1900.* Debet autem cani non quidem ab altero diacono, qui inserviat pro benedictione ignis et cerei tantummodo, non autem pro missa (*S. R. C. in Pisana 12 nov. 1831 ad 8* [*2684*]), sed a diacono, qui celebranti in missa inserviet. *S. R. C. in Florentina 22 iul. 1848 ad 3* (*2965*). Attamen ob peculiares circumstantias indultum est a romano Pontifice cathedrali Tiburtinae (*S. R. C. in Tiburtina 27 mart. 1824 ad 2* [*2631*]) et metropolitanae Mexicanae (*S. R. C. 2 apr. 1875* [*3341*]), ut, dummodo cantor sit in ordine diaconatus, posset praeconium cantari ab alio, quam a diacono missae, ex. gr. ab aliquo cantore chori.

Ad praeconium servari potest consuetudo adhibendi cereum parvum pro commoditate celebrantis, alium que maiorem alias benedictum accendendi tempore paschali. *S. R. C. in Casalen. 15 sept. 1753 ad 8* (*2425*).

In praeconio nominandus est episcopus dioecesanus, non vero abbas vel praelatus regularis. *S. R. C. in una Gall. 8 apr. 1690 ad 1* (*1827*); *in una. S. Maur. Agaunen. 27 iun. 1889 ad. 1* (*3711*).

Quo tempore in cantu praeconii lumina seu lampades in ecclesia accenduntur, idest cantato *Apis mater eduxit,* lampas, quae ardet, et semper ardere debet, coram ss. Sacramento, si nempe sacramentum in ecclesiam iam fuerit denuo translatum, exstingui et statim iterum reaccendi debet de novo igne. De Herdt *Sacrae. liturg. praxis III. 61.*

Extra tempora. — *Extra tempora* 2150 dicitur privilegium, quo quis potest ad sacros ordines promoveri aliis diebus ab illis, qui iure communi praescripti sunt.

Hoc privilegio gaudent omnes re-

gulares stricte dicti, nec necesse est eos habuisse hoc privilegium post concilium Tridentinum, sed privilegium etiam ante Tridentinum obtentum permanet in suo robore. *Decr. Ben. XIII. 16 maii 1725;* Gasparri *de sacra ord. I. 74.* Regularis autem huiusmodi, quamvis careat privilegio recipiendi ordines a quocumque antistite communionem habente cum Sede apostolica, dummodo constet authentica attestatione curiae episcopalis, episcopum, in cuius dioecesi situm est ordinandi monasterium seu domus religiosa, ordinationem non habiturum proximo legitimo tempore, potest ordinari ab alio quocumque episcopo. Cfr. *S. C. C. 18 aug. 1888.*

Haec eadem valent etiam pro illis religiosis votorum simplicium, qui habent privilegium recipiendi ordines, dimissoriis habitis a suo superiore, et extra tempora.

Privilegium autem hoc aliis quoque conceditur in casibus particularibus, et semper intelligendum est de ordinibus recipiendis diebus festis non continuis sed interpolatis ad arbitrium episcopi (Gasparri *loc. cit. I. 72*), nisi aliud expresse in indulto habeatur. Vi huius indulti episcopus non potest conferre ordines extra tempora non subdito etiam cum dimissoriis ordinarii. *S. U. I. 31 maii 1708.* Quando fit vi huius indulti ordinatio aliqua extra tempora, antequam ad collationem ordinum procedatur, legi debet mandatum apostolicum, sive supplicatio, cuius vigore episcopo conceditur facultas ordinandi (Rit. Rom. *tit. de ordinibus conferendis*), idest instantia reassumpta cum rescripto, non vero facultates generales, quas habere solent aliqui episcopi. *S. U. I. 2 iul. 1884.*

Facultas haec ordines extra tempora conferendi generali indulto pluribus episcopis confertur, qui in longinquis resident, et omnibus vicariis apostolicis, et iis quidem absque ulla limitatione. Attamen semper intelligitur de ordinibus conferendis diebus festivis et interpolatis. *S. C. P. F. 4 mart. 1876* (*cit. a Gasparri loc. cit. I. 78*).

Indultum hoc conceditur a romano Pontifice per rescriptum S. Congr. sacramentorum aut S. Congr. de Prop. Fide pro locis missionum.

Causae, ob quas conceditur hoc indultum, referuntur in decreto Innocentii XII. (*14 dec. 1693*); sed quum eae ibi non taxative indicentur, duximus illud transmittendum. Illud adnotare iuvat, etiam ob solatium patris vel matris ordinandi, dummodo quinquagesimum aetatis annum excesserint, et ordinandus saltem per triennium in clericali habitu honeste et laudabiliter vixerit, solere hoc indultum concedi.

Extrema unctio. — **De natura et effectibus sacramenti.** - Extrema unctio est sacramentum novae legis a Christo institutum ad conferendam salutem animae, vel etiam corporis, aegroto vita periclitanti, per unctionem olei benedicti et orationem sacerdotis. Rit. Rom. *tit. V. c. 1. n. 1.* Eius effectus sunt: gratiam secundam (habitualem), et, si infirmus in mortali sit, primam etiam conferre, dummodo fuerit attritus: similiter conferre gratiam sacramentalem, quae abstergit 2160

reliquias peccatorum; et sanitatem corporalem, si expediat animae saluti; alleviare infirmum. Conc. Trid. *sess. XIV de sacr. extr. unct. c. 2, can. 2.* Confer Billot *de extrema unctione th. XXVI. sq.*

2161 **De materia.** — Eius *materia remota* est oleum (Iac. *V. 14*) olivarum (*decr. pro Armenis in Bulla Eugenii IV « Exsultate Deo »*) ab episcopo benedictum (*decr. cit. pro Armenis;* Conc. Trid. *l. c. c. 1*). Quare non potest sacerdos adhibere oleum a se benedictum, etiamsi de casu extremae necessitatis sermo sit (*S. U.I. 14 sept. 1842, 10 ian. 1859*); esset enim materia prorsus inepta sacramento extremae unctionis conficiendo (*S. U. I. 15 mai 1878*), nisi simplex sacerdos ex delegatione summi Pontificis oleum benediceret. *Const.* Benedicti XIV « Etsi pastoralis » *26 maii 1742; de Syn. l. VIII. c. 1. n. 4.*

Quaestio est inter theologos, num oleum benedici debeat ab episcopo in ordine ad hoc sacramentum, an quodcumque oleum ab episcopo benedictum sufficiat. In praxi, si necessitas sit, debet extrema unctio administrari sub conditione etiam chrismate vel oleo catechumenorum. S. Alphons. *VI. 709.* Si oleum infirmorum ante tempus praevideatur defuturum, addendum ei est aliud non benedictum in minori quantitate. Rit. Rom. *tit. V. c. 1. n. 3.* Oleum istud renovandum est, non tamen ad validitatem sacramenti, singulis annis. Rit. Rom. *l. c. n. 3.*

Materia proxima est unctio cum hoc oleo quarumdam partium corporis. Cat. Rom. *tit. de extr. unction. sacr. n. 18.*

An unctiones quinque sensuum requirantur ad validitatem sacramenti, an contra una sufficiat, controvertitur. Cfr. Bened. XIV. *de Syn. lib. VIII. cap. 3. n. 3;* S. Alph. *VI. 710.* Scilicet controvertitur, an valeat sacramentum, unica peracta unctione in capite sub unica forma omnes sensus ungendos exprimente. Utraque sententia probabilis; negans communior et tutior; affirmans multo probabilior, quum Graeci alias partes corporis ungant, idest frontem, mentum, genas et manus. Cfr. Pesch *Theol. dogm. VII. 529.* In necessitate sub unica unctione danda est extrema unctio, quia probabile certe est, sacramentum confici. S. Alph. *VI. 710.*

In casu forte praestaret, si plures adessent sacerdotes, ut simul singuli aliquod organum inungerent, recitata propria forma; qua ratione et valide et licite sacramentum hoc administratur, ex Benedicto XIV. *Ep. ad Engelbertum Abb. 16 nov. 1748.*

Data extrema unctione sub unica unctione in capite, si infirmus adhuc vivat, ut sequitur ex dictis, debet sacerdos sub conditione ministrare denuo sacramentum sub omnibus ordinariis unctionibus.

Unctiones vero faciendae sunt a sacerdote, pollice dextero, proferendo simul formam et per modum crucis infirmum inungendo. Rit. Rom. *l. c. c. 2. n. 8.* Ad valorem autem sacramenti non requiritur unctio cum pollice, sed fieri etiam potest mediante penicillo in casu necessitatis, non vero licet extra hunc casum, nec excusat

consuetudo. *S. R. C. in una Portus Aloisii 9 maii 1857 ad 2 (3051); in Toletana 31 aug. 1872 ad 3 (3276); in Colimen. 12 iul. 1901 ad 8; S. C. P. F. pro Sin. 21 iun. 1788.* Certum omnino est, non requiri unctionem in geminis partibus, seu in utroque oculo, etc. S. Alph. *l. c.* Attamen tum unctio quinque sensuum, tum geminata unctio oculi etc., extra casum necessitatis vi praecepti praestanda omnino est.

Unctio renum in viris, nisi quando infirmus commode moveri non potest, facienda est (Rit. Rom. *tit. V. c. 1. n. 15*), et, si consuetudo sit eam non faciendi, eliminanda est, et curandum est, ut fideles sensim sine sensu ad illam quoque admittendam inducantur. *S. R. C. in Ultraiecten. 14 aug. 1858 (3075).*

Verum aliquando ob speciales circumstantias, ut quum missionarii deberent ungere fideles valde senes aut phtisi laborantes, in ipso coetu fidelium, expleta missa, concessum est, ut haec unctio omitteretur. *S. C. P. F. ad vic. ap. Sutchuen. 21 sept. 18 43.* Et generatim unctio renum numquam praetermitti potest, praeter casum ab ipso Rituali Romano propositum, nisi in casibus particularibus, adhibitis cautelis, decentiae satis consuli aliter nequeat. *S. U. I. 28 aug. 1889.*

Sacerdotibus manus non interius, sicut ceteris, sed exterius inungi debent. Rit. Rom. *l. c. n. 16.* Mutilatis vero pars membro proxima eadem verborum forma ungenda est. Rit. Rom, *l. c. n. 18.*

2162 **De forma.** — Forma huius sacramenti est deprecatoria, et continetur his verbis: *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum* (vel *auditum* etc.) *deliquisti. Amen.* Conc. Trid. *sess. XIV c. 1. de extrema unctione;* Rit. Rom. *tit. V. cap. 1. n. 20. c. 2. n. 8;* Cat. Rom. *l. cit. n. 7.* Huius formae, quae ad singulas unctiones repetenda est, verba certo essentialia sunt: *per istam unctionem indulgeat tibi Dominus;* iuxta quosdam autem essentialia etiam sunt: *quidquid per visum etc. deliquisti.* S. Alph. *VI. 711.* Cfr. D'Ann. *III. 415.* Verum S. Congr. S. Officii edixit in casu verae necessitatis sufficere formam: *Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen. S. U. I. 25 apr. 1906.* Instante mortis periculo, oleo ungendus est infirmus, et relictis orationibus unctiones praecedentibus, quae in rituali habentur, debet sacerdos incipere ab unctionibus, dicturus postea orationes praetermissas, si fuerit tempus. Rit. Rom. *l. c. n. 10.* Cfr. Mon. eccl. *vol. XIX. pag. 231 nn. 28. 29.*

De ministro. — Minister huius sa- 2163
cramenti est solus sacerdos. Iac. *V. 14;* Conc. Trid. *l. c. c. 3, can. 4;* Cat. Rom. *l. c. n. 13.* Sacerdos quilibet valide illud confert; sed extra necessitatem licite solus pastor animarum (Ben. XIV *de Syn. lib. VIII. c. 4. n. 7*), qui ratione officii sui tenetur sub mortali subditis periculose aegrotantibus et petentibus illud ministrare. S. Alph. *VI. 729.*

Regularibus vero, et iis, qui regularium iure censentur, etsi forte extra monasterium decumbant, extrema un-

ctio administrari potest a praelatis propriis. *Const.* Pii V « Immarcescibilem » *a. 1567;* D'Ann. *III. 416.*

Non debet exspectari articulus mortis ad hoc sacramentum conferendum, et in hoc potest graviter peccare parochus.

Debet autem administrari cum superpelliceo et stola, nisi periculum sit in mora. *S. R. C. in Gandaven. 16 dec. 1826. ad 2 (2650); S. U. I. 11 dec. 1850.* Ob aliquam gravem causam, ex. gr. ratione periculi, potest etiam sine stola conferri. Cfr. *S. C. P. F. pro Sin. 16 iun. 1820; S. R. C. in una vic. ap. de Dania 4 febr. 1871. ad 1 (3234).*

Nota hic, si necessitas immineat conferendi cito unum post aliud, viaticum, extremam unctionem et benedictionem apostolicam in articulo mortis, licere semel tantum recitare « Confiteor ». *S. U. I. ad ep. Quebecen. 1 sept. 1851.*

Oleum sacrum non est deferendum solemniter ad infirmos cum superpelliceo et lanternis. *S. R. C. in Baren. 28 ian. 1606 (196).*

Ne attenta quidem consuetudine, licita est praxis, ut sacerdotes curam animarum habentes, pro sua commoditate, apud se in domibus suis retineant sacrum oleum infirmorum, excepto tamen casu magnae distantiae ab ecclesia, quo in casu omnino servanda est etiam domi rubrica de honesta et decenti tutaque custodia (*S. R. C. decr. cit. 16 dec. 1826 ad 3; decr. cit. 31 aug. 1872 ad 5*); nec ad retinendum domi oleum sanctum reputanda est causa sufficiens, quod domus parochi ab ecclesia sit seiuncta, ita ut huius fores noctu per accitos famulos sint aperiendae. *S. R. C. in Lauden. 23 iun. 1892 ad 7 (3779).*

De excommunicatione in religiosos illegitime ministrantes hoc sacramentum. — 2164 Religiosi praesumentes clericis aut laicis ministrare extremam unctionem extra casum necessitatis (ut si parochus non facile acciri possit, aut accitus nolit venire, et periculum sit in mora, quia tunc licet ministrare etiam invito parocho, D'Ann. *Comm. in const. « Ap. Sedis » n. 145*), absque licentia parochi (aut illius, qui vices eius gerit, cuius aegrotus subditus sit ex domicilio vel quasi domicilio : quare peregrini excluduntur, quum non habeant verum parochum in sensu iuris eo in loco, ubi sunt peregrini, etsi consuetudine introductum sit, ut a parocho loci sacramenta accipiant, D'Ann. *loc. cit.*) incurrunt excommunicationem latae sententiae R. Pontifici simpliciter reservatam. *Const.* « Apost. Sedis » *ser. 2. n. 14.* Licentia vero intelligitur etiam mere praesumpta. B. P. *V. 862;* D'Ann. *loc. cit.*

Quum autem excommunicatio haec lata sit in praesumentes, excusat quaevis ignorantia seu facti, seu iuris, ut ecce, si quis falso existimavit, parochum non esse invitum, aut esse periculum in mora, aut etiam si existimavit falso periculum non adesse, quod aderat, aut parochum esse invitum, qui invitus non erat, quia ex. gr. dederat licentiam aegroto. D'Ann. *loc. cit.* Quoad personas haec adnotat ipse D'Annibale (*loc. cit. n. 146*), nempe necesse esse, eum esse religiosum,

idest regularem: quare ex hoc capite eximi sacerdotes seculares, et piae cuiusvis congregationis vel religionis a R. Pontifice nondum approbatae, imo et approbatae, si nondum professionem, et hodie solemnem, emiserint, vel, si postemissam eicti fuerint, vel per iniquas leges extrusi, et foras quasi presbyteri seculare poi vitam agant.

Praeterea sacramentum debet fuisse valide ministratum, et patet.

Demum debet sacramentum ministrari clericis aut laicis; non igitur si ministratur regularibus etiam al terius ordinis et extra monasterium, vel etiam his, qui regularium iure censentur, idest novitiis et famulis actu inservientibus et conviventibus. D'Ann. *loc. cit.*; B. P. *VII 314.*

2165 **De subiecto.** — Subiectum huius sacramenti sunt omnes fideles vita periclitantes (Rit. Rom. *l. c. c. 1. n. 5*), qui ad usum rationis pervenerint. Hinc dari potest etiam delirantibus, non tamen pueris doli incapacibus vel perpetuo amentibus. Rit. Rom. *l. c.*; Ben. XIV. *de Syn. lib. VIII c. 6. n. 2*; S. Th. *in IV. dist. 23. q. 2 a. 2*; Cat. Rom. *l. c. n. 9.*

Vita periclitari autem dicendi sunt quicumque gravi morbo laborant (*Const.* Ben. XIV « Ex quo primum » *1 mart. 1756*), nec necesse est, ut intra paucos dies videantur mori. Hinc S. Congr. de Prop. Fide censuit, posse a missionario conferri extremam unctionem illis quoque, qui phtisi ex. gr. laborantes, per plures adhuc menses vivent, sed probabiliter dubitatur, imo fere certum est, eos intra annum, antequam redire possit missionarius, morituros. *S. C. P. F. pro Sin. 20 febr. 1801.* Iis etiam, qui prae senio deficiunt, et in diem videntur morituri etiam sine alia infirmitate dandum est hoc sacramentum. Rit. Rom. *l. c. n. 5.*

Semel datum nequit repeti, durante eodem omnino morbo. Cfr. Conc. Trid. *l. c. cap. 3*; Cat. Rom. *l. c. n. 11*; Rit. Rom. *l. c. c. 1. n. 14.*

Nec datur gravis obligatio illud recipiendi S. Alph. *VI. 733.*

Ex generali ecclesiae consuetudine, ut dicit Rit. Rom. (*l. c. n. 2*), sacramentum hoc confertur, postquam aegrotus receperit sacramamenta poenitentiae et eucharistiae (non tamen necessario ad modum viatici, nullibi enim hoc in iure scriptum est); sed illud prius dare, vel nullum, vel vix leve peccatum est. S. Alph. *VI. 716.*

Nota, adulto etiam nuper baptizato conferri posse immediate post baptismum, si graviter aegrotet, sacramentum extremae unctionis. *S. C. P. F. 26 sept. 1821.* Attamen, quum necessaria sit intentio recipiendi hoc sacramentum, illud conferendum non est neophyto moribundo, quem missionarius capacem baptismi existimavit, nisi saltem idem habeat aliquam intentionem recipiendi sacram unctionem in beneficium animae pro mortis tempore ordinatam. *S. U. I. 10 maii 1703.*

De iteratione huius sacramenti. — 2166 Reiterari hoc sacramentum posse certum est. *Decr. pro Armenis*; Conc. Trid. *sess. XIV. de extr. unct. c. 3.* Rituale vero Romanum (*loc. cit. n. 14*) dicit, in eadem infirmitate hoc sacramentum iterari non debere, nisi diu-

turna sit; ut si, quum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis incidat. Quare tunc tantummodo est repetendum sacramentum, quum vel ex eadem infirmitate, vel ex alia, novum periculum mortis immineat. Hinc, si infirmitate etiam diuturna idem periculum semper perduret, sacramentum non est repetendum. Ex dictis patet, nonnisi per errorem alicubi inductam fuisse persuasionem, sine ullo discrimine, morbo perdurante, post quadraginta dies a collato primitus sacramento, idem sacramentum esse denuo conferendum, et sic deinceps.

Decr. Grat. c. 3. D. XCV; c. 10. C. XVI. q. 10; c. 1. C. XXVI. q. 7; c. 18. D. III de cons.; c. 122 sqq. D. IV de cons.; tit. de sacra unct. X. (I. 15); tit. de custodia euch. chrism. et aliorum sacr. X. (III. 44); c. 14 de verb. sign. X. (V. 40); c. 1 de privil. etc. (V. 7) in Clem.; Conc. Trid. sess. XIV doctr. de ss. poenit. et extremae unctionis sacram. *Ciualli O.* Del sacramento dell' estrema untione: *Launoius* De sacramento unctionis infirmorum; *Scaccus* Sacrorum elaeochrysmaton myrothecium; *DeSainte-Beuve J.* Tract. de sacramento confirmationis et unctionis extremae; *Dallaeus* De duobus Latinorum ex unctione sacramentis, confirmatione et extrema unctione; *Onorato A.* Dissertazioni (diss. IV dell'estrema unzione); *Benedictus* XIV De syn. dioec. lib. VIII c. 1 sqq.; *Gläser J.* Die Krankenölung in ihr. bibl. u. histor. Begründung; *Heimbucher M.* Die hl. Oelung; *Schmitz J.* De effectibus sacr. extremae unctionis; *Lebherz St.* Die Spendung d. heiligen Sterbsakramente f. lebensgefährlich erkrankte Kinder vom zurückgelegten sechsten Lebensjahr; *Schmid E.* Ueber d. Wiederholbarkeit d. Krankenölung; *Sägmüller* Lehrb. d. k. KR. § 118; *Kern* De sacramento extremae unctionis.

F

2167 **Fabriciarii ecclesiae.** — Administratores tam ecclesiastici, quam laici, fabricae cuiusvis ecclesiae, etiam cathedralis, hospitalis, confraternitatis, eleemosynae montis pietatis et quorumcumque piorum locorum, singulis annis tenentur reddere rationem administrationis ordinario; consuetudinibus et privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis, nisi secus forte in institutione et ordinatione talis ecclesiae seu fabricae expresse cautum esset. Quod si ex consuetudine aut privilegio, aut ex constitutione aliqua loci, aliis ad id deputatis ratio reddenda esset, tunc cum iis adhibendus est etiam ordinarius, et aliter factae liberationes dictis administratoribus non suffragantur. Ita Conc. Tridentinum *sess. XXII. c. 9 de ref.* Cfr. etiam *sess. VII. c. 15 de ref.; litt. ap. Pii VII ad episc. Am. sept. 24 aug. 1822; S. C. C. in Lancianen. 20 sept. 1710 ad 9, in Asculana 3 et 24 mart. 1725 ad 5, in Iuvenacen. 7 iul. et 22 sept. 1736, in Comen.*

27 iul. 1737, in Asculana 12 iul. 1778. Cfr. *Traité théor. et pratique des Conseils de fabrique.*

2168 **Facultates quinquennales.** — Hae facultates, quae quoad casus S. Sedi reservatos et dispensationes matrimoniales episcopis concedi solent, sequenti formula comprehenduntur:

« Vobis venerabili in Christo Patri N. N. infrascriptas communicamus facultates ad quinquennium duraturas, quibus, non obstante constitutione « Ap. Sedis » pro foro conscientiae per vos sive per vestrum vicarium in spiritualibus generalem, dummodo in sacro presbyteratus ordine sit constitutus, etiam extra sacramentalem confessionem pro grege vobis commisso, et intra fines vestrae dioecesis tantum, atque speciali in unoquoque casu exprimenda sedis apostolicae auctoritate vobis delegata uti valeatis; quasque canonico poenitentiario, nec non vicariis foraneis pro foro pariter conscientiae ac in actu sacramentalis confessionis dumtaxat, etiam habitualiter, si vobis placuerit, aliis vero confessariis, quum ad vos sive ad praedictum vicarium generalem in casibus particularibus poenitentium recursum habuerint, pro exposito casu impertiri possitis, nisi ob peculiares causas aliquibus confessariis a vobis specialiter subdelegandis, per tempus arbitrio vestro statuendum, illas communicare iudicabitis.

1° Absolvendi ab excommunicatione R. Pontifici simpliciter reservata ob manus violentas iniectas sive in clericos sive in regulares, dummodo non fuerit secuta mors vel mutilatio seu letale vulnus aut ossium fractio, et dummodo casus ad forum ordinarii deducti non fuerint, iniunctis de iure iniungendis, et praesertim ut parti laesae competenter satisfiat.

2° Absolvendi a censuris contra duellantes statutis in casibus dumtaxat ad forum ordinarii non deductis, iniuncta gravi poenitentia salutari et aliis iniunctis, quae fuerint de iure iniungenda.

3° Absolvendi quoscumque poenitentes (exceptis haereticis publicis, sive publice dogmatizantibus) a quibusvis sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis incursis ob haereses, tam nemine audiente vel advertente, quam coram aliis externatas; ob infidelitatem et catholicae fidei abiurationem private admissas, sacrilegia ac maleficia haereticalia, etiam cum sociis patrata, nec non ob daemonis invocationem cum pacto donandi animam eique praestitam idololatriam ac superstitionem haereticales exercitas, ac demum ob quaecumque insinuata falsa dogmata incursis, postquam tamen poenitens complices, si quos habeat, prout de iure, denuntiaverit; et quatenus ob iustas causas nequeat ante absolutionem denuntiare, facta a poenitente seria promissione denuntiationem peragendi quum primum et meliori modo, quo fieri poterit, et postquam in singulis casibus coram absolvente haereses secrete abiuraverit, et pactum cum maledico daemone initum expresse revocaverit; tradita eidem absolventi syngrapha forsan exarata, aliisque mediis superstitiosis, ad omnia comburenda seu destruenda; iniuncta pro modo exces-

suum gravi poenitentia salutari, cum frequentia sacramentorum et obligatione se retractandi apud personas, coram quibus haereses manifestavit, et reparandi illata scandala.

4° Absolvendi a censuris ob violationem clausurae regularium utriusque sexus, dummodo non fuerit commissa cum intentione ad malum finem etiam effectu non secuto, nec casus fuerint ad forum ordinarii deducti, cum congrua poenitentia salutari. Et insuper absolvendi mulieres tantum a censuris et poenis ecclesiasticis ob violationem ad malum finem clausurae virorum religiosorum incursis, dummodo tamen casus occulti remaneant; iniuncta gravi poenitentia salutari, cum prohibitione accedendi ad ecclesiam aut conventum seu coenobium dictorum religiosorum, durante occasione peccandi.

5° Absolvendi a censuris ob retentionem et lectionem librorum prohibitorum incursis, iniuncta congrua poenitentia salutari, nec non firma obligatione tradendi, prout de iure, sive per se sive per alium absque ulla mora et quantum fieri poterit ante absolutionem, libros prohibitos, quos poenitens in sua potestate retineat.

6° Absolvendi a casu Sedi apostolicae reservato ob accepta munera a regularibus utriusque sexus, iniuncta poenitentia salutari; et quando agitur de muneribus, quae valorem decem scutatorum non excedunt, imposita aliqua eleemosyna absolventis iudicio taxanda et caute eroganda, quum primum poterit, in beneficium religionis aut conventus, cui facienda esset restitutio, dummodo tamen non constet quod illa fuerint de bonis propriis religionis; quatenus vero accepta munera, vel fuerint ultra valorem scutatorum decem, vel constet fuisse de bonis propriis religionis, facta prius restitutione, quam si de praesenti poenitens adimplere nequeat, emissa seria promissione restituendi infra terminum absolventis arbitrio praefiniendum; alias sub reincidentia.

7° Absolvendi a censuris et poenis ecclesiasticis eos, qui sectis vetitis massonicis aut carbonariis, aut aliis eiusdem generis sectis nomen dederunt, aut qualemcumque favorem praestiterunt, ita tamen ut a respectiva secta omnino se separent, eamque abiurent, libros, manuscripta ac signa sectam respicientia, si quae retineant, in manus absolventis ad ordinarium quamprimum caute transmittenda, aut saltem, si iustae gravesque causae id postulent, comburenda; iniuncta pro modo culparum gravi poenitentia salutari, cum frequentia sacramentalis confessionis aliisque iniunctis de iure iniungendis; nec non absolvendi eos, qui eiusmodi sectarum duces et coriphaeos occultos denunciare culpabiliter neglexerint; iniuncta pariter salutari poenitentia, et firma obligatione sub reincidentia eosdem vobis vel aliis, ad quos spectat, prout de iure denunciandi.

8° Absolvendi religiosos cuiuscumque ordinis (etiam moniales, per confessarios tamen pro ipsis a vobis approbatos vel specialiter deputandos) non solum a praemissis, sed etiam a casibus et censuris in sua religione reservatis, dummodo religiosi apud confessarium subdelegatum legiti-

mam habuerint licentiam peragendi confessionem sacramentalem.

9° Dispensandi ad petendum debitum coniugale cum transgressore voti castitatis, privatim emissi, qui matrimonium cum dicto voto contraxerit; huiusmodi poenitentem monendo, ipsum ad idem votum servandum teneri tam extra licitum matrimonii usum, quam si marito vel uxori respective supervixerit.

10° Dispensandi cum incestuoso vel incestuosa ad petendum debitum coniugale, cuius ius amisit ex superveniente occulta affinitate per copulam carnalem habitam cum consanguinea vel consanguineo, sive in primo et secundo, sive in secundo gradu, suae uxoris seu respective mariti, remota occasione peccandi, et iniuncta gravi poenitentia salutari et confessione sacramentali singulis mensibus per tempus arbitrio dispensantis statuendum.

11° Dispensandi super occulto impedimento primi, nec non primi et secundi ac secundi tantum gradus affinitatis ex illicita carnali copula provenientis, quando agatar de matrimonio cum dicto impedimento iam contracto, et quatenus agatur de copula cum suae putatae uxoris matre, dummodo illa secuta fuerit post eiusdem uxoris nativitatem, et non aliter; monito poenitente de necessaria secreta renovatione consensus cum sua putata uxore aut suo putato marito, certiorato seu certiorata de nullitate prioris consensus, sed ita caute, ut ipsius poenitentis delictum nunquam detegatur; et quatenus haec certioratio absque gravi periculo fieri nequeat, renovato consensu iuxta regulas a probatis auctoribus traditas; remota occasione peccandi, ac iniuncta gravi poenitentia salutari et confessione sacramentali semel in mense per tempus dispensantis arbitrio statuendum.

Item de speciali et expressa apostolica auctoritate vobis facultatem concedimus dispensandi super dicto occulto impedimento, seu impedimentis affinitatis ex copula illicita, etiam in matrimoniis contrahendis, dispensandique facultatem subdelegandi etiam habitualiter parochis vestrae dioecesis, quando tamen omnia parata sint ad nuptias, nec matrimonium, usque dum ab apostolica Sede obtineri possit dispensatio, absque periculo gravis scandali differri queat, remota semper occasione peccandi, et firma manente conditione, quod copula, habita cum matre mulieris, huius nativitatem non antecedat; iniuncta in quolibet casu poenitentia salutari.

12° Dispensandi super occulto criminis impedimento, dummodo sit absque ulla machinatione, et agatur de matrimonio iam contracto; monitis putatis coniugibus de necessaria consensus secreta renovatione. Item ex eadem speciali expressa apostolica auctoritate pariter facultatem concedimus dispensandi super eodem occulto impedimento, dummodo sit absque ulla machinatione, etiam in matrimoniis contrahendis, in casibus tamen urgentioribus, in quibus tempus non suppetat recurrendi ad s. Sedem; iniuncta in utroque casu gravi poenitentia salutari, et confessione

sacramentali semel singulis mensibus per tempus dispensantis arbitrio statuendum.

N. B. Mens nostra est, 1° ut, si forte ex oblivione vel inadvertentia ultra praedictum terminum his facultatibus vos uti contingat, absolutiones seu dispensationes exinde impertitae ratae sint et validae; 2° ut iniunctio confessionis sacramentalis, de qua sub n. 10° 11° et 12°, non sit irritativa, sed tantum praeceptiva; 3° ut his facultatibus non solum singillatim, sed etiam cumulative in uno eodemque casu uti possitis ».

2169 Vicariis apostolicis extraordinariae facultates conceduntur ad quindennium. Neque enim passim et pro cuiusque episcopi merito facultates ab apostolica Sede conceduntur, sed iuxta antiquam praestitutam praxim, prout regionum distantia ab urbe et dioecesium utilitas postulat, cuiuslibet regni aut provinciae episcopis distribuuntur, ita ut minores iis, qui intra Europam, ampliores autem iis, qui in aliis mundi partibus commorantur, largiri consueverint. Ratio etiam habetur eorum, qui sub potestate vivunt principum infidelium, eorumve, qui in felici catholicorum principum ditione degunt. Animarum salus, observantia canonum, custodia disciplinae, ac demum sobria quaedam legum retinendarum severitas moderatrix est omnium facultatum, quas apostolica Sedes episcopis indulget pro dispensationibus elargiendis. *Instr. S. U. I. ad episc. Scepusien. 16 aug. 1781.* Initium autem quindennii pro vicariis apostolicis non est desumendum a die datae ipsarum facultatum, sed a die, quo ipsae perveniunt ad dioecesim et ad manus vicarii, cui conceduntur. *S. C. P. F. 2 apr. 1640, 13 aug. 1670. 22 ian. 1759.* Quoties autem consuetarum facultatum rite ac tempestive facta sit postulatio, licet ex temporum iniuria concessio retardetur, atque interim veteres exspiraverint, earum tamen usus ex praesumpta S. Sedis concessione continuari potest usque ad illius responsum (*S. C. P. F. ad arch. Mexican. 22 mart. 1817; ad ep. Nicopolitan. 23 febr. 1832*); quod relate ad facultates extraordinarias et particulares, quae pro determinato casuum numero concedentur, ita accipiendum est, ut renovatae intelligantur pro eadem quantitate, si, biennio transacto a die postulationis, vicarii apostolici responsum non acceperint. *S. C. P. F. ad vic. ap. Tunk. Occ. 5 iul. 1841.*

Clausula autem, quae aliquando in variis formulis harum facultatum apponitur, idest « nullo modo uti possit extra fines dioecesis » ita intelligi debet, ut facultates sub ipsa comprehensae exerceri tantummodo possint cum propriis subditis in dioecesi exsistentibus actu, quo conceditur gratia, quamvis ipse episcopus extra suam dioecesim degat; ea tamen clausula non subintelligitur in facultatibus, quae episcopis ab apostolica Sede conceduntur, nisi fuerit expressa, vel aliter constet de mente summi Pontificis, vel nisi subiecta materia eam requirat. *S. U. I. 22 nov. 1865, 2 mai 1877.*

Facultates a S. Officio missionariis 2170
concessae, per bullam jubilaei anni

sancti non suspenduntur. *S. U. I. 29 apr. 1625.*

Raich J. M. Ueber d. Anwendung d. Quinquennalfakultäten auf konkurrierende Ehehindernisse; *Konings-Putzer* Comm. in facult. apostol.; *Mergentheim* Die Quinquennal-Fak. pro foro externo.

2171 **Fallentiae.** — Voluit concilium Tridentinum (*sess. XXI. c. 3. de ref.; sess XXII. c. 3. de ref.*), ut tertia pars fructuum cuiuscumque beneficii in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, in quibus vel nullae sunt distributiones quotidianae, vel ita tenues, ut verisimiliter negligerentur, converterentur in distributiones quotidianas applicandas dignitatibus et ceteris interessentibus divinis officiis, non obstantibus consuetudinibus etiam immemorialibus. Vid. *Distributiones.* Porro alicubi varias ob causas, praesertim quia hoc facilius in praxim deducitur, loco harum distributionum applicandarum praesentibus in choro, statutum est, ut canonici absentes mulctam quamdam solverent seu punctaturam; quod in idem recidit. Punctaturae autem huiusmodi seu fallentiae constituendae sunt in tertia parte fructuum ad formam supracitati decreti concilii Tridentini. Cfr. *S. C. C. in Brundusina 26 iun. 1824.*

2172 Quaeritur autem quibusnam accrescere debeant fallentiae, seu quinam eas debeant lucrari. Ratio autem dubitandi est in aliqua discordantia, quae prima fronte observatur in supracitatis decretis tridentinis. Nam in sess. XXI videntur distributiones istae seu fallentiae applicandae interessentibus; in sess. XXII videntur contra applicandae fabricae ecclesiae, quatenus indigeat, vel alteri pio loco, arbitrio ordinarii. Porro apparens haec dissonantia sic ex recepta doctorum interpretatione concilianda est. Scilicet decretum sessionis XXII, iniungens applicationem amissarum distributionum favore fabricae ecclesiae vel alteri loco pio, loquitur tantum de distributionis extraordinariis et impropriis, quae de reditibus particularibus dignitatum, personatuum et officiorum assignandae sunt pro implemento particularium onerum ac officiorum eisdem dignitatibus et personatibus vel ex fundatione, vel ab episcopo iniunctorum, non vero de quotidianis distributionibus ex massa communi capituli assumendis, et pro rata interessentiae divinis officiis dividendis. *S. C. C. in Cephaluden. 31 mart. 1770. in Caurien. 7 nov. 1621; S. C. EE. RR. in Callien. 17 ian. 1577;* Ben. XIV. *Inst. CVII. n. 41;* Fagnanus *in cap. 3. lib. III. Decr. n. 17;* Lucidi *de vis. sacr. lim. I. c. 3. n. 37.*

Quoad fallentias autem, quae interessentibus accrescere debent, notandum est, hanc legem tridentinam abolere quamcumque contrariam consuetudinem etiam immemorabilem, imo has consuetudines reprobare tamquam corruptelas. Hinc, sicubi introductum fuit, ut fallentiae in communem massam redigerentur, dividendae postea aequaliter inter absentes et praesentes, haec consuetudo reprobata est, et praescriptum, ut punctaturae dividerentur inter actu praesentes ad tramitem iuris. *S. C. C. in Asculana 5 iun. 1706; in Carpenctoraten. 2 iun. 1731.; in Aesina 22 dec. 1860; in Ro-*

mana 22 febr. 1862; in Ianuen. 8 aug. 1863. etc. Cfr. etiam eamdem *S. C. C. in Guastallen. 21 nov. 1903.*

2173 Aliquando in capitulis non omnes canonicatus eodem tempore erecti sunt, sed distinguuntur canonicatus primae, secundae, tertiae etc. erectionis. Quoad canonicos, qui obtinent canonicatus posteriorum erectionum, quaesitum est, an gaudeant iisdem iuribus, ac antiquiores. Rem paucis complecitur d'Annibale *III. 180 (25);* scilicet, si antiquiores « novis hisce erectionibus sub aliqua conditione consenserint, conditio pro lege erit *(S. C. C. 5 maii 1703, 1 febr. 1766);* sin pure, questio voluntatis est. Itaque affirmandum videtur, si is, qui novas praebendas fundavit (vel erexit) veterum iura communia cum novis esse voluerit; secus illi non videntur renunciare iuribus eousque sibi quaesitis (Pignatelli *tom. VI consult. 48;* De Luca *de canon. disc. 37. 2).* At vero, si quae subinde capitulo accesserint, ista omnibus pariter (quippe omnes capituli sunt) accedere intelliguntur *(S. C. C. 14 apr. 1714)*, ut ecce emolumenta ex legatis postea relictis (*S. C. C. 9 maii 1744, 20 dec. 1862*). Ceterum quorum iurium *novi*, eorum et onerum participes fiunt *(S. C. C. 3 febr. 1776)*. At quoad vocem activam et passivam in comitiis capitularibus, *novi* utraque gaudent; praeterquam in his, quae pertinent ad iura et negotia veterum canonicorum (*S. C. C. 1 febr. 1766*) ». *Cfr. apud Lucidi loc. cit. III. doc. 27. seu folium causae « Velitern ». Participationis.*

Haec fallentiis quoque cum debita proportione sunt applicanda. Hinc prohibitum est, ne canonici posterioris erectionis massae capitularis distributiones lucrifaciant, nisi eorum fundatores aequam portionem in massam capitularem contulerint. *S. C. C.in Fabr. 8 aug. 1829.* Lucidi *loc. cit. n. 41.;* Vid. *Punctatores.*

In decreto generali S. R. C. (*diei 13* 2174 *iulii 1904*) de dispensatione a choro, qua fruutur sive operam navantes conficiendis processibus, sive testes in causis beatificationis et canonizationis; et quo statutum fuit atque indultum ut chorales omnes et singuli in casu habeantur tamquam praesentes in choro, mutato officio, et ideo omnia percipiant emolumenta etiam eventualia, horum nomine veniunt etiam ea, quae vulgo *falle* vocantur; omnes enim hi praesentes sunt. Et hoc valet non obstante quacumque antiqua atque etiam immemoriali consuetudine contraria. *S. R. C. 25 maii 1909.*

Bibliographiam quare sub *Canonici, Capitulum.*

Falsarius. — Omnes falsarii litte- 2175 rarum apostolicarum, etiam in forma brevis etc., sive gratiam contineant, sive iustitiam, excommunicationem latae sententiae speciali modo R. P. reservatam incurrunt. *Const.* « Apolicae Sedis » *ser. 1. n. 9.*

Crimen falsi habetur quoties quis dolo malo veritatem aut immutat aut supprimit, ut vel sibi prosit, vel alteri graviter noceat, eum decipiendo. D'Ann. *Comm. in const. «Ap. Sedis.» n. 78.* Quare crimen falsi circa has litteras committitur, eas corrumpendo, vel confingendo, vel falso publican-

do, vel demum signando supplicationes, quoties in iis falso rescribitur: *Fiat*. Tenet autem, ait D'Annibale (*loc. cit. n. 81*) corrumpentes, publicantes (non ut in antiquioribus BB. in Coena Domini legi solitis, fabricantes), signantes, et praeterea neminem. Non enim tenet retinentes, qui qui nec antea tenebantur; non fautores, nec consulentes, quia ex veteri iure heic omittuntur; non cooperatores, neque verius mandantes; eoque minus, qui scienter impetrat litteras vel rescripta obreptitia vel subreptitia; vel ementito nomine sibi impetrat.

Qui litteras apostolicas non falsificat, sed falsis scienter utitur, vel utenti cooperatur, excommunicationem et ipse incurrit episcopo reservatam *Const.* « Apostolicae Sedis » *ser. 3. n. 3.* — Quare ab hac excommunicatione excusat ignorantia etiam crassa, et iuxta d'Annibale (*loc. cit. n. 163*) affectata quoque.

Si quis utrumque admiserit, utraque excommunicatione irretitur.

2176 **Fama.** — Fama per se est communis insinuatio de aliquo facto seu auctore facti; vel quidquid de aliquo divulgatur sive in bonum sive in malum, ut puta quum communiter dicitur Titius commisisse tale furtum aut homicidium. Reiffenstuel *in tit. 20 lib. II Decr. n. 390.* Fama sic accepta differt a rumore. Nam fama tunc habetur, quum tota civitas vel vicinia, seu maior pars populi aliquid asserit; rumor autem, quum aliqua pars minor, puta media, tertia vel quarta pars ita loquitur. Fama procedit a certo et honesto auctore, qui dixit se aliquid vidisse etc.; rumor ab auctore incerto. Fama vires suas eundo et perseverando extendit; rumor quandoque cito deficit. Quoad effectus, fama magis probat, quam rumor, ea enim est communis assertio; rumor, quum pauci aliquid dicunt, non probat, sed solam suspicionem et praesumptionem inducit. Reiffenstuel *loc. cit.*

Fama sumitur etiam pro existima- 2177
tione, et tunc stricte ad sensum iuris est: illaesae dignitatis status legibus ac moribus comprobatus. *l. 5 de extraord. cognit. etc. D.* (*L. 13*). Latius dicitur bona aestimatio, quam alii habent de aliquo. Cfr. d'Ann. (*I. 121*). Unusquisque est suae famae dominus, quamobrem aut non est illicitum, aut certo non grave, infamare seipsum nisi exinde grave seipsum infamanti damnum, vel aliis scandalum proveniat. S. Alph. *III. 983.* Alienam famam laedere est peccatum detractionis. Vid. *Detractio.*

Freherus M. Tract. de fama publica; *Azpilcueta M.* Tract. de detractione famae; *Typotius J.* Tract. de fama; *Glaesserus E.* De fama eiusque imminutione; *Ficarra Cl.* De fama tract. theol. moralis.

Familiae bonum. — Inter causas, 2178
ob quas dispensationes matrimoniales conceduntur, adnumeratur etiam bonum familiae. *Praxis ap. disp. super imp. matr. n. 75.* Bonum autem hoc non uno modo intelligitur. Ante omnia significat illustrisfamiliae conservationem; et haec est causa gravis, quae gravior etiam et gravissima esse potest secundum varias familiarum conditiones et circumstantias. *Praxis etc. n. 102.*

Quando haec causa pro dispensa-

tione obtinenda allata est, debet exsecutor verificare, an de facto oratores sint nobiles seu familiae illustris. Circa quod en ea, quae in citata Praxi etc. (*n. 103*) habentur, et magni momenti sunt quoad praxim : « Splendidior est antiqua nobilitas ; sed simplex etiam nobilitas suo non caret fulgore. Ea habetur, si quis vivat et incedat ratione quadam superiore modo vivendi et incedendi popularium et mediocris classis civium. Simplici ergo nobilitate asserta, sufficit verificare, oratores nobiliter vivere. Si dicatur, quod oratores sint de nobili genere procreati, patris et matris nobilitas verificanda est. Si vero dicatur, quod oratores sint illustres, vel de illustri genere, hoc de illis intelligitur, qui propria splendent, vel progenitorum sanctitate, doctrina, iurisdictione et imperio, uti sunt nunc qui ministri status appellantur, etc., et olim erant capitanei, duces, comites etc. Et hoc est ab exsecutore verificandum. Si tandem dicatur, eos esse ex principalibus populi, seu principales cives, sufficit verificare, eos esse viros potentes, vel saltem valde divites ».

Bonum familiae tunc etiam dicitur quum causa dispensationis petendae est, ut bona conserventur in familia, ut scilicet dives familia conservetur. Interest enim reipublicae et aliquando ecclesiae quoque, ut divites familiae e suo statu non decidant. Hinc haec causa gravior est, in qua ab exsecutore verificandus est locuples familiae status. Causa ad dispensandum sufficiens esset, si femina heres instituta esset sub conditione, ut consanguineo nuberet. *Praxis etc. n. 104.*

Familiae (sacrae) consociatio. — 2179
Eam laudaverat iam Pius IX litteris datis (*5 iun. 1870*) ad R. P. Francoz S. I. tunc temporis promotorem piae unionis a s. Familia nuncupatae ; eam laudavit postea impense Leo XIII, litteris datis (*20 nov. 1890*) ad archiepiscopum Florentinum communicandis cunctis revdmis dioecesium ordinariis. Uterque pontifex eam fidelibus commendarunt in eum praesertim finem, ut christianorum familiae sese ad exemplum sacrae Familiae componerent.

Quod bonum maximum est allaturum tum societati civili, tum ecclesiae, et maxime necessarium est nunc temporis, quum perversi homines familiam ipsam, fundamentum civilis et religiosi consortii, distrahere et dissociare omni ratione nituntur. Et revera « finis huius piae consociationis hic est, ut familiae christianae sese voveant (formula consecrationis probata et praescripta est ab ipso summo pont. Leone XIII) sacrae Familiae de Nazareth, eamdemque colant, et exemplaris instar habeant, eam venerando coram eiusdem imagine (quae apud unamquamque ex familiis ascriptis servanda est), precibus quotidianis, vitamque conformando excelsis virtutibus, quarum ipsa exemplum praebuit cuique ordini societatis et praecipue operariis ». *Ex statutis piae consociationis approb. a Leone XIII 14 iun. 1892.*

Ad incrementum autem huius piae 2180
consociationis ssmus Dominus thesaurum ecclesiae pro fidelibus ascriptis magna liberalitate aperuit, iisque plures indulgentias partiales et plena-

rias elargitus est. *Brev.* Leon. XIII « Quum nuper » *20 iun. 1892.*

2181 Sed et praeterea quaedam privilegia iisdem concessit; nimirum *sodalibus universis*, ut missae, quae pro sodalibus defunctis quocumque in altari celebrabuntur, iisdem suffragentur, ac si in altari privilegiato celebrarentur. Pro *parochis* vero, ut privilegio altaris personalis tribus in qualibet hebdomada diebus fruantur, dummodo simili privilegio alia de causa non perfruantur; ut facultas ipsis sit benedicendi extra urbem coronas, rosaria, cruces, crucifixos, parvas statuas ac numismata, eisque applicandi omnes et singulas indulgentias, quas summi Pontifices attribuere iisdem solent, sed tantummodo exercenda pro sodalibus in consociationem ascitis die, quo *a*) christiani piam ingrediuntur consociationem, et *b*) solemniter renovatur pactum consociationis.

Consecrari autem possunt s. Familiae non solum familiae privatae, sed et seminaria, collegia ac singulae domus congregationum ac familiarum religiosarum, non vero paroeciae, dioeceses ac regiones (*S. R. C. 13 febr. 1892 ad 1* [*3766*]); nec obstat has familias iam sese consecrasse peculiari modo s. Iosepho (*decr. cit. ad 3*).

Preces autem a ss. Domino approbatae atque indulgentiis ditatae, ut a singulis familiis coram imagine s. Familiae recitentur, recitari etiam possunt in ecclesiis publicis, sed pariter coram imagine s. Familiae (*decr. cit. ad 2*).

Litaniae vero, quae in honorem s. Familiae circumferuntur, comprehenduntur sub universali vetito litaniarum, quae explicite a s. Sede non fuerint approbatae: orationes vero, formulae consecrationis, aliaeque preces sub quovis titulo ad s. Familiam honorandam adhibitae, mittendae sunt ab ordinariis locorum, nec non a superioribus religiosarum congregationum, ad S. Rituum Congregationem, ut debito examini subiiciantur; secus non possunt in posterum licite usurpari. *Decr. cit. ad 4.*

Pia associatio s. Familiae per to- 2182
tum orbem regitur ab emo cardinali Urbis vicario pro tempore, qui consociationis ipsius est protector. *Stat. approb. a Leone XIII art. 2.*

Proles, nata post consecrationem et 2183
aggregationem alicuius integrae familiae, non potest censeri et ipsa aggregata, sed debet a seipsa vel a parentibus singulariter aggregari (*Vic. Urb. 26 iul. 1896 ad 1*); nec aggregari possunt ab aliquo patrefamilias, praeter viventia, etiam mortua membra familiae. *Decr. cit. ad 2.*

Ii, qui cum familia quadam mensa communi utuntur, et familiariter vivunt, in sociorum numerum ascisci cupientes, sub nomine illius familiae recipi possunt, sed in regesto parochiali adnotanda sunt nomina et cognomina et circumstantia cohabitationis. *Vic. Urb. 28 mart. 1897 ad 1.* Illi etiam, quibus societas cum certa familia non est, ad communes preces domesticas recitandas cuilibet familiae se adiungere possunt, et hoc modo indulgentias concessas lucrantur, dummodo piae consociationi nomen iam dederint. *Decr. nuper cit.*

ad 2. Indulgentiae vero ab illis lucrantur, a quibus formula recitatur vel preces praescriptae. *Decr. nuper cit. ad 6.* Parochus, qui senectute vel adversa valetudine confractus alteri sacerdoti committit officia piae consociationis, potest eidem delegare privilegia et indulgentias a s. Sede parocho concessa, servatis tamen regulis iuris quoad delegationem. *Decr. nuper cit. ad 8.*

2184 **Familiares.** — Familiares regularium in monasterio degentes, qui sunt velut de familia, absolvi possunt a regularibus sine episcopi approbatione. *Const.* Clementis X « Superna » *21 iun. 1670.* His familiaribus, dummodo actu inserviant, intra septa monasterii degant, et sub regularium obedientia (non quidem religiosa, sed domestica) vivant, ius habent regulares dandi viaticum (idem dicendum de aliis sacramentis et de sepultura). *S. C. C. 23. ian. 1738.* Quoad famulos vero et famulas monialium, quamvis exemptarum, hoc ius spectat ad parochum. *S. C. C. 19 apr. 1691.*

Quoad hos familiares nota ea, quae habet Vermeersch in quodam erudito supplemento *De vera familiaritatis ratione et de familiaribus* (*Periodica III pag. 85 suppl. 12*):

« Hactenus dicta his paucis verbis complecti liceat:

1° Generalis familiaritatis ratio postulat, ut quasi-domesticae potestati subdaris et impendiis vivas eius vel eorum, quorum sis familiaris.

2° Positiva definitione ecclesiae, nulli monasteriorum familiares sunt exempti, nisi diu noctuque intra claustra versari consueverint.

3° Hodie familiares regularium proprie tales sunt quidam oblati et alumni scholarum apostolicarum ».

Familiaritas. — Titulo familiaritatis potest episcopus (dioecesanus, non vero titularis, Conc. Trid. *sess. XIV c. 2 de ref.*) ordinare alienum subditum. 2185

Tunc vero hic titulus obtinet, quum aliquis episcopus ordinandum per continuum (Barbosa *de off. et. pot. episcopi All. V. n. 9*; S. Alph. *VI. 780*) integrum et completum triennium (Conc. Trid. *sess. XXIII. c. 9 de ref.*) secum retinuit in suo actuali servitio, et suis sumptibus aluit. *Const.* Inn. XII « Speculatores » *5 nov. 1694.* Sed et praeterea hic familiaris debet cum episcopo commorari. Conc. Trid. *sess. XXIII. c. 9 de ref.* Quod non ita necessario intelligendum est, ut in ipso palatio episcopali moram trahat, sed iuxta communiorem sententiam sufficit, ut moram trahat in ipsa civitate episcopi. S. Alph. *VI. 780*; Gasparri *de sacra ordin. II. 848.*

Nota etiam, episcopum hoc titulo posse ordinare etiam familiarem familiaris sui, si tamen ab episcopo ipso fuerit familiari suo in familiarem designatus, et sub oculis episcopi una cum familiari vivat: is enim etiam vere est et dicitur episcopi familiaris. Honorante *Praxis Secr. Card. Urb. Vic. I. not. 11*; Lehmkuhl *Th. Mor. II. 596*; Gasparri *loc. cit.*

Triennium familiaritatis inceptum ante promotionem ad episcopatum, et postea completum, sufficit ad hunc titulum inducendum. *S. C. C. in Brugnaten. 28 iul. 1580; in Cathacen. 9 nov. 1589*; Gasparri *loc. cit. II. 849.*

2186 Familiari ordinato tenetur episcopus statim, idest saltem infra mensem (*Const. cit. Inn. XII*) a die factae ordinationis, conferre beneficium, omni remota fraude, quod sufficiat ad honestam vitae sustentationem. Hoc beneficium, si non esset sufficiens iuxta taxam synodalem, vel morem regionis, non posset suppleri patrimonio vel pensione (*S. C. C. in Sypontina, 27 nov. 1717*), imo nec alio beneficio (Gasparri *loc. cit. II. 850*); et conferendum esset, etsi familiaris clericus aliud beneficium et sufficientes reditus haberet in alia dioecesi, aut promovendus esset ad ordines minores tantum, aut ad primam quoque tonsuram, si clericus non esset. Gasparri *de sacr. ord. II. 850.*

2187 Nepotes vel consanguineos, etsi habitent in domo episcopali et episcopi commensales sint, non potest episcopus ordinare ratione familiaritatis, nisi inserviant, ita ut vere eius familiares sint. *S. C. C. in Brixinen. 11 sept. 1608.*

2188 Praeterea ad aliquem familiarem titulo non familiaritatis promovendum ad aliquos sacros, seu minores ordines, vel etiam primam tonsuram necesse habet episcopus habere litteras testimoniales eius proprii praelati originis seu domicilii, earumdemque litterarum, nec non familiaritatis titulo, in ordinationis testimonio expressam mentionem facere debet. *Const. cit. Inn. XII.*

2189 Privilegio ordinandi familiarem gaudent non solum cardinales episcopi suburbicarii, sed etiam cardinalis vicarius in urbe, non autem alii cardinales. Honorante *Praxis Secretar. Tribunalis emi et rmi DD. Card. Urbis Vicarii cap. 1. n. 12.*

Quid si ordinatus ad titulum familiaritatis maneat sine beneficio ex morte episcopi incidente ante expletum mensem ab ordinatione; an manet suspensus? Et in foro conscientiae verius suspensus non manet, quia nulla eius culpa intervenit, attamen ad alios ordines promoveri non posset, et, si promotus fuisset ad ordines sacros, praxis est pro foro externo, ait Giraldi (*Exp. iur. pont. II. sect. 97. not. 7*), ut recurratur ad Poenitentiariam, quae iuxta casuum circumstantias benigne indulgere solet, ut ministret in iisdem, addita conditione, ut curet sibi providere de titulo. 2190

Famulus. — Tenetur praestare domino reverentiam, obedientiam, fidelitatem; hinc famuli dominis irridentes, rerum sibi creditarum curam non habentes, insolenter respondentes etc., peccant. G. B. *I. 383.* 2191

Quid famulus ratione famulatus possit quoad cooperationem in malis actionibus heri sui vide sub *Cooperatio.* - De salario famulorum vide *Stipendium.*

Fatalia. — Fatalia appellationis seu fatales dies dicuntur ea tempora, intra quae debet inchoari et terminari causa appellationis; alias appellatio fit deserta. Cfr. *l. 5 de temporib. et rep. appell. etc. C.* (*VII. 63*). 2192

Fatalia appellationum tripliciter distinguuntur; sunt enim: *a*) fatalia *interponendae appellationis,* seu tempus illud, intra quod gravamen passus ab illato sibi gravamine potest appellare (quod iure antiquo fuerunt duo vel tres dies [cfr. *l. 1.* § *5. quando*

appellandum sit etc. D. - XLIX. 4], iure autem posteriori decendium [*c. 15 de sent. et re iud. - X. II. 27*] computandum a momento illati gravaminis, quod tamen ignoranti non currit);

b) fatalia *introducendae appellationis,* seu tempus illud, intra quod praesentari debet appellatio coram iudice ad quem, cui praesentandi sunt apostoli, seu litterae dimissoriae, quos iudex, a quo appellatum est (et huiusmodi apostoli petendi et recipiendi sunt in praesenti intra triginta dies), ad instantiam appellantis transmittit ad iudicem ad quem appellatum est in testimonium interpositae appellationis (et hoc tempus iure canonico videtur relinqui arbitrio iudicis a quo [*c. 33 de appellat. etc. X. - II. 28*]. iure romano erat semestre [*ll. 2. 3. tit. cit. C. - VII. 63*]);

c) fatalia *finiendae appellationis,* seu tempus illud, intra quod prosequi et finiri debet appellatio (quod per se est annus computandus a die interpositae appellationis [*c. 5 tit. cit. X. - II. 28; c. 3 de appell. - II. 12 - in Clem.*] et ex causa rationali et notoria potest esse biennium [*c. 5 nuper cit.*]; tempus istud non currit legitime impeditis).

Nonnulli addunt quartum genus fatalium appellationis, idest fatale petendi apostolos, quod tamen non est proprie ac immediate unum ex fatalibus appellationum, sed solum mediate et in consequentiam. Reiffenstuel *in tit. 28 lib. II Decr. n. 154.*

Plura de fatalibus vide apud canonistas. Cfr. Reiffenstuel *in tit. 28 lib. II Decr. n. 152 sqq.;* Schmalzgrueber *in eumd. tit. n. 70 sqq.*; *S. C. C. in Oritana 20 iul. 1895; in Polycastren. 16 dec. 1899.* Et nota fatalibus transactis, non posse quidem interponi appellationem, sed interponi posse recursum ad summum Principem, qui numquam est interdictus. Cfr. *S. C. C. in Concordien. 20 febr. 1897.*

Faventes. — Faventes per se illi sunt, qui quamcumque operam alicui praestant. Hinc, ut bene notat D'Annibale (*Comm. in const. « Ap. Sedis » n. 12*), favor continet et auxilium et consilium. Attamen in iure canonico haec tria distinguuntur; quare « favorem, si quid opinor, accipere debemus, quum quis (citra auxilium et consilium) alicui studet. et quasi suppetias fert, alio quovis modo, ut puta suffragio, commendatione, praesentia; et in primis omittendo, ut res illi succedat, ea, quae ex iustitia facere debuisset » (D'Ann. *loc. cit.*), attamen non tantum ex caritate, sed ex officio. Pirhing *in tit. 7 lib. V Decr. n. 114*; B. B. *VII. 273.* Vid. *Haereticus.* 2193

Fecundatio artificialis. — Inter alia innaturalia et inhonesta etiam hoc recenter invectum est, ut mulieres, quae naturaliter non concipiunt, artificialiter fecundarentur. Scilicet, marito sese tactibus vel quocumque alio modo polluente, medicus sperma colligit, et per siphonem in uterum uxoris immittit. Quaesitum est, an adhiberi possit artificialis mulieris fecundatio. Et S. Congregatio S. Officii respondit: « Non licere ». *S. U. 1. 24 mart. 1897.* 2194

Femina. — Femina ex iure canonico est pubes expleto anno duodecimo. 2195

Urgente necessitate, potest respon-

dere missae, sed a longe (*S. R. C. in Veronen. 27 aug. 1836 ad 8* [*2745*]; *in Alatrina 18 mart. 1899 ad 6* [*4015*]); nec immediate ministrare ad altare ei, etiamsi moniali, ullatenus licet. Cfr. *c. 1 de cohabit. cler. et mul. X.* (*III. 2*).

Mulieres transeuntes ante altare ss. Sacramenti tenentur, quemadmodum omnes fideles, genufleclere unico genu (*S. R. C. in Ravennaten. 7 iul. 1876 ad 2* [*3402*]); hoc declaratum est a S. Rituum Congregatione occasione quarumdam monialium et educandarum cuiusdam conservatorii, quae transeuntes ante altare ss. Sacramenti se inclinabant tantummodo, affirmantes indecens esse, mulieres genuflectere unico genu.

Consuetudo, ut mulieres ac puellae intra vel extra ambitum chori canant in missis solemnibus, utpote apostolicis et ecclesiasticis praescriptionibus absona, tamquam abusus, ṣicubi vigeat, est prudenter et quamprimum eliminanda, cooperante capitulo seu clero curae et auctoritate ordinarii. *S. R. C. in una de Truxillo 17 sept. 1897* (*3964*). Vid. *Cantores*.

Ex iure romano (*l. 20 qui testamenta etc. D.* [*XXVIII. 1*] *§ 6*), itemque ex iure italico (*C. C. a. 788*) et gallico (*C. C. a. 975*) non potest esse testis in testamento; sed potest in matrimonio, tum in foro ecclesiastico (cfr. Feije *de imp. et disp. matr. n. 298*), tum in civili. *C. C. a. 94*. Vid. etiam *Mulier, Ornatus*, etc.

Fenestella. — Vid. *Tribuna*.

2196 **Feretrum.** — Non licet feretrum, in quo reconditur corpus puellae innuptae, panno ex lana alba contexto in signum virginitatis cooperire; quod dicendum est pro castro doloris in die 3ª 7ª 30ª et anniversaria ipsius puellae innuptae. *S. R. C. in Briocen. 21 iul. 1855 ad 11* (*3035*).

Feretrum, in quo iacet corpus defuncti sacerdotis, ponitur in ecclesia capite ad altare converso (Rit. Rom. *tit. VI. c. 1. n. 17*), et in exsequiis defuncti sacerdotis, praesente corpore, crux locanda est ad caput defuncti inter feretrum et altare (*S. R. C. in una Massae 3 sept. 1746 ad 2* [*2392*]); celebrans vero se semper sistit ad pedes detuncti contra crucem. Si cadaver fuerit laici vel non sacerdotis, eius pedes ponuntur versus altare maius. Rit. Rom. *l. c.* Vid. *Exsequiae*. Cadavere vero absente, crux locatur semper inter feretrum et fores ecclesiae, seu ad pedes tumbae contra altare, et celebrans inter altare et tumbam contra crucem, quia ex Rituali Romano (*tit. VI. c. 5. n. 4*) idem ritus pro defunctis tam sacerdotibus quam laicis, absente corpore, servandus est, excepto casu, quo cadaver sit moraliter praesens. *S. R. C. 20 iun. 1899 ad 3* (*4034*).

In die obitus non convenit, ut alius sacerdos a celebrante diversus accedat ad peragendam absolutionem ad feretrum; hoc iure gaudet tantum episcopus ordinarius. *S. R. C. in Briocen. 12 aug. 1854 ad 10* (*3029*); *in Romana 9 maii 1893 ad 2* (*3798*).

Absolutio permittitur omnibus diebus, quibus permittitur missa de requie; aliis vero diebus non convenit, ut post missam diei absolutio in nigris peragatur (*S. R. C. in Picena 4 aug. 1708* [*2186*]; *in una Cochincinae*,

9 iun. 1853[*3014*]) nisi id fiat omnino independenter a missa, et non in duplicibus primae classis (*S. R. C. in Romana 12 iul. 1892. ad 8* [*3780*]) aut in dominicis. *S. R. C. in una Montis Regalis 30 mart. 1869* (*3201*) *ad 8.* Si quando autem in casu recitetur officium defunctorum, absolutio facienda est immediate post ipsum et ante missam. *S. R. C. in Samogitien. 17 mart. 1906.*

Officium super cadaveribus in ecclesiis regularium per ipsos regulares, non autem per parochos defunctorum, peragi debet. *S. R. C. in Sulmonen. 18 aug. 1629* (*515*)*; in Firmana 26 ian. 1641* (*731*).

Absolutione ad tumulum expleta, in officiis et missa cum cantu pro uno vel pluribus defunctis die 7ª 30ª et anniversaria, aut etiam extra hos dies celebratis, in reditu ad sacristiam dici debet: « Anima eius (vel " animae eorum ") et animae omnium fidelium defunctorum etc. » et antiphona « Si iniquitates » cum psalmo « De profundis » et oratione « Fidelium Deus ». *S. R. C. in Brixien. 28 iul. 1832 ad 2* (*2696*)*; in Florentina 31 aug. 1872* (*3267*)*; in Vicentina 11 mart. 1899* (*4014*).

In absolutione etiam sine ministris sacris debet officium agens, absente corpore, tumulum pro aspersione et incensatione circumire. *S. R. C. decr. cit. 20 iun. 1899 ad 4.* Vid. *Exsequiae.*

2197 **Feria.** — Recitans privatim officium aliquod votivum in feriis quadragesimae, quatuor temporum aut vigiliarum potest celebrare missam de feria in colore violaceo, sed tunc in missa debet facere commemorationem officii votivi ea die recitati. *S. R. C. in Strigonien. 30 aug. 1892 ad 7* (*3792*). Similiter licet missam de feria celebrare recitanti officium de sancto ritus semiduplicis. Cfr. Mon. eccl. *vol. X part. 2 pag. 208.*

Feria V in coena Dni. — Vid. *Coena Dni.*

Feria VI in parasceve. — Feria VI 2198 in parasceve in ecclesia occidentali est dies aliturgicus, in quo missa omnino celebrari nequit, unico excepto casu (vix tamen practico, quum feria V praecedenti debeant conservari particulae consecratae pro infirmis), quod secus infirmus moreretur sine viatico, et tunc dicenda esset missa de passione; nec umquam privilegium ea die eam celebrandi conceditur. Cfr. Gasparri *de euch. I. 84.* Si aliquod festum de praecepto ea die incidat, praeceptum audiendi sacrum cessat, manente praecepto abstinendi a servilibus, et hoc, etsi officium transferatur in aliam diem, in quam non transfertur obligatio fidelium (*S. R. C. in Monopolitana 20 mart. 1706* (*2164*)*; in Barcinonen. 10 dec. 1773* [*2305*]*; in una S. Marci et Bisinianen. 2 sept. 1903*); excepto casu, quod agatur de festo Annuntiationis B. M. V. quod, si incidat in feriam VI in parasceve, transfertur in feriam IIam post dominicam in Albis cum solemnitate et feriatione. *S. R. C. 23 apr. 1895* (*3850*).

Tamquam abusus est eliminanda consuetudo feria VI in parasceve de sero in ecclesia et ad proprium altare cum luminaribus iterum collocandi ss. eucharistiae sacramentum. *S. R. C. in Trid. 12 mart. 1836 ad 4* (*2740*).

Non licet post missam praesanctificatorum proponere publicae fidelium adorationi ss. euchar. sacram. *S. R. C. in Comen. 9 dec. 1899 ad 3 (4049).*

2199 Quaesitum est, an feria hac sexta in parasceve possit distribui sacra communio. Et doctores non conveniunt, quibusdam verius negantibus (Barbosa *de off. et pot. par. p. II. c. 20. n. 16;* Croix *Th. mor. de euch. n. 483;* Ben. XIV. *de sacr. missae c. XVIII. n. 14*), aliis affirmantibus (Quarti *Rubr. miss. rom. p. II. tit. X. sect. 3. dub. 3. d. 3;* Tamburini *tr. de eccl. praec. tr. 3. c. 4. disp. 5. n. 1*). Certe tamen publice non esset eucharistia administranda.

Quoad viaticum non est reprobandus parochus, qui defert ssmum viaticum infirmo feria VI in parasceve, dummodo private et submisse, quin imo « submississima voce » recitet psalmos consuetos per vias publicas, etiamsi dicat « Gloria Patri », quia in tali circumstantia haec actio nihil habet rationis cum functionibus ecclesiae huius diei; et deferendum est cum stola albi coloris: populus autem dimittendus est absque benedictione, quia ea die non debet recondi in publica ecclesia. *S. R. C. in Lucana 15 maii 1745 (2383).*

2200 Hac feria in missa praesanctificatorum debet per celebrantem discooperiri vel lignum seu reliquia s. crucis, vel imago crucifixi. *S. R. C. in Vicentina 20 aug. 1901 ad 5.*

In adoratione vero crucis diaconus et subdiaconus debent, vel non, deponere calceamenta iuxta consuetudinem. *S. R. C. in Mutinen. 23 sept. 1837 ad X (2769).*

In adoratione ss. crucis in hac feria episcopus debet praecedere celebrantem (Cer. ep. *lib. II. c. 26. §. 11. 12; S. R. C. in Brugen 2 apr. 1718 [2246]*); attamen, si agatur de superioribus regularibus non habentibus usum pontificalium, nullo modo licet, eos praecedere subditum suum celebrantem in adoratione crucis. *S. R. C. in una Min. S. Fr. 18 dec. 1779 ad 4 (2515).*

Hac feria canonici procedere possunt ad adorationem crucis cappis extensis usque ad talos (*S. R. C. in una S. Severi 4 sept. 1745 [2389]*), quarum tamen extremitates non sunt a clericis elevandae. *S. R. C. in Cortonen. 10 sept. 1701 ad 4 (2079).*

Crux, quae hac feria inservit pro adoratione, potest esse sive lignea sive ex metallo, iuxta consuetudinem. *S. R. C. in una Marsorum 12 nov. 1831 ad 53 (2682).*

Velum crucis altaris in hac feria debet esse, iuxta rubricas, coloris violacei et non nigri. *S. R. C. in Urgellen. 30 dec. 1881 ad 8 (3535).*

Ab initio adorationis feria VI in parasceve usque ad nonam sabbati sancti inclusive cruci altaris genuflectendum est. *S. R. C. in Cadurcen. 9 maii 1857 ad 5 (3049).* Hac die omnes, etiam ii, qui ceteroquin cruci faciunt tantum profundam inclinationem, post crucis adorationem debent genuflectere. *S. R. C. in Molinen. 12 sept. 1857 ad 4 (3059).*

Hac etiam feria, si exponatur re- 2201
liquia s. crucis, incensanda est a sacerdote stante et non genuflexo. *S. R. C. decr. nuper cit.; in una Montis Regalis 20 mart. 1869 ad 7 (3201).*

Non licet hac feria in loco, ubi ordinarie asservatur ss. sacramentum, statim post ceremonias ipsius feriae exponere publicae adorationi reliquiam ss. crucis, eamque ibi retinere usque ad crastinum, ad horam nempe solemnis functionis. *S. R. C. decr. cit. 12 mart. 1836 ad 5.*

Licet hac feria agere processionem cum reliquia s. crucis intra muros ecclesiae delata sub baldachino, turiferario praecedente, cum sacris ministris indutis paramentis nigri coloris, dummodo processio non fiat intra officium et missam praesanctificatorum (*S. R. C. in Goritien. 26 nov. 1878 ad 1* [*3466*]); velum autem humerale aut umbella in casu seu baldachinum debent esse coloris violacei. *S. R. C. in una Congr. orat. Perusiae 16 ian. 1907 ad 2.* At processionem agere cum ss. sacramento est absus omnino reprobandus et tollendus, sicubi exsisteret. *S. R. C. in Lerien. 11 febr. 1702 ad 1* (*2089*); *in Andrien. 16 dec. 1828* (*2668*).

2202 Quaesitum est an feria VI in parasceve (imo et feria V in coena Domini post vesperas, perdurante in alio remoto sacello expositione ss. sacramenti, vulgo *sepolcro*) posset permitti ut imago Virginis perdolentis remaneret in quadam propria aedicula in ecclesia discoperta cum candelis vel lampadibus accensis, collocato ante ipsam simulacro ss. Redemptoris demortui. Sacra Congregatio Rituum respondit feria quinta in Coena Domini hoc non licere, admitti autem feria VI in parasceve post missam praesanctificatorum. *S. R. C. in una Congr. orator. Perusiae 16 ian. 1907 ad 1.* Notandum hic est, quomodo alias (*S. R. C. in Bergomen. 21 mart. 1744 ad 4* [*2375*]) eadem s. Congregatio responderat, permitti ut feria V de nocte statua B. V. M. velo nigro circumdata cum Iesu Dno in gremium deposito exponeretur in ecclesia et sequenti feria VI mane processionaliter deferretur cum pluvialibus nigris. Vid. *Coena Domini.*

Feria VI calix extrahendus est a 2203
loco expositionis ab ipso diacono functionis non autem ab aliquo cappellano. *S. R. C. in Mexicana 16 dec. 1828 ad 1* (*2669*).

Hac feria VI in parasceve et sabbato sancto licet ante missam audire confessiones fidelium, et contraria consuetudo, quae id reprobat, est omnino improbanda. *S. R. C. in Tricaren. 17 dec. 1875* (*3383*).

Post missam vero praesanctificatorum removenda sunt ornamenta altaris, in quo ss. sacramentum feria quinta praecedente fuit reconditum. *S. R. C. decr. cit. 20 aug. 1901.*

Episcopus feria VI in parasceve (non autem in toto ultimo triduo maioris hebdomadae) abstinere debet a danda benedictione et a praebenda manu ad deosculandum. Cer. episc. *lib. II. c. 26. n. 2; S. R. C. in Arboren. 18 sept. 1666 ad 2 et 3* (*1342*).

Cfr. *Goetzius G. U.* Diss. hist. de vigiliis paschalibus veterum christianorum; *Clarius Chr.* Diatriba in die magnae Parasceves; *Raible* Ueber Ursprung, Alter u. Entwicklung d. missa praesanctificatorum.

Festa. — Universae ecclesiae unus 2204
romanus Pontifex potest festa indicere. Cfr. *c. 5 de feriis X.* (*II. 9*).

Episcopi per se id possent in sua dioecesi, sed recenti iure vetantur, saltem quominus inconsulto clero et populo id faciant (*c. cit. X.* [*II. 9*]), imo nonnulli sine limitatione ab hoc iure eos prohibent. Wernz *Ius Decr. II. 593.*

Statutum est, ut festa primaria, utpote solemniora, aliis secundariis praeferenda sint tam in occursu quam in concursu, ad formam rubricae X de transl. festor. n. 6; quod si eadem transferri contingat, ut in illorum repositione servetur ordo praescriptus in memorata rubrica n. 7. *S. R. C. decr. gen. 27 iun. 1893* (*3808*). Et eadem S. Congregatio Rituum evulgavit postea catalogum festorum primariorum et secundariorum, qui est sequens, scilicet:

Festa primaria.

In calendario universali:

§ 1. *Duplicia primae classis.* — Nativitas Dni., Epiphania Dni, Pascha Resurrectionis, Ascensio Dni., Pentecostes, festum Corporis Christi, Immaculata Conceptio, Annuntiatio et Assumptio B. M. V., Nativitas s. Ioannis Bapt., festum s. Ioseph sp. B. M. V., festum ss. apostolorum Petri et Pauli, festum omnium Sanctorum ecclesiae, dedicatio propriae ecclesiae, titulus ecclesiae, patronus principalis regionis vel dioecesis aut loci.

§ 2. *Duplicia secundae classis.* — Circumcisio Dni., festum ss. Trinitatis, Purificatio, Visitatio et Nativitatis B. M. V., dedicatio s. Michaelis arch., natalitia undecim apostolorum, festa evangelistarum, festum s. Stephani prot., festum ss. Innocentium mart., festum s. Laurentii m., festum s. Annae matris B. M. V., festum s. Ioachim patris B. M. V.

§ 3. *Duplicia maiora per annum.* — Transfiguratio Dni., dedicatio basilicae ssmi Salvatoris, dedicatio s. Mariae ad Nives, festum ss. Angelorum custodum, dedicatio basilicarum ss. Petri et Pauli, festum s. Barnabae, festum s. Benedicti abb., festum s. Dominici conf., festum s. Francisci conf., festum patronorum minus principalium. His nuperrime additum est festum s. Francisci Xaverii (*Brev.* Pii X « In apostolicum » *25 mart. 1904*).

§ 4. *Alia duplicia per annum.* — Dies natalitia vel quasi natalitia uniuscuiusque sancti.

Pro aliquibus locis: — S. Gabrielis arch., s. Raphaelis arch., dies natalitia vel quasi natatitia uniuscuiusque sancti, commemoratio sanctorum, quorum corpora vel reliquiae in ecclesiis dioecesis asservantur.

Festa secundaria.

In calendario universali:

§ 1. *Duplicia primae classis.* — Sacratissimi Cordis Iesu.

§ 2. *Duplicia secundae classis.* — Festum ss. Nominis Iesu, festum Inventionis s. Crucis, festum pretiosissimi Sanguinis D, N. I. Ch., solemnitas ss. Rosarii B. M. V., festum Patrocinii s. Ioseph.

§ 3. *Duplicia maiora.* — Exaltatio s. Crucis, duo festa Septem dolorum B. M. V., commemoratio B. M. V. de monte Carmelo, festum ss. Nominis B. M. V., festum de Mercede B. M. V., praesentatio B. M. V., apparitio s. Michaelis arch., decollatio s. Ioannis Bapt., cathedra s. Petri ap. utraque,

festum eiusdem ad vincula, conversio et commemoratio s. Pauli ap., festum s. Ioannis ante portam Latinam.

Pro aliquibus locis : — Officia mysteriorum et instrumentorum passionis D. N. I. Ch., ssmi Redemptoris, sanctae Familiae Iesu, Mariae, Ioseph; purissimi Cordis Mariae; Desponsationis, Maternitatis, Puritatis, Patrocinii B. M. V.; translationis almae domus Lauretanae; exspectationis partus B. M. V.; B. M. V. auxilii christianorum; prodigiorum B. M. V.; apparitionis B. M. V. Immaculatae; manifestationis B. M. V. Immaculatae a sacro numismate; commemoratio omnium sanctorum summ. Pontificum; item alia quaecumque festa, sive Dni, sive B. M. V. sub aliquo peculiari titulo, sive sanctorum, praeter eorumdem natalem diem, uti inventionis corporum, translationis, receptionis, patrocinii, et hisce similia. *S. R. C. decr. gen. 22 aug. 1893 (3810).*

2805 Decretum etiam aliud generale super duobus festis vel officio eadem die occurrentibus a Sacra Rituum Congregatione latum est, quod iuvat referre, et est sequens : « Quum saepe accidat, ut dies, qua s. Sedes aliquod novum festum liturgicum statuit celebrandum, in calendariis particularibus sit alio festo impedita, nec tamen clare constet, quodnam ex iis sit peragendum, quodnam perpetuo transferendum, S. R. C. praesenti decreto declarat et statuit, sequentes in posterum ab omnibus calendariorum ordinatoribus tenendas esse normas :

1° Si duo festa, alterum antiquum, alterum novum, ambo sint in die propria, natalitia scilicet aut quasi natalitia, ceteris paribus illud celebretur, istud vero in primam diem liberam perpetuo transferatur iuxta rubricas. Ceteris vero non paribus, si alterum prae altero sit potioris ritus, praeferatur illud, quod ritu nobiliori gaudet. In paritate ritus, si unum sit primarium, aliud secundarium, illud huic praeferatur. Si ambo primaria fuerint vel secundaria, dignius minus digno praeferatur iuxta ordinem dignitatis in rubricis praescriptum tit. X num. 1 et XI n. 2. Si denique utrumque fuerit eiusdem dignitatis, festum magis proprium minus proprio praeferatur.

2° Si ex duobus festis, quorum alterum sit antiquum, alterum novum, unum sit in die natalitia, alterum in quasi natalitia, illud ceteris paribus huic praeferatur. Si vero quod est in die quasi natalitia fuerit potioris ritus aut aequalis quidem, sed proprium, vel primarium, vel potioris dignitatis alteri praeferatur, quod die prima libera reponetur iuxta rubricas.

3° Si ex duobus sanctis, quorum alter antiquus, alter novus, unus sit in die natalitia aut quasi natalitia, alius in die assignata, seu non propria aut tamquam propria; ille, ritu, ratione primarii, atque etiam dignitate posthabitis, praeferatur huic, qui prima die libera reponendus erit iuxta rubricas.

4° Si duo officia, alterum antiquum, alterum novum ambo sint in die assignata, antiquum novo praeferatur, quamvis nobiliori, vel etiam ab anteriori die translato, ritu etiam, aut ratione primarii vel dignitate postha-

bitis. Quum nihilominus perpetuum alicuius ecclesiae calendarium reformari contingat, serventur, si adfuerint, ordo, ritus, ratio primarii, excellentia dignitatis et prioritas translationis.

5° Quemadmodum autem pro die natalitia sanctorum illa est intelligenda, qua iidem sancti aeternam ingrediuntur vitam, atque illa pro quasi natalitia, quam s. Sedes eligit extra natalitiam ad liturgica festa recolenda; ita S. R. C. declarat, illam intelligendam esse pro die assignata, quae prima post propriam libera fixe in calendario iuxta notas occurrentiae leges ab ordinario inscribitur, sicuti pro translata illam, quae pariter post impeditam prima a calendariorum ordinatoribus ad annum libera reperitur.

Contrariis non obstantibus quibuscumque ». - *Die 21 nov. 1893* (*3811*).

Ex duobus festis primariis aut secundariis eiusdem ritus et classis, praecedentia competit digniori; in paritate vero dignitatis competit festo diei mensis affixo (*S. R. C. in Viglevanen. 21 febr. 1896 ad 1* [*3885*]; *in una ord. Capuc. 27 iun. 1896 ad 2 et 3* [*3919*]), et generatim in paritate ritus fit de primario prae secundario; in paritate primarii vel secundarii fit de digniori ratione personae; et in paritate etiam dignitatis fit de fixo prae mobili. *S. R. C. 20 iun. 1899 ad 1* (*4034*).

2206 Festum fixum prae mobili et magis proprium prae minus proprio, quae duo festa in occurrentia, ceteris paribus, praecedentiam habent iuxta rubricas generales breviarii tit. X. n. 6, eadem praecedentia non gaudent in concurrentia. *S. R. C. in Romana 6 maii 1899* (*4021*).

Officia alicui diei affixa, quae alio officio maioris ritus impediuntur, etsi perpetuo, non possunt, sine indulto ad aliam diem transferri (*S. R. C. in Veronen. 27 aug. 1836 ad 9* [*2745*]; *in una Congr. Pass. 9 maii 1884 ad 5* [*3607*]; *in Aretina 8 iun. 1885 ad 3 et 4* [*3637*]); habito autem indulto translationis, tranferri debent in primam insequentem diem liberam, tamquam in sedem propriam. *S. R. C. decr. cit. 27 iun. 1896 ad 5.*

Decr. Grat. C. XV q. 4; Dist. III de cons., tit. de feriis X. (II. 9); tit. de reliquiis et veneratione sanctorum X. (III. 45); idem tit. (III. 22) in 6°; idem tit. (III. 16) in Clem.; idem tit. (III. 12) in Xvag. comm.; Conc. Trid. sess. XXV de reg. c. 12; Conc. Trid. sess. XXV continuat. sess. decr. de diebus festis; Const. Pii V. « Quum primum » 1 apr. 1566; Const. Greg. XIII. « Inter gravissimas » 7 nov. 1582; Const. Urb. VIII « Universa per orbem » 20 sept. 1642; Const Ben. XIV « Nihil » 12 aug. 1742; Const. eiusd. « Ab eo » 5 nov. 1745; Const. eiusd. « Non multo » 16 nov. 1748; damn. prop. 73 et 74 Synod. Pistor. per Const. Pii VI. « Auctorem fidei » 28 aug. 1794; *Gorcomius* (seu *de Gorickem*) *H.* De celebritate festorum; *Hospinianus R.* Festa christianorum hoc est de origine progressu caeremoniis et ritibus festorum dierum christianorum; *Gretser Iac.* De festis; *Thummius Th.* Tract. hist. theol. de festis Iudaeorum et Christianorum; *Philippi* Synopsis sacrorum templorum; *Hildebrandus Ioac.* Libellus de diebus festis; *Frontonis Io.* De diebus festivis nativitatis et mortis gentilium, hebraeorum, christianorum deque ritibus eorum; *Ernstius H.* De studiis diebus festis convenientibus commentatio; *Thiers J.* Con-

sultation sur la deminution des fêtes; *Thiers J.* De festorum dierum imminutione liber pro defensione constitutionum Urbani VIII et gallicanae ecclesiae praesulum; *Thomassin L.* Traité des festes de l'Église; *Martène E.* De antiquis ecclesiae ritibus; *Wildvogel* Chronologia legalis de iure festorum; *Uhlhorn G.* Ueber d. Sonntagsfrage in ihrer sózialen Bedeutung; *Mayer I. F.* Diss. cur nullum festum peculiariter Deo Patri sacratum ab ecclesia sit; *Baillet* Histoire des fêtes mobiles; *Elvius* P. Diss. de festis christianis; *Guyet C.* Heortologia sive de festis propriis locorum; *Schmid. Io. A.* Historia festorum et dominicarum; *Aggerup P.* Diss. hist. eccl. de praecipuis christianorum festis; *Mamachi Th.*, De' costumi de' primitivi cristiani (in tom. 1 delle preghiere, de' templi, delle feste e delle sacre adunanze de' primitivi cristiani); *Benedictus XIV.* De festis D. n. I. Ch. et b. Mariae Virg.; *Zech* De iure rerum eccles. sect. 2 tit. 22 de dominicis etfestis; *Nickel M. A.* Die heiligen Zeiten und Feste nach ihrer Geschichte und Feier; *Franke* De diei dominicae apud veteres christianos celebratione; *Oschwald* Die christl. Sonntagsfeier; *Hengstenberg* Ueber den Tag des Herrn; *Hessey* Sunday, its origin, history and present obligation; *Nickel M. A.* Die hl. Zeiten u. Fest nach ihrer Geschichte u. Feier i. d. kath. Kirche; *Nilles N.* De rationibus fest. mob. utriusque eccl. orient. et occident.; *Zahn* Geschichte des Sonntags; *Duchesne L.* Origines du culte chrétien; *Nilles N.* Calendarium manuale utriusque eccl. etc.; *Magani Fr.* L'antica liturgia romana; *Kellner K. A. H.* Heortologie; *Schüch* Handb. der Pastoralth. § 260 ff.; *Wernz* Ius Decr. III. 393 sqq. Reliquam bibliographiam quaere sub *Labor.*

2207 **Fetus.** — Fetus abortivus semper est baptizandus sub conditione « si vivat », nisi certo constet de morte secuta. Fetus in utero supra verticem baptizatus post) ortum denuo baptizandus est (*S. C. C. 12 iul. 1794-* etsi medicus, vere peritus et probus, testetur aquam sine dubio caput infantis attigisse. *S. C. C. in Mediolanen. 16 mart. 1897.* Vid. *Baptismus, Abortus.*

Fictio iuris. — Fictio iuris est 2208
legis adversus veritatem in re possibili, ex iusta causa, dispositio, quando scilicet ius id, quod revera non est, ex iusta causa in ordine ad aliquem effectum assumit, et disponit, quasi sit; ut si aliquis, qui vere rem non possidet, a iure habeatur pro possidente, in ordine ad commoda seu effectus possessionis. Pirhing *in tit. 23 lib. II Decret. n. 4.* Quare fictio iuris est indubitatae falsitatis pro veritate assumptio in casu possibili, et ex iusta causa, ad inducendum aliquem iuris effectum, aequitati naturali non repugnantem. Pirhing *loc. cit.* Attamen nota, fictionem iuris inducere, indeque aliquod veluti consequens elicere, privati cuiusque auctoris atque doctoris potestatem excedere, et in eo dumtaxat admitti, qui condendarum legum auctoritate pollet; unde vulgatum illud axioma: Fictio legis non habet locum, nisi in casibus a iure expressis. *Ep. enc.* Ben. XIV « Ad audientiam » § *15. 15 febr. 1753.*

Philippi B. De fictionibus; *Costa Io. B.* Tract. de retrotractionibus seu fictione translativa; *Steinberg Io.* Disp. de interpretatione et fictione iuris; *Alteserra A. D.* De fictionibus tractatus; *Stutzing Io. Gotfr.* Disputatio de fictione.

Fictio sacramenti. — Fictio sacra- 2209
menti est gravissimum sacrilegium,

et numquam licet (cfr. *prop. 29 ab Inn. XI damn. decr. diei 2 mart. 1679; c. 7 de celebr. miss. etc. X. [III. 41]*); tunc autem habetur, quum ficte ponitur id, quod pertinet ad essentiam sacramenti (Ballerini *in Gury II. 32 [16]*). Licet tamen aliquando sacramenti denegationem dissimulare; quae dissimulatio tunc habetur, quum loco debitae materiae et formae aliud earum speciem referens substituitur. B. P. *IV. 694.* Hinc confessarius potest loco absolutionis aliquid supra poenitentem orare et formare crucem, ne illius indispositio prodatur. S. Alph. *VI. 59;* B. P. *l. c.* Vid. *Dissimulatio, Simulatio.*

2210 **Fideicommissum.** — Fideicommissum est substitutio, qua heres testamento institutus, vel ab intestato veniens, a defuncto obligatur, ut hereditatem totam vel eius partem alteri tradat. Inst. Iust. *libr. II tit. 23. de fideicomm. heredit. § 2.* In casu heres dicitur fiduciarius vel etiam gravatus; is, cui tota hereditas, vel eius pars, est restituenda, dicitur fideicommissarius. Iure italico reprobatur. *C. C. a. 899.*

An valeant in foro conscientiae fideicommissa causis piis in locis, ubi lege civili reprobantur, aliquibus certum, aliis dubium omnino est. D'Annibale (*II. 339*). putat non esse inquietandos eos, qui extra ditionem pontificiam (ex epistola Alexandri III ad episcopum Hostiensem), non praestant relicta ad causas pias in testamento irrito ex iure civili. Vid. *Legatum.*

Marzari Fr. Epitome in materiam fideicommissariam; *Martini Fr.* De legatis et fideicommissis; *Chifflettius Cl.* Accurata dispos. de substitutionibus, de portionibus legitimis, de iure fideicommissorum, de secundo capite legis Aquiliae; *A. Petra P. A.* Tract. necessarius de fideicommissis et signanter ex prohibita alienatioue resultantibus; *Matthaeacius A.* Epitomes legatorum et fideicommissorum, methodo ac ratione digesta; *Molina* De hispanorum primogeniorum origine et natura; *Oddi S.* Tract. de fideicommissis inductis per prohibitionem alienationis; *Barbatus H.* Modestinus elucidatus sive de fideicommisso maioratu et primogenitura; *Fusari V.* Tract. diffusissimus de subtitutionibus et de fideicommissis; *Pellegrini M. A.* Tract. de fideicommissis praesertim universalibus; *Capani A.* Tract. de fideicommissis; *Knipschildt Phil.* Tract. de fideicommissis familiarum nobilium; *Nothafft Jo. H.* De ultimis voluntatibus et fideicommissis; *Padilla de Menezes A.* Comm. in tit. de fideicommissis; *Caimi I.* Formula Aquiliana de subtitutionibus, de legatis, de fideicommissis, de iure accrescendi; *Manlius F. A.* Thesaurus theorico-practicus (ubi etiam de fideicommissis); *De Luca Io. B.* De fidecommissis, primogenituris et maioratibus; *Bonfinius F. A.* De iure fidecommissorum magis controverso disputationes praecipuae; *De Nigris A.* Tract. de nominatione ad haereditates, fidecommissa, legata, subsidia, dotatio, matrimonium etc.; *Vernheyen I. F. I.* Diss. de fidecommissaria haereditate; *Haase* Diss. de vera vi ac indole fidecommissi universalis; *Mecus L. Ph.* Diss. de fideicommissariis haereditatibus; *Tedeschi* L'istituzione di erede sotto condizione risolutiva in confronto con la sostituzione fidecommissaria; *Cuturi T.* Dei fidecommessi e delle sostituzioni nel diritto civile italiano; *Ferrini C.* Teoria generale dei legati e dei fedecommessi secondo il diritto romano con riguardo all'attuale giurisprudenza; *Brukner Fr. Xav.* Zur Geschichte d. Fideicomm.

Fideiiussio. — Fideiussio est contractus, quo quis alienam obligationem in se suscipit, si non solvat debitor principalis. *C. It. a. 1898.* Cfr. Inst. Iust. *libr. III tit. 20 de fideiussoribus.* Fideiiussio non praesumitur, sed debet esse expressa, neque extendi potest ultra terminos, intra quos contracta est. *C. It. a. 1902.* Nemo potest esse fideiiussor, nisi habeat liberam administrationem bonorum. Ex iure autem gallico (*C. C. a. 2018*) et ex iure italico (*C. C. a. 1904*) fideiiussor debet habere domicilium in loco iurisdictionis curiae appellationum (*Corte d'Appello*), in qua fideiiussio exhibenda est. Fideiiussor in defectu, seu in impotentia iuridice probata, debitoris tenetur erga creditores de omnibus illius obligationibus. Cfr. *C. It. a. 1903.* Fideiiussor, qui solvit pro debitore, subrogatur omnibus iuribus creditoris, quare ei competit etiam recursus in eumdem debitorem, ut ab eo indemnizetur. *C. It. aa. 1915, 1916.* Obligatio fideiiussoris, quum sit realis et non tantum personalis, ad heredes transmittitur. Cfr. Inst. Iust. *loc. cit. § 2; l. 4 de fideiiussoribus et mandatoribus D. (XLVI. 1).*

Tit. de fideiussoribus X. (III. 22): *Laubmeyer A.* De fideiussoribus; *Rosecrartz O.* Diss. de legatis et fideiussoribus; *Suarez R.* De fideiussione in causa criminali; *Fleringius A.* De fideiussoribus; *Mauri P.* Tract. de fideiussoribus; *Rebhan Io.* De fideiussorum beneficiis; *Hering A.* De fideiussoribus; *Lauterbach Jo. P.* De fideiussoribus et indemnitatibus; *Hahn H.* Defideiussoribus; *Manzi G.* Tract. rationalis de fideiussoribus; *Rhetius Io. Fr.* Disp. de iure fideiussorum; *Juergens M.* De fideiussoribus deliquentium; *De Schröter Ang. G.* De sponsoribus, fidepromissoribus et fideiussoribus; *Quinet I. B.* De fideiussoribus secundum ius Rom.; *Westrik Io. V.* Disp. ad locum Cali institutionum de sponsoribus, fideipromissoribus et fideiussoribus; *Troplong R. Th.* Du mandat, du cautionnement et des transactions; *Girtanner W.* Die Bürgschaft nach gemeinem Civilrecht historisch-dogmatisch dargestellt; *Ponsot P. A.* Traité de cautionnement en matière civile et commerciale; *Corsi R.* La fideiussione considerata nei rapporti del codice civile coi principii del diritto romano, colla dottrina e colla giurisprudenza; *Guilloard L.* Traité du cautionnement et des transactions.

Fidei professio. — Vid. *Professio Fidei.*

Fidelium animae – Dum in fine ho- 2211
rarum divini officii dicitur « Fidelium animae etc. » non est manu producendum signum crucis ad instar benedictionis. *S. R. C. in Minoricen. 24 nov. 1899 ad 8 (4048).*

Fides. — Fides est assensus intel- 2212
lectus propter auctoritatem loquentis. Billot *de ecclesia Christi Introd. § 2. n. 1*; cfr. etiam S. Th. *QQ. DD. de Verit. q. XIV. a. 1.* Fides vero divina est assensus revelatis a Deo propter auctoritatem Dei revelantis. Suarez *de fide disp. III sect. 10. n. 3 sqq.* Qua virtus, est habitus supernaturalis, infusus, inclinans intellectum ad firmiter assentiendum veritatibus revelatis, propter auctoritatem Dei revelantis. Conc. Vatic. *Const. de fide catholica cap. 3.* Fides potest esse, tum formata, tum informis; illa est fides cum gratia sanctificante, haec sine gratia sanctificante habetur. Suarez *l. c. disp. VII sect. 3. n. 5 sqq.*

Actus internus fidei omnibus adultis

ad iustificationem necessarius est necessitate medii (cfr. Conc. Trid. *sess. VI. c. 6*) et quandoque in vita etiam necessitate praecepti. Cfr. *prop. 1 damn. ab Alex. VII decr. diei 24 sept. 1665 et prop. 17 damn. ab Inn. XI decr. diei 2 mart. 1679.*

Praeceptum autem eliciendi actum fidei urget per se, et quando quis noverit credenda nec non obligationem credendi, et saepius in vita, idest saltem semel in anno (S. Alph. *II. 7*); urget vero per accidens, quum quis patitur gravem tentationem contra fidem, quae in periculum reapse eum adducere possit amittendae fidei (B. P. *II. 28*), et multo magis, postquam quis lapsus est in haeresim. G. B. *I. 188. 2°*; B. P. *l. c. n. 35.* Huic praecepto generatim satisfit a fidelibus per actus implicitos. Croix *Th. mor. lib. II. n. 51*; S. Alph. *II. 7.*

Datur et praeceptum negativum, prohibens veram fidem negare, falsam profiteri (Matth. *X. 33*), quod, quum sit praeceptum negativum, obligat semper et pro semper (quare semper grave est fidem negare, seu verbis, seu factis, quamvis indirecte, vel oretenus, D'Ann. *II. 6*); et affirmativum, quo non tenemur semper et pro semper, sed obligamur aliquando ad fidem, etiam cum periculo vitae, confitendam. Scilicet ex hoc praecepto, quatenus affirmativum est, actus fidei externus poni debet, quoties id requirit honor Dei vel utilitas proximi (S. Th. *2. 2. q. 3. a. 2. c.*); et hoc locum habet, quando, si quis externum hunc actum professionis fidei non poneret, crederetur, vel quod fides non esset vera, vel alii per eius taciturnitatem averterentur a fide (S. Th. *loc. cit.*); dissimulare veram fidem secluso periculo scandali ex gravi causa licet (*Const.* Ben. XIV « Inter omnigenas » *2 febr. 1744*; S. Alph. *II. 10. 12*), non vero interrogato de fide a publica auctoritate uti verbis ambiguis. Cfr. *prop. 18 damn. ab Inn. XI decr. diei 2 mart. 1679.* Vid. *Dissimulatio.*

Obiectum fidei formale est auctoritas Dei loquentis; materiale sunt res revelatae a Deo. S. Th. *2. 2. q. 1. a. 1. c.* 2213

Necessitate medii credendum est, Deum exsistere, et remuneratorem esse (*Hebr. XI. 6*; *prop. 22 damn. ab Inn. XI decr. 2 mart. 1679*); probabiliter alia non sunt credenda explicite de necessitate medii. Hinc probabilius non requiritur de necessitate medii fides explicita Trinitatis et Incarnationis (Lugo *de fide disp. XII. sect. 4. n. 105. sqq.*); ac proinde ea ignorans valide absolvitur, si versatur in ignorantia invincibili. Attamen confessarius adulto etiam moribundo, qui incapax omnino non sit, tenetur explicare mysteria Trinitatis et Incarnationis. *S. U. I. 28 febr. 1703*; *cfr. prop. 64 damn. ab Inn. XI decr. supra cit.*; Ballerini *in Gury I. 195 (2).* Qui vero sit adeo rudis, ut ea concipere omnino non possit, comparandus est in hoc fatuis et pueris (S. Alph. *II. 2*); ignorans autem quae certo tenenda sunt de necessitate medii, nec licite absolvitur, nec valide. *Const.* Ben. XIV « Etsi minime » *7 febr. 1742.* 2214

Necessitate praecepti scienda et credenda sunt symbolum apostolorum (saltem quoad pleraque in eo contenta 2215

B. P. *l. c. n. 22*), decalogus, praecepta ecclesiae, sacramenta, oratio dominica (B. P. *l. c. n. 13*); at haec memoriter scire, vel eo ordine, aut iis verbis, quibus proponuntur, necesse non est. S. Alph. *II. 3*; B. P. *l. c. n. 14*.

De vitiis fidei oppositis, infidelitate, haeresi, Vid. *Infidelitas, Haeresis*.

Petrus Lombardus Sent. lib. 3. dist. 23-25; *S. Thomas* 2. 2. 1-6; *S. Bonaventura* In sent. lib. 3. dist. 23-25; Omnes scholastici et commentatores divi Thomae, Caietanus, Capreolus, Toletus, Valentia, Vasquez, Lugo, Suarez, Sylvius etc.; *Segneri P.* L'incredulo senza scusa; *Mazzella C.* Tract. de virtutibus infusis; *Fischer A.* De salute infidelium; *Zwerger J.* Der Glaube als göttliche Tugend oder d. Pflicht zu glauben in ihrer Begründung, Erfüllung u. Uebertretung; *Lehmkuhl A.* Die Verteidigung d. Glaubens u. d. Gläubigen gegen d. Unglauben; *Storchenau-Hurter* Der Glaube des Christen wie er sein soll; *Kirschkamp J.* Der Geist d. Katholizismus in d. Lehre vom Glauben u. von d. Liebe; *Billot Lud.* Tract. de virtutibus; *Schiffini S.* Tract. de virtutibus infusis; *Spicker G.* Der Kampf zweier Weltanschauungen; *Schmid F.* Die ausserordentlichen Heilswege f. d. gefallene Menschheit; *Guyot A.* Les causes de l'incrédulité; *Mausbach J.* Die ausserordentlichen Heilswege f. d. gefallene Menscheit u. d. Begriff d. Glaubens; *Wilmers-Lehmkuhl* De fide divina; *Liese W.* Der heilsnotwendige Glaube; *Schlatter A.* Der Glaube in N. T.

2216 **Filiales.** — Filiales ecclesiae dicuntur recentes parochiae ab aliis parochiis antiquioribus divulsae, quibus mos fuit non concedendi fontem baptismalem, qui ecclesiae matrici tantum conservabatur. Cir. *c. 3 de eccles. aed. vel rep. X.* (*III. 48*). At, stantibus iustis causis (ut essent asperitas viarum, distantia locorum etc.), concessa semper est erectio fontis baptismalis etiam ecclesiis filialibus. Cfr. Mona, celli *Formularium part. I form. 3*); Schmalzgrueber *in tit. cit. n. 19*; Fagnanum *in cap. cit. tit. cit. n. 8*. In his autem ecclesiis filialibus sacra eucharistia asservari non debet, nisi per aliquot diei horas aditus pateat fidelibus s. eucharistiam visitare cupientibus. *S. R. C. in Compostellana 15 nov. 1890 ad 1* (*3739*).

Filius. — Filius debet parentibus 2217
amorem (*Eccli. III. 18*; *VII. 29. 30*), reverentiam (*Eccli. III. 8*; *Deut. XXVII. 16*), obedientiam (*Ephes. VI. 1*; *Coloss. III. 20*); — amorem vero tum internum, tum externum; item reverentiam internam et externam; obedientiam in omnibus licitis et honestis ad eorum curam pertinentibus. dum sub eorum potestate versatur. Hinc non tenetur per se filius obedire in electione status (S. Alph. *III. 335*), et amplecti potest statum religiosum etiam invitis parentibus (S. Th. *2. 2. q. 189. a. 6. c.*); quod tamen raro est suadendum. G. B. *I. 369 2°*. Non potest tamen ordinarie hoc vel illud matrimonium inire (Cfr. D'Ann. *III. 466*), aut militiae nomen dare (G. B. *I. 370. 4°*), parentibus invitis.

Filiorum bona alia sunt *castrensia*, seu occasione militiae acquisita (*l. 11 de castrensi peculio D.* [*XLIX. 17*]); alia *quasi castrensia*, seu acquisita ex aliquo officio civili; alia *profectitia*, quae filius ex bonis paternis lucratur; alia *adventitia*, quae filio proveniunt aliunde quam a bonis paternis, nisi donata ei fuerint intuitu patris. Cf. Inst. Iust. *l. II. tit. 9 per*

quas personas etc. § *1.* Bonorum prioris et alterius generis dominium habet filius perfectum et administrationem: tertii generis regulariter nullum dominium: quarti vero generis dominium perfectum quidem, sed nec administrationem nec usumfructum. Inst. Iust. *l. c.* Haec de iure romano; quid de iure italico. Vid. *Bona.*

Vetrani M. De iure liberorum liber singularis; *Nevizanus Io.* Sylvae nuptialis libri sex (ubi etiam de filiatione); *Forster V. G.* De successionibus ab intestato et de liberorum iure, quod in aliis rebus praeter successiones habent, etc.; *de Battandier C.* De parentibus, fratribus et filiis; *Acaccius G.* De privilegiis parentum et liberorum; *De Barbobus Io. B.* Tract. de filiis familias; *Eichel Io.* Tract. de iure naturali parentum in liberos et horum in parentes; *Paoli B.* Nozioni elementari di diritto civile; dei figli di famiglia e dell'istituto della patria potestà secondo il codice civile italiano.

2218 **Finis.** — Finis est id, cuius gratia aliquid fit (G. B. *I. 28*); alius operis, qui est finis ipsi operi intrinsecus, seu ille, ad quem opus per se tendit (B. P. *I. 85*), alius operantis, qui operi est extrinsecus, et quem sibi agens in opere praestituit (B. B. *l. c.*); hi duo interdum in idem recidunt. Ballerini *in Gury I. 28* (*7*). Quum in gloriam Dei creati simus, ipseque sit finis noster, bonae eae actiones dicuntur, quae in eius gloriam directe cedunt (vel, quum gloria Dei practice sit in servando ordine ab ipso Deo auctore creaturis suis praestituto, quae ordinem servant); malae eae, quae a Dei gloria recedunt (vel quae ordinem non servant); indifferentes eae, quae nec directe in gloriam Dei tendunt, nec ab ea recedunt (vel quae nec ordinem servant, nec perturbant). D'Ann. *I. 151.*

Finis graviter malus, vel leviter malus, sed totalis, aut primarius, totam actus bonitatem corrumpit (S. Th. *1. 2. q. 19. a. 7. ad 2*); leviter malus et secundarius verius non item. Cfr. S. Th. *1. 2. q. 20. a. 6. c. et ad 1.*

Quid de delectatione, ut actionis fine, vide sub *Delectatio, Actus coniugalis.*

Flores. — Flores etiam serico aut 2219 alia materia contexti cum suis vasculis super altari adhiberi possunt, dummodo omnia decentia sint. *Cer. episcop. lib. 1. c. 12. n. 12.* Imo etiam tempore quadragesimae occasione primae communionis vel mense martio ob devotionem erga s. Ioseph licet altaria floribus ornari. *S. R. C. in una Soc. Iesu 11 maii 1878 ad 11* (*3448*).

Fons baptismalis. — Benedictio 2220 fontis debet fieri ab ipso celebrante, non autem a parocho (*S. R. C. in Pinerolien. 1 sept. 1838 ad 1* [*2783*]), vel a dignitatibus aut canonicis, qui functionem non celebrant, supra quos omnes celebrans in actu functionis habet praecedentiam. *S. R. C. in Castellaneten. 16 sept. 1634* (*613*).

Benedictio fontis fieri debet sabbato sancto et in vigilia pentecostes, non vero aliis diebus, nec tantummodo in sabbato sancto (*S. R. C. in Urbevetana 7 dec. 1844* [*2878*]; *in Lucana 12 apr. 1755 ad 1* [*2436*]; *in una S. Hippolythi 13 apr. 1874* [*3331*]), nisi tamen habeatur contraria quaedam consuetudo immemorialis a S. Sede approbata. *S. C. C. in Lucana*

et Ariminen. 27 apr. 1907. Extra hos dies tamen fieri potest minus solemnis benedictio fontis, de qua loquitur Rituale romanum, et cuius ritum praescribit *tit. II. c. 7. S. C. P. F. ad ep. Scodren. 11 sept. 1779.*

Parochi pro hac functione alium sacerdotem delegare possunt (*S. R. C. decr. nuper cit. 12 apr. 1775 ad 2*), imo debent, si ipsi per se eam perficere nequeunt, quia ex. gr. in eorum parochia plures sunt ecclesiae, quae habent fontem baptismalem. *S. R. C. in Utinen. 13 ian. 1899 ad 4* (*4005*).

Si aliquod exstet impedimentum, quominus parochi, in parochiis ruralibus ex. gr., recipere possint sacra olea recenter benedicta, debent parochi per se vel per alium sacerdotem benedicere fontem sine sacrorum oleorum infusione, quae privatim opportuno tempore postea facienda esset, nisi aliquem baptizare debeant, tunc enim in benedictione solemni vetera olea infundere debent (*S. R. C. in Annecien. 31 ian. 1896* [*3879*]), quo decreto Sacra Rituum Congregatio redire visa est ad antiquam sententiam (*S. R. C. in Lucana 12 apr. 1755 ad 3* [*2436*]), quam postea dereliquerat. *S. R. C. in Oriolen. 23 sept. 1837 ad 1* (*2773*); *in Cadurcen. 19 sept. 1859* (*3092*). Cfr. etiam *S. R. C. in una vicariat. apost. Victoriae Nyanzensis 19 apr. 1890 ad 3* (*3724*).

Exceptis, si adsint, specialibus ac determinatis iuribus circa ecclesias matrices, non potest sustineri consuetudo, quod in his tantum fiat benedictio fontis, et aqua benedicta ab his transferatur ad alias ecclesias, in quibus habetur fons baptismalis (*S. R. C. in Spalaten. 7 iun. 1892 ad 1* [*3776*]), sed in omnibus ecclesiis, in quibus est fons baptismalis, benedictio fontis integre fieri debet. *S. R. C. decr. cit. 13 ian. 1899 ad 2*; *in Novarien. 16 febr. 1900.* At etiam in hoc non habemus concordem iurisprudentiam. Nam consuetudinem huiusmodi sustineri dixit Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium *6 sept. 1625 et in una Albae Pompeien. 26 iun. 1903*, nec non Sacra Congregatio Concilii *in Caietana 28 febr. 1903.*

In ecclesiis autem filialibus, ubi deficit clerus, vel impeditus est mane sabbati sancti ob functiones parochiales, non potest renovatio fontis remitti ad aliam diem, sed in casu adhibendum est Memoriale rituum pro ecclesiis minoribus iussu Benedicti XIII editum. *S. R. C. decr. nuper cit. ad 3.*

Benedictioni fontis baptismalis in ecclesia vel oratorio publico, in quo fons baptismalis non exstat, substitui nequit benedictio aquae ordinaria, quae postea potest fieri quacumque alia hora privatim in sacrario. *S. R. C. in Nivernen. 31 aug. 1872* (*3271*).

Ubi fons non permittitur, uti aliquando accidit in missionibus, si fieri potest, aqua baptismalis benedicta in sabbato sancto asservanda est in aliquo vase decenti etiam in domo aliqua privata. *S. C. P. F. 23 febr. 1660.*

Sicubi mos est, ut fideles assumant 2221
in sabbato sancto vel in vigilia Pentecostes aliquid aquae benedictae, quod secum domum asportent, nec fons baptismalis capax sit recipiendi

sufficientem ad hoc quantitatem aquae, licet perficere, attamen in uno tantum vase extra fontem posito, benedictionem aquae, fundendae deinde in fontem ipsum, ante immixtionem sancti Olei. *S. R. C. in Briocen. 4 sept. 1880 ad 5* (*3524*). Cfr. Ben. XIV *Inst. eccl. 1ª*.

2222 **Fori privilegium.** — Fori privilegium clericis competit (sive latini sint, sive orientales, *S. C. P. F. 30 apr. 1624, 6 iun. 1796*; *S. U. I. pro miss. Arcipelagi 3 aug. 1639*), et in eo consistit, quod hi privilegio per se gaudeant immunitatis a foro laicali. *c. 2. de foro competenti X.* (*II. 2*); cfr. *prop. 31ªm damn. in Syllabo.*

2223 Clerici, qui hoc foro privilegiato gaudent, sunt non solum clerici omnes maiorum ordinum, sed etiam clerici ordinum inferiorum (*c. 2 tit. cit. X.* [*II. 2*]), qui beneficiati sint; vel clericalem habitum et tonsuram deferentes alicui ecclesiae ex mandato episcopi inserviant (idest de facto alicui ecclesiae inserviant, episcopo non resistente, *S. C. C. 1 febr. 1614*); vel in seminario clericorum, aut in aliqua schola, vel universitate, de licentia episcopi, quasi in via ad maiores ordines versentur. Conc. Trid. *sess. XXIII. c. 6 de ref.* — Imo hoc privilegio fruuntur etiam clerici coniugati, qui unam et virginem duxerint, habitum clericalem gestent, et alicuius ecclesiae servitio addicti sint. *c. un. de cler. coniug.* (*III. 1*) *in 6°*; Conc. Trid. *l. c.* Si clericus coniugatus, qui unam et virginem duxit, alias conditiones superius enumeratas non servet, ita amittit privilegium fori, ut ille nequeat hoc privilegium pro se invocare; potest tamen episcopus ad se advocare eius causam. *S. C. C. 21 ian. 1594*; *27 mart. 1627, apud Ben. XIV de Syn. XII. c. 2*; *litt. encycl. S. C. Imm. ad epos. Dit. Pontif. a. 1837.*

Regulares etiam utriusque sexus; 2224
novitii quoque, forum habent privilegiatum (*c. 38 C. XI. q. 1*; cfr. etiam *c. 3 de immunit. etc.* (*III. 23*) *in 6°*), quod non est restringendum ad religiosos ordinum stricte regularium, sed ad sodales quoque laicos recentiorum congregationum videtur extendendum Cfr. Lehmkuhl *II. 650.*

Clerici, qui foro privilegiato gau- 2225
dent, illo fruuntur in omnibus causis tum civilibus (*cc. 8. 45. C. XI. q. 1*), tum criminalibus (*cc. 4. 8 de iudiciis X.* [*II. 1*]; *c. un de clericis coniug.* [*III. 2*] *in 6°*); sive agatur iudicium in petitorio, sive in possessorio tantum (Schmalzgrueber *in tit. 2 lib. II Decr. n. 79*); sive intentetur contra clericum actio personalis, sive realis. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 82.*

Sunt tamen exceptiones; et primo antiquo iure excipiebantur causae feudales. *cc. 6. 7 tit. cit. X.* (*II. 2*). Praeterea excipitur casus, quo clericus ratione officii alieno nomine conveniatur, ex. gr. tamquam tutor vel curator aut procurator alicuius laici; tunc enim non attenditur persona clerici, sed eorum, quorum nomine convenitur. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 80*; D'Ann. *Comm. in const. « Ap. Sedis » n. 66.* Excipitur etiam casus, quo clericus sit heres laici, cum quo, antequam moreretur, lis iam fuerit coepta; ratio autem est, quia iudicium semel inceptum apud eumdem iudi-

cem terminari debet. Schmalzgrueber *loc. cit.*; B. P. *IV. 520.* Si autem clericus velit actionem instituere contra laicum, debet eum convenire coram iudice laico iuxta regulam generalem, quod actor rei forum, sive in rem sive in personam sit actio, sequitur. *l. 3 ubi in rem actio etc. C. (III. 19).*

2226 Iudex autem ecclesiasticus competens, coram quo conveniri debet clericus reus, tum in civilibus tum in criminalibus, est episcopus loci idest episcopus illius loci, in quo clericus deliquit, vel contraxit, vel domicilium habet, aut in quo sita est res, de qua controvertitur. *c. 1 tit. cit. X. (II. 2).* Vid. *Forum.* — Quoad episcopos autem causae criminales graviores, quae nempe depositione aut privatione dignae sunt, uni romano Pontifici reservantur; minores vero cognoscendae sunt a concilio provinciali, vel a deputandis per ipsum. Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 5 de ref.* Quod attinet ad causas civiles episcoporum, hae ex dispositione Conc. Tridentini (*l. c.*) non viderentur eximi a iudicio metropolitanorum: verum Barbosa (*de iure eccl. lib. 1. c. 7. n. 46*) refert, Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium (*31 mai 1588*) respondisse, archiepiscopum non posse esse iudicem in his causis, quae intentarentur contra episcopos suffraganeos.

2227 Regulares exempti suis praelatis subiiciuntur (cfr. *Const.* Pauli V « Religiosorum » *24 aug. 1607*); aliquando tamen et hi conveniri possunt coram locorum ordinariis; quibus autem in casibus hoc sit permissum vide in Conc. Trid. *sess. VII. c. 14 de ref.*

2228 Clerici huic privilegio renunciare non valent, et renunciatio non solum coacta, sed et spontanea (*c. 18 tit. cit. X. [II. 2]*), imo et iuramento firmata (*c. 12 tit. cit. X. [II. 2]*) est omnino in valida.

At clerici huiusmodi privilegium 2229
amittere possunt, et de facto amittunt si se ioculatores aut macellarios aut tabernarios faciunt et per annum has ignominiosas artes exercuerint, vel si breviori tempore hoc fecerint, spreverint tamen trinam monitionem ordinarii, nec resipuerint. *c. un. de vita et hon. cler. (III. 1) in 6°; c. 1 eiusd. tit. (III. 1) in Clem.*

Amittunt etiam privilegium fori clerici minores ordinati, sede vacante, infra annum a die vacationis, nisi fuerint arctati (Conc. Trid. *sess. VII c. 10 de ref.*); similiter et clerici minorum ordinum non beneficiati, qui non servant conditiones superius recensitas a concilio Tridentino (*sess. XXIII. c. 6 de ref.*) praescriptas. Vid. *Habitus clericalis.*

Privantur etiam hoc privilegio omnes illi, qui crimina committunt, quibus ex iuris dispositione infligitur poena degradationis. Cfr. *c. 27 de verb. signif. X. (V. 40);* quae sint haec delicta vide in *Degradatio.*

Cogentes autem, sive directe, sive in- 2230
directe, iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones incurrunt excommunicationem l. s. specialiter R. P. reservatam. *Const.* « Apost. Sedis » *serie 1. n. 7.* Haec tamem excommunicatio non attingit eos, qui subordinati sunt, etiamsi sint iudices, sed legislatores tantum et alias auctoritates, qui talia agunt.

S. U. I. 23 ian. 1886. Quare si quis sine licentia episcopi trahit clericum ad tribunal laicum, nullam incurrit censuram latae sententiae, sed puniri potest arbitrio episcopi. *S. U. I. decr. cit.; S. C. P. F. 17 maii 1886.* Si quando vero non datur sua iura persequi adversus clericum, nisi apud iudices laicos, tenetur quis prius a proprio ordinario (a *proprio* ordinario; quod, quum dictum sit generatim, locum habet etiam quum conveniendus sit clericus alterius dioecesis) veniam petere, ut clericum in forma laicorum possit convenire, quam veniam ordinarii denegare non debent; at episcopos in forum laicale convenire sine venia Sedis Apostolicae nemini licet. *S. U. I. eod. decr.* Si quis vult sua iura in alterius favorem renunciare contra aliquem clericum, tenetur prius petere veniam episcopi, si de clerico non episcopo agatur; et si agatur de episcopo, veniam S. Sedis; secus agere censetur in fraudem legis. *S. C. P. F. 6 sept. 1886.*

S. Congr. de Prop. Fide (*17 mai 1866*) declaravit numquam se fore admissuram recursum vel appellationem sacerdotum, qui ad iudices laicos trahere ausi fuerint vel clericum sine venia ordinarii vel episcopum sine venia apostolicae Sedis, sive in causa ecclesiastica sive non, nisi prius recursum ad civile tribunal interpositum deseruerint. Episcopos vero posse in praedictum clericum animadvertere poenis et censuris ferendae sententiae, maxime suspensione a divinis, servatis tamen servandis et pro gravitate causae, si id expedire in Domino iudicaverint. Quod si venia conveniendi clericum in forum laicorum ab ordinariis exquisita esset, eos numquam eam denegare debere, tum maxime quum ipsi controversiis inter partes conciliandis frustra operam dedissent.

Si clericus ob communes reatus a civili potestate, privilegio fori non obstante, processui ac iudicio subiiciatur, ordinarius summariam informationem criminis assumere debet, ac inquirere, num ad normam sacrorum canonum infamiae, irregularitati vel alii ecclesiasticae sanctioni locus esse possit. Pendente iudicio, prudens consilium erit, ut ordinarius ordinationes mere provisorias adhibeat. Iudicio absoluto, si liber accusatus remittatur, curia episcopalis debet informationes assumere, et in causa oeconomice procedere. *S. C. EE. RR. instr. ad Italiae episcopos 11 iun. 1880; quam instructionem S. C. de P. F. ann. 1883 transmisit ad episcopos Americae septentrionalis.*

Quum autem privilegium hoc in pluribus locis de iure per concordata, in aliis multis per iniuriam societatis civilis, vel in pluribus sit imminutum, vel omnino non vigeat, dolendum, hanc tractationem nostra aetate non esse adeo magni momenti.

Bibliographiam quaere sub *Clerici, Forum.*

Forma. — Forma in sacramentis est 2281
ea pars, quae determinat materiam ad efficiendum sacramentum, et quae ordinarie consistit in verbis a ministro prolatis. S. Th. *3. p. q. 60 a. 7. c.* Vid. *Sacramentum.* Formas singulorum sacramentorum vide suis locis.

2282 **Fornicatio.** — Fornicatio est copula soluti cum soluta ex mutuo consensu; est semper grave peccatum. *I. Cor. VI. 9; Ephes. V. 5*; cfr. *prop. 48am ab Inn. XI damn. decr. diei 2 mart. 1679.* Ad eam referuntur concubinatus et meretricium.

Ad habendam veri nominis fornicationem nota, necessarium esse, ut vera etiam habeatur copula, idest ut intra mulieris vas seminet vir; secus vel habebitur onanismus, si extra vas vir seminaverit, vel habebitur actus impudicus et extremus impudicitiae, si, incoepta copula, sese retraxerit, et nullo modo seminaverit. Sporer *Th. mor. de matr. n. 575 sq*; Bucc. *I. 789.* Haec autem peccata specie differunt; quare et in confessione aperte sunt declaranda.

2283 Quaestionem hic plures doctores pertractant, an debeat quis, an possit, incoeptam copulam fornicariam vel quocumque alio modo illicitam abrumpere, et sese retrahere, etsi natura excitata certo sit semen emissura extra vas, imo etsi persona complex iam seminaverit.

Porro Salmanticenses (*de matr. c. 15 n. 83*) dicunt, eum et posse et debere; quod et Sanchez (*de matr. lib. IX. disp. 19 num. 7*) multo probabilius quam contrarium existimat. Ratio horum praecipue est, quia debet quis omni tempore a peccato desistere; desistendo autem in casu a copula, desistit quis a peccato.

Alii tamen contradicunt, et ratio ipsis est quia in casu optio illi datur eligendi, vel copulam naturaliter habitam, vel pollutionem, quae contra naturam est. Porro minus malum semper est eligendum; hoc autem in casu est consummatio copulae incoeptae. Cfr. B. P. *VI. 384.*

Videtur autem in praxi modo priorum, modo posteriorum sententiam ex variis circumstantiis fieri veram. Nam, si ex fornicatione completa nullum malum prae ipsa fornicatione sequatur (ut plerumque esset, si quis cum meretrice copulam incoepisset), verum videtur id, quod posteriores affirmant. Quare, etsi illum, incoepta copula, peccati sui poenituerit, in casu potest et debet copulam perficere, ad vitandum nempe maius malum pollutionis, seu peccati contra naturam. At, si praeter fornicationem ex consummatione actus alia sequerentur mala, vel sibi, vel mulieri complici, vel aliis, ut, si puella honorata, vel alterius uxor inde praegnans evaderet, vera videtur sententia priorum. Tunc enim ex circumstantiis maius esset malum complere fornicationem, quam permittere pollutionem. Illud enim causa foret moraliter irreparabilis damni puellae, discordiarum inter familias, abalienationis coniugum ab invicem, prolis incertitudinis, periculi malae educationis prolis, scandali aliorum etc. Quare tunc et vir et mulier possent et deberent ab incoepta copula desistere. Quod ex hoc quoque confirmari videtur. A Sanchez (*l. c. n. 6*) et ab aliis communiter (cfr. B. P. *VI. 415*) conceditur, ut coniuges possint a copula incoepta se retrahere, etsi semen viri disperdatur vel femina etiam seminet, ne scandalum aliorum, forte illuc accedentium, sequatur. Quanto magis hoc ipsum posse dicendi sunt fornicatores, puella

praesertim, etsi in copulam prius consenserit, ne aliis scandalum, et ipsis quam plurima damna proveniant? Quod confirmare videtur agendi ratio plurium in confessione sese in casu retraxisse affirmantium; quod dicunt, ut culpam minuant, vel aliquantulum excusent.

2234 Fornicatio *quoad specificam luxuriae malitiam* reliquis peccatis consummatis levior est; sed nota cum Lehmkuhl (*I. 870. § 1*) hoc dici quoad *luxuriae* malitiam, quia quod a peccato solitario abest, hic accedit, nempe mutui ratio scandali, et probabilitas damni sibi et complici inferendi; id praeterea dici quoad *specificam* luxuriae malitiam, quia subiectiva malitia in concreto saepissime maior videtur, quam pollutionis malitia, quia et pudor multo magis exuitur, et actus multo plus voluntarii habet. Hinc etiam canones poenitentiales, ut hic auctor adnotat, constanter pro fornicatione maiorem poenam iniungere consueverunt, quam pro pollutione.

Omnes theologi morales, quando de sexto decalogi praecepto. *Hauemannus M.* Gamalogia synoptica seu de iure connubiorum (ubi in 3° libro de fornicatione); *Sharrock R.* Iudicia de variis inconscientiae speciebus; *Krug. Io.* De venere illicita eiusque coercitione.

2235 **Fortitudo.** — Fortitudo est virtus moralis, per quam animus erga ea, quae sunt acerba et terribilia, ita recte se habet, ut, neque prave timendo, neque temere audendo, desciscat propter illa ab officio rationi rectae consentaneo; sed in eo, illis superatis, se contineat, sive ea, prout ad officium retinendum conveniat, timendo et cavendo, sive, prout item conveniat, audendo et aggrediendo, illis contemptis, opus aliquod virtutis arduum (De Valentia *III. disp. VIII. q. 1. punct. 1*); vel brevius est virtus, quae circa ardua et difficilia regit animum, ne plus aequo audeat, aut metuat. D'Ann. *II. 71.*

Huic virtuti opponuntur per excessum, praesumptio et audacia; per defectum, pusillanimitas et timiditas; quae omnes sunt regulariter leves, audacia aliquando excepta, quae ex periculo, cui quis se obiicit, gravis evadere potest.

Forum. — ***Quid forum et quotuplex.*** — Forum, seu etiam forus, est locus exercendarum litium. *c. 10. de verb. sign. X.* (*V. 40*). Lites hic sumuntur lato sensu pro omnibus negotiis, quae auctoritate iudicis vel superioris finiri debent. 2236

Forum aliud *civile,* aliud *ecclesiasticum;* sicuti iurisdictio alia est civilis, alia ecclesiastica.

Forum ecclesiasticum subdividitur in *externum* et *internum.* Forum externum respicit publicam utilitatem fidelium, seu ipsius corporis ecclesiae; internum vero ea respicit, quae ad privatam singulorum fidelium utilitatem referuntur. Internum seu conscientiae iterum vel *sacramentale* est, ad quod pertinent peccata absolvenda aut retinenda; vel *conscientiae* simpliciter, ad quod spectant cetera omnia, quae singulorum fidelium salutem spiritualem respiciunt. Sic potestas, quam exercet superior ecclesiasticus extra confessionem a censura absolvens, vel dispen-

sans super voto, est potestas fori interni extra-sacramentalis, seu conscientiae simpliciter. Forum *poenitentiae* modo significat forum sacramentale, modo forum extra-sacramentale seu conscientiae simpliciter. Quod bene explicat Bonacina (*de censuris disp. 1. q. 3. p. 6. n. 8*) dicens: « Confessarium habentem facultatem absolvendi *in foro poenitentiae* posse absolvere extra sacramentalem confessionem, quoties absolutio cadit supra materiam, ad quam per se non requiritur absolutio sacramentalis, nisi aliter colligatur ex verbis concessionis ». Et Suarez (*de legibus lib. VIII. cap. 6. n. 16*) uberius idipsum sic explanat: « Infero tertio, quando privilegium conceditur *in foro poenitentiae*, per illa verba significari, non extendi ad forum contentiosum et externum, sed ad forum conscientiae limitari, quia est communis usus et sensus illorum verborum. Significatur etiam, tale privilegium dari ad tollendum aliquod malum aut vinculum apud Deum. An vero illud vinculum per tale privilegium sit tollendum in ipso sacramento poenitentiae necne, per illa verba non explicatur, sed iuxta qualitatem vinculi explicandum est. Nam si fuerit vinculum culpae, forum sacramenti requirit; si autem fuerit vinculum poenae aut censurae, sine sacramento tolli poterit, imponendo salutarem poenitentiam, quod est exercere aliquod poenitentiale iudicium. Unde si indultum dicat: *in foro conscientiae iniuncta poenitentia salutari* (sicut loquitur concilium Tridentinum *sess. XXIV. c. 6 de ref.*) perinde est, ac si diceretur, *in foro poenitentiae* vel *poenitentiali*. Quapropter censeo, usum privilegii non esse limitandum ad sacramentum poenitentiae, nisi ubi, vel absolutio sacramentalis per se fuerit necessaria, ut in privilegio obtinendi absolutionem a reservatis, vel ubi verba indulti id manifeste explicaverint ». Et hoc dicendum etiam in casu, quo facultas committeretur « sacerdoti », vel « sacerdoti confessario », vel « audienti confessiones », quia his omnibus clausulis requiritur quidem quaedam conditio in persona, sed non exigitur aliquid necessarium quoad formam indulti. Cfr. Suarez *loc. cit.*, S. Alph. *I. App. II. de privil. c. 1. n. 4,*

Absolutio data *in foro conscientiae tantum* non valet nisi in eo foro et nihil proinde suffragari posset delinquentibus in externo foro iudiciali, si quando delictum in iudicium traheretur. *S. C. P. F. ad praef. miss. Thibet. 1 maii 1779.*

De externo foro et de modis illud sortiendi. — **De modis ordinariis illud sortiendi.** — Forum externum iure canonico sortitur quis ordinarie ratione *domicilii,* vel ratione *rei sitae!* extraordinarie ratione *contractus,* vel ratione *delicti.* 2237

De foro ratione domicilii. — Domicilium hic intelligitur locus, in quo quis actualiter commorātur cum animo ibidem perpetuo manendi. Haec actualis commoratio facit, ut quis apud iudicem illius loci, seu dioecesis, verum et naturale forum sortiatur (cfr. *l. 2 de iurisdict. C.* [*III. 13*]; *c. 20 de foro compet. X.* [*II. 2*]); quod forum generalius omnibus aliis est, 2238

seu cum omnibus aliis foris concurrit. Santi *in tit. 2 lib. II Decr. n. 10.*

An etiam quasi domicilium, seu locus diuturnae commorationis cum animo tamen ibidem non in perpetuum manendi, efficiat, ut quis non solum quoad contractus ibidem celebratos et delicta ibidem admissa (in hoc enim casu etiam ex alio capite apud illum iudicem forum quis sortiretur), sed etiam quoad actus alibi gestos, et quoad res alibi constitutas, forum in illa dioecesi habere dicatur, controvertitur, sed verior videtur sententia affirmans. Cfr. *l. 19 de iudiciis etc. D.* (*V. 1*) § *2; c. 15 de foro compet. X.* (*II. 2*).

2239 *De communi foro in Curia Romana.* — Nota autem hic, omnes fideles, tum clericos, tum laicos, etsi Romae nec domicilium habeant, nec quasi domicilium, qui Romae sint peregrini, idest Romae versentur ad sua reversuri, posse, etiam ex iure vigente, super ecclesiasticis ac spiritualibus causis conveniri in Curia romana, quia ibi est romanus Pontifex, qui est ordinarius ordinariorum et superior immediatus omnium fidelium. *c. 20 tit. cit. X.* (*II. 2*); Reiffenstuel *in tit. 2 lib. II Decr. n. 106;* Schmalzgrueber *in eumd. tit. n. 26.* Nec obstat con cilium Tridentinum (*sess. XXIV. c. 20 de ref.*) ubi statuitur, ut causae omnes ad forum ecclesiasticum pertinentes in prima instan tia coram ordinariis lo corum tantum cognoscantur et terminentur. Nam concilium Tridentinum nec voluit nec potuit coercere iurisdictionem pontificis, qui utpote immediatus superior omnium fidelium potest omnes iudicare. Cfr. Fagnannm *in caput 20 libri II Decr. n. 25.* Et haec dispositio congruit iuri romano, quo etiam cautum erat, ut omnes, qui erant in orbe romano, quum Roma esset eorum patria communis (*l. 33 ad municipal. etc. D.* [*L. 1*]), Romae conveniri possent. Hinc quicumque apud romanam curiam convenitur, non potest forum declinare; potest tamen revocare domum, idest, si ex iusta et necessaria causa Romae degit, potest litem ad forum domicilii avocare, ubi melius ad respondendum instructus est. Reiffenstuel *loc. cit. n. 108 sqq.;* Schmalzgrueber *loc. cit. n. 27.* Quaenam requirantur, ut quis habeat hoc ius revocandi domum, vide magis in particulari apud canonistas.

De foro ratione rei sitae. — Ratione 2240
rei sitae aliquis forum sortitur ibi, ubi reperitur res litigiosa (*cc. 3. 20 tit. cit. X* [*II. 2*]), sive ea sit mobilis, sive immobilis (cfr. *l. 3 ubi in rem actio etc. C.* [*III. 19*], *c. 20 nuper cit. X.*), quibus in locis, ut patet, ius inter res mobiles vel immobiles non distinguit.

De foro ratione contractus. — Ratione 2241
contractus ille forum sortitur, qui in alieno territorio contraxit (idest negotium quodcumque perfecit, ex quo orta fuerit civilis obligatio). Cfr. *ll. 19. 20 de iudiciis etc. D.* (*V. 1*); *c. 17. 20 tit. cit. X.* Ad hoc tamen, ut ratione contractus possit quis iure canonico apud ordinarium loci conveniri, debet in ea dioecesi praesens esse (*c. 1 de foro comp.* [*II. 2*] *in 6°*), quibusdam tantum casibus exceptis, praesertim si agatur

de reddenda ratione administrationis gestae, vel aliud inter contrahentes fuerit pactum. Cfr. *reg. 85 iur. in 6°*. Si autem partes hic contraxerint, et alibi convenerint explendam esse obligationem contractus, locus solvendae obligationi destinatus est locus, in quo quis forum sortitur ratione contractus. *l. 3 de reb. auct. iud. etc. D.* (*XLII. 5*).

2242 **De foro ratione delicti** — Ratione delicti illud evadit forum competens, in quo quis crimen admisit, etsi non illius loci, sed alterius sit. Quare reus potest comprehendi et condemnari ab eo ordinario, qui in loco, ubi deliquit, habet iurisdictionem. Cfr. *leg. un. ubi de possess. etc. C.* (*III. 16*); *cc. 14. 20 de foro comp. X.* (*II. 2*).

Aliquando tamen ordinarius condemnans non potest etiam exsecutioni dare sententiam; sic expresse statutum est in casu sententiae latae privationem beneficii infligentis. *c. 14 tit. cit. X.* Ibi autem quis deliquisse dicitur, ubi criminalem actionem posuit, licet alibi istius actionis effectus locum habuerit; imo sufficit etiam in aliquo loco initium criminalis actionis posuisse, ut iudex illius loci iurisdictionem consequatur in reum, etsi ipsa actio criminalis alibi fuerit totaliter perfecta. *l. 1 ubi de criminibus etc. C.* (*III. 15*).

2243 **De foris privilegiatis** (*remissive*). — Sunt et fora privilegiata, quae nempe quis sortitur ratione privilegii. Praecipuum est forum privilegiatum clericorum, de quo vide sub *Fori privilegium;* de aliis loqui non est practici momenti; hinc ea praeterimus.

2244 **De modis extraordinariis sortiendi forum.** — **Da foro extraordinario ratione prorogationis.** — Iure nostro admittitur prorogatio iurisdictionis, quae tunc habetur, quum quis voluntarie consentit in iudicem non suum. Prorogatio haec fieri potest quatuor praecipue modis, videlicet de persona ad personam, de re ad rem, de tempore ad tempus, de loco ad locum. Haec quaere apud canonistas.

Ad prorogationem iurisdictionis requiritur praesertim ex parte illius, cuius iurisdictio prorogatur, ut aliquam habeat iurisdictionem (*l. 1 de iudiciis etc. D. - V. 1*), et si agitur de proroganda iurisdictione de persona ad personam aut de re ad rem sen de causa ad causam, ut habeat iurisdictionem ordinariam. *c. 40 de off. et pot. iud. del. X* (*I. 29*). Ex parte autem prorogantium requiritur ut consentiant in iudicem non proprium ex certa scientia, non per errorem nec coacte (*l. 2 tit. cit. D. - V. 1 - pr.*), nec sint a iure impediti quominus eam valeant prorogare, *l. 2 nuper cit.* § *2.* Sic clerici non possunt in se prorogare iurisdictionem iudicis laici, *c. 18 de foro comp. X.* (*II. 2*).

De foro extraordinario ratione continentiae causae. — 2245 Quum generaliter loquhndo causae continentia non debeat dividi (*l. 10 de iudiciis C. III. 1*) competens fit iudex ille sive ordinarius sive delegatus, qui de una causa cognoscit, ut de alia etiam videat eidem connexa. *c. 21 de off. et pot. iud. deleg.* § *3 X.* (*I. 29*). Continentia autem causae haberi potest sive ratione subiecti, quando duo iudicia competunt ad eamdem rem (causa possessionis et proprietatis) vel quan-

do circa eamdem rem duae moventur quaestiones, altera principaliter, altera incidenter (de matrimonio et de dote); sive ratione actionis, quando diversae speciales causae continentur sub una actione generali (tutelae ex gr.); sive ratione personarum, quia plures personas conceruntn ut quando agitur de pluribus sociis, de coheredibus etc.

2246 **De foro extraordinario ratione praeventionis.** — Ex dictis patet, posse aliquem plures habere iudices legitimos. Et si plures de facto dentur legitimi iudices, datur locus inter ipsos praeventioni. Scilicet praeventio tunc habetur, quum iudex competens iurisdictionem alterius iudicis competentis praevenit seu praeoccupat, ita ut iste amplius causae praeventae nequeat sese intromittere. Reiffenstuel *loc. cit. n. 165.* Cfr. *S. C. C. in Milevitana 19 aug. 1899.* Praeventio fori seu iurisdictionis inducitur per citationem legitime interpositam (*c. 19 tit. cit. X.* [*II. 2*]); et haberi potest tum, quum reus actu coram pluribus iudicibus conveniri potest, tum, quum actu quidem non uterque iudex est competens respectu rei, sed unus, dum adhuc erat competens, causam agitare coepit. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 136.* Ut patet ex dictis non sufficit ad praeventionem sola inquisitio vel accusatio, sed necessaria omnino est citatio, et quidem legitima, nec non parti intimata, quum ante intimationem non recte quis dicatur citatus, sed dici potius debeat mandatum de citando datum esse. Cfr. Reiffenstuel *loc. cit.*; Schmalzgrueber *loc. cit.*

De foro extraordinario ratione avocationis causae. — Avocatio causae, dicit Reiffenstuel (*in tit. 2 lib. III Decretalium n. 117* (nihil aliud est, quam litis pendentis coram inferiore iudice ad superiorem, a quo illius iurisdictio dependet, citra appellationem facta translatio in eo statu, in quo apud inferiorem reperitur. Superior avocans ad suum tribunal causam, quae agitatur apud inferiorem, adeo inficit iurisdictionem ipsius eamque suspendit, ut processus postea ab inferiore factus sit ipso iure nullus. 2247

De excommunicatione, quae huc refertur (*remissive*). — Impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni, sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum seculare, eiusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium vel favorem praestantes incurrunt excommunicationem l. s. romano Pontifici specialiter reservatam. *Const.* « Ap. Sedis » *serie 1. n. 6.* De hac excommunicatione vide *Iurisdictio.* 2248

Decr. Grat. C. XI. q. 1; tit. de foro comp. X. (II. 2); idem tit. (II. 2) in 6°; idem tit. (II. 2) in Clem.; *De Matthaeis A.* Tract. de iudiciis etc.; *Mantua A.* Tract. de iudiciis et ubi quis agere vel conveniri debeat; *Colerus M.* Tract. de processibus executivis seu practica universalis etc. (ubi etiam de foro competenti); *Cala M.* Tract. de modo articulandi et probandi et de privilegiis eligendi et variandi forum; *Novarius Io.* Tract. de electione et variatione fori; *von Brinken G.* Disp. inaug. de foro competenti; *Laymann P.* Conclusiones canonicae de iurisdictione et foro competenti; *Gibalinus Ios.* Disquisitiones canonicae et theologicae de sacra iurisdictione in ferendis poenis et

censuris ecclesiasticis; *Fermosinus N.* De iudiciis et foro competenti; *Ferro M.* Tract. de differentiis et concordiis utriusque fori; *de Tonduti P. Fr.* Tract. de praeventione iudiciali seu de contentione iurisdictionum; *Ziegler G.* Tract. de foro privilegiato; *Scialoia A.* Tract. de foro competenti etc.; *Engel Lud.* De foro competenti; *Birnbaum Io. A.* De foro privilegiato; *Glaesser E.* De foro privilegiato; *Frances A.* De competentiis iurisdictionis inter curiam ecclesiasticam et secularem; *Wibel Io. F.* Disp. inaug. de continentia causae fori competentis; *Obrecht G.* Tract. de iurisdictione et imperio et foro competenti; *De Luca Io. B.* De iurisdictione et foro competenti (in Theatr. iust. et verit. tom. 3); *Novari Io.* De electione et variatione fori; *Antonelli Io. C.* De loco legali; *de Oliva e Sousa F.* Tract. de foro ecclesiae; *Valeri Io.* De differentiis inter utrumque forum iudiciale videlicet et conscientiae; *De Bellamera Aeg.* Super titulo de foro competenti; *Albitius* De inconstantia in iudiciis; *Friderich* Forum competens; *Vinnius A.* Tractatus quinque, nempe de pactis, iurisdictione, transactionibus, collationibus et quaestionibus iuris selectis; *Pistoni E.* Della incompetenza sopraggiunta; *Mancini P. St.* Discorso intorno ai conflitti di attribuzioni ovvero ai regolamenti di competenza fra le autorità giudiziarie e le amministrative; *Ranelletti O.* Ancora sui concetti discrettivi e sui limiti delle competenze delle autorità giudiziarie e amministrative.

2249 **Fraudatio.** — Fraudatio tributorum non semper talis est, ut pecccatum inducat. Quaedam enim tributa iniusta sunt, que non solvere omnino licet. Cfr. S. Th. *2. 2. q. 66. a. 8 ad 3um.* Tributa vero iusta imposita sine adiuncta poena, vel quorum solutiones exactor petit a singulis, sunt solvenda. Cfr. *Rom. XIII. 5. sqq.*

Questio est, an solvi omnino debeant ea tributa, quae adnexam habent gravem poenam, nec per exactores exquisita adhuc sunt, vel quae numquam exquirentur. Sententia negans gravissimis theologis (Navarro *Manuale c. XXIII. n. 55*; Lessius *de iust. et iure cap. XXXIII dub. 8. n. 55*: cfr. etiam Bonacina *de restitutione disp. II. q. 9. punct. 1. n. 7*) probatur, qui hanc legem habent in casu tamquam mere poenalem. — Aetate vero nostra huiusmodi leges esse mere poenales, plura omnino suadent. B. P. *I. 327.* Quare in praxi hoc videtur sequendum: ante factum, nisi iusta adsit causa contrarium suadens, moneantur fideles, ne tributa defraudent; post factum ad restitutionem non cogantur. Cfr. B. P. *I. 322 sqq.*; D'Ann. *II. 580 sqq.*; Bucc. *I. 232.*

Bibliographiam quaere sub *Tributum.*

Fraus. — Fraus est actus, quo quis 2250
re vel iure sibi debito dolo privatur. Qui fraudem admittit, violat iustitiam, et ad damna resarcienda tenetur.

Iuxta iuris locutiones etiam legi fit fraus. « Fraus autem legi fit, ubi quod fieri noluit, fieri autem non vetuit, id fit », (*l. 30 de leg. senatusque cons. etc. D.* [*I. 3*]); vel, ut habetur in l. 29 tit. cit. D., ille « contra legem facit, qui id facit quod lex prohibet; in fraudem vero, qui, salvis verbis legis, sententiam eius circumvenit ». Tunc enim quis salvat materialiter verba legis, non vero id, quod per legem voluit legislator. Sic in fraudem legis ageret ille, qui, ut non ieiunet, praeter suam conditionem durioribus laboribus dat operam. Quare

qui agit in fraudem legis facit, vel omittit id, quod lex implicite facere, vel omittere prohibet.

Quid sit alio ire in fraudem reservationis vide sub *Reservatio casuum.*

Bibliographiam vide sub *Dolus.*

2251 **Fructus.** — Fructus rerum distinguuntur in naturales, qui ex ipsa rei substantia sine ulla aut modica hominis opera proveniunt; in industriales, qui potissimum industriae possessoris tribuuntur; in mixtos, qui sunt partim naturales et partim industriales; in civiles, qui non sunt proprie fructus, sed tales habentur a iure, ut esset pretium quod ex locatione rei acquiri potest, usura quae ex pecunia alteri tradita obvenire tradenti potest, merces, salarium, etc. S. Alph. *III. 610;* B. P. *III. 420.*

Burchardus E. Diss. inaug. de fructibus; *Rulant R.* Thesaurus fructuum et interesse, etc.; *Schlichtkrullius H.* Tract. de fructibus et interesse; *Barbati H.* Tract. de divisione fructuum absolutissimus; *Strom J.* De fructibus; *Wedderkopf M.* De fructibus et eorum acquisitione; *Pestelius* De fructibus; *Frik A. Ph.* De iure bonae fidei possessoris circa fructus e re aliena perceptos; *Erxleben Io. H. Ch.* Diss. de eo, quod iustum est circa fictam possessionem; *de Wollfradt G. A.* Diss. sistens theoriam generalem de acquisitione fructuum; *Westphal* System des Röm. Rechts über die *Arten* der Sachen, Besitz u. s. w.; *Cuperus A. I.* Observationes selectae de natura possessionis; *Thibaut* Ueber Besitz und Verjährung; *Driessen A.* Diss. de dominio seu iure possessoris in fructis bona fide perceptos non temporali; *Arens F. Jos.* Diss. de iuris bonae fidei possessori in fructus ex re aliena competentis legitimo fundamento; *Pothier* Traité de la possession et de la prescription; *Hufeland G.* Neue Darstellung der Rechtslehre vom Besitz; *Dubus L. E.* De possessione ex iure romano; *Backe F. G. E.* Diss. bonae fidei possessor quemadmodum fructus suos facit; *von Tigerström* Die bonae fidei possessio oder das Recht des Besitzes; *von Savigny* Recht des Besitzes; *Köppe* Zur Lehre vom Besitz; *Pfeifer K.* Was ist und gilt im Röm. Rechte der Besitz? eine Abh. gerichtet gegen die v. Savigny'sche Doctrin über das Recht des Besitzes; *Belime W.* Traité de la possession; *Heimbach G. E.* Die Lehre von der Frucht; *Lenz G.* Das Recht des Besitzes.

Fucus. — Fuco vitia corporis oc- 2252
cultare nullum est peccatum S. Th. *2. 2. q. 169. a. 2. ad 2.um* Feminae fuco utentes ad lasciviam, mortaliter; ad fingendam pulchritudinem, venialiter peccant. Ballerini *in Gury I. 239 (2).*

Fugitivus. — Fugitivus dicitur, re- 2253
gularis, qui absque superiorum licentia ex quocumque praetextu, etiam adeundi Sedem apostolicam (nisi hanc veniam in scriptis ipse a superioribus postulasset, iique eam denegassent [*Const.* Sixti V « Ad Romanum » apud Bargilliat *Prael. iur. can. 1239*], vel nisi frustra aut cum timore maioris gravaminis peteret [*S. C. EE. RR. 6 et 27 iun. 1698;* Ferraris *Prompta bibl. v.* « *Apostasia* » *num. 36;* B. P. *IV. 193. 5°*]), e monasterio vel religiosa domo recedit cum intentione redeundi. Ferraris *l. c. n. 21;* B. P. *IV. 193.*

Hinc fugitivus differt ab apostata, qui hunc animum redeundi non habet. Vid. *Apostasia.* Notandum tamen est, etsi fugitivi differant ab apostatis, eos tamen in praxi communiter accipi et

tractari, ut veros apostatas. In foro enim externo animus numquam redeundi praesumitur; quamvis praesumptio cedat veritati. Hinc in iure apostatae et fugitivi aequiparantur quoad poenas. Cfr. *decr. S. C. C.* « Sacra Congregatio » *iussu Urbani VIII editum 21 sept. 1624.*

Fugitivus, quamdiu extra monasterium manet, subiicitur ordinariis locorum, et caret privilegiis sui ordinis. Conc. Trid. *sess. XXV. n. 19 de reg.*

2254 **Functiones.** — Proposito dubio : « An sacerdotes seculares cappellani aut rectores et an superiores regulares possint introducere functiones extraordinarias, alterare consuetas in respectivis ecclesiis, et processiones facere absque praevia ordinarii licentia, S. Congr. Episcoporum et Regularium (*14 mart. 1879*) respondit : « Quoad seculares ordinarius utatur iure suo servatis resolutionibus sacrarum congregationum et praesertim s. Rituum Congregationis anno 1704 Urbis et Orbis (*12 ian. decr. n 2123*). Quoad regulares affirmative, servatis resolutionibus, ut supra, exceptis processionibus extra ecclesiae ambitum, salvis, pro aliquibus processionibus, specialibus privilegiis ».

2255 **Functiones episcopales.** — « Super functionibus, quae ad episcopum lege vel consuetudine pertinent, in cathedrali ecclesia, ipso absente, peragendis, Sacra Rituum Congregatio quam plurima decreta iam pridem edidit; nunc vero haec eadem per summa capita resumens, sequentia statuere ac declarare decrevit.

I.-1° Missas solemnes, processiones, divina officia, aliasque similes functiones, quas in ecclesia cathedrali faceret episcopus, si praesens esset, quaeque ad ipsum pertinent; episcopo impedito, absente vel defuncto, ad dignitates et canonicos eiusdem ecclesiae pertinere, successive et non alternatim, idest : prima dignitas, cuiuscumque sit nominis, sacrum celebret vel officium agat, quod episcopus praesens egisset; et, ea impedita vel absente, succedat secunda dignitas; et, secunda impedita, tertia; et, omnibus dignitatibus impeditis vel absentibus, primus canonicorum id exsequatur; et sic per ordinem successive.

2° Nec referre, an dignitates adnexam habeant, necne, curam animarum, aut praebendam canonicalem, dummodo praecedentia gaudeant in choro.

3° Easdem functiones ad archidiaconum super ceteros pertinere, si sit ipse prima dignitas, dummodo sacerdotali ordine sit insignitus.

4° Neque officere praefato primae Dignitatis iuri pactum contrarium inter partes conventum, etiam ab episcopo approbatum.

5° Neque obstare consuetudinem contrariam quamcumque.

6° Neque ipsum episcopum, et multo minus primam dignitatem, pro suo arbitrio praefata munia aliis demandare posse, quam dignioribus, ordine successivo.

7° Attamen consuetudinem, si adsit, servandam esse, ut, prima dignitate impedita, ceterae dignitates vel canonici per vices officia praedicta celebrent, vel etiam canonicus hebdomadarius, maxime ubi unica tantum

sit dignitas; quum non eadem praerogativa sit praelati inferioris atque episcopi, neque ipsi propterea eodem sint iure censendi.

8° Functiones vero praefatas ad vicarium generalem, vel capitularem, qua talem, nullimode pertinere, non obstantibus consuetudine, etiam immemoriali, quae potius dicenda est abusus, neque ipsius episcopi decreto, nec dispositione contraria facta in synodo; atque etiamsi vicarius sit de gremio, nisi huiusmodi functiones sibi pro sua vice et loco, qua dignitati seu canonico, competant.

II. Omnia vero supradicta in ecclesiis etiam collegiatis, debita proportione, servanda esse; ita quidem, ut, impedita vel absente prima vel unica dignitate, officium ad canonicum seniorem, non ad hebdomadarium, iure pertineat, nisi consuetudo contraria, ut supra allegari queat, numquam vero ad parochum deputatum vel substitutum.

III. Functiones vero episcopales, modo ut supra, dignioribus, absente episcopo committendas, eas esse, quas episcopus in cathedrali, si praesens esset, ipse perageret ac celebraret; ut sunt, praeter officia et missas pontificaliter ab episcopo celebrari solitas iuxta ceremoniale episcoporum (*lib. II. c. 1. et 34*) processio ss. sacramenti sive in huius solemnitate vel octava, sive in oratione XL horarum; benedictiones candelarum, cinerum, palmarum et fontis (dummodo eadem dignitas solemnem missam agat); ablutio pedum feria V in coena Domini; absolutio super defunctis in commemoratione omnium defunctorum; et alia huiusmodi, tum ex communi iure, tum ex cuiuslibet ecclesiae consuetudine.

Haec omnia sacra Rituum Congregatio servari mandavit, non obstantibus quibuscumque ». *Die 9 iulii 1895* (*3865*).

Dicitur in hoc decreto, functiones episcopales quasdam esse ibi determinatas, praeter officia et missam pontificaliter ab episcopo celebrari solitas iuxta Ceremoniale episcoporum *lib. II. c. 1. et 34.* Porro quae ibi determinantur, hae sunt:

Functiones episcopales sunt: festum nativitatis Domini, Epiphaniae, Ascensionis, Pentecostes, ss. Apostolorum Petri et Pauli, Annuntiationis, Assumptionis et Immaculatae Conceptionis B. M. V. (*S. R. C. 19 sept. 1883* [*3595*]), omnium Sanctorum, dedicationis ecclesiae cathedralis, S. Iosephi B. M. V. sponsi purissimi (*S. R. C. decr. nuper cit.*), tituli eiusdem ecclesiae, patroni civitatis; celebratio officii feriae V in coena Domini, festum Paschatis resurrectionis D. N. I. C.; dies solemnis corporis Christi cum processione.

Quoad *functiones parochiales* Vid. *Parochus.*

Funebris oratio. — Antiquus est 2256
mos sermonem habendi in exsequiis defunctorum Cfr. *c. 2 de sepult.* (*III. 7*) *in Clem.; c. 2 eiusd. tit.* (*III. 6*) *in Xvag. comm.* Quando autem, ex disciplina vigente, funebris oratio habenda est in exsequiis, fit, finita missa, ante absolutionem (Cer. episc. *l. 1. c. 22. n. 6*), in vestibus nigris sine superpelliceo et sine stola, seu in habitu ordinario cum birreto; nec pe-

titur benedictio ab episcopo, si adsit, nec recitatur salutatio angelica. Cer. ep. *lib. II. c. 11. n. 10; S. R. C. in Limburgen. 14 iun. 1845* (*2888*). Cfr. Hantelmann *Diss. circa conciones funebres.*

2257 **Funera.** — Funera haereticorum aut schismaticorum usque ad coemeterium catholicos comitari toleratur, dummodo meram praesentiam materialem exhibeant civilis honoris causa erga defunctos, nec se immisceant ritibus haereticorum, nec luminaria deferant, nec pro defuncti anima suffragia persolvant. *S. U. I. ad arch. Smyrnen. 7. iul. 1864.* Cfr. etiam. *S. U. I. ad vic. ap. Algeriae 21 ian. 1751; 13 iun. 1818 ad 1; S. C. P. F. ad ep. Chien. 15 dec. 1764; ad arch. Antibar. 2 aug. 1803 ad 1.* Quod clarius etiam explicavit eadem Sacra Congregatio S. Officii in Instructione ad arch. Corcyren. (*ann. 1871*) scilicet: « Si quando necessitas cogat catholicos ad acatholicorum funera comitanda sedulo advertendum est, id solum licere, quotiescumque agatur de praesentia materiali praestanda civilis officii causa, a qua eximi nequeant catholici sine gravi damno vel periculo, et dummodo nullo modo communicent in eorum ritibus ac sacris ceremoniis quibuscumque. Hisce itaque adhibitis conditionibus, consuetudo assistendi acatholicorum funeribus et sepulturis, si quando nec facile tolli posset, quia exinde oriantur odia et inimicitiae catholicos inter et acatholicos, tolerari potest ». Hinc fideles in hac acatholicorum cadaverum humatione nec preces debent effundere, nec terram desuper cadavera in fossa iam posita iniicere, id quod eo vel maxime in clericis esset improbandum. *S. U. I. ad vic. ap. Columben. 14. ian. 1874.*

Tolerari etiam potest, parochum, qui tamen ut parochus funeribus acatholicorum adesse non potest, iis civiliter tantum assistere, absque vestibus sacris et absque ulla communicatione in ritu sacro cum haereticis, dummodo notorie constet de vinculo cognationis aut amicitiae inter parochum et defunctum acatholicum. *S. U. I. 30 mart. 1859.*

Per modum autem regulae vetatur interventus ad funera mere civilia eorum, qui vulgo dicuntur liberi pensatores, in quibus funeribus ob ostentationem et in despectum religionis, excludatur, data opera, interventus sacerdotum aut ministrorum cultus. *S. C. P. F. ad vic. ap. Aegypti 3 maii 1876.*

In funeribus ducendis tolerari potest usus currus, super quo imponatur feretrum equis vehendum ad ecclesiam et coemeterium; et etiam tunc parochus et clerus ducere possunt funus, sacris vestibus induti, erectaque cruce. *S. R. C. in Brixien. 5 mart. 1870* (*3212*).

An liceat apponere tumulo imago defuncti vide sub *Exsequiae.*

An liceat parietibus ecclesiae suspendere coronas mortuarias vide sub *Coronae.* Vid. *Exsequiae.*

Furtum. — ***De natura furti*** — 2258 Furtum est occulta ablatio rei alienae (S. Th. *2. 2. q. 66. a. 3. c*). domino rationabiliter invito. Cfr. Inst. Iust. *lib. IV. tit. 1. de obligat. quae ex del. nascunt. § 6. 8.* Nota tamen, ad ve-

ram rationem furti habendam necesse esse, ut res aliena auferatur lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam usus eius possessionisve. *l. 1 de furtis D.* (*XLVII. 2*) *§ 3.*

Hinc, si quis aliquid surripiat, ut illud destruat in odium domini, erit quidem iniustus damnificator, non vero fur (cfr. *l. 22 tit. cit. D.* [*XLVII. 2*]); contra, si lucrifaciendi causa id surripuerit, etsi postea mutato consilio illud domino reddiderit (*l. 65 tit. cit. D.* [*XLVII. 2*]) vel destruxerit (Lugo *de iust. et iure disp. XVI sect. 1. n. 5*), fur est. Quamobrem, ut ait D'Annibale (*II. 250*), is, etsi peccet, non subest censuris vel reservationibus forte latis in fures.

Quaerunt doctores, quando censeri debeat dominus rei rationabiliter invitus vel non. Et in hoc non concordant. Vermeersch (*Quaest. de iustitia n. 154*) hanc tradit regulam: « Regulariter loquendo dominus rationabiliter est invitus, quominus alter rem ipsius invadat, nisi ex iustitia eam dare teneatur. Iustis tamen exceptionibus, moraliter pensandis, locum dant: extrema sumentis necessitas, coniunctio personae, quandoque evidens et urgens utilitas eius, cuius inviti geritur negotium, ut si hominem ad horam iratum, etiam aliqua coactione adhibita, magno prohibeas abusu ».

Furtum peccatum grave est ex genere suo. *I. Cor. VI. 10.* Furtum sacrilegum et rapina specie differunt a simplici furto. Lugo *de iust. et iure loc. cit. n. 10*; *de poenit. disp. XVI. sect. 12. in princ.*

2259 ***De materia requisita ad furtum grave.*** — Non potest rigorose determinari quaenam materia censeatur gravis in furto. Lugo *de iust. et iure l. c. n. 21.*

Alia autem est gravis absolute, alia relative. *Relativa* gravitas desumenda est ex maiori vel minori privatione et dolore, qui domino infertur. *Absoluta* ex s. Alphonso (*III. 526. sqq.*) sunt duo aurei. Nunc autem ratio habenda est mutationis in valore pecuniae, qui ab aetate s. Alphonsi non parum certe decrevit. Notandum praeterea est, ipsum s. Alphonsum hanc ipsam pecuniae quantitatem desumpsisse ex veteribus auctoribus, nulla computatione facta mutationis valoris pecuniae, quae ab aetate horum scriptorum habita fuerat. Imo veteres quidam auctores, ut Angelus [† 1495] et Silvester [† 1523,] quemadmodum dicit ipse s. Alphonsus (*l. c.*), ad materiam gravem tres aureos requirebant. Porro ipse Lugo [† 1660] (*l. c. n. 25*) de sua aetate hoc testabatur: « Scimus etiam apud nos ipsos adeo decrevisse pecuniae aestimationem propter maiorem argenti copiam ex America asportati, ut quibus olim 50 aurei ad victum sufficiebant, hodie non sufficiant 150 ». Hinc non videntur a vero aberrare, qui *saltem* infra 100 libellas materiam furti absolute gravem non agnoscunt.

De furtis uxorum et filiorum. — 2260 Furta uxorum et filiorum ad materiam gravem requirunt summam *saltem* duplo maiorem, quam alia furta. G. B. *I. 608.* Diximus *saltem*; nam s. Alphonsus, qui (*III. 528*) dicit respectu magnatum ditissimorum unum aureum esse materiam furti gravem,

postea (*III. 543*), refert sententiam Holzmann, innuens eam admittere, qui dicit non esse grave surripere parenti praediviti decem sureos. Similiter idem s. Alphonsus, qui sub numero citato 528 relate ad principes statuerat, esse materiam gravem duos aureos, postea sub numero 543 affert, nec improbat, sententiam Lugonis et Croix, qui pro filio principis concedunt requiri saltem 50 aureos. Quare ex s. Alphonso pro furtis filiorum familias multo maior quantitas requiritur, quam dupla communis.

2261 **De furtis famulorum.** — Furta minuta famulorum quoad cibos et esculenta facilius excusantur; imo quoad haec, si ea ipsi consument, nec accipiant in quantitate extraordinaria, vel quae extraordinarii pretii sint, numquam graviter peccant. D'Ann. *II. 252.* Quoad alia furta famuli habendi sunt ut extranei. B. P. *III. 331.*

2262 **De minutis furtis coalescentibus.** — Furta minuta coalescere possunt in materiam gravem (cfr. *prop. 38am damn. ab Inn. XI decr. diei 2 mart. 1679*); et coalescunt semper per intentionem perveniendi ad materiam gravem; tunc enim de facto habet quis intentionem furandi certam summam gravem, quam intentionem non unico actu, sed pluribus exsequitur, quare in primo quoque furtulo graviter peccat propter eam intentionem, quamvis ad restitutionem sub gravi tunc tantum teneatur, quum ad materiam gravem pervenerit. B. P. *III. 316.* Seclusa intentione perveniendi ad materiam gravem, coalescunt iuxta quosdam, si fiant intra duos menses ut plurimum (S. Alph. *III. 530;* G. B. *I. 610.*) licet ex adiunctis fieri possit, quod non coalescant. Norma generalis in hac re vix tradi potest. Ballerini *in Gury I. 610* (*10*).

Coalescentia tamen ad gravem materiam plus requirunt, quam communia, scilicet, iuxta D'Annibale (*II. 254*), si unus uni eidemque pluries furatur, saltem dimidio plus; si furatur pluribus simul et semel, duplo plus; si pluribus pluries furetur, ut plerumque oenopolae, mercatores etc., plus triplo. In hoc autem ultimo casu excessus computandus est supra materiam absolute gravem in furtis communitatum. Ballerini *in Gury I. 611* (*12*). Furtum cessat omnino, interveniente extrema necessitate, quia tunc omnia sunt communia; imo interveniente etiam gravissima necessitate, non autem necessitate gravi tantum aut communi. S. Th. *2. 2. q. 66. a. 7. c.*; D'Ann. *II. 256.* — Cfr. B. P. *III. 274 sqq.*; G. B. *I. 605 sqq.*; Bucc. *I. 1296 sqq.*

Quoad restitutionem vide *Restitutio.*

Tit. de furtis X. (V. 18); idem tit. (V. 5) in Xvag. comm.; *Obrecht G.* Disp. de furto; *Bonifaci Io.* Tract. de furtis; *Boceri H.* Tract. de furtorum poenis; *Gutierrez Io.* Tract. de furto; *Erhard Chr. D.* Diss. de furti notione per leges constituta accuratius definienda; *Klien* Revision der Grunds. über das Verbrechen des Diebstahls; *van Imhoff G. G. A.* De furtis ad leg. XII tabul.; *Luden H.* De furti notione secundum ius rom.

G

2263 **Gaudium.** — Gaudium quoad peccata interna est deliberata complacentia, seu approbatio rei malae praeteritae, a se vel ab alio peractae. G. B. *1. 167* (*1*). Est peccatum eiusdem speciei, ac actio mala, circa quam versatur; induit etiam species circumstantiarum ipsi annexarum. G. B. *I. 168*. Ad gaudium revocanda est iactantia de peccato commisso, displicentia de non patrato, tristitia de bono peracto. — Non licet gaudere de actu malo praeterito secundum se et propter eius voluptatem (Suarez *de peccatis disp. V sect. 7. n. 15*); licet tamen de bono effectu secuto, imo etiam de illo actu non quidem secundum se, sed tantum ut causa fuit talis effectus. B. P. *I. 544 sqq*.

2264 **Gaz.** — Tolerari nequit, ut super altari praeter candelas ex cera habeatur etiam illuminatio ex gaz, et usus praedictus prohiberi omnino debet. *S. R. C. in Novarcen. 8 mart. 1879*; *16 maii 1902*.

2265 **Genuflexio.** — Sacerdos celebraturus accedens ad altare et post celebrationem recedens, vel in similibus casibus transiens ante tabernaculum, in quo asservatur clausum ss. Sacramentum, capite cooperto unico genu flectere debet; transiens ante ss. Sacramentum publice expositum, etiam in pyxide (*S. R. C. in Varsavien. 7 maii 1746 ad 4* [*2390*]), vel ante altare, in quo distribuitur sacra eucharistia, utroque genu flectit, detecto capite adorat, et surgens caput cooperit (*Rit. serv. in cel. miss. n. II. 1*), nec debet genuflexus manere, donec terminetur communio fidelium. *S. R. C. in Collen. 6 iul. 1698 ad 14* (*2002*). Sacerdos obvius sacerdoti ss. Sacramentum deferenti, utroque genu flectit, caput aperit et adorat, genuflexus manens, donec ille e conspectu vel quasi e conspectu transierit (Cavalieri *IV. dec. 178. 3*). Similiter transiens ante altare, ex quo cum ss. Sacramento populo benedicitur, vel in quo celebratur missa et elevatur ss. Sacramentum, similiter genuflectit utroque genu, caput aperit, nec surgit, priusquam ostensorium, vel pyxis, vel calix super altare fuerit depositus. *Rit. serv. in cel. miss. n. II* § *1*. In transitu vero ante altare, quod non sit altare maius, in quo celebratur missa, quae pervenerit ad canonem post consecrationem, Romae nec inclinatio nec genuflexio fit. — Transiens ante reliquiam s. crucis loco principali super altare expositam sacerdos unico genu flectere debet. *S. R. C. decr. cit. 7 maii 1746 ad 7*.

Genuflectendum est in processionibus, quae fiunt per ecclesiam, dum transitur ante altare ss. Sacramenti, non obstante quacumque in contrarium consuetudine (*S. R. C. in Pacen. 14 dec. 1602* [*117*]); et, si ssmum.

Sacramentum sit publice expositum et discoopertum, utroque genu, etiam ab iis accedentibus et recedentibus, qui pluvialibus sunt induti. *S. R. C. in Minoricen. 24 nov. 1899 ad 11* (*4048*).

Quando in ecclesia processiones fiunt, usus campanulae in omnibus missis privatis est omnino prohibitus; quod si campanula ad elevationem ex errore pulsetur, omnes ante altare transeuntes, ubi fit elevatio ss. Sacramenti, bini et bini unico genu flectere debent, et piam supplicationem seu processionem prosequi. *S. R. C. 21 nov. 1893.* Vid. *Campanula.* Quando vero defertur ipsum ss. Sacramentum, non fit genuflexio, quia incedentes in processione sunt in actuali ss. Sacramenti adoratione. Merati *II tit. 14. n. 4;* Cavalieri *IV dec. 180. n. 2.* Vid. *Salutare.*

2266 **Genuflexoria.** — Genuflexoria cum stratis et pulvinis in ecclesiis urbis non debent parari, nisi pro personis regali vel cardinalitia dignitate fulgentibus. *S. R. C. 12 sept. 1822 ad 10* (*2621*).

2267 **Gestio negotiorum.** — Gestio negotiorum est quidam quasi-contractus, quo quis absentis et ignorantis negotium suscipit utiliter gerendum, sine mandato expresso, sed ex eius commissione rationabiliter praesumpta. Cff. *tit. de negotiis gestis D.* (*III. 5*). Negotiorum gestor debet negotium obire et perficere more boni patrisfamilias (*C. C. a. 1143*), nec non rationem suae gestionis reddere. *C. C. aa. 1141. 1747.* Dominus vero debet rata habere ea, quae gestor suo nomine gessit; gestorem ipsum obligationibus, quas huius rei causa contraxit, liberare et indemnem reddere, si quid pro ipso solvit (*C. C. a. 1144.*; cfr. *l. 10 tit. cit. D.* [*III. 5*]); sed in codice italico et etiam in gallico nihil dicitur de mercede gestori retribuenda.

Gloria in excelsis. — Gloria in 2268
excelsis dicitur in omni missa conformi officio, quando in matutino dictum est « Te Deum », exceptis tamen missis feriae V in coena Dni. et sabbato sancto, quae admittunt « Gloria », licet in officio non dicatur « Te Deum ». Rubr. gen. miss. *tit. VIII. n. 3.* — Dicitur autem et « Te Deum » et « Gloria » in omnibus festis (praeter festum Innocentium), item in Dominicis extra adventum et septuagesimam, i. e. a. dominica septuagesimae usque ad dom. Palmarum inclusive.

In missa autem solemni « Gloria » et « Credo » non alternatim a celebrante et ministris recitari debent, sed integra ab omnibus sunt dicenda, non praeveniendo, nec sequendo, sed concomitanter (*S. R. C. in Urgellen. 22 apr. 1871 ad 5* [*3248*]); quod servandum etiam tunc est, quum episcopus pontificaliter celebrat. *S. R. C. in Tarraconen. 7 ian. 1880 ad 1.* (*3507*). Non est permissa praeintonatio *Gloria* in missis solemnioribus a duobus cantoribus, dum in choro canitur *Kyrie. S. R. C. in Giennen. 11 nov. 1904 ad 3.*

Gradus. — Gradus in affinitate, si- 2269
cut et in consanguinitate ponuntur; quamvis in hac vere, in illa nonnisi specie tenus habeantur. Quomodo numerentur gradus in affinitate vide sub *Affinitas.* Quoad gradus in consanguinitate vid. *Consanguinitas.*

2270 **Gratia.** — Iuverit hic ante omnia referre ea, quae in Normis peculiaribus adiectis constitutioni « Sapienti consilio » *c. III. a. 1,* quum agitur de modo tractandi res gratiae, constituta sunt. Sunt autem sequentia:

1. Si gratiae, seu facultates, dispensationes, indulta, quae quis a sancta Sede postulet, ius aliis quaesitum laedant; ii, quorum interest, aut directo aut per ordinarios suos ante concessionem audiendi sunt.

2. Gratiae, quas quis pro se a sancta Sede oretenus assequitur, ipsi petenti in foro conscientiae suffragantur. Nemo tamen potest cuiuscumque privilegii usum adversus quemquam vindicare, nisi privilegium ipsum legitime probet.

3. Gratiae, quae a sancta Sede scripto conceduntur, communiter ab ipsa directo promanant per personas et officia iure recognita. Quandoque vero supplex oratoris libellus ad ordinarium, vel ad alium eius loco ecclesiasticum virum, per personas et officia memorata remittitur, cum facultatibus petitam gratiam largiendi, sive totam sive certis limitibus circumscriptam.

Quum preces ad ordinarium cum facultatibus remittuntur, eius aequo iudicio rectaeque conscientiae imploratae gratiae largitio permittitur, habita ratione formae rescripti, rerum sanctae Sedi expositarum, et opportunitatis gratiae concedendae.

Ubi vero ab ipsa sancta Sede, interposito nemine, gratia impertiatur, exarari rescripta possunt, aut forma gratiosa aut commissoria.

4. Si forma gratiosa, exsecutorem suapte natura non postulant. Exhibenda tamen ordinario sunt, qui ea suo *recognitionis* rescripto roboret, si de rebus agatur publicis, cuius generis indulgentiae sunt communiter impertitae, sacrae reliquiae publicae venerationi proponendae, aliaque huiusmodi: aut si comprobare conditiones quasdam oporteat, uti loci decorem in sacellis privatis, aliaque id genus.

Si vero commissoria forma rescripta expressa sint, opus habent exsecutore. Nec licet ordinario exsecutionem detrectare, nisi forte horum alterutrum occurrat, ut aut manifesto vitiosae, hoc est obreptitiae vel subreptitiae sint preces, aut qui gratiam impetravit adeo videatur indignus, ut aliorum offensioni futura sit indulti concessio. Haec si accidant, praelatus, intermissa exsecutione, statim ea de re certiorem faciet apostolicam Sedem.

5. Pro recognitionis testimonio, quo rescripta muniuntur, ut est in superiore num. 4, nulla est repetenda compensatio. Necessariae tamen impensae sarciri possunt, quales ex. gr. occurrunt ad loci cognitionem in sacelli usum adhibendi, aut ad fidei comprobationem circa aliquam sacram reliquiam.

6. Servatis, tum quae superiore nxm. 4 statuta sunt circa rescriptorum exsecutionem, tum necessariis conditionibus ad sacras indulgentias lucrándas; a die III mensis novembris MDCCCCVIII, quo die incipient vim legis habere praescripta in Costitutione « Sapienti consilio », gratiae ac dispensationes omne genus a

sancta Sede concessae, etiam censura irretitis, ratae sunt ac legitimae, nisi de iis agatur qui nominatim excommunicati sint, aut a sancta Sede nominatim pariter poena suspensionis a divinis multati ».

2271 Gratia facta contrapponitur gratiae faciendae. In delegatione iurisdictionis aliquando habetur gratia facta, et in hoc casu iurisdictio delegata manet etiam mortuo concedente; aliquando habetur gratia facienda, et tunc, si res est adhuc integra idest delegatus nondum rei manum admovit, mortuo delegante iurisdictio per se cessat; verum gratiae faciendae concessae a Romano Pontifice infra annum post obitum postridie electionis successoris reviviscunt ex reg. 12 Cancellariae Apostolicae.

Delegationes, quae alicui conceduntur in suipsius favorem, etsi habeant effectum aliis quoque favorabilem, ut facultas dispensandi, absolvendi etc.; item delegationes, quae fiunt ad impertiendum aliquem favorem alicui certae personae, si delegatus sit exsecutor necessarius, sunt gratiae factae. Sunt autem gratiae faciendae delegationes, quae fiunt ad impertiendum favorem alicui, si delegatus est exsecutor voluntarius. Vid. *Exsecutor, Rescriptum.*

2272 **Gregorianae missae.** — Pro animabus e Purgatorio liberandis, ab antiquis temporibus christifideles celebrandas curarunt et curant missas, quae *Gregorianae*, seu *Gregorianum tricenarium* appellantur, quae nimirum per triginta continentes dies, exemplo S. Gregorii magni, in quovis altari dicuntur. Si intra 30 dies incidant ultimi tres dies hebdomadae maioris, in quibus celebratio missae privatae non permittitur, continuitas requisita non rumpitur a sacerdote, qui his tribus diebus cessat a celebrando, dummodo statim dominica paschatis celebrationem reassumat. Ben. XIV *Inst. XXXIV. n. 22;* Beringer *Les indulgences p. 2 s. 3 n. 30.* In eumdem finem et ab antiquis pariter temporibus Christifideles offerri expostularunt et expostulant missae sacrificium in altari s. Gregorii in eius ecclesia coelimontana. Tum in triginta illis missis, tum in quavis missa ad altare s. Gregorii specialem fiduciam christifideles et habuerunt et habent, veluti si ipsae ita efficaces sint censendae, ut anima, pro qua celebrantur, e Purgatorii poenis illico liberetur.

Quoad has pias praxes quaesitum est:

1° Utrum fiducia, qua fideles retinent celebrationem triginta missarum, quae vulgo *Gregorianae* dicuntur, uti specialiter efficacem ex beneplacito et acceptatione divinae misericordiae ad animae e purgatorii poenis liberationem, pia sit et rationabilis; atque praxis easdem missas celebrandi sit in ecclesia probata?

2° Utrum fiducia, qua fideles retinent celebrationem missae in altari s. Gregorii in eius ecclesia caelimontana uti specialiter efficacem ex beneplacito et acceptatione divinae misericordiae ad animae e purgatorii poenis liberationem, pia sit et in ecclesia probata?

3° Utrum idem dicendum sit de altaribus gregorianis ad instar?

4° Utrum expediat revocare suspensionem novae concessionis altaris

gregoriani latam ex mandato sanctissimi in audientia 15 martii 1852?

Et S. Congregatio Indulgentiarum (*11 mart. 1884*) respondit: « Ad I. II. et III. affirmative: Ad IV Consulendum SSmo., ut revocet suspensionem novae concessionis altaris gregoriani ad instar ». Quas resolutiones Leo XIII (*15 martii 1884*) approbavit, et suspensionem novae concessionis altaris gregoriani ad instar sustulit.

Hoc decreto recognitam et approbatam fuisse piam hanc praxim et specialem hanc fiduciam fidelium in celebratione harum triginta missarum, sed non constare huic praxi ab ecclesia adiunctam fuisse aliquam indulgentiam, declaravit eadem S. Congregatio (*24 aug. 1888*). Praeterea hae missae, quae gregorianae appellantur, non possunt celebrari pro vivis. *S. C. Indulg. decr. nuper cit.*

Sermo est in supra citatis decretis de altaribus gregorianis ad instar. Porro haec sunt altaria ab ecclesia specialiter destinata, ut anima, pro qua in ipsis celebratur, per eamdem celebrationem easdem indulgentias et peccatorum remissiones consequatur, quas consequeretur, si sacerdos hac de causa missam ad altare s. Gregorii de Urbe ad id deputatum celebraret.

Triginta missae gregorianae non debent necessario dici in honorem s. Gregorii, nec debet in his fieri commemoratio eiusdem sancti, nec necessario dicendae sunt ab eodem sacerdote aut in eodem altari; sed debent dici triginta diebus continuis, et applicandae sunt pro ea anima, cuius liberatio a poenis Purgatorii vult obtineri. *S. C. Indulg. 14 ian. 1889.*

Differentia inter altare privilegiatum et altare gregorianum in hoc est, quod celebrans in altari privilegiato animae, pro qua celebrat, lucratur plenariam indulgentiam; celebrans in altari gregoriano lucratur pro eadem anima indulgentiam plenariam, quam a Deo pro eo defuncto acceptari sperare fas est non son solum ex intercessione ecclesiae, sed etiam ex intercessione s. Gregorii, qui habetur ceu patronus specialis defunctorum; celebrans autem triginta missas gregorianas nullam per se lucratur animae, pro qua celebrat, indulgentiam, sed sperari potest eius liberationem impetraturum per intercessionem s. Gregorii

Cfr. *Uccelli P. A.* Delle messe gregoriane e dell'ottavario dei morti nella chiesa dei SS. Andrea et Gregorio in Roma; *Thurston H.* The Mass of St. Gregory.

Gula. — Gula est inordinatus appetitus cibi vel potus. G. B. *I. 180.* Ex genere suo est peccatum tantum veniale (S. Th. *2. 2. q. 148. a. 2. c.*), etsi quis se ingurgitet usque ad vomitum (S. Alph. *V. 73*); verum illi, qui ideo evomunt, ut ad mensam redeant, vix a peccato mortali excusantur iuxta s. Alphonsum *l. c.* (Cfr. Bucc. *I, 330*). Gula fieri potest peccatum grave ex extrinsecis quibusdam rationibus, ut si nimius cibus graviter noceat sanitati, vel grave scandalum exinde sequatur, etc. Bucc. *I. 329.* Comedere aut bibere ob *solam* voluptatem est peccatum (cfr. *prop.* 8am *ab Inn. XI damn. decr. diei 2 mart. 1679*), sed veniale non excedit. G. B. *I. 180;* B. P. *I. 716.* 2273

H

2274 **Habitatio.** — Habitatio, ait Bucceroni (*I. 842*), est: « Ius alienas aedes inhabitandi, salva eorum substantia. Et sic viduis nobilibus conceditur saepe a maritis ius habitandi ad dies vitae in domo heredis. Is, cui domus habitatio concessa est, potest in ea habitare cum sua familia, quamvis eo tempore, quo habitationem aedis acquisierit, coniugatus non fuerit, in eaque hospites recipere; non potest tamen ius suum alteri transferre, illud vendendo vel aedem locando et acquirendo sibi pretium locationis. Qui totam habitat domum tenetur ad omnes necessarias ac ordinarias expensas et tributa; qui partem tantum habitat, non tenetur nisi pro rata rei. Habitatio incipit et cessat ut *usus*, cum quo confunditur ex recentioribus legibus. *C. It. a. 521 sqq.; C. G. a. 625 sqq.*; *C. Austr. art. 521 sqq.*; *C. Hisp. a. 524. 525. 529* ». Quae tamen omnia non sunt sine contradictore. Cfr. Lagrange *Man. du droit romain lib. II. tit. 5*: Mackeldey *Lehrb. des römischen Rechts § 284.*

Ludenius De usufructu, usu et habitatione; *Sousa A.* Tract. de usufructu et habitatione et de pupillari substitutione; *Matthaei A.* De usu et habitatione; *Manzi G.* Tract. de servitutibus personalibus et de usufructu, habitatione et operis servorum; *Venezian G.* Dell'usufrutto, dell'uso e della abitazione.

Habituati. — Vid. *Recidivus, Consuetudinarius.*

Habitus clericalis. — Ad deferen- 2275
dum habitum clericalem suo ordini congruentem (*c. 15 de vita et hon. cler. X.* [*III. 1*]), iuxta episcopi ordinationem et probatas locorum consuetudines, tenentur clerici saltem maiorum ordinum, et beneficiati (Conc. Trid. *sess. XIV c. 6 de ref.*); et quidem sub gravi, nisi adsit iusta ratio, vel excuset materiae levitas. Croix *Th. mor. lib. IV. n. 1372.* Hinc nonnisi veniale erit, illum semel aut iterum relinquere. G. B. *I. 996.*

Varius est pro variis regionibus, sed per se praescribitur vestis talaris clausa (*Const.* Sixti V « Quum sacrosanctum » *19 ian. 1589; c. 2 de vita et hon. cler.* [*III. 1*] *in Clem.*), et ex consuetudine nigri coloris pro inferioribus episcopo, quibusdam exceptis, qui scilicet aliquem titulum honorificum a S. Sede obtinent, quo stante, saepe ius habent deferendi vestes violaceas. B. P. *IV. 439.*

Vestes autem non debent esse sericae; nam hae clericis omnibus, episcopis quoque, interdicuntur. Eae nunc sunt privilegium eorum, qui addicti sunt domui pontificiae. Hi omnes sericis vestibus utuntur, colore variis pro varia dignitate, excepto tempore hiemali, quo propter frigus et hi utuntur vestibus laneis. Quare

episcopi, quamvis nonnulli hoc ius de facto sibi usurpent, non possunt uti vestibus sericis, nisi renuntiati fuerint assistentes throno pontificio, quia hac nominatione consequuntur quoad vestes omnia iura antistitum pontificiae domus. Cer. ep. *lib. I. cap. 3 § 1;* Grimaldi *Les Congrégations romaines c. 5.*

Iter agentibus permittitur habitus contractior, sed niger. Ben. XIV *Inst. eccl. LXXI. n. 9*; Lucidi *de visit. ss. liminum c. 3 n. 455.*

2276 Ex gravi causa habitus clericalis potest totaliter relinqui. Schmalzgrueber *in tit. 1. l. III Decr. n. 36 sqq.*

In missionibus curandum clericis est, ut talari veste uti possint, et aliquando alba permittitur, sed semper quae gravitatem redoleat. *S. C. P. F. 8 sept. 1869.* Quod si, necessitate cogente, aut causa itineris per aspera loca, vestem talarem exuere coguntur, eam saltem vestem adhibere debent, quae sacerdotalem modestiam nullo prorsus modo dedeceat. *S. C. P. F. decr. nuper cit.* Alicubi in missionibus, ut ex. gr. in Sinis, clerici nullo modo deferre possunt vestem talarem; tunc etiam tamen curare semper debent, ut modestiam, non vanitatem aut luxum, praeseferant, quemadmodum esset, si vestes sericas adhiberent, etc. Cfr. *Instr. S. C. P. F. ad vicarios ap. Sinen. 18 oct. 1883.* Curare autem debent episcopi aut vicarii apostolici, ut circa vestes a clero adhibendas caute procedant, ne difficultates inter sacerdotes inopportunis innovationibus excitentur. *Instr. nuper cit. S. C. P. F.*

Clerici in sacris, vel etiam in minoribus sed beneficiati, si postquam ab episcopo suo etiam per edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum clericalem iuxta ipsius episcopi ordinationem non detulerint, ab eodem coerceri possunt et debent per suspensionem ab ordinibus ac officio et beneficio, ac fructibus, reditibus et proventibus ipsorum beneficiorum; nec non, si semel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum ac beneficiorum eiusmodi. Conc. Trid. *loc. cit.*

Praeterea, ex constitutione Benedicti XIII « Apostolicae ecclesiae » *2 maii 1725,* clerici huiusmodi etiam ante admonitionem, citationem et sententiam non faciunt fructus suos, sed tenentur eos restituere et applicare fabricae ecclesiae, sublata facultate eos ipsis condonandi etiam maiori poenitentiario, nisi in casibus occultis ex concessione Benedicti XIV *Constit.* « Pastor bonus » *13 apr. 1744.* Voluit tamen Benedictus XIII, ut huiusmodi clerici beneficio, nonnisi iuris ordine servato, per sententiam iudicis declaratoriam essent privandi, temperans scilicet hac ratione rigorem inductum a Sixto V (*Const.* « Sacrosanctam » *9 ian. 1589*), quem rigorem idem Sixtus V (*Const.* « Pastoralis » *31 ian. 1589*) quoad habentes pensiones iam temperaverat.

Nota autem cum Benedicto XIV (*Inst. eccl. LXXI n. 13*) ad has poenas subeundas non unam violationem sufficere, sed iuxta doctorum sententiam aliquod temporis spatium intercedere debere. B. P. *IV. 443 sqq.*

Clerici minorum ordinum non be-

neficiati hac lege generatim non tenentur (B. P. *IV. 442*; cfr. *c. 7 de clericis coniug. X.* [*III. 3*]); sed eam non servantes amittunt privilegium fori. Conc. Trid. *sess. XXIII c. 6. de ref.*; Const. Inn. XIII « Apostolici ministerii » *13 mai 1723*. Pius IX per litteras encyclicas Sacrae Congregationis immunitatis ad omnes ditionis pontificiae episcopos datas die 20 sept. 1860, et italica lingua conscriptas, statuit, clericos in minoribus constitutos, sive coniugati sive coelibes sint, semel ac conditiones non servant a Concilio Tridentino sess. XXIII c. 6 de ref. statutas relate ad privilegium fori, ipso facto absque ulla praevia monitione omnia privilegia clericorum amittere, ita ut tamquam mere laici considerari et tractari debeant. Ex dictis unusquisque videt, legem hanc formaliter non esse universalem, nec immutare ius commune praecedens. Cfr. Sanguineti *Iuris eccles. priv. inst. n. 200*; De Luca Mar. *Prael. iur. can. lib. de personis tit. X. n. 140*. Vid. *Clerici*. Adverte, ad poenas incurrendas necesse esse, ut habitus non ad breve tantum tempus deponatur. *S. C. C. 7 oct. et 1 dec. 1612*.

Praeterea potest episcopus his quoque clericis minorum ordinum habitum clericalem praescribere, si velint in clericali ordine permanere. *c. 2 de vita et hon. cler.* (*III. 1*) *in Clem.* Si quis autem clericus minorum ordinum habitum dimiserit, et illum postea velit reassumere, id etiam sine episcopi licentia facere potest, et privilegia per dimissionem habitus amissa iterum consequitur, nisi ad declinandum laicale seu civile forum hoc fecerit. Bened. XIV *de Syn. XIII c. 3. n. 3*.

Episcopus potest etiam ad suum tribunal advocare et suo iudicio submittere, e manibus quoque iudicis laici eos subducendo, clericos, qui amiserunt privilegia clericalia « quando iidem clerici adhuc clerici permanent, videlicet si a iure vel ab homine per declarationem servatis servandis factam privilegiis clericalibus denudati seu privati non sint ». *S. C. C. in Leodien. 18 nov. 1630, 1 aug. 1634*.

Habitus religiosus. — Novitiatus in 2277
ordinibus regularibus, ut valeat, debet transigi in habitu religioso, et ab eius tantum susceptione incipit. Hoc autem statutum non tangit societatem Iesu, quae proprium habitum ex instituto nec habet, nec habere potest. Vid. *Novitiatus*.

Regulares temere habitum suae religionis dimittentes plectuntur excommunicatione latae sententiae. *c. 2 ne clerici vel monachi etc.* (*III. 24*) *in 6°*. Attamen, quum eo capite haec dimissio habitus sub ea poena inhibeatur, *ut periculosa religiosis evagandi materia subtrahatur*, haec excommunicatio non incurritur a regulari, qui ex rationabili causa habitum dimitteret. G. B. *II. 791* (*67*).

Haeresis. — ***De natura et divisionibus haereseos.*** — Haeresis stricte 2278
sumpta est error voluntarius intellectus in homine baptizato, et christianum nomen retinente contra aliquem fidei articulum ab ecclesia propositum, cum pertinacia coniunctus, et externe manifestatus, sive sit negativus negando veritatem fidei, sive

positivus credendo aut docendo aliquid contra fidem. Cfr. Lugo *de fide disp. XX. n. 31;* B. P. *II. 80.* Koch *Lehrb. der Moraltheol. §. 82. 2.* Late sumpta dicitur aliquando huiusmodi error etiam involuntarius. G. B. *I. 208.*

Multipliciter doctores dividunt haeresim. Alia est enim iuxta ipsos *materialis*, alia *formalis*; haec includit pertinaciam voluntatis coniunctam errori intellectus, illa hanc pertinaciam excludit. Alia est *subiectiva*, alia *obiectiva*; haec est illud falsum, quod contra ecclesiae doctrinam affirmatur, illa est actus, quo huic errori quis adhaeret. Alia est *interna* seu *mentalis*, quae corde detinetur, et exterius non manifestatur; alia est *externa*, quae internae superaddit extrinsecam manifestationem adhaesionis errori factae, eam nempe, quae sita est in actu externo, qui natura sua internum actum complet. Hinc non esset externe haereticus aliquis ex eo solum quod historice alicui narraret, se corde haeretice sentire. Haec subdividitur in *occultam*, quae manifestatur quidem, sed in foro externo probari nequit; et in *publicam*, quae iuridice probari potest, et ad externum forum traduci. B. P. *II. 79;* Santi *in tit. 7 lib. V Decr. n. 3 sqq.*

2279 Hinc ad haeresim stricte dictam, seu ad crimen haereseos committendum:

Ex parte errantis requiritur baptismus susceptus (cfr. Laymann *Th. mor. lib. II. tr. 2. c. 12. n. 1*), et christiani nominis retentio (cfr. B. P. *II. 80;* Lugo *l. c.*); secus enim quis potius apostata est, quam haereticus. Vid. *Apostasia.*

Ex parte obiecti necessarium est, ut id, quod asseritur, sit aliquid contra fidem, idest contra veritatem, quae ab ecclesia ut fidei dogma declarata est, et uti talis a negante cognoscitur. Lugo *l. c. n. 32.* Indifferens autem est quomodo ab ecclesia, ut talis, aliqua veritas definiatur, sive nempe solemni iudicio, sive ordinario et universali magisterio. Cfr. Conc. Vatic. *sect. 3 Const. dogm.* «Dei Filius»; B. P. *II. 82.*

Ex parte erroris requiritur erroneum iudicium intellectus, nec non deliberatio et pertinacia voluntatis, idest ut veritatem fidei neget quis sciens volens (*c. 2 de summ. Trinit. etc. X.* [*I. 1*]; *c. un. § 2 de usuris* [*V. 5*] *in Clem.*); hoc erroneum iudicium praeterea debet esse aliquo signo externo, sive verbis, sive signis, sive factis, manifestatum. Schmalzg. *in tit. 7 lib. V Decr. n. 87;* Lugo *de fide disp. XXIII. n. 11 sqq.* Ut patet, ad committendum non crimen, sed peccatum haereseos, haec externa manifestatio necessaria non est.

Ex dictis autem patet, non esse haereticum formalem, qui fidem externe tantum negat (S. Alph. *II. 19. 1*); vel qui interne negat articulum fideide quo dubitat, an sit revelatus, et ab ecclesia ut talis credendus propositus, etiamsi culpabiliter dubium non exuat. Lugo *de fide disp. XX n. 197 sqq.*

Qui contra dubitat de aliquo fidei articulo, ut tali cognito, est formaliter haereticus. B. P. *II. 88.* Sic dubitant, ideoque vere sunt haeretici, illi, qui adeunt haereticum concionatorem crediturі, si ipsis suos errores

persuaserit (Suarez *de fide disp. XXIV s. 1. n. 3*); vel qui aiunt, paratos se esse ea omnia credere, quae ab ecclesia definita sunt, si rationibus fuerint demonstrata. D'Ann. *II. 7 (26).*

Haeresis formalis est semper gravissimum peccatum; pure materialis vacat omni culpa. G. B. *I. 209.*

Qui haeresim profert, addens locutionem Deo iniuriosam, is blasphemiam haereticalem dicit. Is proinde in excommunicationem incidit in haereticos latam. Vid. *Haereticus.*

2280 ***De poenis in reos haeresis.*** — Poenae contra haereseos criminis reos aliae spirituales sunt, aliae temporales; omnes tamen constitutae sunt contra haeresim externam et formalem, nec non contra credentes, receptores, defensores et fautores haereticorum. Quinam hi sint, vid. *Haereticus.*

2281 **De poenis spiritualibus.** — Contra hos igitur poenae spirituales sunt:

a) excommunicatio l. s. speciali modo romano Pontifici reservata (*Const.* « Ap. Sedis » *ser. 1. n. 1*);

b) irregularitas, quae extenditur etiam ad eorum filios usque ad secundam generationem, si ex patre haeretico sint; usque ad primam tantum, si ex matre (*cc. 2. 15 de haereticis* [*V. 2*] *in 6°*);

c) inhabilitas ad beneficia et officia ecclesiastica (*cc. 2. 15 nuper cit.*);

d) privatio beneficiorum et officiorum, si qua obtinent, et iurisdictionis ecclesiasticae; nec non degradatio (*c. 9 de haereticis X.* [*V. 7*]*; c. 15 tit. cit. in 6°*);

e) privatio sepulturae ecclesiasticae (*c. 8 tit. cit. X.* (*V. 7*); *c. 2 tit. cit.* [*V. 2*] *in 6°*). Qui vero mandant seu cogunt tradi ecclesiasticae sepulturae (non qui sepeliunt) haereticos notorios aut nominatim excommunicatos aut interdictos, incurrunt excommunicationem latae sententiae nemini reservatam. *Const.* « Ap. Sedis » *ser. 4. n. 1.* Cfr. Bucc. *Comm. in const. Ap. Sedis n. 84.*

De poenis temporalibus. — Poenae 2282
vero temporales hae sunt: infamia ipso iure incurrenda post sententiam declaratoriam criminis (cfr. *c. 11 tit. cit. X.* [*V. 7*]); privatio factionis testamenti activae et passivae (*l. 4. de haereticis etc. C.* [*I. 5*]; *cap. 13. § 5 tit. cit. X.* [*V. 7*]); inhabilitas ad hoc ut in iudicio sint iudices, testes (*c. 13 § 5 nuper cit.*); publicatio bonorum (*cc. 10. 13 tit. cit. X.* [*V. 7*]; *c. 19 tit. cit.* [*V. 2*] *in 6°*); amissio patriae potestatis (*c. 2 de haereticis* [*V. 2*] *in 6°*); liberatio subditorum a iuramento fidelitatis erga summum principem haereticum (*c. 16 tit. cit. X.* [*V. 7*]); poena capitis. *l. 11 de haereticis etc. C.* (*l. 5*); Cfr. Santi *l. c. n. 13. sqq.* – Harum poenarum pleraeque in usu amplius non sunt, ne in foro quidem ecclesiastico; quaedam tamen in hoc foro manent, ut infamia et inhabilitas ad certos actus legitimos in hoc foro ponendos.

De iudice in causa haeresis. — 2283
Iudex criminis haereseos est tantum iudex ecclesiasticus; ad iudicem laicum spectat applicare poenas temporales. *c. 19 tit. cit.* (*V. 2*) *in 6°*. Episcopus in sua dioecesi est inquisitor natus haereticae pravitatis. *c. 13 tit. cit. X.* (*V. 7*) § *7; c. 1 de haereticis* (*V. 3*) *in Clem.* Contra exemptos potest episcopus procedere tamquam dele-

gatus Sedis apostolicae. *c. 9 tit. cit. X. (V. 7)*. Vicarius generalis non potest citare et iudicare in causa haeresis vi mandati generalis (Leurenius *de vicariis episcoporum quaest. 187*); vicarius capitularis, sede vacante, potest, sed solummodo in non exemptos. Leurenius *l. c. quaest. 585*. Inquisitores delegati a S. Sede, sicubi fuerint, procedere possunt potestate ordinaria in omnes etiam exemptos. Eorum iurisdictio fuit cumulativa, non privativa, idest iurisdictionem ordinariam episcoporum vel legatorum non exclusit. *c. 1 de haereticis (V. 3) in Clem.* - Ab haeresi notoria et ad forum iudiciale deducta episcopus absolvere potest per se vel per delegatum. Ben. XIV. *de Syn. IX. c. 4*. Ab haeresi vero, sive notoria sive occulta, ad forum iudiciale non deducta, unus Rom. Pontifex potest absolvere. *Const.* Ben. XIV « Pastor bonus » *13 apr. 1744*. Ad hoc ut episcopus absolvere possit haereticum, sufficit etiam, ut ipse foro iudiciali episcopi sponte sese obtulerit. B. P. *VII. 273 (a)*.

2284 ***Varia.*** — Quamvis haeretici formales sint omnes excommunicati, uti et eorum credentes etc., si tamen nominatim non sint denuntiati tamquam excommunicati, dicuntur tolerati, ita ut cum ipsis communicare liceat (*Const.* Martini V. « Ad evitanda » *a. 1418*), non tamen in divinis et in crimine haeresis, et in matrimonio cum ipsis contrahendo saltem regulariter; item ubi est periculum perversionis aut contemptus religionis, ut patet. Vid. *Communicatio, Mixta matrimonia,* etc.

An liceat haereticorum templa exstruere, vid. *Operarius;* vel ea adire aut haereticorum ceremoniis assistere, vid. *Ceremoniae acatholicae;* vel etiam eorum funera comitari, vid. *Funera*.

Libri haereticorum et quorumcumque scriptorum haeresim propugnantes, aut ipsa religionis fundamenta utcumque evertentes, sunt omnino prohibiti. *Const.* Leonis XIII « Officiorum ac munerum » *VIII kal. febr. 1896*. Vid. *Libri prohibiti.*

Haereticus. — **De ipsis haereticis** 2285 (*remissive*). — Quinam sit vere haereticus dictum est in superioribus. Vid. *Haeresis*.

De iis, qui haeresi proximi sunt. — 2286 Hic videndum quinam dicantur haereticorum credentes, fautores, receptores, defensores.

Porro *credentes* sunt, qui, quamvis nulli sectae haereticae adhaereant, et adhuc se tamquam catholicos gerant, doctrinas tamen, quas haereticus vel unus docet, etsi eas singillatim ignorent, credunt veras esse. B. P. *VII. 273*.

Fautores sunt, qui quovis modo positive aut negative haereticis, quatenus haereticis (idest non qua personis seu qua individuis, sed qua haeresi adhaerentibus, cfr. Suarez *de fide disp. XXIV. n. 5. sqq.,* Sanchez *in decalogum lib. II. c. 10. n. 18 sqq;* aliis verbis, quando favor directe aut indirecte redundat in bonum haeresis), auxilium praestant, quod redundet in bonum et disseminationem haereseos. Pirhing *in tit. 7 lib. V Decr. n. 114*. Hinc fautor certe est, qui matrimonium contrahens cum

persona haeretica, permittit filios in haeresi educari. B. P. *l. c.*

Receptores seu *receptatores* sunt, qui haereticis, ut haereticis, refugium praebent, eos nempe abscondunt, ut iudicium et poenas evadant. Lugo *de fide disp. XXV. n. 4.*

Defensores vero sunt, qui, etsi interne aliud sentiunt, haeresim defendunt verbis aut scriptis, et ipsos haereticos protegunt, ne capiantur et puniantur. Bucc. *Comm. in const.* « *Ap. Sedis* » *n. 9.*

Relapsi autem in haeresim illi sunt, qui post iudicium et abiurationem haereseos factam, denuo in eam incidunt; etsi haereticus quis antea fuerit in uno articulo fidei, postea haeresim generaliter abiuraverit, denuo quoad alium articulum sit haereticus. *c. 8 de haereticis* (*V. 2*) *in 6°.*

Suspecti de haeresi illi dicuntur, qui ex indiciis et coniecturis validis errare in fide censentur. De his cfr. *cc. 9. 13 de haeret. X.* (*V. 7*); *cc. 3. 7. 8 tit. cit.* (*V. 2*) *in 6°.*

An licitum sit cum haereticis disputare, vide sub *Disputatio.*

2287 **Aliqua de excommunicatione in haereticos et haeresi proximos.** — Haeretici, quocumque nomine censeantur, et cuiuscumque sectae exsistant, eisque credentes, eorumque receptores, fautores ac generaliter quilibet eorum defensores, excommunicationem incurrunt R. P. specialiter reservatam. *Const.* « Ap. Sedis » *ser. 1. n. 1.*

Non est necesse pluribus hanc excommunicationem explicare, quum ex superius dictis satis omnia pateant. Unum est, quod hic adnotandum venit, discrimen scilicet, quod fit in excommunicatione inter haereticos et haereticis credentes, esse accidentale et extrinsecum, quum haereticus ille dici videatur, qui ad sectam aliquam pertinet, vel damnatus est de haeresi, vel palam notus est tamquam haereticus; credens vero ille, qui ex catholicis haeresim tenet, sed adhuc se tamquam catholicum gerit, vel putatur adhuc catholicus. B. P. *VII. 273* (*a*). Alii putant haereticis credentes eos hic esse, qui haeresim implicite profitentur, dicentes v. gr. vera esse, quae Lutherus docuit, licet in particulari nesciant quaenam ea sint. D'Ann. *Comm. in const.* « *Ap. Sedis* » *n. 32.* Probe autem hic addit idem D'Annibale (*loc. cit. n. 31*): « Verum, ut quis excommunicationi fiat obnoxius, necesse praeterea est, ut haeresim suam prodat exterius, atque eam prodat actu manifesto, humano et malo. Ideo excommunicatio eum non tenet, si, revolvens animo ss. eucharistiae sacramentum, exclamaverit (scilicet interne aut inadvertenter): credo sub speciebus non esse; si haeresim suam prodiderit in somno, vel ebrius, vel consilii capiendi causa. Illud non interest, quum verbis eam prodidit, utrum aliquis audierit loquentem, an nemo; forte quia nemo praesens erat, si modo praesens audire potuisset; nec si eam prodidit facto, ut puta si abdita cordium scire vel futuras hominum liberas actiones (quae soli Deo patent) divinare conatus fuerit per tabulas semet moventes, vel *Mediums* vel *Crisiacos* (*Magnetizatos*), quos vocant ». Cfr. *litt. encycl. S. U. I. 30 iul. 1856.* Quod tamen probe est

intelligendum. Nam profecto, si quis per eas tabulas etc. id unum intenderet, scire nempe magna cum probabilitate aut morali etiam cum certitudine quid aliquis acturus sit, is profecto haeresim non admitteret, etsi alio ex capite peccaret. Verum enim est, diabolum, quamvis quae omnino libere futura sunt, certo non cognoscat, posse tamen ea coniecturaliter magna cum probabilitate praevidere.

2288 Adde hic sequentia ex instructione cardinalis Urbis vicarii pro parochis et confessariis data (*12 iul. 1878*), scilicet:

1° Excommunicationem incurrunt Pontifici reservatam inter specialissimas omnes illi, qui etiam sine voluntate adhaerendi haeresi et solummodo humani respectus gratia sua dant nomina haereticorum sectis denominationis cuiuslibet.

2° A fortiori poenam incurrunt eamdem, qui intersunt acatholicis functionibus aut *servitiis*, ceu dici solet, aut praedicantem audiunt eo consilio, ut eidem se dedant, quatenus, ut impie dicunt, ab eo persuaderi possunt.

3° Ita etiam eamdem incurrunt excommunicationem, qui, alterius spiritualis ruinae fautores effecti, inducunt quomodocumque et curant, ut alii eant aut veniant ad aulas vel templa haereticorum ad audiendas *collationes*.

4° Tandem eadem innodantur poena omnes, qui typis publicant invitationes ad praefatas *collationes* et themata earumdem, propter favorem, quem, tali actione, praebent haeresis propagationi aut confirmationi.

De reconciliatione haereticorum. — 2289 Quoad reconciliationem haereticorum haec nota. Propositum est S. Congr. S. Officii sequens quaesitum: « Utrum ordinarii dioecesium, qui non sunt episcopi, uti vicarii capitulares, administratores apostolici ecclesiarum cathedralium, et etiam vicarii generales, nec non utrum praefecti missionum possint resipiscentem haereticum aut coram se comparentem, aut ad forum externum quoquomodo deductum, aeque ac episcopi, ecclesiae reconciliare, et pro utroque foro absolvere a censura, in quam propter haeresim incidit ». Et S. Congregatio respondit: « De vicariis capitularibus, affirmative quoad subditos, etiam cum potestate delegandi; quod vero attinet ad exemptos, regulariter indigere facultate Sedis apostolicae. — De administratoribus apostolicis ecclesiarum cathedralium, affirmative, etiam cum potestate subdelegandi. — De vicariis generalibus, non posse vi muneris sui, posse tamen delegatione proprii ordinarii. — De praefectis missionum, negative ». *S. U. I. 1 febr. 1865.*

Eadem S. Congregatio S. Officii instructionem dedit circa absolutionem haereticorum, scilicet eorum, qui in haeresi nati sunt, quae est practici momenti, et est sequens:

« In conversione haereticorum inquirendum est primo de validitate baptismi in haeresi suscepto. Instituto igitur diligenti examine, si compertum fuerit aut nullum, aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt absolute. Si autem, investigatione peracta, adhuc probabile dubium de baptismi validitate supersit, tunc sub conditione

iteratur. Demum, si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abiurationem seu professionem fidei. Triplex igitur in conciliandis haereticis distinguitur procedendi methodus:

1° Si baptismus absolute conferatur, nulla requiritur abiuratio nec absolutio, eo quod omnia abluit sacramentum regenerationis.

2° Si baptismus sit sub conditione iterandus, hoc ordine procedendum erit: *a*) abiuratio seu fidei professio; *b*) baptismus conditionatus; *c*) confessio sacramentalis cum absolutione conditionata.

3° Quando denique validum iudicatum fuerit baptisma, sola recipitur abiuratio seu fidei professio, quam absolutio a censuris sequitur.

(Notandum vero abiurationem seu professionem fidei aliam esse ab ea, quae habetur in bulla Pii IV. Nam a suprema S. C. S. Officii praescripta fuit illa, quae adnectitur, pro conversione haereticorum). Si tamen nonnumquam eiusmodi neo-conversus valde desideret, ut ritus in eius baptismo olim omissi, hac occasione suppleantur, sacerdos huic pio eius voto morem gerere utique liberum habet. Debet tamen in tali casu adhibere ordinem baptismi adultorum, et mutare mutanda ob baptismum iam valide susceptum.

Sacerdos superpelliceo et stola violacei coloris indutus sedet in cornu epistolae, si ss. Sacramentum asservetur in tabernaculo, sin minus in medio altaris, et coram illo genuflectit neo-conversus, qui codicem evangelii dextra manu tangens, emittit professionem fidei, prout inferius habetur; vel si nesciat legere, sacerdos praelegit eidem tarde professionem, ut conversus eamdem intelligere, et cum sacerdote distinctis verbis pronuntiare possit.

« Professione di fede. — Io N. N., avendo avanti agli occhi miei i sacrosanti evangelii, che tocco con le proprie mani, e sapendo che niuno può salvarsi fuori di quella fede, che tiene, crede, predica ed insegna la santa, cattolica ed apostolica romana chiesa, contro la quale mi dolgo di aver gravemente errato, perchè, nato fuori di essa chiesa, ho avuto e creduto dottrine contrarie all'insegnamento della medesima — ora illuminato dalla divina grazia, professo di credere, che la s. chiesa cattolica apostolica romana è l'unica e vera chiesa stabilita da Gesù Cristo su questa terra, a cui di tutto cuore mi sottometto. Credo tutti gli articoli, che essa mi propone a credere; riprovo e condanno tutto ciò, che essa riprova e condanna, e sono pronto ad osservare tutto ciò, che essa mi comanda, e specialmente professo di credere: — Un solo Dio in tre divine persone distinte ed eguali, cioè Padre, Figliuolo e Spirito Santo. — La dottrina cattolica sull'incarnazione, passione e morte e risurrezione di N. S. Gesù Cristo, e l'unione ipostatica delle due nature divina ed umana; la divina maternità di Maria santissima unita alla di lei integerrima verginità ed immacolata concezione. — La presenza vera, reale e sostanziale del corpo insieme con l'anima e divinità di N. S. Gesù Cristo nel

ssmo sacramento dell'eucaristia. — I sette sacramenti istituiti da Gesù Cristo per la salute dell'uman genere cioè battesimo, cresima, eucaristia, penitenza, estrema unzione, ordine, e matrimonio. — Il purgatorio, la risurrezione dei morti, la vita eterna. — Il primato non solo di onore, ma di giurisdizione del romano Pontefice, successore di S. Pietro principe degli apostoli, e vicario di Gesù Cristo. — Il culto dei santi e delle loro immagini. — L'autorità delle apostoliche ed ecclesiastiche tradizioni, e delle sacre scritture, da non doversi interpretare ed intendere, se non nel senso che ha tenuto e tiene la s. madre chiesa cattolica. — Ed ogni altra cosa, che dai ss. canoni e dai concilii ecumenici, specialmente dal sacrosanto Concilio Tridentino e dal Concilio Vaticano è stata definita e dichiarata. — Quindi con cuor sincero e fede non finta detesto, ed abiuro ogni errore, eresia e setta contraria alla detta santa cattolica ed apostolica romana chiesa. Così Dio mi aiuti e questi suoi santi evangelii, che tocco con le proprie mani ».

Postea, neo-converso genuflexo manente, sacerdos sedens dicit Psalmum *Miserere* sive psalmum *De profundis*, cum *Gloria Patri* in fine. Quo finito, sacerdos stans dicit: Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster etc. (secreto) — ℣. Et ne nos inducas etc. — ℟. Sed libera etc. — ℣. Salvum fac servum tuum (vel ancillam tuam) — ℟. Deus meus, sperantem in te — ℣. Domine, exaudi orationem meam — ℟. Et clamor meus etc. — ℣. Dominus vobiscum — ℟. Et cum spiritu tuo — Oremus — Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram, ut hunc famulum tuum (hanc famulam tuam), quem (quam) excommunicationis catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat. Per Dnum nostrum Iesum Christum etc.

Deinde sacerdos sedet, et ad profitentem genuflexum versus, eum ab haeresi absolvit, dicens: — « Auctoritate apostolica, qua fungor in hac parte, absolvo te a vinculo excommunicationis, quam [in dubio gravi aut levi, utrum poenitens in excommunicationem incurrerit per haeresim professam, sacerdos hic inserat vocabulum *forsan*] incurristi, et restituo te sacrosanctis ecclesiae sacramentis, communioni et unitati fidelium in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. ℟. Amen ».

Denique abiuranti aliquam poenitentiam salutarem iniungat, ex. gr. aliquas preces, visitare ecclesiam, aut similia ». *S. U. I. 20 iul. 1859.* Vid. *Abiuratio.*

Quoad absolutionem ab haeresi notandae sunt sequentes responsiones S. Poenitentiariae: 2290

1° Quaesitum fuerat: « In pagella S. Poenitentiariae n. 3 conceditur facultas absolvendi a censuris incursis propter haeresim, fitque ibidem exceptio his verbis: *exceptis haereticis publicis, seu publice dogmatizantibus:* 1° An in praefata exceptione comprehendantur haeretici publici, quin sint dogmatizantes: 2° Item, an comprehendantur dogmatizantes non quidem publice, sed privatim, scilicet

modo uno, modo altero audiente, modo aliis paucis, et sic deinceps ; ita tamen ut, computatione facta, numerus dogmatizatorum deprehendatur valde excessivus ? » Responsum est : « Ad 1. Negative. Ad 2. Affirmative, si notorium sit, haereticum praedicta ratione falsa dogmata spargere ». *S. Poenit. 3 mart. 1880.*

2° « In facultate a S. Poenitentiaria concessa, sub n. 3 legitur : ***absolvendi, exceptis haereticis publicis, sive publice dogmatizantibus, a quibusvis....*** Petitur : verbum *sive* explicat, quod haeretici publici sunt illi, qui excipiuntur ? vel excipiuntur haeretici publici et illi, qui dogmatizant ? » Responsum est : « Per facultatem folii quinquennalis Sacrae Poenitentiariae concedi potestatem absolvendi haereticos etiam publicos, dummodo non sint dogmatizantes ». *S. Poen. 26 mart. 1894.*

An ab haereticis conversis baptismo sub conditione reiterato confessio praemittenda sit. De hac quaestione opportunius sub *Poenitentia.*

2291 **De quibusdam haeresim consequentibus.** — Haeretici ad fidem catholicam conversi, ac filii haereticorum, qui in haeresi persistunt, aut mortui sunt, ad primum et secundum gradum per lineam paternam, per maternam vero ad primum dumtaxat, ob defectum famae, sunt irregulares etiam in iis locis, in quibus ex haeresi parentes nulla de facto laborant infamia, ut in Germania ; ideoque dispensatione indigent, ut ad tonsuram et ad ordines promoveantur. *S. U. I. 4 dec. 1890, 3 febr. 1898.* Neque ab hac dispensationis necessitate liberantur alumni collegiorum pontificiorum Romae exsistentium. *S. U. I. 28 nov. 1668.*

Natos fuisse in haeresi, aut habere parentes aut consanguineos haereticos, non excludit de iure communi a professione religiosa, sed in praxi standum est constitutionibus cuiusvis religiosae familiae. *S. U. I. decr. cit. 3 febr. 1898.* Neque habere consanguineos haereticos inhabilem aliquem reddit ad beneficia ecclesiastica assequenda. *S. C. EE. RR. in Squillacen. 12 ian. 1598.*

Filii haereticorum dispensati ad ordines, professi in ordine religioso, non possunt ipso facto religiosae professionis promoveri ad dignitates ordinis, etsi superiores ordinis facultatem habeant : « ex quocumque capite vel causa, praeterquam homicidii voluntarii, bigamiae ac membrorum mutilationis, irregularitatem incurrentes, apostolica auctoritate, in forum conscientiae tantum absolvere, nec non cum eis, etiam cum rehabilitatione et abstersione inhabilitatis et infamiae maculae dispensare ». *S. U. I. decr. cit. 3 feb. 1898.*

Tit. de haereticis X. (V. 7) ; idem tit. (V. 2) in 6° ; idem tit. (V. 3) in Clem. ; idem tit. (V. 3) in Xvag. comm. ; Const. Inn. IV « Ad exstirpanda » a. 1252 ; Const. Alex. IV « Implacida » a. 1257 ; Const. Alex. IV « Ne commissae a. 1260 ; Const Urb. IV « Licet » 13 kal. apr. 1262 ; Const. Pauli III « In apostolici » 14 ian. 1542 ; Const. Pauli IV « Quum ex Apostolatus » 15 kal. mart. 1559 ; Const. Pii IV « Pastoralis » 6 kal. sept. 1561 ; Const. Pii V « Sanctissimus » a. 1566 ; Const. Pii V « Si de protegendis » 1 apr. 1569 ; Const. Clem VIII « Quum sicut » 7 kal. aug. 1596 ;

Const. Pauli V «Rom. Pontifices» a. 1606; Const. Greg. XV «Rom. Pontificis» 2 iul. 1622; Const. Ben. XIV «Elapso proxime» 20 febr. 1751; Conc. Trid. sess. XXIV. c. 6 de ref.; Const. «Ap. Sedis» ser. 1 n. 1.; *de Villadiego G.* Tract. de haereticis; *Braun K.* De haereticis et schismaticis in genere; *De Simancas D.* Inst. cath. quibus tractatur quidquid ad praecavendas et exstirpandas haereses necessarium est; *Beza Th.* Liber de haereticis a civili magistratu puniendis: *Gothofredi P.* Adnot. in Cod. de haereticis; *Arboricensis R.* De haereticorum petulantia compescenda; *A Castro Alph.* De haereticorum iusta punitione; *Calderini Io.* Tract. solemnis de haereticis; *Ugolini-Zanchini* De haereticis; *Ederi G.* Haereticorum malleus; *Ghirlandi* De haereticis et eorum poenis; *De Vignate A.* Elegans ac utilis tractatus de haeresi; *Comensis B.* Lucerna inquisitorum haereticae pravitatis; *Molanus Io.* De fide haereticis servanda; *De Rojas I.* Singularia iuris in favorem fidei haereseosque detestationem; *De Rojas I.* Tract. de haereticis; *Rosweidius H.* De fide haereticis servanda; *Peña Fr.* Inquirendorum hareticorum lucerna; *Cluten I.* Tractatus de haereticis; *Farinaccius P.* Tract. de haeresi; *Dandinus A.* De suspectis de haeresi; *Riccioli A.* Tract. de iure personarum extra Ecclesiae gremium existentium; *Santarelli A.* Tract. de haeresi, schismate, apostasia, sollicitatione in sacramento poenitentiae; *Schultes J.* De fide haereticis servanda; *Carena C.* Tract. de officio s. Inquisitionis; *Del Bene Th.* De officio s. Inquisitionis; *Lorichi Gr.* Contra flagellum haereticorum; *Sainte-Marthe D.* Réponse aux plaintes des protestants où l'on expose les sentiments de Calvin et des autres sur les peines dues aux hérétiques; *Zech* De iudiciis sect. 2 tit. 12; *Dandini A.* De suspectis de haeresi; *Rechenberg K. O.* De crimine haeretificii; *Jordanszky* De haeresi abiuranda quid statuit ecclesia catholica; *Braun K. L.* Die Bestimmungen üb. d. Irregularität d. Häret. u. deren Deszendenten u. ihre Fortdauer in Deutschland.

Hasta. – Vid. *Venditio sub hasta.*

Hebdomada sancta. — Functiones 2292
hebdomadae sanctae non sunt de iuribus mere parochialibus (*S. R. C. decr. gen. 12 ian. 1704 ad 7* [*2123*]), et potest episcopus permittere, ut fiant in omnibus ecclesiis, ubi asservatur ss. Sacramentum, etiam renuente parocho, dummodo tamen horis diversis fiant sacrae functiones, nec fidelium concursus ad ecclesiam parochialem impediatur (*S. R. C. in Nicosien. 9 maii 1884 ad 1* [*3608*]), et dummodo fieri possint iuxta praescriptum missalis romani; quod si in ecclesiis ruralibus deficiant sacri ministri, potest episcopus iisdem ecclesiis concedere, ut eae functiones peragantur, servata forma parvi ritualis iussu Benedicti XIII pro paroeciis ruralibus anno 1725 editi. *S. R. C. in Goritien. 4 sept. 1875* (*3366*). Hoc autem parvo rituali Benedicti XIII uti non licet indiscriminatim in omnibus oratoriis ex. gr. regularium, monialium etc., ubi ob defectum sive ministrorum, sive paramentorum, officia hebdomadae sanctae non possunt solemniter celebrari. *S. R. C. in Mechlinien. 16 mart. 1876* (*3390*).

In officiis hebdomadae sanctae non debent omitti consuetae salutationes et resalutationes chori, excepto officio feriae VI ab adoratione crucis usque ad nonam sabbati sancti. *S. R. C. in Molinen. 12 sept. 1857 ad 27* (*3059*).

Tolerari nequit, ut in officio feriae IV, V et VI maioris hebdomadae cantus lamentationum, responsorio-

rum, psalmi « Miserere » et reliquarum partium liturgicarum fiat ad sonum organi aut aliorum instrumentorum: tolerari vero potest, ut tempore expositionis ss. Sacramenti post missam feriae V usque ad functionem matutinam insequentis feriae VI concinnantur versiculi (*mottetti*) ad sonum organi aut aliorum instrumentorum, exstante antiqua consuetudine. *S. R. C. in Goana 16 iun. 1893 ad 2* (*3804*). Tolerari pariter nequit usus adhibendi cymbalum, seu *pianoforte*, in matutinis tenebrarum, in missis ferialibus, quae organum excludunt, et in cantu passionis in hebdomada maiori. *S. R. C. in Bonaeren. 7 iul. 1899 ad 1* (*4044*). Eodem modo tolerari nequit, etsi adsit consuetudo, ut cantus lamentationum etc. fiat ad sonum harmonii vel aliorum instrumentorum, quae vulgo dicuntur *a corda, violini, viole* etc. *S. R. C. in Pisana 20 mart. 1903*. Decretum hoc nuper citatum in Pisana 20 mart. 1903 habendum est tamquam decretum generale, seu Urbis et Orbis, ita ut ubique obliget non obstante quacumque consuetudine in contrarium etiam immemoriali; est enim decretum rubricas respiciens universam ecclesiam spectantes, et hoc provisum etiam est Motu proprio SS. DD. Pii Papae X super musica sacra d. d. 22 nov. 1903 et subsequenti decreto S. R. C. Urbis et Orbis. *S. R. C. 8 ian. 1904.*

Mayer Io. Frid. Diss. de hebdomada magna; *Ludovicus Godofr.* De septimana sancta exercitatio; *Mayer Io. Frid.* Diss. de Dominica palmarum.

2293 **Hebdomadarius.** — Hebdomadario, si fuerit canonicus, debetur dignior locus a parte tabellae chori, etiam supra dignitates; primae autem dignitati dignior locus e conspectu hebdomadarii, vel immediate post hebdomadarium canonicum; at si hebdomadarius est canonico inferior, et fuerit sacris indutus, debetur ei locus apud altare a parte cornu epistolae, si vero non fuerit sacris indutus, dignior locus supra reliquos sui ordinis. *S. R. C. in Conversana 7 sept. 1658* (*1085*); *in Ferentina 7 sept. 1658* (*1086*); *in Volaterrana 24 maii 1659* (*1118*).

Heres. — Alius legitimus, alius ne- 2294
cessarius, alius voluntarius.

Voluntarii heredes ii sunt, quos testator libera voluntate ad hereditatem vocat. – *Necessarii* heredes dicuntur ii, qui a testatore non possunt ab hereditate excludi; et sunt, in utroque iure, omnes cognati in linea recta, prius descendentes, postea ascendentes. – *Legitimi* ii appellantur, qui de iure succedunt ab intestato, et sunt omnes consanguinei propioris gradus usque ad decimum gradum, tum ex iure romano, tum ex italico. *C. C. a. 742.*

In iure romano alia erat acceptio heredum necessariorum et voluntariorum. Nam necessarii illi erant heredes, qui hereditatem repudiare nequibant, etsi ex suis bonis deberent exinde creditoribus testantis satisfacere. Inst. Iust. *lib. II tit. 19 de heredum qualitate et differentia* § *1. 3.* Alii dicebantur necessarii et sui, erantque filius, filia, nepos neptisque ex filio, et deinceps ceteri liberi, qui tempore mortis in potestate morientis

erant. His praetor permisit volentibus abstinere se ab hereditate, ut potius parentis, quam ipsorum bona a creditoribus possiderentur. Inst. Iust. *l. c.* § *2*. Alii dicebantur heredes extranei, iique erant, qui testatoris iure non erant subiecti; itaque etiam liberi, qui in potestate patris non erant, vel qui a matre instituebantur, quia feminae in potestate liberos non habebant; vel etiam servi manumissi. Inst. Iust. *l. c.* § *3. 5.* – Attamen heredes necessarii eo sensu, quo nos hoc vocabulo utimur et explicavimus superius, romanis quoque noti erant. Patet ex iis, quae in iure romano *de inofficioso testamento* habentur. Cfr. Inst. Iust. *lib. II tit. 18 de inofficioso testamento; eumdem titulum in Digest.* (*V. 2*).

Heres succedit in omnia iura et onera defuncti, iis exceptis, quae ipsi defuncto natura sua vel pacto erant affixa. Cfr. *l. 24 de verborum signif. D.* (*L. 16*). Potest tamen acceptare hereditatem sub beneficio inventarii (*C. C. a. 929*); quod si non fecerit, tenetur in foro externo omnia debita solvere, etiam praeter vires hereditatis (*C. C. a 968*). Iustis de causis, ex sola patris potestate, heredes necessarii possunt exheredari. Ex iure italico dimidium bonorum est semper in libera potestate testatoris (*C. C. a. 805*); imo, si desint descendentes, et sint ascendentes, testator disponere potest de duabus tertiis partibus (*C. C. a. 807*). In iure italico filii naturales legaliter recogniti, si adsint descendentes aut ascendentes legitimi, ius habent ex testamento ad dimidium portionis, quae ad eos spectaret, si legitimi forent (*C. C. a. 815*). Si desint descendentes et ascendentes legitimi, ius habent ad duas tertias partes eiusdem dictae portionis (*C. C. a. 816*). At si pater intestatus moriatur, deficientibus descendentibus, ascendentibus et coniuge, filii naturales legaliter recogniti totam accipiunt hereditatem (*C. C. a. 747*). Portio vero debita ex testamento his filiis naturalibus non minuit legitimam debitam descendentibus aut ascendentibus; sed ex parte, de qua testator disponere potest, sumenda est (*C. C. a. 818*). Exsistentibus descendentibus legitimis, nihil ascendentibus debetur (*C. C. a. 805*). Coniugi quoque superstiti, dummodo defunctus ab eo non fuerit separatus per sententiam, quae transivit in rem iudicatam, debetur pars ususfructus, quae haec est: si defunctus filios legitimos reliquerit, ea pars, quae coniugi contingeret, si et ipse legitimus filius esset; sic ex. gr. si unus filius relinquitur, coniugi debetur ususfructus quartae partis; si relinquuntur duo, sextae partis (*C. C. a. 812*). Si vero reliquerit ascendentes tantum, quartae partis (*C. C. a. 813*). Si vero nullus adsit necessarius heres, ususfructus tertiae partis alteri coniugi debetur (*C. C. a. 814*). Quae coniugi superstiti debentur, dari ei possunt a quovis herede certa redituum parte, vel annuis praestationibus (*C. C. a. 819*). Vid. *Testamentum*.

Tit. de testamentis X. (III, 26); idem. tit. (III. 11) in 6°; idem tit. (III. 6) in Clem.; tit. de successionibus ab intestato X. (III. 27); *Vasquius Ferd.* Tract. de successionum progressu; *Porcellini Fr.* Tract. de duobus

fratribus, ubi de rerum haereditariarum divisione inter fratres; *Monticuli S.* Tract. de inventario heredis; *Geilkirchen Io.* De liberis et posthumis haeredibus instituendis vel exhaeredandis vel praeteritis; *Mudaeus Gabr.* Comm. in tit. ff. pro socio...., item de petitione haereditatis et de actionibus; *Rebuffi Petr.* Tit. de delictis defunctorum in quantum pro eis haeredes conveniantur; *Rickius Iac.* Explicatio regulae quatenus haeres praestare factum vel contractum defuncti teneatur; *Mauli Th.* Tract. de testamentis haeredum, institutionibus, substitutionibus et legatis; *Amorini Oct.* In Pandectas; *Pichardi Ant.* De acquirenda et amittenda haereditate; *Reyser Ph.* Tract. de actionibus haereditariis; *Rebhan Io.* De beneficio inventarii; *Kast Io. Ph.* De haereditate omittenda; *Hahn H.* De transitione possessionis in haeredes; *Movius Fr.* Diss. de iurata specificatione haeredis et aliorum; *Concioli Ant.* Tract. de haerede; *Redecker H. Rud.* Disp. de haereditate conventionali; *Romani P. Fr.* Diss. de bonis haereditariis eorumque iure; *Gomez de Silva* Ad quaestionem quando liceat haeredi venire contra factum defuncti; *De Luca I. B.* De haerede et haereditate; *de Iranco Io. Hier.* Tract. de protestatione et de pro haerede gestione; *Alderisi A.* Tract. de haerede; *De Nigris A.* Tract. de nominatione ad haereditates, fideicommissa, legata, subsidia dotalia, matrimonium, filiationem, iudicia etc.; *Madihn L. G.* Principia iuris romani de successionibus seu de iure haereditario; *Malblanc I. F.* Diss. de caus. improb. pacti haereditarii ex iure romano; *von Dalwigk C. Fr.* Versuch einer philos. jurist. Darstellung des Erbrechts; *Gans Ed.* Das Erbrecht in weltgeschichtlicher Entwickelung oder das römische Erbrecht in seiner Stellung zum vor- und nachrömischen R.; *von Hartizsch C. H.* Das Erbrecht nach römischen und heutigen Rechten; *Hunger I. F.* Das röm. Erbrecht; *Beseler* Die Lehre von den Erbverträgen; *Deiters* De dispositionibus haereditariis simultaneis pactitiisque quaestiones tres; *Mayer M. S.* Die Lehre von dem Erbrecht; *Hartmann G.* Zur Lehre von den Erbvertr.; *Beckhaus F. W. K.* Grundzüge des röm. Erbrechts; *Vering I. H.* Römisches Erbrecht in historischer und dogmatischer Entwicklung; *Köppen C. F. A.* System des heutigen Röm. Erbrechts; *Schirmer Th.* Handb. des röm. Erbrechts; *Seresia Alfr.* De la pétition d'heredité en droit moderne; *Bertolli T.* Appunti sulla petizione d'eredità secondo il diritto romano; *Salvioli G.* La responsabilità dell'erede e della famiglia pel delitto del defunto nel suo svolgimento storico; *Tedeschi* L'istituzione d'erede sotto condizione risolutiva in confronto con la constituzione fidecommissaria; *Hillenkamp* Zur Lehre von Erbschein; *Boggio G.* D'un'elegante questione in tema d'eredità lasciata a persone nasciture; *Brezzo C.* La massa ereditaria e il suo riparto nei casi dubbi di imputazione; *Esslinger* Der Erbschein nach dem bürgerl Gesetzb.; *Haring* D. Schadensersatzpflicht d. Erben für Delikte des Erblassers nach kanon. Recht.

Heroicus actus. — Heroicus actus caritatis erga animas Purgatorii, vid. *Actus heroicus.* 2295

Heroici actus. — Heroici actus generatim non sunt materia legis, quae ferri possit a superiore ecclesiastico, sed ad hos lex ecclesiastica solum *aliquando* se extendit, et tunc potius ex electione et promissione nostra expressa vel tacita, ceu lex coelibatus pro clericis maiorum ordinum, vel lex clausurae pro monialibus etc. Cfr. D'Ann. *I. 200.* 2296

Hierarchia. — Hierarchia duplex in ecclesia: alia ordinis, alia iurisdictionis. 2297

Hierarchia ordinis constat ex iure divino episcopis, presbyteris et ministris, idest saltem episcopis, presbyte-

ris et diaconis. Conc. Trid. *sess. XXIII can. 6.* Huic hierarchiae, saltem ex iure ecclesiastico, annumerandi sunt subdiaconi, acolythi, exorcistae, lectores et ostiarii.

In hierarchia iurisdictionis de iure divino non sunt nisi duo gradus, summus pontificatus et episcopatus. Presbyteri de iure divino, vi nempe ordinis recepti, sunt subiectum capax obtinendae iurisdictionis pro foro interno. Iure ecclesiastico in hierarchia iurisdictionis plures alii gradus habentur; nempe legati apostolici, patriarchae, primates, archiepiscopi, abbates nullius, praepositi ordinum religiosorum, vicarii generales etc.

Potestas ordinis tota innititur charactere, iurisdictionis vero missione seu mandato. Cfr. Palmieri *de Rom. Pont. prol. de Ecclesia § XII. n. VII;* Cavagnis *Inst. iuris publici ecclesiast. lib. II. cap. 1. § 1.*

Pighi A. Hierarchiae ecclesiasticae assertionum libri sex et componendorum dissidiorum et sarciendae in religione concordiae ratio; *Roffiniaci Chr.* De re sacerdotali seu pontificia idest universae Ecclesiae hierarchia; *de Bollo P.* Oeconomia canonica de officio ministrorum ecclesiae; *A. Turre Al. (Turrianus)* De hierarchia ecclesiastica; *Bannosius Th.* De politia civitatis Dei et hierarchia romana; *Ragueli Fr.* Politia seu hierarchia; *Chopinus R.* De sacra politia seu hierarchia ecclesiastica libri III; *Magaliano* Operis hierarchici sive de ecclesiastico principatu libri tres; *Bollonius Petr.* Monarchiae ecclesiasticae oeconomia in duas partes distributa; *Boveri* De republica ecclesiastica; *Hallier* Defensio hierarchiae ecclesiasticae; *Cellotius L.* De hierarchia eccl. et hierarchis libri novem; *Petavius* De ecclesiast. hierarchia libri tres; *Hallier* De hierarchia ecclesiastica; *A. Lobkovitz Caramuel Io.* De ecclesiae romanae hierarchia libri decem: *Malletti* De hierarchia et iure ecclesiae militantis; *Paulutius A.* Iurisprudentia sacra seu de hierarchia eccles. libri VII; *Bacchini B.* De ecclesiasticae hierarchiae originibus dissertatio; *Bianchi* Della potestà e della polizia della Chiesa contro le opinioni di Pietro Giannone; *Andreucci* Hierarchia eccl. in varias suas partes distributa; *Jouve* Exposition canonique des droits et des devoirs dans la hiérarchie ecclésiastique.

Historica commissio. — Ortum habuit haec commissio quum Leo XIII, postquam historiae studiosis S. Sedis tabularia aperuerat, litteras dedit 18 aug. 1883 ad emos cardinales Antoninum De Luca vicecancellarium, Ioannem Bap. Pitra bibliothecarium S. R. E. et Iosephum Hergenröther tabulariis vaticanis praefectum, quibus eos hortatus est, ut omnem conferrent operam ad inducendos viros probos et doctos ad historiam recte fideliterque scribendam de rebus gestis praesertim RR. Pontificum contra fallacias hominum, qui historiam infenso in ecclesiam animo conscribunt. In hunc eumdem scopum instituit Pontifex prope archivum ipsum vaticanum specialem palaeographiae atque historiae comparatae scholam, per quam adolescens clerus et solidiorem eruditionem sibi comparare et sanioris criticae exercitiis se excolere posset. Quod fecit litteris datis ad cardinalem Ios. Hergenröther 15 maii 1884. 2298

Commissioni huic sui sunt etiam nunc cardinales et iam inde a pluribus annis secretarius et selecti consultores.

2299 **Homicidium.** — ***De natura et divisionibus homicidii.*** — Homicidium est violenta exanimatio hominis (etiam fetus animati, *c. 20 de hom. X.* [*V. 12*]) ab homine facta. Constituit peccatum gravissimum, si iniuste fiat. Tunc autem non solum peccati, sed et delicti rationem habet, quum dolo malo et cum effectu, idest morte secuta, factum est. *c. 6 tit. cit. X.*

Homicidium a doctoribus multipliciter dividitur. Aliud enim est *voluntarium,* quod procedit ex intentione directa vel indirecta (ponendo causam per se connexam cum morte alterius) hominem occidendi; aliud *casuale,* quod ex casu procedit. Illud subdividitur in *iustum* et *iniustum,* prout lege permittitur aut prohibetur; hoc, seu casuale, *in mere casuale* et *culposum,* prout vel nullus, vel aliquis in casu debitae negligentiae defectus habetur. Dividitur etiam homicidium in *publicum* et *privatum;* in illo auctoritate publica, in hoc privata tantum mors homini infligitur.

Homicidio rei sunt, qui occidunt propria auctoritate malefactores (cfr. *prop. 19am damn. ab. Alex. VII*), vel etiam eum, qui verbis tantum nunc aggreditur, vel qui factis iamdiu honorem aggressus est. Cfr. *prop. 17am ab Alex. VII et 30am ab Inn. XI damnatas;* S. Alph. *III. 381. 391;* Croix *Th. mor. III. p. 1. 1. n. 803.* Contra licet iniquum aggressorem occidere (*c. 3 de sent. excomm. X.* [*V. 39*]), servato tamen moderamine inculpatae tutelae, idest nihil faciendo, quod necessarium non sit ad se tuendum (*c. 18 tit. cit. X.* [*V. 12*]); probabilius etsi iniquus aggressor sit ebrius vel amens, quia ius eum occidendi in eo, qui impetitur, non ex iniuria aggressoris, sed ex iure defensionis profluit. D'Ann. *II. 283.*

Et hoc licet etiam pro defensione membrorum (Salmanticenses *Th. mor. XXV. I. 94;* S. Alph. *III. 380*); vel bonorum fortunae (S. Alph. *III. 388*), quae nempe actu habeamus (cfr. *prop. 32am et 33am ab Inn. XI damn.*), et sint magni momenti (cfr. *prop. 31am ab Inn. XI damn.*); magni autem momenti esse existimantur a D'Annibale (*II 283* [*9*]), si ad quadringentas libellas plus minusve perveniant. Licet etiam interficere invasorem pudicitiae propriae (Lugo *de iust. et iure disp. X. n. 195*), vel alienae. S. Alph. *III. 391;* Lugo *l. c. n. 201 sqq.;* cfr. *l. 1. § 4 ad legem Corn. de sicariis etc. D.* (*XLVIII. 8*). Numquam vero licet directe occidere innocentem (*Exod. XXIII. 7;* Lugo *l. c. n. 102 sqq.*); licet autem ob gravem causam actionem in se bonam ponere, ex qua praeter intentionem mors innocentis sequatur. Lugo *l. c. n. 123;* Molina *de iust. et iure lib. I. tr. 2 disp. 119 concl. 2.* An et quando liceat procurare abortum, vid. *Abortus.*

Patet autem, licere occisionem hominis, quae ex iusta causa fiat a publica auctoritate, ab ea nempe, quae iuxta leges regionis obtinet potestatem coactivam. Hinc, quum vicarius apostolicus Victoriae Nyanzae exponeret: «Ex usu huius regni quicumque dux, vel minimus, etiamsi super decem viros tantum praepositus, plenariam potestatem iudiciariam et coactivam in suos subditos habet, ita ut etiam capitalem sententiam pro suo

lubitu in eos ferre possit. Item herus super servos suos. Nec admitterentur ad suos subditos delinquentes ad aliud tribunal deferendum. Forma autem iudicii usitata valde summaria est »; et peteret, an haec facere liceret duci aut hero catholico, sacra Congregatio respondit: « Tolerari posse, donec accurata iudiciorum forma inducatur, salva iustitia, et dummodo in gravioribus causis, praesertim capitalibus, procedatur quo mitius poterit, et de consilio proborum virorum ». *S. U. I. 27 ian. 1892.*

2300 ***De restitutione ex homicidio.*** — Homicida et heredes, etiamsi homicida morte plectatur, tenentur compensare omnia damna directe secuta ex homicidio, quod tamen fuerit voluntarium et iniustum. Restitutio autem facienda est vel laeso, vel eius heredibus, quoad debita realia contracta cum ipso laeso; proximis laesi coniunctis, quoad damna exinde illis necessario obvenientia; iis, qui damna subierunt, quoad illa, quae apposite per eam mortem occisor inferre voluit, ut si intenderit creditores occisi restitutione privare. Lessius *de iust. et iure lib. II cap. 9 dub. 19;* Lugo *l. c. disp. XI. n. 29, 77 sqq.*

Diximus iam loquentes de duello restitutionem vel refectionem damnorum ipsi provocanti numquam, provocato vero tunc tantum faciendam, quum provocatus duellum acceptavit, ne occideretur. Sed quaestio esse potest quoad restitutionem faciendam uxori aut filiis. Et quoad hoc notandum est illud, quod habet Lehmkuhl I. 992: « Scilicet, si provocatus invitus consensit (idest metu infamiae aliorumve damnorum quasi coactus est ad acceptandum), invitus etiam mansit relate ad damnum, quod ii fortasse incursuri sint. quos ipse ex pietate alere debeat et quos superstes alere voluit; si autem libere seu sponte consentit, ipse libere periculum subit, quo impos evadat ad implenda officia pietatis, seu abiicit voluntatem illam beneficam, quam erga suos gerere quidem debebat, sed sciens et volens non gerit. At alter, qui illum occidit, solummodo si voluntatem illam beneficam vi vel fraude exstinxit seu detorsit, ad reparandum cognatis damnum tenetur ». Alii tamen contrarium sentiunt. Vident enim semper in occisore cooperatorem quemdam efficacem ad damnum, quare ratione cooperationis volunt, illum semper teneri ad reficiendum damnum, quod uxor et filii subiere. Addunt praeterea neminem invitum privari posse iure suo: uxor autem et filii privantur inviti iure, quod habent, ut alantur a marito et a patre. Neque dicendum est, acceptantem duellum renunciasse huic iuri; nam nemo alienis iuribus, sed suis tantummodo renunciare potest.

De impedimento quoad matrimonium ex homicidio. — 2301 Homicidium inducit impedimentum dirimens matrimonium, si adsit inter duos mutua conspiratio in caedem alterutrius coniugis, et mors realiter secuta, cum intentione contrahendi matrimonium cum socio homicida. Si coniugicidio intuitu matrimonii facto adulterium praecesserit, ad impedimentum nec promissio matrimonii, nec mutua conspiratio in coniugicidium requiritur. Vid. *Crimen.*

2302 ***De irregularitate ex homicidio.*** — Circa hoc aliud dicendum est de homicidio publico, aliud de privato.

De irregularitate ex homicidio publico. — Quoad publicum homicidium:

a) ***in bello iniusto***, si unus ex hostibus occidatur aut mutiletur, omnes, qui ex adverso eo cornu dimicant, irregulares fiunt. *c. 6 tit cit. X.* (*V. 12*), Vid. *Bellum*. Iniustitia tamen debet esse omnino evidens, nec sufficit de iniustitia opinionem quamdam habere. Santi *in tit. 12. lib. V Decr. n. 3;*

b) ***in bello iusto aggressivo*** fiunt irregulares non ob delictum, sed ob defectum lenitatis, illi omnes et soli, qui inimicos occidunt vel mutilant. *c. 24 tit. cit. X.* (*V. 12*) Schmalzgrueber ***in tit. 12 lib. V Decr. n. 131 sqq***; Benedictus XIV *Inst. CI. n. 9*;

c) ***in bello iusto defensivo*** ne illi quidem milites, qui hostes occidunt, irregularitatem incurrunt: ratio est, quia in casu adversarium quis occidit ad suam defensionem cum moderamine inculpatae tutelae (cfr. *c. un. de homicidio etc.* [*V. 4*] ***in Clem.***): excipiuntur tamen clerici, qui irregulares fiunt, si huiusmodi in bellis militent (cfr. *c. 24 tit. cit* [*V. 12*]); nisi tamen gravis necessitas populi, vel civitatis, clericorum quoque operam postulet. *c. 2. de immun. eccl. etc. X.* (*III. 49*); B. P. *VII. 517;*

d) ***in homicidio in poenam inflicto,*** idest in homicidio, quod in expiationem criminis a publica auctoritate infligitur, omnes qui in illo sive proxime sive remote, sed non per accidens (Schmalzgr. *l. c. n. 95*), concurrunt, irregulares fiunt ex defectu lenitatis. *cc. 5. 9 ne cler. vel mon. etc. X.* (*III. 50*).

Hinc irregulares sunt iudex (Suarez *de censuris disp. XLVII. s. 1. n. 1* — idem dicendum apud nos de iuratis, qui, quamvis sententiam ipsam mortis non dicant, cooperantur tamen ad mortis sententiam et poenam quam proxime; quare non videntur valere rationes a Gasparri *de sacr. ordin. n. 454* in contrarium allatae); accusator (quando accusatio facta est criminaliter, seu ad vindictam; quod officium in nostris tribunalibus exercet procurator regius — *c. 2 de homicid* [*V. 4*] *in 6°*); assessor iudicis (*c. 10 de excessibus prael. X.* [*V. 31*]); advocatus accusatoris (d'Ann. *I. 425*); deferentes reum ad supplicia (Gasparri *de sacra ordin. n. 453*); testes contra reum deponentes (Suarez *l. c. s. 3. n. 1 sqq.*; Laymann *Th. mor. l. 3 tr. 3. p. 3. c. 7. n. 1 sqq.* — ex quibus nonnulli auctores eos excipiunt qui gravi metu coacti, vel ex officio, testimonium dixerunt, citantes c. 19 § 1. de hom. X. [V. 12]. — Reiffenstuel *in tit 12 lib. V Decr. n. 105*); multo magis carnifices sententiam in reum exsequentes. Suarez *l. c. s. 4. u. 10.* Haec est communis sententia, nihilominus confer B. P. *VII. 514.*

De irregularitate ex homicidio privato. — Quoad privatum homicidium: 2303

a) Si homicidium fuerit necessarium, seu patratum ad vitam propriam defendendam cum moderamine inculpatae tutelae, vel quocumque alio modo licite patratum, nulla ex eo incurritur irregularitas. *cc. 2. 3. 10. 18 tit cit. X.* (*V. 12*); *c. un. de homic.* (*V. 4*) ***in Clem.*** Hinc irregularis esset, qui alium occideret sine moderamine inculpatae tutelae (cfr. *cc. 6. 8 dist.*

50; Conc. Trid. *sess. XIV. c. 7 de ref.*); vel ille, qui futili de causa idipsum perpetraret. *c. 10 tit. cit. X.* (*V. 12*).

b) Si homicidium fuerit dolosum et graviter culpabile, et occisor fuit clericus, is fit inhabilis ad officia quaecumque obtinenda (Conc. Trid. *l. c.*) et est deponendus (*c. 12 dist. 81; c. 10 de iudiciis X.* (*II. 1*); quicumque autem fuit occisor, imo et in homicidio cooperantes, ut mandans (*cc. 6. 11 tit. cit. X.* [*V. 12*], *c. 3 tit. cit.* [*V. 4.*] *in 6°*), efficaciter et directe illud consulens (Lugo *de iust. et iure disp. XIX. n. 40*), favorem praestantes (*c. 6.* § *4 tit. cit. X.* [*V. 12*]), non autem probabilius ii, qui homicidium impedire poterant, et ex officio debebant, nec tamen fecerunt (S. Alph. *VII. 376;* d'Ann. *I. 424*), irregularitatem incurrunt. Etiam in dubio facti, idest tunc quum aliquis certo interiit, dubitat autem quis an opera sua interierit, irregularis communiter censetur (*cc. 12. 18. 24 tit. cit. X.* [*V. 12*]); sed in primis iura citata non spectant, nisi ad presbyteros, et praeterea videtur potius suspensio in illos infligi, quam irregularitas. Gonzalez *in cap.* « *Ad audientiam* » *de homicidio.*

c) In homicidio casuali distinctione opus est, an scilicet quis operam dederit rei licitae, vel illicitae. Si primum, et debita diligentia adhibita fuerit, irregularitas non incurritur. *cc. 9. 13. 14. 15. 16. 22. 23 tit. cit. X.* (*V. 12*). Si alterum, et opus illicitum non fuerit connexum cum periculo mortis inferendae, adhibita debita diligentia, irregularitas non incurritur, neque enim in ullo textu iuris expresse inflicta invenitur (Sua rez *l. c. d. 45. s. 6. n. 9 sq.*; Reiffenstuel *in tit. 12 lib. V. Decr. n. 194;* B. P. *VII. 457 4°*); alii tamen contrarium sentiunt. Schmalzgrueber *in tit. 12 lib. V Decr. n. 248*; De Luca Mar. *Prael. iur. can. de personis tit. 2. n. 21.* Quod si opus illicitum inducit natura sua periculum mortis, incurritur irregularitas iuxta omnes. *c. 19 tit. cit. X.* (*V. 12*).

Alia quoad irregularitatem ex homicidio. — Nota, irregularitatem incurri ex homicidio, non autem ex mero vulnere; bene vero ex mutilatione. Gasparri *de sacra ordin. n. 415.* Vid. *Mutilatio.* 2304

Homicidium vero voluntarium, sive publicum fuerit sive occultum, dummodo non fuerit ad propriam defensionem initum (in hoc enim casu potest ab ordinario causa videri, qui solummodo causa cognita et probata potest dispensare, Conc. Trid. *sess. XIV. c. 7. de ref.*) inducit irregularitatem a solo rom. Pontifice dimittendam ex Tridentino *l. c.* Cfr. Conc. Trid. Ed. Richter *p. 92.*

Ab irregularitate ex mutilatione occulta episcopus dispensare potest, quia Conc. Tridentinum (*sess. XXIV c. 6 de ref.*) in generali facultate concessa episcopis dispensandi in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, unum homicidium excludit.

De aliis poenis ex homicidio. — Homicidium, quod perpetratum fuerit, alio mandante, vel quod aliquis alteri mandat (*c. 1. tit. cit.* [*V. 4*] *in 6°*), vel etiam homicidium rectoris aut alterius clerici illius ecclesiae, in qua 2305

clericus homicida beneficium obtinet, inducit ipso iure privationem beneficii (*c. 12 de poenis X.* [*V. 37*]); simplex vero homicidium eadem poena, idest privatione beneficii, potest puniri. Schmalzgrueber *in tit. 12 lib. V Decr. n. 147.*

An et quando homicidio ecclesia polluatur, vid. *Ecclesia.*

Tit. de homicidio voluntario vel causali X. (V. 12); idem tit. (V. 4) in 6°; idem tit. (V. 4) in Clem.; tit. de his, qui filios occiderunt X. (V. 10); Conc. Trid. sess. XIV c. 7 de ref.; sess. XXIV c. 6 de ref.; Const. Sixt. V « Effrenatam » 29 oct. 1588; Const. Gregorii XIV « Sedes Apostolica » 31 maii 1591; Const. Pii IX « Apostolicae Sedis »; *Blanci M. A.* Tract. de indiciis homicidii ex proprio commissi et de aliis indiciis homicidii et furti ad l. final. ff. de quaestionibus; *Romulei Barth.* Tr. de homicidio ad sui corporis tutelam exposito et casu perpetrato in l. ut vim ff. de iustitia et iure; *Maphaei M. G.* Tract. de omni genere homicidii; *Teophili Nic.* Disp. de homicidio; *Molini Fr.* De amittenda immunitate per homicidium et de omnibus casibus, quibus homicidium committi potest; *Carpani Horat.* Tract. de poenis homicidae et de iure et privilegio fisci; *Caballi Petr.* Tract. de omni genere homicidii; *Affelmanni Ant.* Disp. de homicidio in genere et in specie; *Rebbii Nic.* Libri duo de homicidio; *Boceri Henr.* Tract. de omni genere homicidii; *Hering. Io.* De homicidio doloso et voluntario; *Ayreri Iac.* De triplici genere homicidiorum; *Grassetti Hipp.* Tract. de nece proditoria; *de Venne* De corpore delicti in homicidio; *Pierantoni Aug.* Importanza della prova generica in tema di omicidio volontario; *Brusa Emilio* Della concausa nell'omicidio; *De Notaristefani Raff.* Contro l'impunità degli omicidii; *Bonanno G.* Uxoricidio ed uxoricidi.

2096 **Honestas.** — Honestas est una ex causis canonicis, ob quas conceduntur dispensationes matrimoniales. Porro haec honestas significat moralem honestatem, seu morum probitatem familiarum eorum, qui volunt simul contrahere. Quando autem agitur de hac causa, « exsecutor verificare tenetur, utrum oratores ex huiusmodi honestis familiis sint, quum ad familiarum conservandam honestatem matrimonium ideo contrahant. Quare vera esse debet, et bene nota huiusmodi honestas, quae, maxime in praesenti tanta vitiorum colluvie, sat gravis causa est, et gravior esse potest ex adiunctis, ex. gr. si familiae sint omnino longa antiquitate notae; si penitus ecclesiae ac romano Pontifici adhaerentes; si orator, ceteroquin eruditione, scientia, professione, officio, dignitate conspicuus, alienus omnino sit a falsis rationalismi et liberalismi placitis, et catholici viri impleat obligationes. Uti sat gravis causa admittitur ipsa etiam sola oratorum honestas, si forte honestatis decore eorum familiae, vel parentes, vel solum pater minime sint conspicui. Opus tunc est, ut oratores, praesertim vir, morum fideique tenaces sint, Dei et ecclesiae leges fideliter observantes, publica opinione, et integra bona existimatione gaudentes ». *Praxis apost. disp. super imp. matr. n. 110. 111.*

Honestas publica. — ***De natura publicae honestatis.*** — Honestas publica seu publicae honestatis iustitia, est propinquitas quaedam personarum sive quasi affinitas, quae per coniunctionem non corporum sed animorum oritur, tum ex sponsalibus validis, inter unum sponsum et consan- 2097

guineos, sive legitimos, sive illegitimos alterius; tum ex matrimonio non consummato inter alterum coniugem et consanguineos compartis intra gradus a iure expressos. Cfr. *ll. 6. 8 de gradibus et affin. D (XXXVIII. 10); l. 8 de incest. et inut. nupt. C. (V. 5)*; S. Th. *in. IV dist. 41 q. 1. a. 1. q. 4;* Schmalzgrueber *in tit. 1 lib. IV Decr. n. 96.*

2308 ***De impedimento publicae honestatis.*** — **De hoc impedimento ex sponsalibus.** — Sponsalia de futuro ad inducendum impedimentum publicae honestatis debent esse:

a) *valida* (Conc. Trid. *sess. XXIV c. 3 de ref. matr.*), et proinde ex novissimo iure servata forma decreti *Ne temere* inita. Vid. *Sponsalia.*

b) *Absoluta*, non conditionata seu suspensivam conditionem adiectam habentia (*c. un. de sponsal. etc.* [*IV. 1*] *in 6°*), nisi, conditione impleta vel revocata, facta fuerint absoluta. Giovine *de disp. matr. tom. 1. p. 531 n. 5.* Nec impedimentum ex huiusmodi sponsalibus ortum cessat, ipsis sponsalibus utcumque, etsi ex mutuo consensu, solutis. Feije *loc. cit. n. 386;* B. P. *VI. 770.*

Iure antiquo ex sponsalibus puris et certis, etsi nullis (dummodo talia non fuissent ex defectu consensus), oriebatur hoc impedimentum usque ad quartum gradum inclusive (*c. un. de sponsal. et matr.* [*IV. 1*] *in 6°*); ex Tridentino valida tantum sponsalia dirimunt matrimonium contrahendum usque ad *primum* gradum lineae rectae et transversalis. Conc. Trid. *l. c.;* B. P. *VI. 769.*

Si vero sponsalia sint nulla ob defectum occultum ex parte consensus controvertitur utrum impedimentum hoc oriatur: S. Alphonso (*VI. 1062*) sententia negans probabilior est et in praxi tenenda.

De hoc impedimento ex matrimonio non consummato. — Impedimentum publicae honestatis oritur ex matrimonio rato et non consummato valido, et ex matrimonio non consummato invalido, externam speciem matrimonii habente; quod tunc *saltem* verificatur quando in facie ecclesiae matrimonium est contractum, dummodo non fuerit invalidum ex defectu consensus (tale esset matrimonium invalidum ex defectu erroris, ex metu, etc. *S. C. C. 12 mart. 1664*). Ut autem impedimentum oriatur, matrimonium debet esse absolute et non sub conditione suspensiva celebratum. 2309

Impedimentum publicae honestatis oriri ex huiusmodi matrimonio certum est, quamvis nullus exstet in iure expressus textus de hac re. Doctores illud deduxerunt argumento a fortiori ex dispositione expressa iuris, ut ex sponsalibus hoc impedimentum oriretur; praesertim quia declaratum fuit, ex eo non oriri impedimentum affinitatis. Cfr. *c. 18. C. XXVII. q. 2; Const.* Pii V « Ad Romanum » *1 iul. 1568*; *S. C. C. in Valentina a. 1607*; B. P. *VI. n. 1147.*

Publica honestas ex matrimonio orta nullam mutationem et restrictionem ex iure tridentino passa est; quapropter inducitur secundum ius antiquum lateranense usque ad quartum gradum inclusive. Ita certo constat ex constitutione S. Pii V superius citata *1 iul. 1568.*

Si matrimonium invalidum fuerat

ex defectu aetatis, publica honestas computabatur hucusque (idest ante novissimas praescriptiones decreti *Ne temere*) non quasi ex matrimonio, sed quasi ex sponsalibus, idest restringebatur ad consanguineos primi gradus; nam eiusmodi consensus de praesenti, ab impuberibus datus, transibat iure in consensum de futuro seu in valida sponsalia. *c. 14 de desp. impub. X. (IV. 2).*

Nunc post decretum *Ne temere* ex tali matrimonio nullum amplius exsurgit impedimentum. Ius enim, quod prius huic matrimonio vim tantum sponsalium recognoscebat, praesumi nequit ex immutatione disciplinae maiorem quamdam vim eidem tribuere voluisse, multo magis quod exinde sequeretur novum (saltem extensive) fuisse inductum impedimentum (dicendum enim esset extendi usque ad quartum gradum) indirecta tantummodo legis dispositione; hoc autem repugnat praxi et stylo Curiae.

Ex matrimonio civili nullum oritur impedimentum publicae honestatis, quia in odium tanti peccati consensus in tale matrimonium consideratur hic tamquam voluntas meri et putidi concubinatus. Constat ex decreto Leonis XIII *17 mart. 1879.*

Ex matrimoniis autem non consummatis et nullis ex impedimento clandestinitatis controvertitur, utrum hoc impedimentum oriatur. Plerique affirmant, multi tamen negant (cfr. Feije *l. c. n. 399,* qui quamplurimos hinc inde citat doctores) ea ratione ducti, quod matrimonium clandestinum ne sponsalium quidem vim habeat, quam tamen vim eidem ius recognoscere potuisset, quum contrahentes in hypothesi ad sponsalia contrahenda essent habiles. Post decretum autem Leonis XIII, declarans ex civili matrimonio (quod profecto clandestinum quoddam matrimonium est) hoc impedimentum non exsurgere, maximam consecutam esse probabilitatem sententiam negantem plures tenent. Cfr. B. P. *VI. 773 (a).* Quare affirmari potest impedimentum hoc esse dubium (B. P. *VI. n. 89*); impedimentum autem dubium *dubio iuris* impedimentum nullum est. B. P. *VI. 600.*

Controvertitur inter doctores, utrum impedimentum honestatis inducatur *ex matrimonio non consummato, quod nullum quidem fuerit ex defectu consensus, sed huiusmodi defectus sit omnino occultus,* qui in foro externo probari nequit. In praxi, stante hac controversia, standum est sententiae neganti, quae S. Alphonso (*VI. 1062*) probabilior est.

De cessatione huius impedimenti. 2310 — Impedimentum autem hoc non cessare, dissolutis sponsalibus, diximus superius; idem dicendum, si legitime dissolvatur matrimonium ratum et non consummatum. Feije *l. c. n. 386.* — Si consummetur matrimonium validum, nonnulli dicunt cessare impedimentum publicae honestatis, superveniente impedimento affinitatis; alii dicunt hoc remanere, illud noviter induci (cfr. Feije *l. c. n. 395*); certum autem est utrumque exsurgere impedimentum ex consummatione matrimonii invalidi. *S. C. C. 3 dec. 1667; 15 apr. 1752;* Cfr. Wernz *Ius decretalium IV. 459.*

2311 **De vi et origine huius impedimenti.** —Impedimentum publicae honestatis non habet vim retroagendi, quo fit, ut non praeiudicet prioribus sponsalibus. *c. un. de spons. etc.* (*IV. 1*) *in 6.*

Impedimentum publicae honestatis est solius iuris ecclesiastici; quare homines non baptizati eo non ligantur. Imo huiusmodi homines etiam post conversionem et baptismum, ut verius omnino videtur, possunt valide contrahere cum consanguinea illius partis, quacum ante baptismum sponsalia vel matrimonium ratum (si noluerit habitare absque contumelia Creatoris) contraxerant. Cfr. praesertim responsionem S. U. I. *ad vic. ap. Tunk. Occid. 19 apr. 1837.*

2312 **De dispensatione huius impedimenti.** — Ab hoc impedimento R. Pontifex dispensare potest in omnibus gradibus; episcopi non possunt, nisi speciali privilegio gaudeant. Dispensatio facilius conceditur, si impedimentum oriatur ex sponsalibus (*Const.* Ben. XIV «Inter omnigenas» *2 febr. 1744*); difficilius vero dispensatur in ipso primo gradu, si impedimentum ex matrimonio rato procedat.

Quoad dispensationem vero ab hoc impedimento petendam nota ea, quae habentur in *Praxis apost. dispensat. super imped. matr. n. 56 seqq.* «Exprimendum omnino est, utrum impedimentum ex matrimonio, an ex sponsalibus proveniat. Sive autem ex matrimonio, sive ex sponsalibus sit, exprimenda est linea; et, si ex matrimonio, gradus exprimendus est; et si ex sponsalibus, eorum declaranda dissolutio, nisi prioris sponsae mors affirmetur, quod etiam de matrimonio rato intelligendum est. — Exprimendi in honestate publica non sunt varii gradus lineae inaequalis. Constitutio enim S. Pii V praecipiens declarationem proximioris gradus, loquitur tantum de gradibus consanguinitatis et affinitatis. Et ita stylus Curiae habet. Quare in gradu inaequali sufficit exprimere remotiorem. — Si orator declaret, se velle contrahere cum ea, quae fuit uxor sui consanguinei in quarto gradu, sufficienter declaratur implicite impedimentum publicae honestatis. Nam si matrimonium fuit consummatum, fuit etiam ratum, et, si illa fuit uxor, fuit etiam sponsa, et ita honestas publica implicite cum affinitate dispensatur. Sane honestas publica in affinitatem tunc transit perfectam; quum honestas publica non sit nisi initium affinitatis et inchoata quaedam affinitas. — Si vero orator dispensationem petat ab affinitate ex copula illicita, non ideo, data ab ea affinitate dispensatione, continetur in eadem dispensatione implicita etiam dispensatio de honestate publica; nam in ea affinitatis declaratione, declaratio non continebatur publicae honestatis. Quare, si ratione illicitae copulae cum sponsa habetur affinitas, et ratione sponsalium cum ea sponsa habetur honestas publica, utrumque impedimentum est declarandum, ut utrumque dispensetur. — Honestas publica multiplex esse potest, et tunc eius multiplicitas omnino declaranda est, uti ex. gr. si Caius consanguineus in tertio gradu Titii dispensationem impetrat ducendi Sempronium, uxorem Titii, qui mortuus est ante consummationem matrimonii, et post-

quam sponsalia Caius inierit per verba de futuro cum consanguinea in primo gradu eiusdem Semproniae ».

218 **De impugnatione matrimonii ex hoc impedimento.** — Quoad causas matrimoniales ex impedimento publicae honestatis, haec habe ex instructione S. C. S. Officii *ad episcopos Orient. 20 iun. 1883:* « Quoties aliquod matrimonium impugnatur ob impedimentum, quod publicae honestatis nominatur, in primis accurate statuendum erit, utrum illud originem duxerit ex matrimonio simpliciter rato, an ex sponsalibus. — In priori casu ad impedimentum astruendum proferantur documenta matrimonii praecedentis celebrationem comprobantia, quae documenta facile suppeditabunt vel libri matrimoniorum a parocho servandi, si matrimonium coram ecclesia fuerit celebratum; vel regesta exsistentia penes ministros haereticos sive schismaticos, si apud eos matrimonium contractum affirmetur. Quamvis documenta vel a sola civili potestate, vel ab haereticis aut schismaticis manantia, vim habere possint aliquando ad factum de matrimonio celebrato extraiudicialiter confirmandum, tamen iudex catholicus, qui de exsistentia vel de non exsistentia impedimenti sententiam laturus erit, curabit, ut in iudicium compareant partes, testes qui matrimonii celebrationi interfuerunt, propinqui eorum qui contraxerunt, nec non omnes, quos sciverit de re instructos, ut omnia possint cognosci, quae ad factum rite iudicandum conducere poterunt. — Quod si praedictum impedimentum ortum asseratur ex sponsalibus cum persona alteri parti consanguinea in gradu impedimentum constituente contractis, ad iudicium proferendum duo erunt inquirenda, videlicet utrum revera asserta sponsalia locum habuerint, et utrum valida in foro canonico haberi possint. Primum deducendum erit ex partium confessione, dummodo hae exceptiones minime patiantur; ex documentis, si habeantur; ex testium fidem merentium depositionibus, nec non ex indiciis, quae iudex peritus et expertus deducere poterit ex circumstantiis, quae facta exposita aut praecesserunt aut subsecutae sunt. Ad secundum probandum, utrum videlicet asserta sposalia valida fuerint in sensu canonico, plura erunt sedulo perpendenda (*Nota hic in multis agi de iure antiquo, quod tamen pro antiquioribus causis adhuc pratici momenti est*). Ante omnia iudex prae oculis habeat, quod ex usu et consuetudine fere in singulis locis speciales aliquae formae pro solemni sponsalium celebratione inductae reperiuntur, quae communiter et regulariter ab omnibus servari solent. Itaque inquirendum erit, utrum istae formae fuerint, necne, servatae; si primum, praesumptio pro sponsalium valore aderit, contra quam numquam erit iudicandum, nisi ex certis et evidentibus argumentis sponsalia nulliter contracta fuisse constiterit; si secundum, inquirendum erit, qua de causa consuetae formae fuerint omissae, et utrum pro personarum, locorum et consuetudinum circumstantiis sponsalia nihilominus valide fuerint contracta, eo quod utrimque voluntas

sese obligandi vere intercesserit, atque ita ut ex iure impedimentum constituant. In hunc finem praeter alia quaerendum est, quibus verbis vel factis sibi futurum matrimonium promiserint; utrum promissio ab utraque parte processerit; et si ab una tantum, utrum alia eam acceptaverit, sive verbis, sive factis, sive signis aequivalentibus; utrum post datam promissionem praetensi sponsi reputaverint sese matrimonio contrahendo obligatos an liberos. Erit quoque inquirendum de sponsorum conditione, utrum scilicet ea talis sit, ut praesumi non possit veram in ipsis voluntatem sese mutuo obligandi adfuisse. — Quatenus casus exigat, inquirendum etiam erit, qua aetate praetensi sponsi sibi invicem matrimonium promiserint. Etenim sponsalia ab infantibus, vel a maiori cum infante contracta, ipso iure nulla sunt, et impedimentum publicae honestatis gignere non valent. Quare in hoc casu inquirendum erit de aetate legitima eorum, a quibus sponsalia fuerunt contracta, quod facile fiet, petitis documentis ex libris baptizatorum, atque ex testimonio parentum, sive aliorum, qui personas, de quibus agitur, cognoscunt. Si constiterit, in aetate adhuc infantili sponsalia inita fuisse, investigandum erit, utrum post septennium fuerint renovata, aut saltem ratificata. — Si vero, ut aliquando contingit, sponsalia fuerint a parentibus contracta, iudex agnoscere curabit, cuiusnam aetatis fuerint ipsi filii, quando eorum parentes eadem inierunt; quia si in aetate adhuc infantili fuissent, certum est, contractum irritum fuisse; si vero vel impuberes, vel puberes, contractus tunc solummodo validus esset, si filii expresse, vel saltem tacite, consenserint, aut postea sponsalia, eorum nomine a parentibus inita, ratificarint. Igitur inquirendum erit de modo, quo sponsalia fuerint contracta, de agendi ratione filiorum, sive quum ea celebrarentur, sive quum cognoverunt quid pro ipsis parentes egerint; utrum nempe aliquo modo factum admiserint, vel contra ipsum protestati fuerint, vel saltem ostenderint sese aegre ferre pactum praedictum. Ad hunc finem examinandi erunt qui contractui adfuerunt, vel qui et contractum et sponsorum voluntatem perspectam habere potuerunt; ipsa quoque sponsorum agendi ratio tam inter se, quam erga parentes exploranda erit; utrum tamquam sponsos sese habuerint, utrum de futuro matrimonio collocuti, et quo amore sese mutuo prosecuti fuerint. Si constiterit, ambos, aut alterum saltem, matrimonio obstitisse, et constanter parentum voluntati obstitisse, contra sponsalium exsistentiam iudicium poterit proferri. Si contra constiterit, vel parentibus non restitisse, vel media opportuna, in propria potestate posita, non adhibuisse, ut matrimonium impedirent, et ut parentes a proposito dimoverent, ordinarie pro sponsalium et impedimenti exsistentia iudicandum erit. Dicitur *ordinarie*, quia si pars, quae sponsalia impugnat, affirmaverit, sibi defuisse libertatem parentibus contradicendi eosdemque a proposito retrahendi, ratio istius assertae coactionis erit habenda ». Vid. *Sponsalia*.

Decr. Grat. C. XXVII q. 2.; tit. de sponsa duorum X. (IV. 4); cc. 3. 4. 8 de spons. et matr. X. (IV. 1); cc. 4. 5. 12 de desp. impub. X. (IV. 2); c. 8 de consanguinit. etc. X. (IV. 14); c. un. de sponsal. etc. (IV. 1) in 6°; Conc. Trid. sess. XXIV c. 3 de ref. matr.; Const. Pii V «Ad Romanum» 1 iul. 1568; *S. Raymundus* Summa lib. IV tit. 14; *Sanchez* de matr. lib. VII disp. 68 sqq.; *Ben. XIV* Quaest. can. 291; *Feije* n. 384 sqq.; *Scherer* KR. § 120; *Aichner* Comp. iur. eccl. § 180; *Wernz* Ius Decr. IV. 144 sqq.; *Esmein* Le mariage I. p. 145 sqq., II p. 263 sqq; *Rosset* De sacr. matr. III. 1983; *Leitner* ER. § 32; *Gasparri* De matr. I. 798; *Sägmüller* KR. § 147; *v. Hörmann* Quasi-affinität.

Honorarius canonicus. — Vid. *Canonicus honorarius.*

2314 **Honor.** — Honor est externa testificatio aestimationis, quae de alicuius excellentia interne habetur. Laeditur contumelia, quae ex genere suo est mortale peccatum. Publice ablatus publice est restituendus, et eo modo, qui censeatur sufficiens ad manifestandam aestimationem iuxta offensi conditionem. G. B. *I. 462 sqq.* Vid. *Contumelia.*

2315 **Horae canonicae.** — ***De obligatione horas recitandi.*** — Ad eas quotidie recitandas obligantur sub gravi (Cfr. Suarez *de horis can. lib. IV. c. 25. n. 12;* B. P. *IV. 356*):

clerici omnes in sacris constituti (*c. 19 de celebr. miss. etc. X.* [*III. 41*]; *Const.* Ben. XIV «Eo quamvis» *4 maii 1745;* Ben. XIV. *Inst. eccl. XXIV;* Schmalzgrueber *in tit. 41 lib. III. Decr. n. 54;* Lessius *de iust. et iure l. II. c. 37. n. 44 sqq.;* Laymann *Th. mor. lib. IV. tr. 1. c. 4. n. 4*);

beneficiati (Cfr. *Const.* Leon. X «Supernae dispositionis» *in Conc. Lateran. V. § 38*; *Const.* Pii V «Ex proximo» *20 sept. 1571*);

religiosi solemniter professi et ad chorum destinati (Schmalzgrueber *in tit. 41 lib. III Decr. n. 78;* S. Alph. *IV. 142;* B. P. *IV. 333;* cfr. *c. 1 de celebratione missarum etc.* [*III. 14*] *in Clem.*);

et hi omnes ad horas obligantur, etiamsi suspensi fuerint, excommunicati vel eiecti (B. P. *IV. 330. 338:* Sanchez *Cons. mor. lib. VII. c. 2. dub. 4*), ne scilicet videantur de sua malitia commodum reportare. *c. 7 de iudiciis X.* (*II. 1*).

Nota tamen, quoad religiosum eiectum existimare Laymann (*Th. mor. lib. IV. tr. I. c. 4. n. 2. sqq.*) sententiam liberantem talem religiosum, vel religiosum perpetuo secularizatum, ab onere horas recitandi (si vi solius professionis ad id teneatur) non esse improbabilem. Professi votorum simplicium professione, quae nunc votis solemnibus in ordinibus regularibus praemitti debet, non tenentur ad privatam recitationem divini officii, sed debent choro interesse, ut solemniter professi. *S. C. super Statu Reg. 6 aug. 1858; S. C. EE. RR. 24 mart. 1882.*

Hac obligatione moniales quoque tenentur, vota solemnia professae iuxta regulam ab apostolica Sede ap probatam, in qua huiusmodi onus imponitur. Ferraris *Prompt. bibl. v. «Moniales» a. 6. n. 1;* Bouix *de iure regul. p. VI. c. 9. q. 1*; B. P. *IV. 333.* Monialas professae votorum simplicium, tum eae, quae hanc professio-

neme mittunt in institutis votorum simplicium (*S. C. EE. RR. 19 apr. 1844*),tum eae, quae ipsam statim post novitiatum ante professionem solemnem emittunt in monasteriis stricte regularibus, non tenentur ad horas canonicas recitandas; hae vero, quamvis, si legitime impediantur choro interesse, eximantur ab onere privatae recitationis, tenentur tamen adesse choro non secus ac solemniter professae. *S. C. EE. RR. 3 maii 1902.*

Parvam horam vel aequivalens omittere communiter habetur pro materia gravi. Suarez *de horis can. lib. IV. c. 25. n. 15;* Ferraris *Prompta bibl. v. « Officium divinum » art. 3. n. 6;* B. P. *IV. 357.*

Probabiliter iudicans, se aliquid recitasse, etiamsi non sit certus, non tenetur iterum recitare. S. Alph. *IV. 150.* Hinc, si recorderis, te incepisse psalmum, lectionem vel horam, et postea non data opera distractus, vel non interruptus, te invenias in fine horae legendo, vel recitando memoriter ea, in quibus ordinarie non soles errare, non debes recitare iterum. S. Alph. *l. c.*

Religiosi obligati ad chorum tenentur sub gravi, ut supra dictum est, officium recitare, sed non necessario in choro (S. Alph. *IV. 143;* Suarez *de horis can. lib. IV. c. 10. n. 15*), ad quod tamen obligatur communitas (*c. 1 de celebr. miss. et sacr. euch. etc. [III. 41] in Clement.*), quae adstare censetur, quum adsunt quatuor validi ad chorum (S. Alph. *IV. 143;* B. P. *IV. 335*); ubi, si quis aliquid non nimium omittit, satisfacit nihilominus,imo generatim, dum quis occupatur in re ad officii celebritatem pertinente, totus chorus pro eo supplere dicendus est, dummodo semper nimium non omittat; quidam putarunt, eum quoque satisfacere, qui in choro pulsaret organa, quin ipse versiculum suae partis recitaret (Sotus, Navarrus, etc.), sed S. Alphonsus (*l. c.*) hoc improbat. Cfr. B. P. *l. c.*

Die commemorationis omnium defunctorum officium defunctorum (S. Alphons. *IV. 161. q. 2*), et probalissime, diebus S. Marci et Rogationum, litanias sanctorum (S. Alph. *IV. 161. q. 1.*; B. P. *IV. 382*), quae anticipari nequeunt, omnes ad horas obligati sub gravi recitare tenentur.

Contra eos, qui obligationem recitandi breviarii negligunt, poenae certae in iure non sunt praescriptae, nisi sint beneficiati. Quaenam autem hae sint, vide in *Beneficiatus.*

Qua ratione satisfaciendum huic obligationi. — De breviario adhibendo. — Quisque clericus, ut huic obligationi satisfaciat, debet horas recitare ex eo breviario, quo legitime utitur; secus perinde est, ac si horas non diceret, et beneficiatus non facit fructus suos. *Constit. cit.* S. Pii V « Ex proximo ». Breviarium autem hoc est romanum, correctum et editum iussu eiusdem Pii V, qui constitut. « Quod a nobis » (*7 iul. 1568*) alia omnia breviaria, quae nondum a ducentis annis legitima consuetudine introducta essent, abolevit. 2316

Hoc autem non importat, eum, qui horas recitaret ex brevario,de quo morali certitudine sibi constat cum breviario romano typico concordare, quod tamen nullam refert ecclesia-

sticam approbationem, non satisfacere suae obligationi. Hoc enim Pontifices non dixerunt, quamvis voluerint ut breviaria, quibus obligati ad horas uterentur, approbationem haberent. Imo puto, ut quavis ex causa, puta quia nullum aliud breviarium hic et nunc praesto est, potest quis uti breviario non approbato, quod cum romano certo concordet. Strictiores praescriptiones, si quae umquam viguerunt, contrario saltem usu in desuetudinem abiisse videntur. Cfr. Mon. eccl. *vol. VIII. p. 2. pag. 207 sq. vol. IX. p. 1 pag. 6* Quoad editiones breviarii vid. *Missale.*

2117 **De officio recitando.** — Quoad sanctos, seu singularia officia, unusquisque sequi debet calendarium propriae dioecesis, eius nempe, in qua domicilium habet, vel in qua possidet beneficium residentiale. De Herdt *Sacr. lit. praxis II. 209 228.* Vid. *Calendarium.*

Quamvis autem beneficiati teneantur semper ad officium propriae ecclesiae, simplices sacerdotes conformari possunt officio loci, ubi morantur (etiam ut peregrini); sed vagis (idest peregrinis) consultius est, ut dioecesis propriae calendario utantur. *S. R. C. in una Marsorum 13 nov. 1831 ad 46* (*2682*).

Parochus et vice parochus tenentur recitare particularia officia suae parochiae, ut esset officium de titulari eiusdem ecclesiae etc. *S. R. C. in Mechlinien. 7 decembris 1844 ad 1. q. I.* (*2872*).

Sacerdotes alii, qui in aliqua ecclesia confessiones excipiunt, vel aliud quodcumque sacrum ministerium exercent, quum adscripti stricte servitio illius ecclesiae non sint, ut parochus et vice parochus, ea officia recitare nequeunt. *S. R. C. decr. nuper cit.*

Magistri et alumni in seminario degentes tenentur ad officium ecclesiae seminario adiectae, quamvis alibi missam celebrent. *S. R. C. in Adrien. 7 sept. 1850. ad 1 et 2* (*2980*). Hinc consequenter fratribus scholarum christianarum petentibus, an eorum cappellani fixi aut sacerdotes vicem cappellanorum gerentes tenerentur ad recitationem officii proprii eisdem fratribus concessi in festo et per octavam S. Ioannis Bapt. de la Salle, Sacra Rituum Congregatio respondit, nec primos nec alteros capellanos teneri (*S. R. C. 23 ian. 1903*).

Monalium cappellani et confessarii non possunt earum officium recitare. *S. R. C. in Conimbric. 21 mart. 1795 ad 3* (*2550*).

Regulares vero, qui ad chorum tenentur, sequi debent officium illius domus, in qua morantur, etiam transeunter et ad breve tempus (*S. R. C. in una ord. Capucin. 31 aug. 1839 ad 1* [*2801*]); alii, qui nempe non tenentur ad chorum, debent sequi calendarium domus, ex qua discesserunt. *S. R. C. in una Soc. Iesu 18 sept. 1877 ad 2* (*3436*); *in una Ord. Capuc. 27 iun. 1896. ad 13* (*3919*).

Episcopus regularis debet recitare officium suae dioecesis, non vero sui ordinis. *S. R. C. 11 iun. 1605 ad 1* (*181*). — Episcopus duarum ecclesiarum cathedralium uti potest calendario alterutrius ad libitum (*S. R. C. in Valven. et Sulmonen. 17 ian. 1880* [*3508*]).

Iuverit hic addere quaesita episcopi Neoportensis in Anglia, et responsiones S. Congregationis Rituum. Sunt autem sequentia: 1° An apud Anglos in ecclesiis cleri secularis calendarium dioecesanum a laudata S. Rit. Congregatione approbatum, et singulis annis iussu ordinarii editum additis festis Ss. Titularium, Dedicationis, atque aliis (si qua fuerint) a sancta Sede concessis, censeatur calendarium uniuscuiusque ecclesiae, cui proinde quivis celebrans in sacro faciendo, atque sacerdotes ecclesiae etiam in officio divino recitando, se conformare debeant? — 2° An liceat regularibus, si quando ipsis precario committeretur una cum cura animarum administratio alicuius ecclesiae secularium, sacras functiones iuxta ordinem calendarii propriae religiosae congregationis peragere, relicto calendario dioecesano cui populus iam assuetus fuerit? — 3° An regularis, ecclesiae seculari aliquando ad tempus, sive ad beneplacitum episcopi (superiore religioso assentiente) praepositus, atque privatim recitans horas canonicas, adhibito iuxta decreta a S. Rituum Congregatione calendario proprii ordinis, teneatur nihilominus ad officium S. Titularis ecclesiae secularis praedictae, et quidem sub ritu duplicis primae classis cum octava? — 4° Item, an, commissa absque tempore praefinito administratione ecclesiae regularis sacerdoti seculari, huic liceat, amoto calendario regularium, quo hactenus usus fuerat clerus illius ecclesiae, ordinare missas et officia publica iuxta calendarium dioecesanum? - 5° Quid decernendum de calendario illorum districtuum (sive sint de iure cleri secularis, sive de iure cleri regularis), ubi, ecclesia nondum aedificata, populus ad sacra adunetur in aedificiis, nonnisi transitorie ad cultum destinatis? — 6° Quum saepenumero eveniat, vi privilegii a S. Sede concessi, canonicos ecclesiae cathedralis praepositos esse, cum cura animarum et onere residentiae, ecclesiis dissitis, nec a cathedrali dependentibus, utrum a canonico rectore huiusmodi officium divinum sit persolvendum iuxta calendarium cathedralis, vel potius iuxta calendarium ecclesiae, cui hac ratione et stabili modo sive etiam vita perdurante, ipse fuerit ascriptus? — 7° An sacerdotes assistentes, sive vicarii, teneantur in recitatione privata divini officii se conformare calendario ecclesiae, cui sunt addicti? — 8° An liberum sit canonico rectori, quamdiu hoc munere fungitur, statuere pro arbitrio calendarium cathedralis pro calendario ecclesiae et districtus missionarii, sive quasi paroeciae, cui ut supra praeest, ne scilicet missa ab officio discrepet? — 9° Utrum officium vesperarum, dominicis festisque diebus publice decantari solitum, ordinandum sit iuxta calendarium ecclesiae, in qua persolvitur, an potius concordandum cum officio privatim recitando a rectore ecclesiae, partes, ut plurimum, hebdomadarii agente? — Et Sacra Congregatio respondit: — Ad 1. Affirmative. — Ad 2. Negative. — Ad 3. Negative. — Ad 4. Affirmative. — Ad 5. Calendarium dioecesanum adhibendum. — Ad 6. Negative ad primam partem, affirmative ad secun-

dam. — Ad 7. Affirmative. — Ad 8. Negative. — Ad 9. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. *S. R. C. 4 febr. 1898* (*3979*).

2318 **De ordine recitationis.** — Ordo praescriptus, tum officiorum, tum horarum servandus est, non vero sub gravi (D'Ann. *III. 150*); et, si quid in recitatione omissum fuerit ex aliqua causa (ut si quis non habeat lectiones matutini, vel hic et nunc eas legere nequeat, Croix *Theol. mor. l. IV. n. 1309.sqq.*; Bonacina *de horis can. disp. I. q. 3. punct. IV n. 9*), potest postea suppleri. Bonacina *loc. cit. n. 7.*

Hinc qui aliud officium pro officio diei recitat, satisfacit, et si ex errore nullum (B. P. *IV. 383;* D'Ann. *III. 148*); si scienter et sine iusta aliqua causa veniale peccatum admittit. B. P. *IV. 383;* D'Ann. *III. 148.* Quum vero rationabilis quaedam causa habeatur, ut si velis cum socio recitare aliud officium habente etc., licita omnino est mutatio. B. P. *IV. 390.*

Quum vero ex errore, vel ex causa, alterius officii partem quis recitaverit, errore deprehenso, vel causa cessante (quia ex. gr. non habet amplius illum socium, quocum recitavit partem), poterit vel idem officium absolvere, vel quoad reliqua proprium officium recitare. B. P. *IV. 383. 391.* Si vero notabiliter minus officium quis recitaverit, videtur plerisque teneri ad aliquid aliud addendum. Laymann *Th. mor. lib. IV. tr. 1. c. 5. n. 5;* Suarez *de horis can. lib. IV. c. 23. n. 15.*

His, quae certissima sunt apud auctores, non contradicit decretum S. Congregationis Rituum *in Marianopolitana 27 ian. 1899 ad 3* (*4011*), ubi ad quaesitum: « An satisfacit obligationi suae clericus in ordinibus sacris constitutus, qui sponte, vel invitatus, se adiungit clero, officium ab officio ipsius clerici diversum canenti vel recitanti » respondit « generaliter negative »; tum quia non est usus, ut sancta Sedes contradicat constanti et universali doctrinae auctorum per responsionem alicuius secretariae Congregationum Romanarum, nihil de hoc ipso monendo, tum quia decretum, prout nunc iacet (nam prius responsum fuerat: *negative, secluso privilegio,* quae immutatio facta est praecise in hunc finem, ut cum communi doctrina componeretur), respicit casus, in quibus reapse iuxta omnes non satisfieret, ut ex. gr. si quis obligatus ad breviarium romanum recitaret cum socio, qui alio utitur breviario.

Ordinis horarum inversio in recitatione privata ex qualibet causa rationabili omni culpa caret (S. Alph. *IV. 170*), in publica controvertitur. Cfr. Sanchez *Cons. mor. l. VII. c. 2. dub. 42. n. 4;* S. Alph. *IV. 171;* B. P. *IV. 404.*

Notandum tamen est, quod, si quis partes officii adeo perturbaret, ut vix species divini officii superesset, is non videretur satisfacere. Cfr. Suarez *de horis can. lib. IV cap. 11 n. 7.*

De tempore recitationis. — Obligatio officii est obligatio affixa diei. G. B. *I. 1000.* Qui a media nocte ad mediam noctem integre horas recitat, semper excusatur a peccato gravi, quocumque tempore id faciat. Lehmkuhl *II. 621.* Per se tamen matutinum et laudes

ante missam (Lehmkuhl *II. 628*), vesperae, exceptis diebus ieiunii in quadragesima, et completorium a meridie (D'Ann. *III. 150*) recitari debent. Attamen obligatio haec sub levi est, et ne sub levi quidem, si vel immutatio temporis parva est, vel aliqua utilis vel honesta causa subsit, ut esset maior devotio, quies, studium, etc. S. Alphons. *IV. 173*; D'Annib. *III. 150*. Hoc autem valet etiam pro recitatione in choro. S. Alph. *IV. 171*.

Ab obligatione quoque recitandi matutinum et laudes ante missam quaelibet mediocris causa rationabilis excusat. Suarez *de euch. d. LXXXII s. 1;* Bened. XIV. *de sacr. missae lib. III. c. 13. n. 4; Const. eiusd. Ben. XIV. « Etsi pastoralis » 6 maii 1742;* S. Alph. *VI. 347;* B. P. *IV. 405*.

Matutinum et laudes recitari etiam pridie possunt sub vesperas. B. P. *IV. 407*; D'Ann. *III. 150;* Lehmkuhl *II. 625*.

Satisfacit vero recitans quocumque anni tempore hora secunda a meridie. Salmanticenses *Theol. mor. tr. XVI. c. 3. n. 15;* P. B. *IV. 408. sqq.;* D'Ann. *III. 150 (32);* Bucc. *II 153;* Mon. eccl. *vol XII. pag. 223*. Quod confirmari videtur ex novissimo decreto (*S. R. C. in Placentina in Hisp. 12 maii 1905 ad 1*) quo ad huiusmodi dubium reponsum est: « Consulantur probati auctores ». Porro sacra Congregatio optime sciebat non paucos ex probatis auctoribus hoc docere. Cfr. Mon. eccl. *vol. XVII. pag. 275. sqq.* Hoc tamen anticipandi privilegio numquam quis uti tenetur. G. B. *I. 1071*.

In choro autem, sine speciali indulto hora secunda a meridie recitatio matutini diei sequentis fieri nequit. *S. R. C. decr. cit. 12 maii 1905 ad 2.*

De modo recitationis. — Pronuntiatio in recitatione debet esse vocalis, integra, continuata (G. B. *I. 1031*); sed non est necesse, ut recitans se audiat. B. P. *IV. 394*. 2320

Quaelibet causa rationabilis sufficit ad horam interrumpendam (Croix *Th. mor. lib. IV. n. 1306*; Salmant. *Th. mor. tr. XVI. c. 3. n. 3*); quare ex levi quadam causa posset quis hodie matutinum absolvere coeptum pridie (S. Alph *IV. 168*, D'Ann. *III. 150* [*35*]), imo sine causa matutinum a laudibus (S. Alph. *IV. 167*) et nocturnum a nocturno per tres horas (B. P. *IV. 403*), ac ex iusta causa etiam per maius tempus separari possunt (G. B. *I. 1035*), imo quaelibet causa rationabilis sufficit ad licitam interruptionem; et quamvis interruptio posita sit ob non iustam causam, nihil per se necessario repetendum est, etiamsi interruptio facta fuerit in medio psalmo. Bucc. *II. 144*.

Recitari possunt horae cum quocumque socio etiam distracto (Croix *Th. mor. lib. IV. num. 1295*, G. B. *I. 1038. 9°*); sed modo praescripto, idest alternis (non ternis, si duo sint socii) vicibus. D'Ann. *III. 151*.

Post matutinum, si separatur a laudibus, dicenda est oratio diei (*S. R. C. in. Marianopolitana 18 maii 1883 ad 2* [*3574*]) et postea *Dnus. vobis cum etc., Fidelium animae etc. S. R. C. 1 febr. 1886* (*3653*).

Recitandae praeterea sunt horae attente et devote; probabilius sufficit attentio externa. Laymann *Th. mor. lib. IV. tr. 1. c. 5. n. 10;* cfr. Croix *Th.*

mor. lib. IV. num. 1342. Vid *Attentio, Distractio.*

Recitandae insuper sunt ad satisfaciendum obligationi lingua latina. Quare sacerdos, qui nocte nativitatis Dni officium eiusdem diei ex breviario romano, aut die commemorationis omnium defunctorum eorum officium cum populo vernacula lingua recitasset, teneretur adhuc sub gravi idem officium recitare; idem dicas de litaniis sanctorum diebus Rogationum. *S. R. C. in Tergestina et Iustinopolitana 3 iul. 1904 ad 3.*

Recitari autem horae possunt quocumque in loco (S. Alph. *IV. 179*), et quocumque situ (B. P. *IV. 429*; G. B. *I. 1019. sqq.*), ut quis satisfaciat. Rubricae vero, quae stare, genuflectere etc. iubent, ad chorum pertinent. Cfr. *decr. S. R. C. in una Marsorum 12 nov. 1831. ad 40* (*2682*); D'Ann. *III. 150* (*36*); G. B. *I. 1021.*

In choro ita debent horae recitari ut ad asteriscum psalmorum chorales pausam facere omnino teneantur, non obstante quacumque in contrarium consuetudine. *S. R. C. in una S. Iacobi de Chile 9 iulii 1864* (*3122*); *in Senogallien. 4 mart. 1901.* Si quando insufficiens habeatur choralium numerus, dummodo organa non sileant, possunt psalmi ita alternatim dici, ut versus alter concinatur a choro, alter vero recitetur sub organo, clara ac distincta voce ab uno e mansionariis. *S. R. C. decr. cit 4 mart. 1901.*

2321 ***De cessatione huius obligationis.*** — **De causis excusantibus a recitatione.** — Sunt et causae excusantes ab horarum recitatione; nempe impossibilitas, grave incommodum, urgens et necessaria occupatio. Hinc:

a) Excusantur illi, qui breviarium non habent (S. Alph. *IV. 159*), vel qui caeci sunt (Suarez *de horis can. lib. IV. c. 28 n. 7 sqq.*; Laymann *l. c. cap. 6. n. 1*); attamen, si hi memoriter dicere possint vel integrum officium, vel unam horam (non autem psalmos disgregatos, quia sic non habetur amplius officium divinum, Suarez *de horis can. lib. IV. c 28. n. 10*), hoc ipsum recitare tenentur; dummodo haec recitatio memoriter facta non nimiam afferat defatigationem. Praeterea non tenentur hi, ex. gr. caeci, memoriae mandare ea, quae nesciunt. S. Alph. *IV. 158.* Si quis autem non habet breviarium, ex quo legat officium proprium, ex. gr. de sancto, sed aliud habeat breviarium, ex quo legere possit officium de communi vel de feria etc., ab onere recitandi non liberatur. D'Ann. *III. 152* (*42*). Imo, si, vel carentes breviario, vel caeci, recitare valeant officium cum socio, quem gratis (B. P. *IV. 367*) et commode, quin illum cum anxietate et sollicitudine requirant (Salmanticenses *Th. mor. tr. XVI. c. 3. n. 44*; Suarez *de horis can. lib. IV. c. 28. n. 16*), ipsis invenire est, eo adhibito, debent horas recitare. S. Alph. *IV. 158.*

b) Excusantur oculis caligantes (Salmanticenses *l. c. c. 3. n. 39*); morbo laborantes, etsi levi, dummodo ex recitatione grave incommodum vel certo, vel etiam probabiliter sit secuturum (S. Alph. *IV. 514*); convalescentes, qui nempe ex recenti morbo convaluerunt, nec satis firma adhuc valetudine utuntur, etsi interea missam

celebrent (B. P. *IV. 369. 2°*), quamvis, si missam non celebrarent, officii recitationi possent satisfacere (Lehmkuhl *II. 638. 3*). In dubio, an infirmitas sit gravis, an grave incommodum ex recitatione sit secuturum etc., si dubium non sit pure negativum, excusatur quis a breviario recitando (S. Alph. *IV. 154;* B. P. *l. c. 3° 4° 5°*); quamvis melius se accommodet iudicio medici vel prudentis viri. Infirmus, qui certus est, se non posse recitare officium integrum, dubitat autem, an possit partem, probabiliter ad nihil tenetur; res enim esset secus scrupulis quam maxime obnoxia, quae exinde maximum infirmo afferret incommodum. S. Alph. *IV. 154. 4.* Attamen nunquam excusat levis quaedam infirmitas, ut levis dolor capitis, febricula, etc. Salmanticenses *l. cit. cap. 3. num. 35.*

c) Excusantur illi, qui coguntur graviorem quamdam obligationem obire, quam pratermittere vel differre non possunt sine gravi damno suo (ut si quis studiorum periculum facere [S. Alph. *IV. 158*], vel publice legere magno et inusitato quodam apparatu deberet [Suarez *de horis can. lib. IV. c. 28. n. 35;* Salmanticenses *l. c. c. 3. n. 37*], vel extraordinariam quamdam concionem habere [S. Alph. *IV. 156*]), vel aliorum (ut, si oporteret confessiones, audire, ad infirmum accurrere sedare iurgia etc. [G. B. *I. 1043*]). Sua, rez *de horis can. l. IV. c. 28 n. 34. sqq.*; Salmanticenses *l. c. c. 3 n. 37.* Causa studii ordinarii a recitatione horarum non excusat. Cfr. *prop. 21am damn. ab Alex. VII decr. diei 24 sept. 1665.* Omnes autem illi, qui ab horis dicendis excusantur, si non valentes totum officium recitare, possint tamen recitare partem, hanc ipsam partem, ex. gr. parvam horam dicere tenentur. Cfr. *prop. 54am damn. ab Inn. XI. decr. diei 2 mart. 1779.;* B. P. *IV. 373.*

De dispensatione ab hac obligatione. — Potest quis etiam *dispensatione* legitimi superioris a breviario recitando eximi. Hanc autem dispensationem valide etiam sine iusta causa, licite ex causa iusta unus romanus Pontifex dare potest (D'Ann. *III. 153*), qui hanc ipsam dispensationem per Sacram Congregationem Concilii concedere solet, sed ex iusta causa, et ordinarie substitutione facta aliarum precum. *Const.* Ben. XIV « Gravissimum » *26 nov. 1745 § 5.* 2322

Episcopi vero tunc possunt dispensare a recitatione breviarii, quum etiam in aliis legibus iuris communis dispensare possunt. Vid. *Dispensatio.*

cc. 1. 9 de celebr. miss. et sacr. euch. et divinis officiis X. (III. 41); cc. 1. 2 eiusd. tit. (III. 14) in Clem.; Const. Leonis X « Supernae dispositionis » 5 maii 1514; Const. Pii V « Quod a nobis » id. iul. 1568; Const. Pii V « Ex proximo » 12 kal. oct. 1571; Const. Ben. XIV « Cum semper » 19 aug. 1744; Const. Ben. XIV « Eo quamvis » 4 maii 1745; Ben. XIV Inst. eccl. 24, 107.; *Isidorus Hispalensis* De ecclesiasticis officiis; *Rosilius* Ordinationes divini officii totius anni; *Bebelius Henricus* Historia horarum canonicarum de pluribus sanctis vario carminum genere contexta; *Iodocus Clichthovaeus* Elucidatorium ecclesiasticum seu explanatio in hymnos et cantica ecclesiastica, officium et prosas; *Marcellus Corcyrensis* Rituum ecclesiasticorum sive sacrarum caeremoniarum s. Rom. Eccl. libri tres non

antea impressi; *Friscus M.Ant.* Rubricarum expositio pro divinis officiis ac missis celebrandis secundum ordinem Romanae Curiae; *Ioannes Cochlaeus* (*Ioannes Dobnek*) Opusculum de modo orandi antiquo; *Ioannes Cochlaeus* Speculum antiquae devotionis circa missam et omnem alium cultum Dei; *Anon.* Tract. directorii horarum canonicarum et exercitatorii vitae spiritualis; *Anon. ex O. S. B.* Tract. de horis canonicis; *Sandoval Bernardin.* Tratado del oficio ecclesiástico canónico; *Francolinus Marcellus* De tempore horarum canonicarum; *Michael Timotheus Ariminensis* De divino officio; *Durantus I. S.* De ecclesiae catholicae ritibus; *Hittorp Melch.* De catholicae ecclesiae divinis officiis ac ministeriis varii vetustorum fere omnium ecclesiae patrum ac scriptorum libri; *Agricola Fr.* De lectione horarum canonicarum; de lectione sacrae scripturae eiusque interpretibus orthodoxis; *Michael Timotheus Ariminensis* Dilucidatio in hymnos ecclesiasticos fere omnes; *Bonartius O.* De institutione, obligatione et religione horarum canonicarum libri tres; *Rubeus I. B.* Novum rationale divinorum officiorum; *Gavanto B.* Thes. sacrorum rituum sive commentaria in rubricas missalis et brevarii romani; *De Herrera Aug.* Origen y progreso del oficio divin y de sus observancias catholicas desde el siglo primero de la Iglesia al presente; *Allatius Leo* De libris et rebus ecclesiasticis graecorum; *de Bustamante de la Camara Joann.* Rubricas del oficio divino; *Bonartius O.* De horis canonicis et de sacros. missae sacrificio; *Guyet* Heortologia; *Fermosinus N. R.* De officio et sacris ecclesiae; *Bona Card. I.* De divina psalmodia eiusque causis, mysteriis et disciplinis deque variis ritibus omnium ecclesiarum in psallendis divinis officiis tract. historicus symbolicus asceticus; *Neusser Bruno* De horis canonicis; *Macri Dom.* Hierolexicon; *Joly J.* De reformandis horis can.; *Thomassin L.* Des fêtes de l'église; *Mabillon I.* De liturgia gallicana; *Thomassin L.* Traité de l'office divin; *Bissus Bern.* Hierurgia seu rei divinae peractio; *Thomassin L.* Vetus et nova ecclesiae disciplinae; *Martène E.* De antiquis ecclesiae ritibus; *Mazzei Io. Andr.* Methodus sacerdotalis circa missam et divinum officium; *Lohner Tob.* Instructio practica de horis canonicis iuxta rubricas breviarii romani recitandis; *Pisart Henr.* Directorium canonicum sive rubricarum breviarii romani interpretatio; *Cerrachini Lucas Ios.* Dubbi sopra le rubriche del messale e del breviario romano; *Grancolas I.* Comment. historicus in romanum breviarium; *Macchietto Fr.* Comm. historico-theologicus de divino officio; *Tommasi I. M.* Opera omnia; *Amort E.* Vetus disciplina canonicorum regularium et saecularium; *Stefanucci Hor.* In tit. 41 lib. III Decr. de celebratione missarum et divinis officiis dissertationis canonicae pars prima de horis canonicis; *Collet Petrus* Examen et resolution des principales difficultés qui regardent l'office divin; *Gerbert Mart.* Principia theologiae liturgicae quoad divinum officium etc.; *Pianacci Giov. Pellegr.* Dell'officio divino trattato istorico-critico-morale; *Declo Tomm.* Dichiarazioni di tutto ciò che vi ha o difficile da intendersi o più interessante in ogni parte del breviario romano dal principio sino alla fine; *Zaccaria Fr. Ant.* Bibliotheca ritualis; *Tetamo* Comm. in breviarium; *Zazzera Ph.* Ecclesiae rituum divinorumque officiorum explicatio; *Geiger* Ueber das Brevier; *Widmann* Ueber den moralischen Nutzen des Breviergebetes; *Newman* On the Roman Breviary; *Binterim Ant. Jos.* Vorzüglichste Denkwürdigkeiten der katholischen Kirche (vol. 4 e 5); *Schwinghaimb* Ueber das Brevier mit Berücksichtigung der dagegen erhobenen Einwendungen; *Allioli* Ueber die innern Motive der canonischen Horen und ihren Zusammenhang; *Probst Fr.* Brevier und Breviergebet; *Schu* Die biblischen Lesungen in Officium und Messe; *Schu* De horis ca-

nonicis diatriba; *de Roskovány A.* Coelibatus et breviarium; *Janner* Das Officium unius martyris; *Bacuez* Du saint office considéré au point de vue de la piété; *Guéranger P.* Institutions liturgiques; *Duchesne L.* Le liber pontificalis; *Pleithner F. X.* Aelteste Geschichte des Breviergebetes; *Bole* Die heilige Messe und das Breviergebet; *Duchesne L.* Les origines du culte chrétien; *Baeumer S.* De officii seu cursus romani origine; *Baeumer S.* Beiträge zur Geschichte des Breviers *Schober G.* Explanatio critica editionis breviarii romani quae a S. R. C. uti typica declarata est; *Batiffol Pierre* Histoire du breviaire romain; *Baeumer S.* Geschichte des Breviers; *dom Plaine* De veris breviarii romani originibus et prima eius forma; *Nilles* Kalendarium utriusque ecclesiae.

Hospitale. — Vid. *Nosocomium.*

Hospitalitas. — Vid. *Monialis.*

2123 **Hostia.** — Eam non enormiter fractam, vel maculatam consecrare, secluso scandalo, si fiat sine notabili causa, est veniale tantum. S. Alph. *IV. 204.* Post oblationem vero semper licite consecratur, dummodo non ita evidenter fracta appareat, ut populo scandalum esse possit; quia tunc alia hostia esset accipienda et offerenda, illa vero hostia, cuius oblatio iam facta erat, post ablutionem esset sumenda. Rubr. gen. miss. *de defectibus in cel. miss. occurr. tit. X. n. 9.*

Si sacra hostia deciderit, reverenter colligenda est, et postea, loco inspecto, ne aliquod fragmentum maneat, locus interim purificatorio vel palla tegendus, postea vero abluendus est. Rubr. gen. miss. *l. c. num. 15.* Hoc tamen, quoties fieri potest sine magna admiratione populi, ut esset, si in vultum, barbam, aut vestes communicantis ceciderit.

Imo si deciderit in sinum, vel intra vestes mulieris, nec decens esset, ut sacerdos illuc manus admoveret, mulier ipsa hostiam sacram accipiat, et deinde, adhibito vasculo purificationis, digitos abluat. De Herdt *Sacrae lit. praxis II. 188.* Cfr. Rubr. gen. miss. *l. c. n. 15,* ubi praescriberetur etiam abrasio loci, in quo decidit, sed haec nostra aetate, in qua ecclesiae pavimentum marmore vel lapidibus, non autem lateribus, plerumque stratum est, ab usu recesisse videtur. Vid. *Eucharistia.*

Plures particulae uni communicanti vel una maior, devotionis gratia, dari nequeunt. *S. C. C. 12 febr. 1679, decr. appr. expresse ab Inn. XI.* Vid. *Eucharistia.*

Ne hostiae consecratae corrumpantur, ciborium certo renovandum est interdum, et ex Benedicto XIV (*de sacr. missae Ap. III. § 6 n. 4*) singulis octo, vel saltem quindecim diebus. Particulae recentes esse debent. Cfr. *decr. S. R. C. in Gandaven. 16 dec. 1826 ad 1 (2650).* Incuria parochorum et aliorum in hoc potest aliquando pertingere ad grave peccatum. G. B. *I. 126.*

Servanda est consuetudo circa usum imprimendi vel non imprimendi imaginem crucifixi in hostiis. *S. R. C. in Imolen. 26 apr. 1834 (2714).*

Hyperdulia. — Hyperdulia dicitur 2124 cultus, qui B. M. Virgini tribuitur. Cfr. Haine A. *De hyperdulia eiusque fundamento.*

Hypnotismus. — Eum definire dif- 2125 ficile nimium est, quum in eius defi-

nitione ne hypnotologi quidem ipsi concordent. — Dividitur in hypnotismum *spontaneum*, qui veluti ex improviso et independenter a cuiuscumque voluntate exsurgit; et in hypnotismum *artificialem*, qui, mediante certa quadam causa plus minusve ab humana voluntate dependente, oritur.

Hypnotismi gradus triplex: lethargus, catalepsis, sonnambulismus qui gradus aliquando simul uniti (*grande ipnotismo*, vel iuxta alios *magnetismo animale*), aliquando unus ab aliis seiunctus (*piccolo ipnotismo*, vel iuxta alios *fachirismo*) in hypnotizatis inveniuntur.

2326 *Lethargus* suos quoque habet gradus, quos alii, ut Lapponi, ad duos reducunt. — Alter tunc habetur, quum hypnotizatus quodam sopore in corporis membris tenetur, manente in organis sensoriis et in internis potentiis naturali activitate. Quare, qui in hoc lethargi statu invenitur, percipit quidem quae circa eum fiunt, sed suos internos sensus aliis manifestare nequit (*letargia lucida*); eorum vero, quae in lethargo acciderunt, vigilans quoque recordatur. — Alter lethargi status tunc habetur, quum ille, qui sopore oppressus iacet, vel ea, quae fiunt circa se, remissius advertit, eorumque vigilans memoriam non retinet, vel etiam in lethargo haec omnia non advertit, una retenta maiori minorive communicatione cum hypnotizante (*letargia ordinaria*).

2327 *Catalepsis* et ipsa suos habet gradus, quibus distinguitur in catalepsim *simplicem*, in catalepsim *fascinationis*, in catalepsim *exstaticam*. In simplici catalepsi, is, qui eam patitur, immobiliter manens, vel nullam, vel minimam retinet excitabilitatem musculorum reflexam, quam vocant. Artus quam maxime leves facti omnibus, qui ipsis imprimuntur, motibus aptantur, et ex iis habitum, etsi incommodum valde, situm diu retinent. Facultates hominis internae in gravi inertiae statu reperiuntur, haec tamem inertia minor est, quam in lethargo. Quod ad sensus attinet, catalepticus incapax absolute est physicum dolorem experiri; attamen non omnino deperdit activitatem aliorum sensuum, nec tactum resistentem seu resistentiae, quem dicunt. Hinc est, quod cum catalepticis aliqua est possibilis communicatio aliis, quae optime fit per immutationes musculorum; quare, si quis cataleptico manum constringit in speciem minitantis, catalepticus in toto reliquo corpore, in facie praesertim, imaginem minitantis induit. — Si quando activitas visiva activitati musculorum praevalet in cataleptico, ita ut quacumque ratione possit quis cataleptici attentionem erga se vel alium excitare, haberi dicunt catalepsim fascinationis, quae communi superaddit excitationem motricem ex perceptionibus visivis exortam, iisque respondentem. Hinc catalepticus in hoc statu motus hypnotizantis imitatur et pueriliter refert. Aliquando sui status non omnino inconscius est, quia eorum, quae tunc fiunt, vigilans postea recordatur, sed fatetur, se ad eos motus ponendos fuisse necessitate ineluctabili ductum. — Aliquando in statu cataleptico maiorem quis retinet suarum actionum conscientiam et recorda-

tionem, quibus coniungitur extraordinaria quaedam et exaggerata activitas et superexcitatio phantasiae; tunc habetur catalepsis exstatica, seu catochus, quam alii vocant.

2328 *Somnambulismus* innumera prope phaenomena habet: principaliora sunt: extraordinarium quoddam incrementum vis muscularis, sensuum, praesertim aciei videndi, insolita acuitas (sic hypnotizatus in hoc statu minima affulgente luce, oculis semiclausis, minutissimos quosque characteres legit), transpositio sensuum (sic videt occipite, pede olfacit, etc.), communicatio affectionum corporis (sic patitur interdum languores et morbos, quibus affectus est hypnotizans, vel alius cum ipso hypnotizato confabulans), quasi plena potestas hypnotizantis in corpus hypnotizati (sic is premitur fame, siti, plorat aut ridet, sensuum usum amittit, aquam bibit existimans esse meracissimum vinum, quemadmodum hypnotizans ipsi dixit, quamdam speciem paralysis induit quando et quousque hypnotizans voluerit). Praeterea in hoc statu suae phantasiae et corporis potestatem non amplius hypnotizatus, sed hypnotizans habet; quare is potest ab hypnotizati memoria quaecumque delere, quae vult, ipsam quoque sui nominis, sexus, conditionis recordationem, et aliam a vera persuasionem circa haec inducere, ita ut hypnotizatus senex putet se puerum, vel vir feminam, aut etiam brutum, et suis actibus eam personam gerat, quam esse ex voluntate hypnotizantis putat.

2329 In his tribus statibus, praesertim in somnambulismo, aliud quoque maxime singulare phaenomenum locum habet, *suggestio* scilicet. Ea est insinuatio cuiusdam ideae, cuiusdam desiderii inspiratio, vel etiam imperium alicuius rei perficiendae, sive durante adhuc statu hypnotico, sive post ipsum, imo post certum etsi longum tempus ab ipso (*suggestioni a scadenza*); quae omnia hypnotizatus ineluctabiliter perficiet. Si suggestio circa quaedam delicatiora versatur, ordinarie accidit, ut hypnotizatus eam reiiciat instinctivo quodam horrore ductus, quem in eius phantasia ipsa excitat. Tunc vel nullum, vel partialem tantum effectum suggestio habet. Ut autem suggestio effectum sortiatur, necesse est, ut aliquod signum sensibile intercedat, quo communicetur; nam suggestionis pure mentalis exemplum nullum certum occurrit. Aliquando hypnotizatus sibimetipsi suggestionem facit, proponens nempe, ut dato tempore rem quamdam faciat (*auto-suggestione*). Eam stato tempore de facto perficiet; hinc hypnotizatus aliquibus visus est futura praevidere. Fuerunt qui hypnotismo et alia tribuerunt phaenomena, ut invisibilium conspectum, eorumque aliis manifestationem; ignotorum, praesertim diversarum linguarum, cognitionem (*clara intuitio* seu *chiaroveggenza*). Sed iuxta alios vel non sunt ita certa, ut possint sine dubitatione admitti; vel hypnotismi naturam praetergrediuntur, vel intra quosdam tantum limites admitti debent, intra quos naturali ratione explicantur. Sic puella quaedam latine locuta dicitur, quae latinam linguam ignorabat omnino; sed quidam illa eadem, ipsa audiente,

aliquando recitaverat, eaque in statu hypnotico, phantasia superexcitata, recordata est, et recitavit. Non raro hypnoptismus spiritismo coniungitur; exinde *hypno-spiritismi* phaenomena exsurgunt.

2330 Quoad naturam hypnotismi varii varia opinantur. Nonnulli putant, rem agi in omnibus, vel fere, omnino praeternaturalem. Alii omnia, quae ad merum hypnotismum spectant, naturalia esse contendunt, multosque inveniri dicunt similes effectus in aliis morbis et remissiore quodam modo in ipso sanitatis statu. Sic clar. D. Iosephus Lapponi (in suo opere « Ipnotismo e Spiritismo, Roma, 1897 » *p. 143. 156. 159. 214*) dicit, hypnotismum non esse, nisi manifestationem quamdam clinicam isterismi, seu quemdam statum morbi in centris nervorum, singularem quidem, sed intra naturae limites. Cui claro rei medicae perito sic opinanti in non paucis praeiverat clar. D'Annibale (*II. 53* [*]), qui iam scripserat, se putare ex naturalibus causis prodire posse ipsam sensuum transpositionem, et visionem vel sine ope oculorum, vel per opaca corporum interiecta, imo et rerum procul positarum, dummodo hae non ita ab hypnotizato essent remotae, ut nec ipsius anima in eas, nec ipsae in eius animam agere possent. Hinc idem D'Annibale (*l. c.*) dicit, uti magnetismo seu hypnotismo ad somnum excitandum et ex eo crisim, valetudinis curandae causa, remota omni superstitione et circumstantia illicita, per se et regulariter, se non audere damnare; fatetur tamen, rem esse periculi plenam, quod et ipse Lapponi (*l. c. p. 208. n. 7*) advertit dicens, hypnotismum, qui fere semper nocivus, aliquando tamen utilis esse potest, habendum esse in censu maiorum quarumdam operationum chirurgicarum, quas ioco facere, vel ab imperitis, immorale esset, et omnino prohibendum. Adde quod, si quando hypnotismus utilis esset et adhibendus, non solum peritus, sed et catholicus optimorumque morum medicus esset advocandus.

Responsiones plures SS. RR. CC. 2331 de hypnotismo prodierunt. Has habe praecipuas: « Remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita invocatione daemonis, merus actus adhibendi media physica aliunde licita non est moraliter vetitus; dummodo non tendant ad finem illicitum aut quomodocumque pravum. Applicatio autem principiorum et mediorum pure physicorum ad res aut effectus vere supernaturales, ut physice explicentur, non est nisi deceptio illicita et haereticalis ». *S. U. I. 23 iun. 1840, 28 iul. 1847.* Eadem Sacra Congregatio S. Officii, litteris datis ad omnes episcopos, eos monuit « novum quoddam superstitionis genus invehi ex phaenomenis magneticis, quibus haud scientiis physicis enucleandis, ut par esset, sed decipiendis ac seducendis hominibus student neoterici plures; rati posse occulta, remota ac futura detegi magnetismi arte vel praestigio, praesertim ope muliercularum, quae unice a magnetizatoris nutu pendent. Nonnullae iam hac de re a S. Sede datae sunt responsiones ad peculiares casus, quibus reprobantur tamquam illi-

cita illa experimenta, quae ad finem non naturalem, non honestum, non debitis mediis adhibitis assequendum ordinantur; unde in similibus casibus decretum est feria IV. *21 apr. 1841:* Usum magnetismi, prout exponitur, non licere ». *S. U. I. 30 iul. 1856.* Vid. *Spiritismus.*

Accessit et nova responsio S. Congr. S. Officii, quam praestat referre. Scilicet propositum fuit: « N. N. artis medicae doctor, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, ut suae conscientiae consulat, humiliter petit, an liceat sibi partem habere in disputationibus, quae fiunt a societate scientiarum medicarum, de suggestionibus in cura puerorum infirmorum. Agitur non de discutiendis tantum experimentis iam factis, sed etiam de novis experimentis agendis, sive haec rationibus naturalibus explicari possint, sive non. Quare orator, ne errandi periculo se exponat, docili animo exspectat oraculum S. Sedis ». Et responsum est: « Quoad experimenta iam facta permitti posse, modo absit periculum superstitionis et scandali: et insuper orator paratus sit stare mandatis S. Sedis, et partes theologi non agat. Quoad nova experimenta, si agatur de factis, quae *certo* naturae vires praetergrediantur, non licere; sin vero de hoc dubitetur, praemissa protestatione nullam partem haberi velle in factis praeternaturalibus, tolerandum, modo absit periculum scandali ». *S. U. I. 26 iul. 1899.*

Schneid Der moderne Spiritismus philos. geprüft; *Wieser J. E.* Der Spiritismus u. das Christentum; *Gutberlet C.* Der Spiritismus; *Steudel A.* Der Spiritismus vor d. Richterstuhl d. philosophischen Verstandes; *Foret* Hypnotismus; *Bernheim* Hypnotisme, Suggestion, Psychothérapie; *Finlay* Der Hypnotismus; *Schmidkunz* Psychologie der Suggestion; *De Rochas* Les états superficiels de l'hypnose; *Haas L.* Ueber Hypnotismus u. Suggestion; *Schneider. W.* Der neuere Geisterglaube; *Moll A.* Der Hypnotismus; *De Rochas* Les états profonds de l'hypnose; *Dippel I.* Der neuere Spiritismus in seinem Wesen dargelegt u. nach seinem Werte geprüft; *Gutberlet C.* Der Spiritismus ein psychologisches Problem; *Steinbach P.* Der Hypnotismus; *Coconnier Th. M.* L'hyptonisme franc; *Schütz* Der Hypnotismus; *Janet Pierre* L'automatisme psychologique; *Méric* Le merveilleux et la science. Etude sur l'hypnotisme; *Gonzalez Herrero F.* El hipnotismo etc.; *Hélot* L'hypnose chez les possédés; *Stoll O.* Suggestion u. Hypnotismus; *Dumesnil G.* Le spiritualisme; *Lapponi* Ipnotismo e spiritismo.

Hypotheca. — Hypotheca est con- 2332
tractus, quo res immobilis creditori obligatur, ut ex illa sibi solvere possit, si debitor non solverit; indivisibilis est, et integra subsistit super omnibus bonis hypothecatis, super quocumque eorum et super quacumque eorum parte; inhaeret bonis, eaque sequitur apud quemcumque possessorem. *C. C. a. 1964.* Hypotheca effectum non sortitur, nisi publica fiat, nec potest subsistere, nisi super bonis specialiter designatis et pro certa pecuniae vi. *C. C. a. 1965.* Hypotheca sese extendit ad omnes meliorationes, nec non ad constructiones et alias accessiones immobilis hypothecati. *C. C. a. 1966.* Hypothecam recipiunt: 1° immobilia, quae in com-

mercio sunt, cum suis accessoriis, quae immobilia reputantur; 2° usus-fructus ipsorum bonorum cum suis accessoriis, excepto usufructu legali ascendentium; 3° iura concedentis et emphyteutae super bonis emphyteuticis; 4° reditus ex versuris publicis in ratione a legibus super debito publico determinata. *C. C. a. 1967.*

Triplicis generis est: legalis, iudicialis, conventionalis. *C. Ç. a. 1968. Legalis,* quae lege ipsa decreta est (confer casus, in quibus haec ex nostris legibus habetur, in articulo 1969 codicis civilis); *iudicialis,* quae competit ex iudicis sententia (quum iure nostro quaevis sententia aliquem condemnans ad solvendam quamdam pecuniae vim, ad cessionem rerum mobilium aut ad implendam aliam obligationem, quae resolvi possit in refectione damnorum, producat hypothecam super bonis debitoris pro eo, qui sententiam obtinuit, *C. C. a. 1970*); *conventionalis,* quae datur creditori pactis conventis aut testamento. D'Annibale *II. 118.*

Hypotheca dat ius in re. Cfr. *leg. 17 de pign. et hypoth. etc. D.* (*XX. 1*); *C. C. a. 2013.* D'Ann. *II. 190.*

Inscriptio, quae ex nostris legibus necessaria est ad valorem hypothecae, quia hypotheca non inscripta pro non data est, hypothecam servat triginta annis ab inscriptione, idest ius, quod ex inscriptione profluit, perit illi, qui ante tricesimum annum expletum inscriptionem non renovat (*C. C. a. 2001*), excepta hypotheca legali uxoris, quae effectum suum retinet absque renovatione, matrimonio durante, et per integrum annum a matrimonio soluto. *C. C. a. 2004.*

Quibus competit hypotheca, eam competere in utroque foro planum est; quare grave est, eos a suo iure prohibere. D'Ann. *II. 192.*

An liceat hypothecare bona ecclesiastica. Vid. *Alienatio.*

Tit. de pignoribus et aliis cautionibus X. (III. 21); Comm. Decret. in hunc titulum; *Wendini Christ.* Comm. ad tit. Pandectarum et Codicis qui potiores in pignore adeantur; *Schwarzenthaler J. B.* Tract. de pignoribus et hypothecis; *Merlini M.* Tract. absolutissimus de pignoribus et hypothecis; *Bachovi R.* De pignoribus et hypothecis; *Conradi Fr. Car.* Diss. de pacto fiduciae; *Küstuer Chr. Guil.* Diss. de pignore in causa iudicati capto; *Bauer Henr. God.* Diss. ex quo tempore tacita hypotheca pupilli bona tutoris afficiat; *Westphal* Versuch einer systematischen Erläuterung der sämmtlichen Röm. Gesetze vom Pfandrechte; *Erxleben J. H. C.* Principia de iure pign. et hypothecarum; *Runde Chr. Lud* De historia, indole ac vi remediorum securitatis, quibus iure romano prospectum est creditoribus per privilegia personalia, hypothecas tacitas et privilegia hypothecarum; *van Wessel F.* Diss. de bonis tutorum tacita hypotheca devinctis; *Guickard* Jurisprudence hypothécaire; *Favard de Langlade* Traité des privilèges et hypothèques; *Thierbach C. P. H.* Hist. iuris civilis de pignoribus; *Gesterding F. C.* Die Lehre vom Pfandrechte nach röm. Rechte; *Biben F. G.* Diss. de legali pupillorum et eorum quibus bonis interdictum est hypotheca; *Michaels van Verduynen C. A.* Diss. de hypothecis legalibus in iure romano; *Stass I. G.* De contractu fiduciae; *Hepp C. Fr. Th.* Diss. qua inquiritur ex quo tempore hypotheca bona debitoris afficiat; *Minguet M. F.* Diss. hist. iur. de pignoribus et hypothecis apud

Romanos; *Tranquilli V.* Dei privilegi ed ipoteche; *de Buchholtz A.* Qui potiores sunt in pignore; *Grenier* Traité des hypothèques [3]; *Zacharia H. A.* Comm. de fiducia; *Trotsche* Das Verpfändungsrecht des Pfandgläubigers; *Sintenis K. I. F.* Pfandrechtl. Streitfragen; *Sintenis K. I. F.* Handb. des gemeinen Pfandrechts; *Odier* Des systèmes hypothécaires; *Troplong R. Th.* Des privilèges et hypothèques; *Valette* Traité des hypothèques; *Bachofen J. F.* Das röm. Pfandrecht; *Benech* Du droit de préférence en matière de purge des hypothèques légales; *Regelsberger Ferd.* Zur Lehre von dem Altersvorzug der Pfandrechte; *Dernburg U.* Das Pfandrecht nach den Grundsätzen des heutigen röm. Rechts; *Marton E.* Des privilèges et hypothèques; *Bremer* Das Pfandrecht und die Pfandobjecte; *Eberhard* Die Verpfändung von Forderungen; *Exner* Kritik des Pfandrechtsbegriffs nach röm. Recht; *Wittelshöfer* Pfandrecht an einer Forderung; *Pacifici Mazzoni Em.* Trattato dei privilegi e delle ipoteche; *Baron* Pandekten § 184 ff.; *Le Baron* Etude sur l'hypthèque légale de la femme mariée; *Pochiutesta Felice* Dei privilegi e delle ipoteche secondo il codice civile italiano; *Bicci Alf.* Sulla surroga ipotecaria per evizione dei lucri dotali; *Chironi G. P.* Trattato dei privilegi delle ipoteche e del pegno; *André Alb.* Traité pratique du régime hypothécaire; *Cannada-Bartoli* Il sistema ipotecario italiano; *Gianturco Emm.* Studi e ricerche sulla trascrizione e sul diritto ipotecario; *Dalmbert* Traité théorique et pratique de la purge des privilèges et hypothèques [2]; *Guillonard* Traité des privilèges et hypothèques; *Bégis* Traité des hypothèques, privilèges, et nantissement; *Puchta* Cursus der Inst. B. 2 § 246 ff.; *Donelli* Comm. ad Cod. lib. VIII tit. 14-35; *Donelli* Comm. iur. civ. lib. IX. c. 20.

I

2333 **Iactantia.** — Iactantia de peccato commisso revocatur ad gaudium, et induit omnes malitias specificas peccati commissi. G. B. *I. 168.*

2334 **Idololatria.** — Idololatria est actio, qua cultus soli Deo debitus tribuitur creaturae; revocatur ad superstitionem. Duplex distinguitur: materialis seu simulata, formalis et propria; vel melius, perfecta vel imperfecta. Semper est peccatum mortale, nisi ex errore invincibili procederet. G. B. *I. 263.*

Quaesitum est a S. Congregatione de prop. Fide: « Christiani, qui emunt territoria, supra quae idola sunt aut parva idolorum oratoria, possuntne monere gentiles, quorum prius erat territorium, e territorio tollere, ipsisque recusantibus, tenenturne confringere illa et destruere? » Et S. Congregatio respondit: « Quum territoria venduntur, videtur, quod cum fundi dominio in emptorem transferatur etiam ius ac proprietas idolorum aut oratoriorum idolis dedicatorum, quae in fundo sita sunt. Si res ita se habet, tenetur christianus idola tollere ac oratoria destruere, vel in aliam formam ac usum ita redigere, ut nulla

amplius species appareat oratorii idolis consecrati, et omnis superstitiosi cultus removeatur occasio. Monere autem gentiles, ut ipsi idola tollant, ac oratoria destruant, nec turbarum excitandarum periculo vacat, nec iustum est, ut quae idola per se potest christianus evertere, permittat paganis alio transferre ac profano cultu adorare. Si vero idola ac oratoria huiusmodi, quamvis in privatorum territoriis constituta, publici iuris ac sub principis potestate sunt, tunc non licet christianis ea tollere ac destruere; et potius abstineant ab iis territoriis emendis, in quibus profana haec simulacra, ac oratoria reperiuntur ». *S. U. I. ad vic. ap. Sutchuen. 20 aug. 1778; S. C. P. F. ad vic. ap. Tunk. Occ. 8 ian. 1851.*

2335 **Ieiunium.** — **De ieiunio ecclesiastico.** — ***De eius natura.*** — **Quaenam ecclesiasticum ieiunium constituant.** — Ieiunium situm est in abstinentia a cibis et a certa ciborum qualitate iuxta formam ab ecclesia praescriptam. Laymann *Th. mor. lib. IV. tr. 8. c. 1. n. 2 sqq.*

Tribus *constat:* unica comestione; abstinentia a carnibus et lacticiniis; tempore ad refectionem sumendam determinato. B. P. *II. 1104 sqq.* Nota autem iuxta D'Annibale (*III. 130*) ex his in recenti ecclesiae disciplina primum constituere partem ieiunii essentialem (hinc et illi ieiunare dicuntur, qui ab abstinentia dispensati unicam in die faciunt comestionem), alterum integralem partem tantum, tertium esse quamdam ieiunii circumstantiam accidentalem. Lessius *de ieiunio c. 2. n. 13;* Salmanticenses *Theol. mor. tr. XXIII cap. 2. n. 10.*

De singulis quae pertinent ad ieiunium ecclesiasticum. — **De unica comestione.** — Quoad unicam comestionem permissam nulla quantitas est determinata; imo, etsi quis temperantiam in ea laederet, non tamen violaret legem ieiunii. Lehmkuhl *I. 1212. 3.* Ut vere unica comestio maneat, debet non esse interrupta, quamvis aliqua interruptio ieiunio non officiat. Scilicet interruptio levis omni culpa caret, etiamsi absque ratione fiat; gravior, ex. gr. unius horae, sine ratione non caret levi culpa; valde notabilis non potest excusari a peccato gravi. Cfr. B. P. *II. 1119.* Hinc qui post interruptionem valde notabilem revertitur ad comedendum, etsi reversurus discesserit (nam intentio, ut patet, rerum naturas non mutat) ieiunium frangit. Confer D'Ann. *III. 131. 10.* Attamen qui ex aliqua causa a mensa, nondum sufficienter pransus, recesserit, et nequeat secus ieiunium sustinere, si serius revertatur, potest iterum manducare. S. Alph. *III. 1020;* D'Ann. *III. 131.* 2336

Nota autem, eum, qui semel ieiunium fregit quoad quantitatem (quoad qualitatem non item, quia haec est lex negativa, quae obligat semper et pro semper, Salmant. *de ieiun. p. 2. § 1. n. 29;* S. Alph. *III. 1030;* Monit. eccl. *vol. XVIII. pag. 84. n. 13*), sive ex malitia sive ex inadvertentia, posse ea die pluries manducare, quin peccet. Cfr. B. P. *II. 1104. sqq.* Si quis autem etiam inadvertenter mane plus manducavit, quam frustulum permissum, debet postea, in quantum

potest, ieiunium servare, abstinendo a refectiuncula vespertina, vel a prandio. B. P. *l. c.* Parvae comestiones, quae praeter unicam permissam fierent, essent veniale peccatum, sed saepe repetitae per diem coalescere possunt in mortale. Confer *proposit. 29 ab Alex. VII damn. decr. diei 18 mart. 1666;* Lehmkuhl. *I. 1213.*

Non frangitur vero ieiunium haustu earum potionum, quae communi usu adhibentur ad sitim sedandam, et probabilius (nam intentio utentis non mutat naturam rei; sic ille quoque ieiunium violaret, qui ad extinguendam sitim lac biberet, D'Annibale *III. 131. 6*) etiamsi hauriantur ad famem sedandam. Laymann *l. c. c. 1. n. 7;* Salmanticenses *l. c. c. 2. n. 56;* S. Alph. *III. 1022.* Hinc probabilius non frangit cafaeum (D'Ann. *III. 131. 6*), thea (Croix *Th. mor. l. 3. p. 2. n. 1292*), chocolatum, si sit in modica quantitate (Salmanticenses *l. c. c. 2. n. 62*); imo degustare aliquid cibi, ne potus noceat, semel saltem aut iterum in die, permittitur. S. Alph. *III. 1018.* Medicinae vel potus instar ex D'Annibale (*III. 131*), sunt electuaria (*conserve*), quippe digestiva; si quis tamen ex his aliquid ultra necessitatem sumit, illud sumere quasi cibum videtur, quare ieiunium violat. S. Th. *2. 2. q. 147. a. 6. ad 3.* Non item si qua iusta causa id facit, ut ad vocem conservandam etc. S. Alphons. *Hom. ap. tr. XII. n. 11.* Imo ex G. B. (*I. 493 5°*), si quis, hoc tantum adhibito praesidio, posset ferre ieiunium, obligaretur aliquod horum sumere, ut ieiunare posset. Cfr. Croix *Th. mor. l. c. n. 1325.*

Praeterea licet ex consuetudine sumere sub vesperam refectiunculam; et in ea iuxta antiquiores quosdam, ut Busembaum etc., sumi possunt octo circiter cibi unciae (circiter 240 gramm.) vel quarta pars prandii ordinarii Cfr. B. P. *II. 1123.*

Excessus duarum unciarum in refectiuncula est levis. Salmanticenses *l. c. c. 2. n. 72;* S. Alph. *III. 1025.* Notandum autem est, tum quantitatem, tum qualitatem ciborum in refectiuncula sumendorum ex consuetudine esse deducendam. Cfr. S. Alph. *III. 1025;* B. P. *II. 1122.*

Permissum etiam est mane frustulum panis, quod cum potu cafaei, chocolati, etc. sumi potest, dummodo ne cum saccharo duas uncias excedat. S. Alph. *III. 1023;* D'Annib. *III. 134.* Cfr. *resp. S. Poen. 21 nov. 1843.*

De abstinentia diebus ieiunii praescripta. — Praecipitur etiam diebus ieiunii abstinentia a carnibus et lacticiniis (S. Alph. *III. 1005.* cfr. etiam *prop. 32 ab Alex. VII damn. decr. diei 18 mart. 1666;* Vid. *Carnes*); verum in praesenti disciplina fere semper et ubique generalis quaedam dispensatio quoad hoc conceditur. Lex tamen abstinendi a lacticiniis non obligat, nisi in quadragesima, de iure communi. Cfr. *can. 6. dist. 4;* Laymann *l. c. c. 1 n. 3;* Sanchez *Consilia mor. lib. V. c. 1. dub. 20. n. 2;* S. Alph. *III. 1009.* 2337

Dispensatis ad carnes diebus ieiunii pisces (etiam sale siccatos, *S. Poen. 10 ian. 1834*) in eadem refectione comedere est interdictum (*Const.* Ben. XIV « Non ambigimus » *30 maii 1741;* et *Const.* « Libentissime » *10 iun.*

1745); idem dicendum de iis, qui, etsi iam ad abstinectiam teneantur, ad unicam tamen comestionem non tenentur, ut iuniores. *S. U. I. 24 mart. 1841; 23 iun. 1875.* At si quis non carne, sed iusculo tantum vel alio cibo cum carne cocto uteretur, posset edere simul pisces. *S. Poen. 8 febr. 1882.*

Pariter non est interdictum vesci carne et simul aliquo obsonio embammate (*salsa*) ex piscibus condito. *S. Poen. 14 iun. 1880.* Génicot (*Theol. mor. I. 432*) quaestionem etiam movet, an liceat diebus ieiunii et abstinentiae manducare eam substantiam quae gallice «peptone» audit. Et dicit, eos, qui ipsam manducant, non videri inquietandos; «nam quamvis ista (peptone) vim carnis nutritivam praebeat, tamen caret ea delectatione, ob quam homines carnes appetere solent, et potius inter medicinas, quam inter cibos, locum vindicat. Quare non est collocanda inter eas carnes, quas prohibeat lex ecclestiastica, quae potius externam speciem et gustum, quam originem attendit». Quae sententia eiusque ratio omnino improbanda videtur, nisi forte, quod tamen non videtur dicendum ex contextu, auctor loquatur de «pepsina», non autem de extracto carnis, ut dicitur. Cfr. Mon. eccl. *Volum. XII. p. 124.*

Excusati (non vero dispensati) a lege ieiunii, seu unicae comestionis, licite possunt iis quadragesimae diebus, quibus usus carnium per indultum permissus est, toties carnibus vesci, quoties per diem edunt. *S. Poen. 16 ian. 1834; 16 mart. 1882; S. U. I. 31 mart. 1896.*

Iidem, qui a ieiunando proinde abstinent non ratione dispensationis, sed quia ob infirmitatem lege ieiunii non tenentur, ii possunt etiam permiscere carnes et pisces (*S. Poen. 9 ian. 1899*; B. P. *II. 1114*; Génicot *l. c. I. 434*); quod non valet, ut diximus, pro iis qui ratione aetatis ad unicam comestionem non tenentur; nullo enim modo hi infirmis excusatis aequiparari possunt (*S. Poen. 27 maii 1863*); hi enim uti possunt cibis vetitis solummodo vi indulti quod maiorem vel minorem limitationem admittit; infirmi possunt uti cibis vetitis iuxta statum propriae valetudinis et medici iudicium.

Imo iuxta quosdam (Mon. eccl. *v. XIII. p. 515. v. XXI. p. 180*) ii tantum tenentur hac lege de non permiscendis epulis, qui a ieiunando abstinent ex dispensatione a S. Sede obtenta; nam Benedictus XIV semper de casu huius dispensationis loquitur. Quare etsi deceat, episcopos et parochos in dispensando, quando haec est eis facultas, sequi praxim, qua utitur S. Sedes; si tamen iustae adsint rationes, cur dispensatio alicui indulgeatur sine restrictione de non permiscendis epulis, hoc ipsi valide et licite iuxta aliquos facere possunt. Nota tamen hanc suam sententiam iure meritoque, ut videtur, eximium auctorem citatae ephemeridis retractasse (Mon. eccl. *vol. XXII pag. 90 n. 20*) redeundo ad aliam, quam propugnaverat (Mon. eccl. *v. XV pag. 77*).

Recenter ad instantiam S. Congr. S. U. I. (*15 maii 1896*), Leo XIII concessit, ut diebus ieiunio consecratis, in quibus apostolica venia usus con-

dimentorum ex adipe indulgetur, butyro quoque per modum condimenti uti liceat. Quoad condimenta his diebus permissa vid. *Condimenta*.

2338 **De hora refectionis.** — Tertium, quod praecipitur diebus ieiunii, est hora refectionis, quae tamen utrum ad essentiam ieiunii requiratur, controvertunt doctores. Cfr. S. Alph. *Hom. ap. n. 21:* Laymann *l. c. c. 1 n. 8*; Bonacina *de praec. eccl. q. 1. p. 1 n. 6;* Salmanticenses *l. c. c. 2 n. 84.* Attamen, ut supra diximus, praesertim in recenti disciplina ecclesiae, haec praescriptio temporis ad cibum sumendum, verius omnino, non est nisi circumstantia ieiunii accidentalis. Quare licite quis potest prandium sub vesperam, et refectiunculam ad meridiem sumere. Cfr. *resp. S. Poen. 10 iun. 1834; S. U. I. 29 iul. 1857; 17 sept. 1862.*

2339 ***De subiecto passivo legis ieiunii.*** — Ad illud servandum tenentur sub gravi (cfr. *prop. 23 damn. ab Alex. VII decr. diei 24 sept. 1665*) fideles omnes a vigesimo primo aetatis anno completo (Sanchez *de matr. lib. II. disp. 24 n. 23;* S. Alph. *III. 1031*), donec sexagesimum inceperint (S. Alph. *III. 1036,* et feminae probabiliter donec ingressae fuerint quinquagesimum, cfr. Bucc. *I. 1619*); nisi legitime excusentur vel dispensentur.

2340 ***De tempore ad ieiunium servandum praescripto.*** — Tempus, quo lex ieiunii urget, non ita facile determinari generali regula potest. Antiquitus praeter ieiunium antepaschale seu quadragesimam antepaschalem, cuius institutio non immerito ab apostolica traditione repetitur, etsi tunc non ex obligatione forte susciperetur, aliae duae quadragesimae observabantur, altera ante festum Nativitatis Dominicae, altera ante festum S. Ioannis Baptistae; cuius antiquae consuetudinis vestigium quoddam manet adhuc in aliquibus ex antiquioribus regularibus ordinibus. Praeter has quadragesimas aetate Innocentii III omnium Apostolorum vigiliae fuerunt in observatione ieiunii celebrandae, praeter vigilias Apostolorum Philippi et Iacobi et B. Ioannis Evangelistae: quoniam ipsorum solemnitas intra solemnitatem paschalem, istius autem intra Natalem Domini agitur. *c. 2 de observatione ieiunor X. (III. 46).* « Sanctorum quoque vigiliae, prosequitur in citato capite Innocentius III, quorum festivitates oportet secunda feria celebrari, in praecedenti sunt sabbato ieiunandae. De festivitate vero Bartholomaei Apostoli, de cuius celebratione dubietas oritur apud quosdam, respondemus, quod in hoc consuetudinem tuae regionis observes ». Multo magis autem aliae quoque fuerunt vigiliae ieiunio celebrandae. eae scilicet quae ad principaliora festa spectabant.

Ieiunium quoque quatuor temporum antiquissimum est in ecclesia occidentali, Romae praesertim ubi iam seculo saltem quarto ieiunium primi, quarti, septimi et decimi mensis observabatur. Etiam ieiunia feriae quartae et sextae, cui postea, Romae praesertim, accessit ieiunium sabbati, usitata fuerunt in ecclesia; huius antiquissimae observantiae praxis adhuc in ecclesia orientali viget. Pridie quoque aliquorum dierum fe-

storum ieiunium fuit observatum. *Cfr. c. 14 de verb. sign. X.* (*V. 40*); *cc. 1. 2. de observ. ieiun. X.* (*III. 46*).

Etiam disciplina vigens non ita universalis est et conformis, ut generali formula comprehendi queat. « Dies etiam ex disciplina vigente a media nocte ad mediam noctem ieiunio consecrati generatim sunt: omnes dies quadragesimae, exceptis diebus dominicis; porro feria quarta, sexta, sabbatum quatuor temporum, vigiliae praecipuarum festivitatum v. gr. Nativitatis Christi Dni, paschatis, pentecostes, ss. apostolorum Petri et Pauli, assumptionis B. V. Mariae, festi omnium sanctorum ». Ita Wernz, *Ius. Decr. III. 420*, quibus in nota (*57*) addit: « Nostra aetate ob magnam disciplinae et indultorum varietatem ad praxim probatam singularum regionum est recurrendum. Etenim non pauca ieiunia vigiliarum nunc sunt abrogata aut per indultum Pii VI in certa ieiunia tempore adventus commutata ».

2341 ***De cessatione legis ieiunii.*** — **De causis excusantibus.** — Sunt et causae a ieiunio excusantes, quae reducuntur ad incommodum grave, quod propterea relate ad singulos aestimandum est; quare haec est res facti, non iuris.

Hinc excusantur illi, qui concionem habent quotidie, aut saltem frequenter, in quadragesima (S. Alph. *III. 1049*); lectores scientiarum, qui magno studio et labore indigent, non vero qui dictant lectiones iam prius ordinatas et saepius repetitas (S. Alph. *l. c.*); lectores grammaticae etc., qui quatuor in die lectiones praebeant, vel per quinque in die horas doceant (S. Alph. *l. c.*); mulier lactans, etiamsi sit robusta (Salmanticenses *l. c. c. 2 n. 126*; S. Alph. *III. 1031*; B. P. *II. 1136*); ille, qui secus nocte calefieri nequit, vel somnum, nisi admodum aegre, capere (Salmanticenses *loc. cit. c. 2. n. 125*; S. Alph. *III. 1034*); ille, qui ieiunando officio suo defungi nequit (D'Ann. *III. 136. 10*), hinc etiam verius coniux, qui debitum secus reddere non posset (Sanchez *de matr. l. IX. d. 3. n. 10*; S. Alph. *III. 1034. 4*); qui in opus valde laboriosum (cfr. *prop. 30 ab Alex. VII damn. decr. diei 18 mart. 1666*) incumbit, ut sculptores, fossores, agricolae etc. (S. Alph. *III. 1041*; B. P. *II. 1144 sqq.*, etiamsi adeo divites essent, ut possent his diebus a laborando abstinere, S. Alph. *III. 1042*; B. P. *II. 1147*); qui non habet, unde sumat unicam congruam refectionem (Lessius *de ieiunio c. 2. n. 40*; Sanchez *Consilia mor. l. V. dub. 15. n. 1*; S. Alph. *III. 1033. 2*); et in primis qui frustatim eleemosynam mendicant (S. Th. *2. 2. q. 147. a. 4 ad 4*); qui adversa valetudine laborat (S. Alph. *III. 1033*), etc. Filiisfamilias, quibus pater non potest, aut non vult, aliam mensam ex esurialibus parare (ipse carnibus vescitur), potest a confessario fieri facultas comedendi carnes ob impotentiam, in qua versantur implendi praeceptum, firma semper obligatione de non permiscendis licitis atque illicitis epulis, et de unica comestione in die pro iis, qui ieiunare tenentur. *S. Poen. 16 ian. 1834, 6 aug. 1860, 27 maii 1863, 20 apr. 1865.*

Praeterea sicut a qualibet alia lege ecclesiastica, sic et a lege ieiunii ex-

cusat quodcumque aliud grave incommodum. Hinc excusatur a ieiunando uxor, quae secus gravem pateretur indignationem a viro (S. Alph. *III. 1034*); dummodo vir hoc non petat in contemptum religionis, ut patet.

2342 **De dispensatione.** — Demum lex ieiunii cessat dispensatione legitimi superioris. Romani Pontifices ordinarie numquam dispensant a promiscuitate carnium et piscium (*Const.* Ben. XIV « Non ambigimus » *30 maii 1741*; « In suprema » *22 aug. 1741*; *Encycl.* « Si fraternitas » *ad arch. Compostellanum 10 iun. 1744*), quo nomine veniunt etiam cochleae etc., quae improprie *fructus maris* dicuntur (*S. Poenit. 16 ian. 1834*), et pro unica tantum comestione dispensant. Hinc ii, qui *ex potestate delegata* super lege ieiunii dispensant, sub gravi tenentur easdem facultates non aliter dare, quam geminis his adiectis conditionibus, videlicet unicae in die comestionis et non permiscendarum epularum. Ben. XIV. « Libentissime » *10 iun. 1745.*

Nota, indultum *vescendi carnibus, diebus ab ecclesia vetitis, et salva ieiunii lege,* quod a S. Congregatione S. Officii conceditur sive certae cuidam personae, sive certae familiae, comprehendere omnes dies, sive abstinentiae tantum, sive etiam ieiunii; sed in his debet servari ab indultario lex ieiunii, idest lex unicae comestionis. Quare his diebus ieiunii non potest vesci carnibus, nisi in unica comestione; in refectiuncula vespertina debet uti cibis esurialibus. Mon. eccl. *vol. XIII pag. 132.*

Recenter episcopis aliisque locorum ordinariis concessa est facultas anticipandi, die sibi benevisa, atque ob gravissimas causas (quibus annumeratur etiam grave periculum, modo sit generale, quod abstinentia anticipanda non observetur, *S. U. I. 18 martii 1896*) etiam dispensandi super lege ieiunii et abstinentiae, quando festum sub utroque praecepto servandum patroni principalis aut titularis, vel solemne aliquod festum, item magno populorum concursu (qui intelligi etiam potest de concursu civitatis aut loci, *S. U. I. 18 mart. 1896*) celebrandum, inciderit in ferias sextas aut sabbata per annum, excepto tempore quadragesimae, diebus quatuor temporum (feriis sextis et sabbatis adventus, ubi lex ieiunii iis diebus viget, *S. U. I. 15 dec. 1897*) et vigiliis per annum ieiunio consecratis. Item possunt eadem anticipandi, seu etiam, gravissimis de causis, dispensandi potestate uti pro diebus, quibus nundinae extraordinariae magno populorum concursu habentur. *S. U. I. 5 dec. 1894 decr. conf. a Leone XIII.* Vid. *Abstinentia.*

De lege ieiunii in Italia. — Non 2343
abs re erit referre hic leges et indulta, quibus a SS. D. N. Pio PP. X lex ieiunii in Italia constricta est. Quod SSmus Dnus sequenti S. Officii decreto perfecit:

« Frequentes pluribus abhinc annis preces Italiae praesules ad Sedem apostolicam dirigere consueverunt, quibus ecclesiasticae legis ieiunii et abstinentiae mitigationem temporum conditioni congruam pro dioecesi quisque sua petierunt. In quo temperamento efflagitando illud etiam in-

tenderunt ut, uniformi vicinarum saltem regionum disciplina constituta non levibus incommodis, quae ex varia legis observantia sponte sua consequuntur, remedium afferretur.

Re penes supremam hanc S. Officii Congregationem discussa emi ac rmi DD. cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores generales, omnibus mature perpensis, in plenario conventu habito feria IV, die 5 currentis mensis septembris, haec statuenda decreverunt:

1° In omnibus et singulis Italiae regionibus, dioecesibus quoque Mitilensi et Gaudisiensi comprehensis, quae dispositionibus hac in re pro Italia latis uti solent, ieiunium, seu lex unicae per diem refectionis, servandum erit:

Toto tempore quadragesimae, dominicis tantum diebus exceptis;

Feriis sextis et sabbatis adventus;

Feriis quartis, sextis et sabbatis quatuor anni temporum;

Vigiliis: Pentecostes, ss. apostolorum Petri ed Pauli, B. M. V. in coelum assumptae, omnium Sanctorum et nativitatis D. N. I. C.

Quibus vero diebus ieiunium praecipitur, vetatur insimul semper et absolute, in quadragesima, ne diebus quidem dominicis exceptis, carnium pisciumque in eadem comestione permixtio.

2° Praeter ieiunium, in cunctis (ut supra) Italiae regionibus, servanda etiam erit lex abstinentiae a carnibus ab iisque omnibus quae ex carne trahunt originem, lacte scilicet, butyro, caseo, ovis et ex quocumque animali adipe condimentis:

Feria sexta quatuor temporum in quadragesima;

Feria sexta in Parasceve;

Vigiliis Assumptionis B. M. V. et Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi.

3° Prima vero die quadragesimalis ieiunii;

Feriis sextis et sabbatis quadragesimae;

Feriis sextis et sabbatis adventus;

Feriis quartis, sextis et sabbatis quatuor temporum;

Vigiliis: S. Joseph Sponsi B. M. V., Annunciationis eiusdem B. M. V., ubi haec festa sub praecepto recoluntur et ad vigiliam Annunciationis quod spectat, dummodo ea intra quadragesimam incidat; Pentecostes; ss. apostolorum Petri et Pauli et omnium Sanctorum abstinentia a carnibus tantum et a iure a carnibus quomodocumque expresso servanda erit; ita ut liceat pro lubitu in principali refectione vesci ovis et lacticiniis, et tum in eadem principali refectione tum in refectiuncula uti ex quovis adipe, butyro, margarina (quam vocant) et similibus condimentis.

4° Haec eadem abstinentia a carnibus tantum et a iure carnis servanda pariter erit omnibus et singulis aliis sextis per annum feriis, absque tamen obligatione ieiunii, et consequenter, nulla refectionum facta distinctione quoad ovorum, lacticiniorum et condimentorum liberum usum.

5° Quoties autem in aliquem ex supradictis diebus, ieiunio aut abstinentiae aut utrique consecratis, inciderit vel festum aliquod ex solemnioribus in ecclesia, vel festum titu-

laris aut patroni principalis alicuius loci vel dioecesis, vel extraordinaria aliqua religiosa solemnitas (uti centenaria, piae peregrinationes et similia), vel publicae annuales nundinae quae inusitatu populi concursu celebrantur, conceditur locorum ordinariis, excepto tempore quadragesimae et adventus, ut tum ieiunium tum abstinentiam vel pro tota dioecesi vel, iuxta diversos casus, pro determinatis aliquibus locis in alium liberum diem sibi benevisum anticipare aut etiam, gravissimis tamen ex causis, super iis dispensare valeant.

6° Ieiunia et abstinentia in aliquibus locis ex peculiari voto servandas hoc decretum non respicit. Quod autem attinet ad regulares utriusque sexus familias speciali abstinentiae aut ieiunii voto non adstrictas, eas eadem ac simplices fideles lege uti posse decernitur.

7° Praesenti decreto revocantur, abrogantur ac penitus abolentur quaevis in contrarium localia indulta, concessiones, privilegia, consuetudines etiam immemorabiles, ne *Bulla* quidem *Cruciata* (ubi et quavis sub forma nunc in Italia viget) excepta. Vehementer vero fideles sibi subditos hortentur ordinarii ut apostolicam indulgentiam aliis bonis operibus compensare studeant.

Et sequenti feria V, die 6 huius eiusdem mensis, ssmus D. N. Pius divina providentia pp. X, in solita audientia r. p. D. Adsessori huius sacrae supremae Congregationis impertita haec omnia et singula sibi relata suprema sua auctoritate adprobare et confirmare dignatus est, mandans ad quos spectat, ut eadem, ad fidelium notitiam opportune deducta, inde a domenica 1ª adventus currentis anni 1906 ad unguem servent atque ab omnibus servari satagant.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex aedibus S. O. die 7 septembris 1906 ».

Decr. Grat. c. 3 sqq; D. IV; D. XLI, LXXV; c. 6 sqq. D. III de cons.; c. 16 sqq. D. V. de cons.; tit. de observatione ieiunior. X. (III. 46); Conc. Trid. sen. XXV decr. de delectu cibor. ieiuniis et diebus festis; Const. Ben. XIV « Non ambigimus » 30 maii 1741; Const. Ben. XIV « In suprema » 22 aug. 1741, 8 aug. 1744; Const. Ben. XIV « Si fraternitas » 12 mai 1742; Const. Ben. XIV « Cognovimus » Const. Ben. XIV « Libentissime » 24 iun. 1745; Const. Ben. XIV « Prodiit » 30 iun. 1751; Const. Clem. XIII « Appetente » 20 dec. 1759; Const. Clement. XIII « Et paternus amor » 4 martius 1762; *Ciacconi Alph.* De ieiuniis et varia eorum apud antiquos observantia; *Fagundez* Informatio pro opinione esus ovorum et lacticinorum tempore quadragesimae; *Daillé J.* De ieiuniis et quadragesima; *Lannoy I.* De vero ciborum delectu in ieiuniis christianorum; *Nicolai Io.* Diss. de ieiunii christiani et christianae abstinentiae vero ac legitimo ritu; *Homborg. I.* De quadragesima veterum christianorum et ritibus in ea quondam usitatis; *Thomassin* Traité des jeûnes de l'église; *Cabassutius Io.* Notitia ecclesiastica historiarum et conciliorum [ubi etiam de veterum ieiuniorum ecclesiae origine et ritibus]; *Muratori Lud.* De quatuor temporum ieiuniis in Anecdotis); *Viringus Io. Val.* De ieiunio ecclesiastico et abstinentia; *Andry Nic.* Traité des aliments du carême; *Amatus Mich.* De piscium atque ovium esus consuetudine in antepaschali ieiu-

nio; *Rumohr C. I.* De origine ieiunii quadragesimalis; *Eusebius a ssmo Sacram.* Tract. de pertinentibus ad celebrationem ieiunii ecclesiastici quatuor anni temporum; *Walch J. G.* De ieiunio quadragesimali; *dom Berthelet* Traité de l'abstinence; *Martène* De antiquis ecclesiae ritibus; *de l'Isle Ios.* Histoire dogmatique et morale du jeûne; *Concina Dan.* La disciplina antica e moderna della romana Chiesa intorno al sacro quaresimale digiuno espressa nei due brevi « Non ambigimus » e « In suprema » del regnante Pontefice Benedetto XIV ecc.; *Becker I. B.* De ieiuniis veterum christianorum; *Ehrlich I. G.* De quadragesimae ieiunio; *Kiesling J. R.* De xerophagia apud iudaeos et primitivos christianos usitata; *Sbaraglia Io. Hiac.* De ieiunii quatuor temporum origine ac institutore (Exstat in calce disputationis eiusd. auctoris de sacris pravorum hominum ordinationibus); *Bertalazzone Gasp.* Il precetto del digiuno quadragesimale stabilito sull'apostolica tradizione; *Binterim A. Ios.* Die vorzüglichsten Denkwürdigkeiten der christkatholischen Kirche; *Righetti Gius.* Del digiuno e della quaresima, lettere due; *Liemke H.* Die Quadragesimalfasten der Kirche; *Linsenmayr* Entwicklung d. kirchl. Fastendisciplin bis zum Concil von Nicäa; *Funk* Die Entwicklung des Osterfastens; *Noldin H.* Zur Erklärung d. Fastengebotes; *Alberti Ios.* De ieiunio ecclesiastico tract. theoricus et practicus; *Koch A.* Zur kasuistischen Behandlung d. Fastengebotes; *Vacandard E.* Les origines du carême; *Duchesne* Les origines du culte chrétien ch. VIII § 2; *Cozza* De ieiunio ecclesiastico; *Pruner* K. Moralth. II. 278; *Koch* Lehrb. der Moralth. § 119; *Simar* Lehrb. der Moralth. § 153.

2344 **De ecclesiastica lege ieiunii quoad eucharistiam. — *De ipso ieiunio requisito.*** — Ad eucharistiam recipiendam requiritur perfectum ieiunium naturale a media nocte. Conc. Const. *sess. XIII;* Rubr. miss. rom. *tit. de defect. etc.* § *9 n. 1.* Ad quod frangendum requiritur et sufficit, ut *a*) aliquid rationem habens cibi aut potus (non vero sufficit, quod sit nutritivum vel digestivum, ut videtur; quare nec charta, nec cera, nec filum lineum, nec ungues, nec alia huiusmodi frangunt ieiunium. Cfr. Ball. Palm. *IV. 937*), *b*) per modum comestionis aut potationis, *c*) ab extrinseco sumatur.

Hinc, si quis aliquid traiecerit per modum salivae, communicat licite. Rubr. gen. miss. *tit. de defect.* § *9 n. 3.* Ut autem dici possit aliquid deglutitum esse per modum salivae, et non cibi vel potus, debet hoc fuisse aliquid minimum, quod aliquis non ex intentione, seu non sciens volens, traiecerit (S. Alph. *VI. 279*); ut esset, si aliqua guttula inter lavandum in os decideret. Rubr. miss. *loc. nuper citato.* Hinc etiam, si quid traiiceretur per modum aspirationis (S. Alph. *VI. 280*) vel attractionis per nares, hoc non efficeret, ut quis iam non esset ieiunus pro communione sumenda; imo etsi quis antlia gastrica (vulgo *pompa gastrica*) aquam in stomachum traiiceret, eadem antlia eam eiecturus quia ad stomachum lavandum immisit, non idcirco violaretur ieiunium. Is enim nec manducat nec bibit. Contra hoc non militat (imo hoc ipsum suadere videtur) responsio sacrae universalis Inquisitionis (*23 apr. 1890*), quae, annuente SSmo Dno, alicui sacerdoti petenti concessit, ut *ante missam* uteretur antlia gastrica ad lavandum

stomachum. Gratiam enim concessit, quia de ea tantummodo fuerat requisita, non de theoretica definitione quaestionis; gratiam vero celebrandi missam non ieiunis fere nunquam solet concedere. Cfr. Monitore ecclesiastico *vol. IX. p. 2. p. 182 sqq. vol. X. p. 2. p. 20.* Ceterum, ut dicit D'Annibale *III. 410* [*32*], omnes conveniunt non oportere hic scrupulis abundare.

2345 ***De hora, ex qua ieiunandum est.*** — Media vero nox desumenda est sive a tempore vero loci sive a tempore zonario seu conventionali (quale est ad ex. illud, quod horologia publica in multis Europae partibus sequuntur et respondet tempori medio Greenwich in Anglia), etsi hoc ab illo discrepet. Quare *potest* (non autem tenetur, *S. Poen. 29 nov. 1882*) quis tempus ab horologiis publicis indicatum sequi, etsi multum discrepet a tempore, sive vero, sive medio. *S. Poen. 18 iun. 1873*; *S. U. I. 9 aug. 1899; S. R. C. in Clodien. 7 aug. 1875 ad 9* (*3365*). Hinc, quum impossibile sit omnia horologia perfecte concordare, si quis inter comedendum vel bibendum audiret horologium aliquod pulsans horam duodecimam a meridie, is non teneretur ad servandum ieiunium pro communione a comedendo vel bibendo statim desistere, multo minus exspuere illud quod in ore habet. Lehmkuhl *II. 159.*

2346 ***An aliquando liceat non ieiuno communicare.*** — Regula est generalis, quod adultus qui baptizetur, post baptismum, si hora congruens fuerit, missae intersit et ss. eucharistiam suscipiat. Rit. Rom. *tit. I. c. 4. n. 56.* Ad hoc necesse quidem est ut neophytus ante baptismum, quemadmodum semper decet, ieiunus fuerit (Rit. rom. *l. c. c. III. n. 8*); sed non obstat quod in ceremonia baptismali sal gustaverit aut etiam deglutierit. Rit. rom. *loc. cit*; *S. C. C. 7. ad vic. ap. Tunk. orient. 13 febr. 1806.*

Aliquando, ob graves causas, a sacra congr. S. Officii conceditur ut quis possit ante communionem ali quid sumere *per modum potus;* porro haec clausula non significat, aliquem nonnisi bibere posse, sed eum sumere posse quidquid naturam cibi liquidi non exuit, ex. gr. iusculum cum pane tritissime minuto (*pan grattato*), vel cum parvis seminibus ex farina subacta (*semolino*) etc. *S. U. I. 4 iun. 1893*; *7 sept. 1897.*

Sacerdoti autem non ieiuno communicare licet, quoties id exigitur ab integritate sacrificii (S. Alph. *VI. 288*); vel etiam quoties sacro abstinere nequit sine periculo gravissimo vitae (S. Alph. *VI. 289*), vel etiam famae (S. Alph. *VI. 287*); quare D'Annibale *III. 411* [*36*] hoc permittit sacerdoti, qui, coepta missa, recordetur, se non esse ieiunum: imo etiam ei, qui, nondum coepta missa, si populus convenerit ad eam audiendam, non posset sine obmurmurationibus eam omittere. An idipsum liceat etiam sacerdoti ad communicandum moriturum controvertitur. Lugo *de euchar. d. 15. n. 67. sq.*

Laicis non ieiunis licet communicare in periculo mortis per modum viatici (*Rit. rom. tit. IV cap. 4. n. 4*), hinc etiam capite plectendis (S. Alph. *VI 284*); idem dicas in periculo, ne secus eucharistia male tractetur a sa-

crilegis (S. Alph. *VI. 287*); sola devotione non licet (Rit. Rom. *l. c. n. 6*), sed etiam tunc (a fortiori, ad hoc, ut infirmus satisfaciat praecepto paschali, D'Ann. *III. 411*, Mon. eccl. *vol. XIX. p. 223 ss.*; Gennari *Consultazioni morali cons. 51, etc.*) licere in morbo diuturno plurium et gravium theologorum (Suarez *de euch. disp. LXVIII. sect. 5. n. 3;* Bonacina *de euch. disp. IV. quaest. 6. punct. 2. n. 23*, etc.) sententia est. S. Alph. *VI. 284.*

Ceterum in casu diuturni morbi sacra Congregatio Sacramentorum facultatem facit recipiendi s. communionem, non servato ieiunio, laicis quidem cum clausula « bis in mense », religiosis vero cum clausula « bis in hebdomada ».

2347 ***De lege ieiunii eucharistici quoad infirmos.*** — Quum SS. Dnus noster Pius PP. X, ad promovendum magis usum maxime salutarem recipiendi eucharistiam, infirmis quoque, quia naturale ieiunium servare non possunt, benevolentissimo indulto consulere voluerit, iuverit hic decretum de hoc editum integre referre. Est autem sequens:

« Post editum de frequenti et quotidiana ss. eucharistiae sumptione decretum die 20 mensis decembris 1905, concessasque a ssmo D. N. Pio PP. X die 30 mensis maii eiusdem anni indulgentias omnibus christifidelibus, qui certas preces devote recitaverint pro quotidianae communionis propagatione; post additum praeterea decretum *Urbis et Orbis,* die 14 mensis februarii 1906 a S. C. Indulgentiarum et Reliquiarum, cuius decreti vi possent christifideles per quotidianam communionem lucrari omnes indulgentias, absque onere confessionis hebdomadariae, vix dicere est, quanta laetitia benignae huiusmodi S. Sedis dispositiones exceptae sint, praesertim ab episcopis et moderatoribus religiosorum ordinum. Excitato inde studio fovendae pietatis, quaesitum est, si quo forte modo consuli posset aegrotis diuturno morbo laborantibus et eucharistico pane haud semel confortari cupientibus, qui naturale ieiunium in sua integritate servare nequeant. Quare supplices ad hoc preces delatae sunt ssmo D. N. Pio PP. X; qui, re mature perpensa auditoque consilio S. Congregationis Concilii, benigne concessit ut infirmi, qui iam a mense decumberent absque certa spe ut cito convalescant, de confessarii consilio ssmam eucharistiam sumere possint semel aut bis in hebdomada, si agatur de infirmis qui degunt in piis domibus, ubi ssmum sacramentum asservatur, aut privilegio fruuntur celebrationis missae in oratorio domestico; semel vero aut bis in mense pro reliquis, etsi aliquid per modum potus antea sumpserint, servatis de cetero regulis a rituali romano et a S. Rituum Congregatione ad rem praescriptis. Praesentibus valituris, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, die 7 mensis decembris 1906 ».

Quum autem occasione istius decreti dubium exsurrexerit an nomine infirmorum, qui a mense decumbunt, intelligerentur solummodo infirmi qui in lecto vere decumbunt,

an potius ii quoque, qui quamvis gravi morbo correpti et ex medici iudicio naturale ieiunium servare non valentes, nihilominus in lecto decumbere non possunt, aut ex eo aliquibus diei horis surgere queunt, S. Congr. Concilii, cui dubium propositum est, eidem dubio, facto verbo cum SSmo, respondit hos quoque comprehendi. *S. C. C. 6 mart. 1907.* Quod decretum, utpote dispensationem continens, quum stricte sit interpretandum, extendi nequit ad eos, qui in lecto non decumbunt, etsi hoc facere possent, et multo minus ad eos, qui domo exire valent, quamvis ieiuni manere non possint; sed hi omnes egent speciali indulto, quod a S. Congr. Sacramentorum expetendum est. Cfr. Mon. eccl. *vol. XIX. p. 280.*

Bibliographiam quaere sub *Eucharistia.*

2348 **Ignorantia.** — Ignorantia generatim est carentia scientiae; alia est vincibilis, alia invincibilis, prout adhibita diligentia vinci potest vel non; alia iuris, alia facti, prout versatur circa exsistentiam legis, vel facti particularis; alia antecedens, quae a voluntate non dependet, alia consequens, quae voluntatem consequitur, quare illa nec voluntaria est, nec vincibilis, ac proinde nec culpabilis, haec et voluntaria est, et vincibilis et plus minusve culpabilis (S. Th. *1. 2. q. 6. a. 8*); alia crassa seu supina, quando quis nullum, aut vix ullum studium ponit in veritate indaganda, alia affectata, quando quis ipsa media ad deponendam ignorantiam voluntarie et consulto negligit. Invincibilis tollit voluntarium, non item vincibilis, et multo minus crassa et affectata. G. B. *I. 13. sqq.*

Ignorantiae invincibili aequiparatur inadvertentia, quippe brevis ignorantia est; eodemque iure metitur. D'Ann. *I. 132.*

De primariis morum principiis, et de proximis conclusionibus, ignorantia non datur. Ignorans mysteria Trinitatis et Incarnationis, extra casum necessitatis licite absolvi nequit; probabilius tamen valide absolvitur, si versatur in ignorantia invincibili. Vid. *Fides.* Quae ignorantia excuset a censura, vid. *Censura.*

In hac materia haec tanquam principia habenda sunt: ignorantia facti non iuris (in foro externo, nam in foro interno etiam ignorantia iuris) excusat (*reg. 13 iur. in 6°*, cfr. etiam *reg. 14 et 47 iuris in 6°*); ignorantia facti proprii regulariter non admittitur; ad vitandam poenam sufficit ignorantia vincibilis, imo etiam crassa, si in lege dicatur « si quis scienter praesumpserit »; ignorantia etiam invincibilis non impedit effectum legis irritantis non poenalis, illius nempe, quae actum irritat non principaliter in poenam, sed principaliter ob bonum commune. Cfr. Sanguineti *Iur. eccl. instit. n. 85 sqq.*

An ignorantia excuset ab irregularitate, vid. *Irregularitas;* an ab incurrendis impedimentis matrimonialibus, vid. *Impedimenta matrimonii;* an ab incurrendis censuris, vid. *Censura.*

De ignorantia, prout aliquando est causa canonica dispensandi in impedimentis matrimonialibus, vid. *Matrimonium.*

Comitolus Paul. Responsa moralia in septem libros digesta (in quorum quinto de criminosa ignorantia); *Palbizky Georg.* Tract meth. iuris personarum, scilicet de partu, sexu, aetate, valetudine, peritia, ignorantia, paupertate etc.; *Malcotius Jo.* Tract. de iuris et facti ignorantia; *A. Costa Io. B.* Tract. de facti scientia et ignorantia; *Roth G. M.* Nonnullae observat. ad tit. Dig. de iuris et facti ignorantia; *Donelli* Comm. iur. civ. lib. I, cc. 18-23.

2349 **Illegitimitas.** — **De natura illegitimitatis.** — Filius legitimus, quatenus opponitur illegitimo, est filius qui natus est ex iustis nuptiis, videlicet ex matrimonio vere aut putative iusto, publice seu in facie ecclesiae sine contradictione ac bona fide inito, a cuius usu parentes solemni praecepto ecclesiae non sint prohibiti. *c. 2 qui filii sint leg. X.* (*IV. 17*).

Hinc filii illegitimi sunt omnes illi, qui non ex nuptiis, vere vel putative, iustis, sed extra matrimonium nati sunt. Cfr. *Novell. LXXXIX. cap. 1;* Schmalzgrueber *in tit. 17. lib. IV. decr. n. 5.* Illegitimi etiam sunt in iure canonico illi, qui ex valido quidem matrimonio nati sunt, sed postquam unus, vel uterque parens voto solemni castitatis sese obstrinxit.

Filii illegitimi, iure canonico, sunt aut naturales, aut spurii. *Naturales* sunt ii, qui extra matrimonium nati sunt a parentibus, inter quos tempore conceptionis, vel nativitatis, vel intermedio inter utrumque, poterat esse legitimum matrimonium. Schmalzgrueber *l. c. n. 6;* Reiffenstuel *in tit. 17 lib. IV Decr. n. 25.* — *Spurii* sunt nati a parentibus, inter quos toto tempore a conceptione ad nativitatem matrimonium legitimum esse non poterat. Schmalzgrueber *loc. cit.*; Reiffenstuel *l. c. n. 26.*

Spurii autem subdividuntur *a*) in *adulterinos,* qui videlicet ex adulterio gignuntur, cfr. *c. 4. C. XXXII. q. 4; b*) in *sacrilegos,* qui scilicet ex religioso aut moniali vel clerico in sacris constituto generantur, Reiffenstuel *l. c. n. 28; c*) in *incestuosos,* qui nempe nati sunt ex parentibus consanguinitate vel affinitate in linea collaterali coniunctis, cfr. Inst. Iust. *l. 1 tit. 10 de nuptiis § 2; d*) in *nefarios,* qui ex ascendentibus vel descendentibus in linea recta nati sunt. Cfr. Inst. Iust. *tit. cit. § 1.*

Notandum tamen est tum non semper in iure canonico hanc diversam denominationem spuriorum adamussim fuisse servatam, tum in iure romano aliam fuisse significationem naturalium et spuriorum filiorum. Cfr. *l. 1 de concubinis D.* (*XXV. 7*); *l. 23 de statu hominum D.* (*I. 5*).

In iure romano habitum est tamquam principium: « Pater is est, quem nuptiae demonstrant » *l. 5 de in ius vocando D.* (*II. 4*). Hoc principium etiam a iure canonico adoptatum est. Santi *in tit. 17 lib. IV Decr. n. 1.* Attamen, quum hoc habeatur ex praesumptione iuris, non excluditur probatio directe contraria. Cfr. *c. 4 tit. cit. X.* (*IV. 17*). Vid. *Expositi.*

Illegitimitas est macula quaedam paterni peccati; quare, etsi illegitimum esse non est nota delicti, est tamen nota defectus. *c. 14 de purgat. can. X.* (*V. 34*).

Iure italico etiam filius ascribitur marito matris, si nec ante septimum

mensem ab inito, nec post decimum a soluto matrimonio, natus fuerit. *C. C. a. 160.* Qui antea natus est, eidem matris marito ascribitur tunc tantum, quum is sciens volens mulierem praegnantem duxit, vel personaliter, seu per procuratorem specialiter delegatum legitimae nativitatis attestationi adfuit (*C. C. a. 161*); non item serius natus. *C. C. a. 169.* Filio semper non praescriptibile ius est agendi ad vindicandum sibi statum legitimum (*C. C. a. 177*); quae actio tunc tantum filii heredibus et descendentibus competit, quum filius, qui non reclamavit, mortuus est vel minor adhuc vel intra quinque annos postquam ad aetatem maiorem pervenit (*C. C. a. 178*); semper tamen heredes et descendentes actionem a filio incoeptam persequi possunt. *C. C. art. cit.*

2350 **De iudicio huius causae.** — Quaestio nativitatis seu natalium, idest legitimitatis seu illegitimitatis, coram iudice ecclesiastico proponenda et tractanda est (*cc. 5. 7 tit. cit. X.* [*IV. 17*]; *c. 3 de ordine cognit. X.* [*II. 10*], sive de ea principaliter, sive incidenter solummodo agatur. Est enim causa mere spiritualis, quum sit accessorie annexa ipsi matrimonio, quod est spirituale. Quare in casu iudex secularis deberet supersedere in causa, donec causa natalium incidens a iudice ecclesiastico terminaretur. Hoc tamen restringendum est ad casum, quo causa natalium pendeat ex aliqua quaestione iuris, ex. gr. an matrimonium legitime fuerit contractum; nam si versetur solum circa factum, quia dubitatur, an matrimonium de facto fuerit contractum inter personas habiles ad contrahendum etc. udex laicus non prohibetur incidenter cognoscere de quaestione natalium. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 44 sqq.* Vid. *Legitimatio.*

De illegitimitate quoad ordinum susceptionem. — Illegitimitas, seu defectus natalium, inducit irregularitatem ad ordines suscipiendos (*c. 1 de filiis presbyter. ordin. vel non X.* [*I. 17*], et inhabilitatem ad beneficia. *c. 14 tit. nuper cit.*; cfr. *S. C. C. 13 aug. 1836.* 2351

Irregularitas autem haec est omnino totalis, ita ut non solum ad sacros ordines sed ne ad ordines minores quidem, vel ad ipsam primam tonsuram, possint irregulares promoveri sine dispensatione, nisi regulares fiant. *c. 1 tit. cit. X.* (*I. 17*).

Illegitimitas autem, cui haec irregularitas annexa est, quaecumque illegitimitas est; ita ut non solum spurii, sed etiam naturales filii ab ordinibus omnibus ob ecclesiasticum decus ab ecclesia repellantur. Cfr. *c. 1 de filiis presbyt. et aliis illegit. natis* (*I. 11*) *in 6°.*

Illegitimitas, quae irregularitatem inducat, certa esse debet (cfr. *S. C. C. in Syracusana 27 iun. 1857*), aut saltem talis, quae moraliter pro indubia haberi debeat. *S. C. C. in Viterbien. et Amerina 3 iul. 1852.* Hinc expositi et inventi, nisi ex authentico testimonio constet ex illegitimis nuptiis natos esse, quoad ordines haberi possunt ut legitimi (De Luca Mar. *Prael. iur. can. l. I. tit. 2. n. 33*); attamen in praxi ad cautelem pro his petitur dispensatio. Bargilliat *Prael. iur. can. n. 309.*

Legitimitati per subsequens paren-

tum matrimonium a nullo ordine arcentur (arcentur tamen a dignitate cardinalitia ex const. Sixti V «Post. quam publicata» *3 dec. 1856*); idem privilegium obtinent illegitimi, qui religionem professi sunt (vid. *Legitimatio*); utrum autem legitimati per rescriptum romani Pontificis fiant necne habiles ad ordines, desumendum est ex ipso tenore rescripti.

Dispensatione etiam potest illegitimus ad ordines habilitari.

Dispensatio vero haec, quae strictae interpretationis est (*c. 1 tit. cit.* [*I. 11*] *in 6°* § *1*), pro ordinibus maioribus, dignitatibus, personatibus, beneficiis curatis et canonicatibus cathedralium ab uno romano Pontifice concedi potest; pro tonsura, ordinibus minoribus et reliquis beneficiis etiam ab episcopo, aut ab alio praelato, qui iurisdictionem habet quasi episcopalem. *c. 18 tit. cit. X.* (*I. 17*); *cc. 1. 2 tit. cit.* (*I. 11*) *in 6°*. Quum autem in hac dispensatione concedenda episcopus ordinaria sua potestate utatur, haec potestas, sede vacante, in vicarium capitularem transit. Santi *in tit. 17 lib. I. Decr. n. 11.*

Duplex autem est casus, in quo, etsi non agatur de beneficiis curatis, vel de canonicatibus cathedralium, episcopus non potest ad beneficia illegitimum dispensare, sed requiritur dispensatio romani Pontificis. Primus est, si agatur de beneficio, quod a patre dispensandi immediate possidebatur. *cc. 10. 11 tit. cit. X.* (*I. 17*). Alter est, si de beneficio agatur, quod ex lege fundationis, vel privilegio, vel consuetudine annexum habet ordinem sacrum.

In casibus, in quibus requiritur dispensatio romani Pontificis episcopus verius et probabilius dispensare nequit, ne tunc quidem, quum illegitimitas est occulta. Neque valet in contrarium facultas a concilio Tridentino (*sess. XXIV. cap. 6. de ref.*) episcopis facta dispensandi ab irregularitatibus omnibus provenientibus ex delicto occulto, excepto homicidio; irregularitas enim natalium non est ex delicto, sed ex defectu. Giraldi *Exp. iur. pontif. p. 1. sect. 128.*

Pro illegitimis quocumque modo legitimatis, qui ad ordines ascendere volunt, ad statuendum episcopum proprium ratione originis attendendus est locus originis maternae, etiamsi de certo patre constet. Honorante *Praxis secr. Urb. vicarii c. 1. not. 9. dub. 2.*

Beneficium vacans ex morte vel renunciatione patris conferri nequit filio illegitimo, imo etiam legitimo. *c. 10. 11 tit. cit. X.* (*I. 17*). Non prohibetur tamen in filiis legitimis successio mediata (*c. 7 tit. cit. X.* [*I. 17*]); in eadem ecclesia pater et filius legitimus possunt habere beneficia distincta (*c. 12 tit. cit. X.* [*I. 17*]); pater potest immediate succedere filio suo legitimo in beneficium. Bened. XIV *de Syn. XIII. c. 24. n. 15.*

Filius illegitimus, etiamsi obtinuerit dispensationem ad ordines, ex Tridentino (*sess. XXV. c. 15 de ref.*), nequit tamen *a*) obtinere quodcumque, etiam dissimile, beneficium in ecclesiis, in quibus illud habet vel habuit pater, vel mediata etiam successione, idem beneficium, quod pater habuit (*S. C. C. a. 1589. a. 1606;* Cfr. Conc.

Trid. ed. Richter *p. 465;* Ben. XIV. *l. c.*); *b*) ministerium ecclesiasticum in iisdem ecclesiis exercere; quare, nec confessiones audire potest filius in ea ecclesia, ubi pater fuit parochus (*S. C. C. 4 iul. 1645*); *c*) pensionem habere super fructibus beneficiorum, quae pater obtinet, vel obtinuit.

Notandum, has prohibitiones referri ad parentes et filios tantummodo; quare nepotem legitimum ex filio illegitimo non comprehendi decreto Tridentino (*cap. 15. sess. XXV*) declaratum est a S. C. C. *17 mart. 1593*; *23 ian. 1610.*

Tit. qui filii sint legitimi X. (IV. 17); c. 3 de clandest. desp. X. (IV. 3); Const. Pii IV « Quamvis a Sede » 1 ian. 1562; Const. Ben. XIV « Redditae nobis » 5 dic. 1745; *Lupi Io. B.* Comment de illegitimis et de natalibus restitutis liberis; *Heuteri P.* De liberis naturalibus; *Benitez Alph.* Ad titulum de natis ex libero ventre; *Lucidori Io. Nic.* Tract. de illegitima clericorum ac regularium successione ad intellectum bullae s. m. Pii V contra eosdem illegitimos editae; *Bedel* Traité de l'adultère et des enfants adultérins; *Mayer* Das Intestaterbrecht der liberi naturales; *Moulin* Des droits successifs des enfants naturels dans les différentes législations de l'Europe; *Guyard* Des preuves de la filiation légitime; *Ronga Giov.* Della condizione giuridica dei figli nati fuori di matrimonio; *Daste* De la recherche de la paternité hors mariage; *Coulet-Vaunois* Etude sur la recherche de la paternité; *Facelli Cesare* Successione legittima dei figli naturali; *Traina Tomm.* Il riconoscimento e la legitimazione dei figli naturali secondo il diritto civile; *Amiable* De la preuve de la paternité hors mariage; *Lusignoli Alfredo* I figli adulterini ed incestuosi nel codice patrio; *De la Grasserie* De la recherche et des effets de la paternité naturelle; *De la Grasserie* Mémoire sur la recherche de la paternité naturelle; *Lambrecht* Six projets de loi sur la recherche de la paternité; *Parigot* Etude de législation comparée sur la condition des enfants naturels; *Mayet* La recherche de la paternité; *Verneau* De la réserve de l'enfant naturel; *Guérillon* De l'action en désaveu de paternité; *Mauveaux J.* De la recherche du père en tant que géniteur; *Douxchamps* Des enfants naturels; histoire et législation; *Pouzol A.* La recherche de la paternité; *Schefold* Das Rechts. der uneh. Vat.; *Travers M.* De la puissance paternelle et de la tutelle pour les enfants naturels; *Cuturi* Studio sulla dichiarazione giudiziaria della paternità dei figli naturali, *Gabba* La dichiarazione della paternità illegittima ecc.

Imagines. — Quae imagines pro- 2352
hibeantur. — Recenti constitutione Leonis XIII « Officiorum ac munerum » *VIII kal. febr. a. 1896* § *15*, imagines quomodocumque impressae Domini nostri Iesu Christi, beatae Mariae Virginis, angelorum atque sanctorum, vel aliorum servorum Dei ab ecclesiae sensu et decretis difformes, omnino vetantur. Novae vero, sive preces habeant annexas, sive absque illis edantur, sine ecclesiasticae potestatis licentia non debent publicari. – Hinc prohibitae manent imagines Christi, B. M. V., apostolorum et evangelistarum cum habitu vel forma nova, alias non usitata in ecclesia, vel cum habitu regularium. Urb. VIII *13 mart. 1642.* Permittuntur autem imagines Deum repraesentantes sub ea forma, qua hominibus apparuisse scimus. Cfr. *Constit.* Bened. XIV « Sollicitudini » *1 oct. 1745;* Gennari *Comm. alla co-*

stituzione « Officiorum ac munerum » tit. 1. c. 6 § 15.

2353 **De expositione imaginum in ecclesia vel altari.** — Nemini autem licet ullo in loco, vel ecclesia, etiam quomodolibet exempta, insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi curante episcopo. Conc. Trid. *sess. XXV de invocat. sanctor.* Quum autem quaedam sacra imago a quadam privata persona ecclesiae data est, ut publico cultui exponatur, etsi imaginis proprietas, eidem privatae personae maneat, auctoritas ecclesiastica potest pro lubitu eam removere, aliamque substituere. *S. C. C. in Bononien. 17 iun. 1899.*

Praeterea firma est regula in liturgia, in una eademque ecclesia, multo magis in uno eodemque altari, duas vel plures depictas tabulas aut statuas eumdem coelitem repraesentantes, vel, si agatur de B. Virgine, Deiparam repraesentantes sub uno eodemque titulo invocatam, publicae venerationi exponi non posse. *S. R. C. 20 maii 1890* (*3732*); *in Fanen. 27 aug. 1891* (*3791*).

Attamen hoc, quod de Deipara diximus, intelligendum est stricte de uno eodemque titulo; hinc in ecclesia, in cuius maiori altari exstat imago Virginis Immaculatae, potest poni in minori alio altari imago Virginis de Lourdes, dummodo haec repraesentetur cum omnibus apparitionis adiunctis. *S. R. C. decr. cit. 27 aug. 1892 ad 2.*

Hinc non licet antiquae imagini B. M. Virginis de rosario in eodem altari imaginem parvam Pompeianam (vulgo *sottoquadro*) supponere; aut eidem antiquae imagini B. Virginis de rosario imaginem Pompeianam substituere; aut in ecclesiis, in quibus est altare dedicatum B. Virgini de rosario eamdem Pompeianam imaginem in aliquo loco earumdem ecclesiarum exponere, aut in his ecclesiis aliud altare dedicare Virgini Pompeianae. *S. R. C. in una Ord. Praedic. 24 febr. 1890 ad 1. 2. 3. 4* (*3723*). Cfr. *litteras circulares eiusdem S. R. C. 20 maii 1890* (*3732*).

Quamvis nihil obstet, quominus apponantur ad utrumque latus introitus sanctuarii, ita ut sibi invicem adversentur, effigies seu statuae ss. Cordis Iesu et purissimi Cordis B. M. V.; non licet tamen collocare imaginem ss. Cordis Iesu in medio altaris maioris loco tabernaculi, vel, si adest tabernaculum, in quo asservatur ss. eucharistiae sacramentum, in huius posteriori parte. *S. R. C. in Cadurcen. 31 mart. 1887 ad 1 et 2* (*3673*).

Non possunt altaribus apponi, quamvis ex privata devotione permitti possint, imagines duorum condium eiusdem magnitudinis et decoris, quorum unum repraesentet ss. Cor Iesu cum emblematibus et signis, quibus B. Margarita Alacoque illud depingendum curavit, alterum vero purissimum Mariae V. cor aurea corona redimitum et gladio perforatum. *S. R. C. in Marianopolitana 5 apr. 1879* (*3492*).

An liceat immutare imaginem alicuius altaris. — 2354 De Herdt (*Sacr. liturgiae praxis I. 191.*) quoad hoc scribit: « Convenit in altari collocare imaginem illius sancti, in cuius ho-

norem est consecratum, ne illius memoria depereat, a quo tamquam peculiari titulo nuncupatur; alterius autem sancti imaginem in principali loco altaris ponere non decet, et prohiberi videtur ». Hoc tamen videtur intelligendum tantum de altari maiori cuiuscumque ecclesiae et de aliis altaribus consecratis (*S. R. C. in una Congregationis Miss. 27 aug. 1836 ad 5 et 7* [*2752*]; *11 mart. 1837* [*2762*]); nam pro minoribus altaribus non consecratis nullam de hoc haberi prohibitionem asserit scriptor ephemeridis « Monitore ecclesiastico » (*vol. VII. p. 1. pag. 66 sqq.; vol. XI. pag. 421*), idque confirmare videtur consuetudo.

2355 **De imaginibus in expositione ss. Sacramenti.** — Imagines et reliquiae sanctorum, exposito ss. Sacramento, in altari collocari non possunt, imo ne imago quidem divini Infantis (*S. R. C. in Aquen. 2 sept. 1741 ad 1* [*2365*]; *in Senen. 19 maii 1838* [*2779*]; *in Lisbonen. 7 febr. 1874* [*3320*]); alio tempore non possunt poni super tabernaculum ss. Sacramenti, ita ut tabernaculum pro basi inserviat (*S. R. C. decr. gen. 3 apr. 1821 ad 6* [*2613*], quod etiam intel ligendum est de reliquiis s. crucis aliorumque instrumentorum dominicae passionis (*S. R. C. in Tridentina 12 mart. 1836 ad 1* [*2740*]; neque sub throno, in quo exponitur ss. eucharistiae sacramentum (*S. R. C. in Goana 19 sept. 1883* [*3589*]; aut ante ipsius tabernaculi ostiolum possunt colloçari. *S. R. C. in una S. Angeli de Vado 6 septembris 1845* (*2906*). Vid *Expositio ss. Sacramenti.*

De imaginibus beatorum aut servorum Dei. — Imagines beatorum nondum canonizatorum in ecclesiis et oratoriis, inconsulta Sede apostolica, nullatenus exponi, et, ubi indultum fuerit per Sedem apostolicam, in pariete tantum, non autem, in altari collocari possunt. *Decr. Alex. VII 27 sept. 1659.* Ubi tamen indultum est, missam de aliquo beato celebrare, eiusdem imaginem in altari exponere licet. *S. R. C. 17 apr. 1660 ad 1* (*1156*) Vid. *Beati.* 2356

Quoad imagines servorum Dei, qui nondum canonizationis aut beatificationis honores consecuti sunt, iuverit integre referre sequens decretum S. R. C.:

« Inter constitutiones romanorum Pontificum ac Sacrae Rituum Congregationis decreta, quae edita fuere pro moderando cultu servorum Dei, qui cum fama sanctitatis vel martyrii decesserunt, sed inter beatos aut sanctos ab apostolica Sede adhuc relati non sunt, nonnulla ad eorum imaginum sive in templis, sive in publicis oratoriis appositionem pertinent. Recenter etiam cum vicarius apostolicus districtus occidentalis Scotiae retulisset, in vitris coloratis, quibus templorum fenestrae decorantur, praefatas imagines interdum depingi; Sacra eadem Congregatio, per decretum in una vicariatus apostolici districtus occidentalis Scotiae diei 24 martii 1860 editum, hunc morem minime approbandum censuit. Verumtamen cum non raro, nedum in eiusmodi vitris, sed etiam in templorum parietibus facta ac gesta repraesententur, quorum Dei famuli, vel prae-

cipui actores, vel pars aliqua fuerunt; dubitatum est, num prohibitio illa etiam ad historicas huiusmodi repraesentationes sese porrigat.

Re itaque maturo examini subiecta, auditisque votis virorum in sacra theologia et in ecclesiastica quoque archaeologia praestantium, sacra rituum Congregatio, referente eminentissimo et revmo domino cardinali eidem praefecto, in ordinariis comitiis, subsignata die ad vaticanum habitis, respondendum censuit:

Imagines virorum ac mulierum, qui cum fama sanctitatis decesserunt, sed nondum beatificationis aut canonizationis honores consecuti sunt, neque altaribus utcumque imponi posse, neque extra altaria depingi cum aureolis, radiis aliisve sanctitatis signis; posse tamen eorum imagines vel gesta ac facta in parietibus ecclesiae, seu in vitris coloratis exhiberi, dummodo imagines illae neque aliquod cultus vel sanctitatis indicium praeseferant, neque quidquid profani aut ab ecclesiae consuetudine alieni ». *S. R. C. 14 aug. 1894* (*3835*).

2357 **De velandis imaginibus tempore passionis.** — Ad vesperas sabbati dominicae passionis velandae sunt omnes cruces et imagines, non tantum D. N. I. C., sed etiam quorumcumque sanctorum (*S. R. C. in una Dalmatiarum 4 aug. 1663 ad 2* [*1275*]), et consuetudo velandi hoc tempore cruces tantum altarium et non imagines, est abusus et corruptela penitus tollenda (*S. R. C. in Calaguritana 18 febr. 1892 ad XXIX n. 9* [*3767*]); imagines autem et cruces velatae manere debent, quocumque occurrente festo etiam titularis aut dedicationis (*S. R. C. in Ianuen. 16 nov. 1649 ad 3* [*926*]; *in Bonaëren. 3 apr. 1876* [*3396*]); cruces scilicet usque ad feriam VI in parasceve post detectionem crucis in officio, imagines vero usque ad Gloria sabbati sancti. *S. R. C. in Patavina 20 nov. 1662* (*1248*); *in Florentina 22 iul. 1848 ad 2* (*2965*).

Imago S. Iosephi nec debet, nec potest detegi, quando eius festum occurrit in hebdomada passionis. *S. R. C. decr. cit. 3 apr. 1876.*

Hoc tamen praeceptum de velandis imaginibus respicit imagines altarium, non autem alias imagines, quae sunt in ecclesiis, ut ex. gr. imagines Viae Crucis. *S. R. C. in Marianopolitana 18 iul. 1885 ad 2* (*3638*). Hinc imago S. Ioseph, quae sit extra altare posita, potest relinqui discooperta tempore passionis, in festo eiusdem sancti, aut mense martio currente in eius honorem. *S. R. C. in uua Soc. Iesu 11 maii 1878 ad 11* (*3448*).

De delatione imaginum sanctorum (*remissive*). — An possint imagines sanctorum sub baldacchino deferri, vid. *Baldacchinus*.

De imaginibus in feretro non exponendis. — 2358 In feretro vel tumulo, dum pro aliquo defuncto exsequiae fiunt, tam praesente, quam absente cadavere, exponi nequit imago eiusdem defuncti; et sicubi iste abusus inolevit, curandum est, ut prorsus eliminetur. *S. R. C. in Senogallien. 30 apr. 1896* (*3898*).

Notandum. — Quaesitum fuit num 2359 liceret parvas imagines chartaceas B. M. V. in aqua liquefactas vel ad mo-

dum pillulae involutas ad sanitatem impetrandam deglutire. Et S. Congr. S. Officii respondit: « Dummodo vana omnis observantia et periculum in ipsam incidendi removeatur, licere » *S. U. I. ad arch. S. Iac. de Chile 3 aug. 1903.*

Conc. Nicaen. II definitio de sacris imaginibus; Conc. Constantinop. IV. can. 3 contra Photium; Const. Mart. V « Inter cunctas » 22 febr. 1418; Conc. Trid. sen. XXV decr. de invocatione, veneratione et reliquiis sanctorum et sacris imaginibus; Const. Pii VI « Auctorem fidei » 27 aug. 1794 prop. 69 sqq.; *Ben. XIV.* De serv. Dei beatif. etc. lib. IV p. 2 c. 21; *Pallaeotus* De sacris imaginibus; *Filesacus Io.* Selectorum lib. duo (in quorum altero etiam de sacris imaginibus); *Fronto Io.* Diss. de cultu sanctorum et imaginum etc. (Exstat ad calcem calendarii Romani ab eodem auctore vulgati); *Alt* Die Heiligenbilder; *Crosnier* Iconographie chrétienne; *Hack* Der christliche Bilderkreis; *Kreuser* Der christliche Kirchenbau und dessen Bilderbuch als Leitfaden für Kunstschulen, Künstler, geistliche und weltliche Kunstfreunde zur Wiederauffrischung altchristlicher Legenden; *De Rossi* Imagini scelte della B. Vergine Maria tratte dalle catacombe romane; *De Rossi* Roma sotterranea cristiana; *Stochbauer* Kunstgeschichte des Kreuzes; *Garrucci* Storia dell'arte cristiana; *Lüdtke* Die Bilderverehrung und die bildliche Darstellung in den ersten christlichen Jahrhunderten; *Wessely* Ikonographie Gottes und der Heiligen; *Liell* Die Darstellungen der allerseligsten Jungfrau auf den Kunstdenkmälern der Katakomben; *Ficker* Die altchristlichen Bildwerke im christlichen Museum des Lateran; *Montault* Traité d'ichonographie chrètienne; *Wilpert* Die Katakombengemälde und ihre alten Copien; *Wilpert* Ein Cyclus christologischer Gemälde aus der Katakombe der hh. Petrus und Marcellinus; *Frantz E.* Geschichte der christlichen Malerei: *Kraus F.* Geschichte der christlichen Kunst; *Pfeiderer R.* Die Attribute der Heiligen; *Detzel* Christliche Ikonographie; *Mendelsohn* Der Heiligenschein i. d. ital. Malerei seit Giotto; *Krücke A.* Der Nimbus u. verwandte Attribute i. d. frühchristl. Kunst; *Grossi Gondi F.* La dormitio Beatae Mariae. Contributo ad uno studio iconografico a proposito di una pittura dell'antica diaconia di S. Maria in Via Lata.

Immaculata Conceptio B. V. M. — 2360
Iuverit hic referre sequens decretum respiciens piam devotionem recolendi prima uniuscuiusque mensis sabbata in honorem immaculatae Conceptionis Deiparae.

« Revmus P. Dominicus Reuter minister generalis ordinis FF. minorum conventualium nuper exposuit, se anno quinquagesimo mox elapso, ex quo dogma de Immaculato Bmae Virginis Conceptu proclamatum est, veterem praxim, fere oblivioni datam, revocasse, exhibendi nimirum peculiarem cultum Virgini Deiparae singulis primis cuiusque mensis sabbatis, in obsequium tam singularis privilegii intuitu meritorum Christi eidem Virgini collati; quam piam praxim f. r. Clemens XIV literis apostolicis d. d. 10 iunii 1794 indulgentia biscentum dierum iam ditavit, acquirenda a christifidelibus, qui memoratis sabbatis praefati ordinis ecclesias adivissent.

Porro quum tam laudabile exercitium, nunc denuo propositum, vehementissimo cordis affectu christifideles sint prosecuti, ne huiusmodi tepescat pietas, sed imo ferventior in

posterum evadat, idem minister generalis humillimas preces SSmo Dno Nostro Pio PP. X admovit, ut christifidelibus, qui singulis primis sabbatis, vel etiam dominicis, haud interruptis, infra spatium duodecim mensium sacramentali poenitentia rite expiati sacraque mensa refecti, sive precibus, sive quoque meditationibus ad honorem Virginis absque originali maculae conceptae aliquamdiu vacaverint, simulque ad mentem Sanctitatis Suae oraverint, plenariam indulgentiam, defunctis quoque applicabilem, memoratis sabbatis vel dominicis lucrandam, tribuere dignaretur.

Sanctitas vero Sua votis revmi p. ministri generalis obsecundare optans, ut erga Dei Matrem magis foveatur fidelium religio, in omnibus pro gratia iuxta preces benigne annuere dignata est. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis non obstantibus quibuscumque ».

Datum ex Secretaria S. Congregationis indulgentiis sacrisque reliquiis praepositae, die 1 iulii 1905.

Hoc idem confirmatum est novo s. Officii decreto, quo declaratur universis christifidelibus, qui duodecim sabbatis haud interruptis ante festum Immaculatae Conceptionis B. M. Virginis, confessi ac s. synaxi refecti, sive precibus sive piis meditationi bus ad honorem eiusdem B. Virginis Imm. vacaverint et ad mentem Summi Pontificis pias ad Deum preces effuderint, plenariam indulgentiam, defunctis quoque applicabilem, singulis memoratis sabbatis lucrandam in perpetuum concessisse SS. DD. Pium PP. X. *S. U. I. 26 nov. 1908.*

Immunitas. — De natura et divisionibus immunitatis. — Immunitas est privilegium, quo res quaedam aut persona a communi aliqua obligatione seu onere eximitur. Suarez *de def. fidei cath. lib. IV. c. I. n. 2;* cfr. *l. 18 de verb. signif. D.* (*L. 16*). 2361

Immunitas vero ecclesiastica est privilegium (sumendo hoc nomen lato sensu, quatenus comprehendere potest ius aliquod naturale vel divinum, alicui specialiter conveniens, Suarez (*loc. cit.*), quo clerici vel res sacrae immunes sunt a quibusdam oneribus, quae aliis communia sunt.

Distinguitur in personalem, localem et realem.

De immunitate personali. — Immunitas personalis consistit in exemptione clericorum a laica iurisdictione. 2362

Ea clericis omnibus competit; Romano quidem Pontifici de iure divino, quatenus de iure divino liber est ab omni iudicio et iurisdictione seculari, etiam imperatorum et regum (cfr. *Allocutionem Leonis XIII kal. iun. a. 1888 habitam;* Palmieri *de Rom. Pont. th. XXIV*); aliis clericis de iure ecclesiastico, applicante ius divinum, et determinante in individuo modum in tuto collocandi conveniens decus status clericalis. Cfr. Conc. Trid. *sess. XXV. c. 20 de ref.* Immunitas enim in confuso sumpta, quatenus dicit ius, ne clerici eodem modo tractentur ac laici, atque a divino servitio et animarum ministerio distrahantur, clericis competit de iure divino; quatenus vero dicit in specie exemptionem a seculari iurisdictione secundum omnes determinationes, quae in sacris canonibus inveniuntur, est de iure

ecclesiastico, nec a iure civili ortum habet. Cfr. *prop. 30am damn. in Syll.*

An clerici sint immunes ab observantia legis civilis, vid. *Clerici*; a foro laicali, vid. *Fori privilegium*; quoad privilegium competentiae, vid. *Competentiae privilegium*; quoad privilegium servitiorum, seu exemptionis a muneribus publicis obeundis, Vid. *Exemptionis privilegium.*

Immunes praeterea clerici sunt ab onere subeundae militiae, ut docemur in Syllabo prop. 32, qua hic error damnatur: « Absque ulla naturalis iuris et aequitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundae exercendaeque militiae eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta ».

2363 **De immunitate locali.** — Immunitas localis ea est, qua a locis sacris excluduntur actus et usus profani, et ius asyli ad ea confugientibus tribuitur. Zallinger *in tit. 49 lib. III Decr.* § *481.*

Immunitate locali gaudent ex iure ecclesiastico ecclesiae etiam non consecratae (*c. 9 de immun. eccl. etc. X* [*III 49*]), imo exteriores quoque ecclesiarum partes, idest sacristia, turris, tectum, etc. (*c. 20 C. XVII. q. 4*); coemeteria etiam ab ecclesia disiuncta (*arg. rubr. c. 10 tit. cit. X.* [*III. 49*]; *c. 2 eiusd. tit.* [*III. 23*] *in 6°*); palatium episcopi (*c. 36. C. XVII. q. 4*); domus parochi, si sit ecclesiae coniuncta (Aichner *Comp. iuris eccl.* § *198*); religiosorum conventus, etc. (Schmalzgrueber *in tit. 49 lib. III Decr. num. 108*).

Quare haec omnia loca prohibentur adhiberi ad iudicia criminalia (*c. 5 tit. cit. X.* [*III. 49*]) vel civilia (*c. 1 tit. cit. X.* [*III. 49*], ad civiles conventus (*c. 2 tit. cit.* [*III. 23*] *in 6°*), ad ludos theatrales (*c. 12 de vita et hon. cler. X.* [*III. 1*]), choreas, etc. Licet tamen in his habere litterarias disputationes, conferre gradus academicos (Schmalzgrueber *l. c.* § *80*), synodum ecclesiasticam congregare. Ben. XIV. *de syn. lib. I. c. 5. n. 5.*

Praeterea haec omnia loca gaudent iure asyli (*cc. 9. 19. 20. 36. C. XVII. q. 4; Const.* Greg. XIV. « Cum alias » *IX kal. iun. a. 1591*); quod ius in eo consistit, ut rei ad ea confugientes non possint inde extrahi. Schmalzgrueber *l. c.* § *88.* Attamen nonnulli maiorum criminum rei a beneficio asyli exclusi sunt, ut latrones publici, grassatores viarum, homicidae animo praemeditato, falsificatores litterarum Apostolicarum, rei laesae maiestatis, et alii huiusmodi. Cfr. Ben. XIV *Inst. eccl. XLI.* § *3. sq.* Ius asyli etiam in iis regionibus, in quibus exoleverat, saltem quoad substantiam servandum est post constitutionem « Ap. Sedis ». *S. U. I. 22 dec. 1880.* Immunitatem hanc asyli ecclesiastici ausu temerario violare iubentes, aut violantes excommunicationem latae sententiae simpliciter R. P. reservatam incurrunt. *Const.* « Ap. Sedis » *ser. 2. n. 5.* Quoad hanc excommunicationem, vid. *Asylum.*

His adde sequentia ex Mühlbauer (*Th. res. S. C. C. v.* « *Cadaver* »), qui ex causa quadam agitata apud S. C. Imm. (*19 nov. 1849, 13 aug. 1850*) haec colligit:

« 1. Ius nullimode inesse laicae potestati effodiendi cadaver a loco immuni, quamvis laica potestas illud quaerat ut iustitia publica suum sortiatur effectum.

« 2. In concedenda ab ordinariis facultate exercendi laicam potestatem in loco immuni servatis servandis iuxta apostolicas facultates eos emittere debere protestationem iuxta caput " *Praelatis* " (*c. 2 de homic.* [*V. 4*] *in 6°*), quoties in venia concedenda ipsi videri possint in poena sanguinis cooperari.

« 3. Praeter excommunicationem, in quam ipso facto incurrunt immunitatis violatores, acta processus, quae ex violatione loci immunis fiunt, irrita esse. Cfr. *S. C. Imm. in Oritana 30 sept. 1704* ».

2364 **De immunitate reali.** — Immunitas realis in eo consistit, ut bona ecclesiae et clericorum sint immunia, seu exempta a iurisdictione civili et ab oneribus ab ea impositis. Santi in *tit. 49 lib. III Decr. n. 8.* Nomine autem ecclesiae veniunt etiam monasteria et causae piae. Haec quidem iure canonico (*cc. 4. 7 tit. cit. X.* [*III. 49*]; *cc. 1. 3 eiusd. tit.* [*III. 23*] *in 6°; c. un. eiusd. tit.* [*III. 17*] *in Clem.; Const.* Leon. X « Superna » *5 maii 1514;* Conc. Trid. *sess. XXV. c. 20 de ref.*); sed nostra aetate in civilibus societatibus, a Christo et eius ecclesia plerumque aberrantibus, haec omnia negliguntur omnino, et ecclesiae non solum a vectigalibus non liberantur, sed suis ipsis bonis saepe spoliantur.

Tit. de immunitate ecclesiarum, coemeterii et rerum ad eas pertinentium X. (III. 49); idem tit. (III. 23) in 6°; idem tit. (III. 17) in Clem.; idem tit. (III. 13) in Xvag. conm.; Bull. « Coenae » c. 18; Conc. Lat. V. § Cum a iure (1413-1417). Conc. Trid. sess. XXII. decr. de observ. et rit. in celebrat. miss., sess. XXV. c. 20 de reform.; Const. Pii V « Quum primum » 1 apr. 1566; Const. Greg. XIV « Cum alias » 24 mai 1591; Const. Benedicti XIII « Ex quo » 8 iunii 1725; Const. Clem. XII « In supremo » 1 febr. 1734; Const. Benedicti XIV « Officii nostri » 15 mart. 1750; Epist. Benedicti XIV ad inquisitores « Elapso » 20 februarii 1751; Const. Benedicti XIV « Detestabilem » IV idus nov. 1752; Const. Pii IX « Apostolicae sedis » IV id. octobr. 1869. *Albani Ioann. Hier.* Disputatio de immunitate ecclesiastica; *Germonius* De sacrorum immunitatibus; *Servantio Greg.* Difesa della potestà ecclesiastica; *Bracha Ios.* Analytica demonstratio ex testimonils et decretis a Clemente papa usque ad Gregorium VII, qua evidentissime demonstratur immunitatem tam personarum quam rerum esse de iure divino; *Vigianus Aug.* De ecclesiastica immunitate; *Ortiz Laur.* De politia et immunitate ecclesiastica; *Ambrosinus* Comm. in bullam Gregorii XIV de immunitate ecclesiarum; *Italia Mar.* In tertium librum Decr. de immunitate ecclesiarum; *Germoni Anast.* De sacrorum immunitatibus; *Pellegrini Alex.* De immunitate ecclesiae; *Gambacurta Petr.* De immunitate ecclesiarum in const. Gregorii XIV P. M. lib. VIII; *Sarpi* De iure asylorum; *Rittershusius* Ἀσυλία seu tract. de iure asylorum; *Chockier Io.* Vindiciae libertatis ecclesiasticae; *Gatticus Hier.* De immunitate ecclesiae; *Curtelli Mar.* De immunitate ecclesiae; *Hahn Henr.* De iuribus ac immunitatibus ss. ecclesiarum; *Popeus Flavius* De libertate ecclesiastica; *Del Bene Th.* De immunitate et iurisdictione ecclesiastica; *A. Bononia Ant.* De immunitate; *Karg Io. Frid.* De exemptionibus et subiectionibus clericorum; *Wiestuer* Ius asylorum; *Karg de Bebenburg* Diss. ad const. Greg. de immunitate locali; *Farina-*

cius De immunitate eccl.; *Menochii* De immunitate eccles.; *Govarts Petr.* Certamen pro immunitate ecclesiastica locali: *Fattollini Io. B.* Theatrum immunitatis et libertatis ecclesiasticae; *Stieff* Ius asyli; *Ricci* Synopsis, decreta et resolutiones S. Congregationis immunitatis super controversiis iurisdictionalibus; *Hedemann* De iniusta asylorum... extensione; *Perrimezzi* Della immunità de' sagri luoghi tra christiani; *Mascambrone* Degli asili dei cristiani: *Colla* De sacris asylis; *Hahn* De ancipiti in terris mixtae religionis asylorum iure: *Zech* Benignitas moderata ecclesiae romanae in criminosos, seu de iure asyli; *Pistorozzi* Ragionamento sul diritto dei sacri asili; *Assemanni* De ecclesiis, earum reverentia et asylo; *Helfrecht* Von den Asylen; *Wallon* Du droit d'asyle; *Dann* Ueber den Ursprung des Asylrechts und dessen Schicksale und Ueberreste in Europa; *de Beaurepaire* L'asile religieux dans l'empire romain; *Lennep* De iure asyli; *Proost* De droit d'asyle en Belgique; *Grashof* Die Gesetze der römischen Kaiser über das Asylrecht der Kirchen; *Bléteau* De l'asile et du droit d'expulsion en droit français; *Widder* Kirchliches und weltliches Asylrecht; *Bindschedler G.* Kirchliches Asylrecht (immunitas ecclesiarum localis) und Freistätten in der Schweiz; *Thomassin* P. II. lib. 3. cc. 95-100.

2565 **Impedimenta matrimonii. — De natura et divisione impedimentorum.** — Impedimentum generatim definiri potest: obstaculum morale seu inhabilitas efficiens, ut matrimonium pro desiderio et voluntate contrahi nequeat. B. P. *VI. 532.* Impedimenta relate ad ipsorum effectum sunt duplicis generis: impedientia, quae illicitum matrimonium reddunt; dirimentia, quae invalidum. Cfr. Feije *de imp. et disp. matr. n. 77.*

De impedimentis impedientibus. 2366 — Impedientia sunt:

Ecclesiae vetitum, seu prohibitio, particularis quidem ab ecclesia facta, hoc est ab aliquo superiore ecclesiastico (idest vel a R. P. pro universa ecclesia, vel ab episcopo pro sua dioecesi, cfr. *cc. 1. 2. 3 de matr. contract. contra interd. eccl. X.* [*IV. 16*], vel a parocho pro sua parochia, cfr. *c. 3 de clandest. desp. X.* [*IV. 3*]), ne aliquod matrimonium celebretur. Quae prohibitio, si fiat a Papa sub clausula irritante, evadit singulare impedimentum dirimens. Feije *l. c. n. 551.*

Tempus feriatum, quod nempe fluit a prima dominica adventus ad epiphaniam, et a die Cinerum usque ad octavam Paschae inclusive. Conc. Trid. *sess. XXIV cap. 10 de ref. matr.*; Ben. XIV *Inst. eccl. XIII. n. 9.* Hoc tempore prohibentur solemnitates nuptiarum (Rit. Rom. *tit. VII. c. 1 num. 18; S. C. P. F. 31 aug. 1839*), sed alicubi, ex consuetudine, ipsae nuptiae, nisi urgeat aliqua necessitas et adsit licentia ordinarii. Cfr. *S. R. C. in una Montis Alb. 14 aug. 1858 ad 1.* (*3079*). Vid. *Tempus feriatum.*

Sponsalia (vide *Sponsalia*).

Votum simplex castitatis, vel non nubendi, vel ingrediendi religionem, vel sacros ordines suscipiendi. *cc. 3. 5. 6 qui clerici vel vovent. etc. X.* (*IV. 6*).

Clandestinitas in locis, ubi pro aliquibus matrimoniis urget necessitas servandi formam substantialem (in Germania scilicet et in Hungaria pro matrimoniis mixtis). Vid. *Clandestinitas.*

Mixta religio, quum scilicet una

pars catholica, altera est acatholica sed baptizata. Vid. *Mixta matrimonia.*

Antiquitus enumerabantur etiam impedimenta catechismi (quod in duplici quodam facto consistebat, scilicet: *a*) in relatione inter cathechumenum et catechistam, et serius inter catechumenum et patrinum catechumenatus; *b*) in defectu necessariae cognitionis catechismi) et criminis (idest quorumdam graviorum criminum, ut incestus, uxoricidii, interfectionis propriae prolis, raptus sponsae alienae, etc. cfr. Ben. XIV *de syn. lib. IX. c. 12;* Giovine *de disp. matr. tom. 1. pag. 688;* Feije *l. c. n. 548*); quae tamen nunc sunt obsoleta, quamvis defectus necessariae cognitionis catechismi etiam nostra aetate possit esse ratio, cur matrimonium aliquod ad tempus aliquando prorogetur.

2367 ***De impedimentis dirimentibus.*** — **Quaenam sunt.** — Impedimenta vero dirimentia, seu ea quae impediunt, quominus matrimonium valide ineatur, quia tollunt habilitatem contrahendi, numerantur generatim quindecim, idest: Error, conditio, votum, ordo, cognatio, affinitas, publica honestas, crimen, cultus disparitas, vis et metus, ligamen, aetas, clandestinitas, impotentia, raptus. V. *singula suis locis.*

2368 **De iure, ex quo promanant.** — Impedimenta, relate ad ius, quo constituuntur, dividi possunt in impedimenta iuris naturalis et iuris positivi; haec autem subdividuntur in impedimenta iuris positivi divini, iuris positivi ecclesiastici, et, si sermo est de matrimoniis non christianorum, iuri quoque positivi civilis. Cfr. Feije *l. c. n. 81.*

De subiecto activo potestatis constituendi impedimenta. — 2369 Impedimenta constituendi potestas est in ecclesia (cfr. *prop. 68 damnatam in Syll.;* Conc. Trid. *sess. XXIV can. 3. 4. 9. 12;* Palmieri *de matr. th. XXVIII sqq.;* Feije *l. c. n. 2. sqq.;* Cavagnis *Inst. iur. publ. eccl. II. n. 185. sqq.*); et in ea sola quoad christianos (cfr. Bened. XIV *litt. ad Card. Eboracensem 9 febr. 1749;* Pium VI *litt. ad epum. Motulensem 16 sept. 1788;* Pium VII *litt. ad Napoleonem Imp. 27 iun. 1805;* Palmieri *l. c. th. XXXII;* Feije *l. cit. n. 22. sqq.*); et hoc ius est ecclesiae proprium seu nativum. *Const.* Pii VI «Auctorem fidei», *ubi damnantur prop. 59 et 60 Syn. Pistoriensis;* Palmieri *l. c. th. XXX.*

Quoad principes civiles brevissime hic nota, eos verius posse omnino statuere impedimenta etiam dirimentia pro suis subditis infidelibus. Et haec sententia ante seculum 18^um^. vix nacta est contradictores, sed et praeterea concordat maxime cum actis et praxi S. Sedis. Cfr. *Instr. S. C. P. F. ad missionarios in Indüs; ad vic. apost. Tungk. Occ. 26 ian. 1820.*

De subiecto passivo quoad impedimenta. — 2370 Impedimenta autem ab ecclesia constituta ligant omnes ecclesiae subditos, haereticos etiam et schismaticos. *Const.* Benedicti XIV «Singulari nobis» *9 febr. 1749; S. C. C. ad epum. Rosnaviensem 20 aug. 1780; S. U. I. ad arch. S. Iacobi de Chile 13 apr. 1867; 17 maii 1869.*

De vi horum impedimentorum. — Impedimentum dirimens, etiam invin-

cibiliter ignoratum, irritat matrimonium (B. P. *VI. 600*), verius etiam si sit huiusmodi impedimentum, quod habeat etiam rationem poenae (Reiffenstuel *in tit. 7 lib. IV Decr. n. 26;* Zallinger *in eumd. tit.* § *113;* Feije *loc. cit. n. 456*); quare contraria sententia, quam tenet Ballerini (B. P. *VI. 683 sqq.*) omnino admittenda non videtur, quod innuit ipse P. Palmieri in sua adnotatione *l. c. 688* (*a*).

Quid autem si impedimentum sit dubium, idest si probabile sit, impedimentum non exsistere? Distinguendum est inter impedimentum dubium dubio iuris et impedimentum dubium dubio facti. Si datur primum, practice certum est, licere absque petitione dispensationis contrahere. Ratio est, quia, si forte vere adsit impedimentum, ecclesia censetur supplere, et proinde validum est matrimonium. Hinc bene dicitur: impedimentum dubium (dubio iuris) impedimentum nullum. Si datur secundum, idest si adest dubium facti, seu adest sola probabilitas de non exsistentia facti, ex quo secundum legem oritur impedimentum, non licet tunc contrahere sine dispensatione. Ratio est, quia tunc non censetur ecclesia supplere. Patet autem haec valere de dubio impedimento iuris ecclesiastici; nam evidenter non licet contrahere cum dubio de exsistentia impedimenti iuris naturalis aut divini. B. P. *VI. 600.*

2372 **De dispensatione. — De subiecto activo dispensationis.** — Dispensatio ab impedimentis, quae matrimonium certo dirimunt iure divino, sive naturali, sive positivo, a nemine dari potest.

Ab impedimentis iuris ecclesiastici dispensare potest solus Papa. Cfr. *litt. Pii VI ad arch. Trevirensem 2 febr. 1782;* Ben. XIV *de syn. lib. IX. c. 2. n. 1. sqq.;* Palmieri *loc. cit. th. XXXV;* Feije *l. c. n. 603.*

Episcopi dispensare non possunt:

a) nisi ex delegatione Rom. Pontificis;

b) vel nisi agatur de impedimentis dirimentibus dubiis dubio facti (quum nempe dubitatur, an reapse illud exsistat, quod impedimentum esse certum est, ut ecce si vir coierit, et postea dubitat an seminaverit, vel an intra vas, aut extra), quo dubio exstante, Doctores censent, non licere sponsis absque dispensatione contrahere (S. Alph. *VI. 902;* B. P. *VI. 311. 974*); in impedimentis vero dubiis dubio iuris (quum dubitatur, an factum, quod cognoscitur, contineatur sub iure irritante) nulla est necessitas petendae dispensationis, ut diximus supra;

c) vel nisi agatur de impedimentis occultis et de casu urgentissimae necessitatis (Sanchez *de matr. II. c. 40. n. 8;* Pontius *de matr. VIII. c. 13. n. 4;* Reiffenstuel *Append. ad lib. IV. Decr. n. 15, 65;* Feije *de imp. et disp. matr. n. 633*);

d) vel nisi in periculo mortis, in quo dispensare possunt ab omnibus omnino iure ecclesiastico dirimentibus, excepto presbyteratu et affinitate lineae rectae ex copula licita. Leo XIII *per litteras S. U. I. 20 febr. 1888.*

Si vero agatur de matrimonio iam contracto, episcopus habet facultatem dispensandi in omnibus impedimentis occultis (*S. C. C. in Aegitanien. 19 apr. 1692;* Bened. XIV *de syn. lib. IX. c. 2. n. 1.*), dummodo tamen:

a) matrimonium contractum fuerit in facie ecclesiae, servatis omnibus solemnitatibus servandis (Feije *l. c. n. 634*);

b) et contractum fuerit bona fide (saltem ex parte unius, S. Alph. *VI. 1124*), idest dummodo unus saltem sponsorum impedimenti fuerit inscius (excusat in hoc ignorantia etiam crassa, sed non affectata, Sanchez *de matr. II. disp. 40. n. 4*);

c) et fuerit consummatum (quod tamen praesumitur);

d) et S. Sedes facile adiri non possit;

e) et separatio fieri non possit sine scandalo. G. B. *II. 675. 3.* (*); Feije *de imped. et disp. matr. n. 634.*

Notandum hic est in quocumque indulto concedendi dispensationes ab impedimentis sive dirimentibus sive impedientibus numquam comprehendi facultatem huiusmodi dispensationes concedendi regibus aut regiae stirpis principibus; haec enim facultas exclusive et speciali modo reservata est Sedi Apost. *S. C. S. 7 mart. 1910.*

2373 **De effectu dispensationis.** — Dispensatio semel data aufert impedimentum; ideoque, etsi ageretur de impedimento dubio, quod postea certum apparuerit, non oportet novam dispensationem impetrare. Huic propositioni haec addit D'Annibale (*III. 498* [*26*]): « Fagnanus in caput *Nimis n. 41 de s. e. in 6°* aliud putat, exemplo excommunicationis, a qua quis absolvitur in articulo mortis. Sed numquid coniuges in impedimentum et nullitatem matrimonii reincidere possunt? Illud potius quaeri potest, si impedimentum postea innotuerit; utrum opus sit nova dispensatione romani Pontificis. Recepta sententia est, dispensationes huiusmodi dari (perinde quasi a S. Poenitentiaria) quoad forum dumtaxat internum, quo admisso, consequens est dicere, opus esse, atque ideo coniuges interim esse (ab episcopo, non a parocho) separandos. (Hanc sententiam affirmantem dispensationes has dari pro foro tantum interno, veluti extra dubium positam, tradit etiam Gasparri *de matr. I. 408*, ex Ben. XIV *de syn. lib. IX. c. 2. n. 1*). Et ita de Iustis *II. II. 151. 153*, sed non bene, ex Corrad. *VII. 6. 35.* At, utrum hoc admittendum sit, dubitat Pontius *VII. 13. 5.* Et recte: 1° quia haec doctrina, cuius auctor fuisse videtur Henriquez, deducta est ex Tridentino *XXV. R. 6*, quod heinc longissime distat. - 2° Quia non bene episcopi heic dispensare dicuntur, S. P. loco, quia haec regulariter dispensat ad *infamiam* tantum, illi ad damna vitanda; alias nefas eis esset dispensare in his, quae non sunt occulta natura sua. - Demum 3° quia nulla subest ratio, cur data, ex tacita delegatione rom. Pontificis eiusque loco, dispensatio rata esse non debeat quoad forum externum in his impedimentis, quae ad forum externum pertinent. Sane quae damna studemus avertere, dum impedimentum latet, ea, et longe deteriora, redintegramus, quum innotescit. Haec timidus ego; num bene, sapientes animadvertant ».

Nota etiam hic in concessione dispensationum ab impedimentis matrimonialibus ex causis inhonestis iuxta praxim S. Congr. de Sacramentis non intelligi tacite concessam or-

dinario facultatem declarandi legitimam prolem susceptam ante exsecutionem dispensationis et celebrationem matrimonii, sed requiri ut prolis legitimatio ab oratoribus petatur eaque in rescripto concedatur. *S. C. S. 29 ian. 1909.* Vid. *Legitimatio.*

2374 **De cumulatione dispensationum.** — Episcopus generatim nequit concedere absque speciali facultate dispensationem ab impedimentis matrimonialibus relate ad matrimonium contrahendum, quando in una eademque persona plura huiusmodi impedimenta concurrunt (*S. U. I. 18 maii 1869*); hoc autem non extenditur ad eos casus, in quibus cum impedimento natura sua publico aliud occurrit impedimentum occultum, seu fori interni. *S. U. I. 18 aug. 1897.*

Attamen extenditur ad casum, quando concurrant duo impedimenta, quorum unum sit dirimens, et alterum impediens tantum, si hoc huiusmodi sit, ut eius dispensatio reservetur Sanctae Sedi, si nempe agatur de impedimento mixtae religionis, aut sponsalium, aut voti simplicis perpetuae castitatis. *S. U. I. decr. nuper cit.*

Hinc est, quod eadem Congregatio S. Officii, ad dubium, « In form. 1. facult. S. C. de Prop. Fide facultas tribuitur dispensandi in quibusdam consanguinitatis et affinitatis gradibus. Dubitatur num particula *et* copulative an disiunctive intelligenda sit? » respondit: « Verba formulae ita accipienda esse, ut facultas concessa intelligatur dispensandi tam ab impedimento consanguinitatis quam ab impedimento affinitatis, seiunctim tamen; non autem quando utrumque impedimentum in uno eodemque casu concurrant ». *S. U. I. 2 iul. 1884;* cfr. etiam *S. C. C. in Cephaluden. 22 iul. 1899.*

De facultate dispensandi in articulo mortis. — Diximus, Leonem XIII (per litteras S. Officii) *20 febr. 1888*) delegasse episcopis facultatem dispensandi in articulo mortis ab omnibus impedimentis matrimonialibus. Porro, quum hoc ad praxim sit magni momenti, iuvat hic referre integrum illud decretum, quod est sequens: « De mandato SS. D. N. Leonis XIII supremae Congregationi S. R. et U. I. nuperrimis temporibus duplex quaestionum genus exponendum propositum fuit. Primum respicit facultates, quibus, urgente mortis periculo quando tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem, augere conveniat locorum ordinarios dispensandi super impedimentis publicis matrimonium dirimentibus cum iis, qui iuxta civiles leges sunt coniuncti aut alias in concubinatu vivunt, ut morituri in tanta temporum angustia in faciem ecclesiae rite copulari et propriae conscientiae consulere valeant; alterum spectat ad exsecutionem dispensationum, quae ab apostolica Sede impertiri solent. 2375

Ad primum quod attinet, re serio diligenterque perpensa, approbatoque et confirmato emm. PP., una mecum generalium Inquisitorum suffragio, Sanctitas sua benigne annuit pro gratia, qua locorum ordinarii dispensare valeant sive per se, sive per ecclesiasticam personam sibi benevisam, aegrotos in gravissimo mortis periculo constitutos, quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem, super

impedimentis, quantumvis publicis, matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro presbyteratus ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente.

Mens autem est eiusdem Sanctitatis suae, ut, si quando, quod absit, necessitas ferat, ut dispensandum sit cum iis, qui sacro subdiaconatus aut diaconatus ordine sunt insigniti, vel solemnem professionem religiosam emiserint, atque, post dispensationem et matrimonium rite celebratum, convaluerint, in extraordinariis huiusmodi casibus, ordinarii de impertita dispensatione supremam S. Officii Congregationem certiorem faciant, et interim omni ope curent, ut scandalum, si quod adsit, eo meliori modo, quo fieri possit, removeatur, tum inducendo eosdem, ut in loca se conferant, ubi eorum conditio ecclesiastica aut religiosa ignoratur, tum, si id obtineri nequeat, iniungendo saltem iisdem spiritualia exercitia, aliasque salutares poenitentias atque eam vitae rationem, quae praeteritis excessibus redimendis apta videatur, quaeque fidelibus exemplo sit ad recte et christiane vivendum.

De altero vero quaestionum genere, item approbato et confirmato eorumdem emorum Patrum suffragio, Sanctissimus sanxit:

1° Dispensationes matrimoniales omnes in posterum committendas esse vel *oratorum ordinario,* vel *ordinario loci.*

2° Appellatione *ordinarii* venire episcopos, administratores seu vicarios apostolicos, praelatos seu praefectos habentes iurisdictionem cum territorio separato, eorumque officiales seu vicarios in spiritualibus generales, et sede vacante, vicarium capitularem vel legitimum administratorem.

3° Vicarium capitularem seu administratorem eas quoque dispensationes apostolicas exsequi posse, quae remissae fuerint episcopo aut vicario eius generali vel officiali nondum executioni mandatas sive hi illas exsequi coeperint, sive non. Et vicissim, sede deinde provisa, posse episcopum vel eius vicarium in spiritualibus generalem seu officialem exsequi dispensationes, quae vicario capitulari exsequendae remissae fuerant, seu hic illas exsequi coeperit, seu minus.

4° Dispensationes matrimoniales ordinario oratorum commissas exsequendas esse ab illo ordinario, qui litteras testimoniales dedit, vel preces transmisit ad S. Sedem apostolicam, sive sit ordinarius originis sive domicilii, sive utriusque sponsi, sive alterutrius eorum; etiamsi sponsi, quo tempore exsecutioni danda erit dispensatio, relicto illius dioecesis domicilio, in aliam dioecesim discesserint non amplius reversuri, monito tamen, si id expedire iudicaverint, ordinario loci, in quo matrimonium contrahitur.

5° Ordinario praedicto fas esse, si ita quoque expedire iudicaverit, ad dispensationis exsecutionem delegare alium ordinarium, eum praesertim, in cuius dioecesi sponsi actu degunt».

Die autem nona ianuarii 1889, iidem emi Patres censuerunt «supplicandum SSmo, ut decernere et declarare dignetur, ordinarios, quibus memorata facultas litteris diei 20 februa-

rii 1888 data fuit, posse illam subdelegare habitualiter parochis tantum, sed pro casibus, in quibus desit tempus ad ipsos ordinarios recurrendi, et periculum sit in mora ». Et summus Pontifex benigne annuit, ut episcopis significavit cardinalis R. Monaco la Valletta *1 mart. 1889.*

2376 Nomine autem *parochorum* hic veniunt omnes, qui actu curam animarum exercent, exclusis vice-parochis et cappellanis (*S. U. I. 22 apr. 1890*), sed inclusis missionariis, qui parochialibus funguntur muneribus, quamvis parochi stricte dici non valeant. *S. U. I. 23 apr. 1890.*

Attamen episcopo Colocen. et Bacsen. petenti concessum est ad quinquennium, ut valeret hanc facultatem delegare sacerdotibus idoneis in locis dioecesis remotioribus, dummodo tempus desit recurrendi ad ordinarium vel parochum, et periculum sit in mora. *S. U. I. 25 maii 1898.*

2377 *Subiectum* vero istius dispensationis sunt aegroti in gravissimo mortis periculo constituti, quod tamen ita intelligendum est, ut episcopus dispensare possit cum iis, qui vel iuxta civiles leges sunt coniuncti, vel alias in concubinatu vivunt (nam secus, si neque civiliter sunt coniuncti, neque vivunt in concubinatu, cum illis dispensare nequit [*S. U. I. ad arch. Compostellan. 17 sept. 1890, 3 maii 1899*]; attamen, si concubinatus, etsi non materialiter, formaliter tamen perseveret, ut si partes ob aliquam causam, quae non sit sincera conversio, actualiter disiunctae sint, sed illicitos adhuc foveant amores, posse episcopos dispensare putat Monitore ecclesiast. *vol. XI pag. 147 nota*), quocumque ex eis in mortis periculo constituto. Quare, sic aegrotante puella, quacum diaconus, qui hic et nunc bene valet, concubinarie vivit, episcopus dispensare potest. *S. U. I. 1 iul. 1891.*

Obiectum autem istius dispensatio- 2378
nis sunt impedimenta dirimentia omnia, duobus illis supra enumeratis exceptis: quare comprehenditur etiam impedimentum clandestinitatis, et proinde parochus ab episcopo habitualiter delegatus potest, in sua parochia, coniungere, etiam sine testibus, tales dispensando a testium praesentia, quum omnino non sunt, qui testium munere fungi possint. *S. U. I. 13 dec. 1899.* Comprehenditur etiam impedimentum disparitatis cultus, quippe quod est impedimentum dirimens, et tunc solitae cautiones sunt exigendae (*S. U. I. 18 mart. 1891, 12 apr. 1899*); non comprehenditur vero impedimentum mixtae religionis, utpote impedimentum impediens. *S. U. I. 18mart. 1891.* Attamen et in hoc impedimento mixtae religionis facultas dispensandi ad triennium data est sub solitis clausulis alicui episcopo petenti. *S. U. I. 12 apr. 1899; in Argentinen. 10 dec. 1903.*

Quaesitum etiam est, an in concessione facta decreto 20 febr. 1888, intelligeretur etiam concessa facultas declarandi legitimam prolem spuriam, forsitan a concubinariis vigore dictae facultatis dispensandis, susceptam; et responsum est: Affirmative, excepta prole adulterina, et prole proveniente a personis ordine sacro aut solemni professione religiosa ligatis. *S. U. I. 8 iul. 1903.*

2379 His omnibus, quae iam concesserat Leo XIII, accesit novus favor a SS. D. N. Pio X impertitus, vi cuius quilibet sacerdos, qui ad normam art. 7 decreti *Ne temere*, imminente mortis periculo, ubi parochus vel loci ordinarius vel sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat, coram duobus testibus matrimonio assistere valide ac licite potest, in iisdem rerum adiunctis dispensare quoque potest super impedimentis omnibus etiam publicis matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, exceptis sacro presbyteratus ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita. *S. C. S. 14 maii 1909.* Haec autem facultas valet non tantum pro concubinariis, sed etiam tum quum alia adest causa ad consulendum conscientiae et (si casus ferat) legitimationi prolis. *S. C. S. 16 aug. 1909.*

Nota autem decreto diei 14 maii 1909 comprehendi etiam parochos, etsi non fuerint ad normam declarationis S. Officii diei 9 ianuarii 1889 habitualiter subdelegati a propriis ordinariis. *S. C. S. 29 iulii 1910.*

2380 **De iusta causa ad dispensationem requisita.** — Patet ad liceitatem dispensationis requiri iustam causam.

Circa quod notandum est, dispensationes ab impedimentis dirimentibus ex Normis peculiaribus (*c. VII. a. 3. n. 19 sqq.*) additis const. « Sapienti consilio » distingui in duplicem classem, in dispensationes scilicet *gradus minoris* et dispensationes *maioris gradus.*

Dispensationes gradus minoris sunt dispensationes ab impedimentis:

a) Consanguinitatis et affinitatis tertii et quarti gradus lineae collateralis, sive aequalis sive inaequalis, hoc est quarti gradus mixti cum tertio vel tertii mixti cum secundo;

b) Affinitatis in primo gradu et in secundo simplici vel mixto cum primo, ubi hoc impedimentum ex illicito commercio procedat;

c) cognationis spiritualis cuiusvis generis;

d) publicae honestatis sive per sponsalia sive per matrimonium, super quod iam dispensatum sit fueritque solutum.

Impedimenta maioris gradus alia sunt omnia. Dispensationes tamen, quae ab his concedi solent, legitima interveniente causa, sunt dispensationes ab impedimentis:

a) consanguinitatis secundi gradus lineae collateralis aequalis, et secundi vel tertii gradus primum attingentis;

b) affinitatis primi et secundi gradus lineae collateralis aequalis, et secundi vel tertii gradus primum attingentis;

c) criminis ex adulterio cum promissione futuri matrimonii:

Ad concedendas dispensationes ab 2381
impedimentis maioris gradus requiritur, ut antea, causa canonica, quae ab oratoribus exprimenda est et a S. Congregatione cognoscenda. Sacra autem Congregatio non intelligitur dispensationem concedere, nisi petitio immunis sit a quocumque obre ptionis aut subreptionis vitio. Causae autem hae canonicae sequen tes sunt:

a) aetas superadulta (24 anni etiam non impleti) puellae (Reiffenstuel *l. c. n. 92;* Giovine *l. c. tom. I. p. 375 sqq.,*

tom. 2. p. 224 sqq; Instr. S. C. P. F. 9 maii 1877; Feije *loc. cit. n. 664*);

b) defectus dotis (cfr. *S. C. C. 28 iun. 1873; Instr. S. C. P. F. 9 maii 1877;* Reiffenstuel *l. c. n. 81*; Giovine *l. c. tom. I. p. 373 sq., tom. 2. p. 211 sqq.*; Feije *l. c. n. 655*);

c) angustia loci (cfr. *S. C. C. 8 iul., 16 dec. 1876*; Reiffenstuel *l. c. n. 76; Instr. S. C. P. F. 9 maii 1877;* Feije *l. c. n. 651*);

d) sedatio gravium inimicitiarum inter oratorum consanguineos (*Instr. S. C. P. F. 9 maii 1877:* Reiffenstuel *l. c. n. 72;* Giovine *l. c. tom. I pag. 375, tom. 2 pag. 222;* Feije *l. c. n. 661*);

e) copula carnalis iam habita inter eos (*Instr. S. C. P. F. 9 maii 1877;* Reiffenstuel *loc. cit. n. 94;* Zitelli *de disp. et imp. matr. pag. 65;* Feije *l. c. n. 675*);

f) infamia mulieris ex nimia conversatione cum viro (*Instr. S. C. P. F. 9 maii 1877;* Reiffenstuel *l. c. 95;* Zitelli *l. c.;* Feije *l. c. n. 673*);

g) paupertas viduae filiis gravatae (Giovine *l. c. tom. I. pag. 376;* Zitelli *l. c. pag. 64;* Feije *l. c. n. 663*);

h) revalidatio matrimonii invalide contracti (Reiffenstuel *l. c. n. 97;* Zitelli *l. c. p. 65;* Feije *l. c. n. 677*);

i) periculum matrimonii mixti, vel civilis, vel coram acatholico ministro celebrandi (*S. U. I. 17 apr. 1820, 14 aug. 1822;* Zitelli *l. c. p. 66*; Feije *l. c. n. 666*);

k) excellentia meritorum (Reiffenstuel *l. c. n. 17;* Feije *l. c. n. 672*).

Papa dispensat aliquando, in his quoque impedimentis maioris gradus, etiam « ex certis et rationabilibus causis », idest sine aliqua causa canonica ex communiter recensitis, maiorem componendam seu taxam imponens. Reiffenstuel *l. c. n. 98;* Feije *l. c. n. 667.* Datur nempe aliquando dispensatio « sine causa », idest sine causa in supplicatione expressa. Quod tunc fit, « quum eam, quia causa turpis est, ob honorem mulieris vel alias narrari non expedit in publico documento; manifestata tamen ea est per oratorum preces, et summo Pontifici proposita ». *Praxis disp. super imp. matr. n. 132.*

In plerisque autem casibus enumeratis proxima causa dispensandi est, ut vitentur probabilissima scandala, et ne puella innupta maneat.

Quando autem agitur de dispensa- 2382
tionibus minoris gradus, eae nunc conceduntur semper *ex rationalibus causis a S. Sede probatis,* idest sine aliqua causa canonica ex communiter recensitis, et ita ut vim habeant ac si ex motu proprio et ex certa scientia impartitae essent. Quare nulli erunt, ut loquitur ipsa constitutio « Sapienti consilio », impugnationi obnoxiae sive obreptionis vitio sive subreptionis.

Circa quod tamen nota, ius novissimum huic clausulae « ex motu proprio » aliquam maiorem tribuere vim, quam ea fuerit, quae hucusque vigebat. Prius enim iuxta Doctores haec clausula sanabat quidem vitium subreptionis (*c. 23 de praebendis, etc., X.* [*III. 4*] *4 in 6°; c. 4 de praebendis etc.* [*III. 2*] *in Clem.*), non autem obreptionis. Barbosa *de clausulis claus. 79. n. 22;* Reiffenstuel *in tit. 3 lib. I Decr. n. 207.*

De causis canonicis supra relatis plura vide suis locis.

2383 **De tribunali adeundo pro dispensationibus obtinendis.** — Pro omnibus autem impedimentis occultis, Poenitentiaria, pro aliis s. Congregatio de sacramentis, adiri debet, exceptis impedimentis disparitatis cultus et mixtae religionis, quae ad s. Officium pertinent.

Quando duo essent impedimenta, publicum unum, alterum occultum, recurrendum esset ad s. Congregationem de sacramentis pro publico, et ad Poenitentiariam pro occulto; sed in recursu ad Poenitentiariam necesse est manifestare etiam impedimentum publicum, a quo iam habita est, vel saltem petita dispensatio a S. Congr. sacramentorum. Eeije *de imp. et disp. matr. n. 689.*

Pariter quando impedimentum oritur ex publico delicto, cuius cognitio spectat ad S. Officium, cuiusmodi sunt ea omnia, quae secumferunt suspicionem de haeresi (ut esset impedimentum criminis ex secundis nuptiis attentatis etc.), dispensatio concedenda est a S. Officio.

Sacra Congregatio de Propaganda Fide ante const. «*Sapienti consilio*» dispensabat quoad omnia impedimenta pro regionibus sibi subiectis (cfr. Zitelli *de dispensationibus matrim. p. II. c. 1*); nunc ea facultate per se privatur (Const. «Sapienti consilio» *a. 6. n. 4*); re tamen cum Congregatione de sacramentis agitata et composita potest adhunc episcopis, vicariis apostolicis, praefectis vel moderatoribus missionum in suis regionibus concedere solitas formulas facultatum, quarum plures matrimonium respiciunt. *S. C. Cons. 12 nov. 1908 ad 2.*

Prohibebatur sub poena nullitatis post aditam unam Congregationem pro dispensatione obtinenda aliam adire (certe saltem, si reticitum fuisset, aliam aditam fuisse Congregationem); nunc autem «etsi, abrogata iurium cumulatione in S. Sedis officiis, sua cuique negotio sit constituta Sedes; nihilominus quia in peculiaribus casibus dubitationi aut errori locus esse potest, firma manet antiqua lex, qua, delato et excepto ab aliquo officio supplici libello pro impetranda re sive ad gratiam pertinente, sive ad iustitiam, nemini ulla de causa licet aliud suo marte officium ad eumdem finem adire; sed opus est assensu officii ipsius, quocum agi coeptum est, aut Congregationis Consistorialis decreto, quo venia detur transmittendi negotii. Quaevis concessio ab officio alio profecta, contra memoratam legem, irrita est. *Normae pecul. c. 1. n. 2.* Hoc raro quidem eveniet in dispensationibus matrimonialibus, in quibus casus erroris verificari ant non potest aut difficillime saltem, sed lex eas quoque comprendendit. Pariter sub poena nullitatis prohibetur, dispensatione denegata ab Apostolica Sede, *eadem allegata causa,* eam petere ab ordinario. Inn. XII *decr. 4 iun. 1692;* Clem. XIII *decr. 15 apr. 1758*: B. P. *VI, 950.*

De exprimendis in petitione dispensationis. 2384 — In petitione dispensationis maioris gradus pro foro externo exprimenda necessario de iure sunt sub poena invaliditatis: *nomina et cognomina*

oratorum, nec non *dioecesis*, cuius ordinarius dat litteras tistimoniales (et si in nomine dioecesis erratur, vitiatur dispensatio et obtinendae sunt litterae *Perinde valere*, Gasparri *de matr. I. 335* [*1*]; *species infima impedimenti*, seu *impedimentorum causae dispensandi;* quaecumque demum exprimenda sunt de iure vel ex stylo curiae, ne petitio sit subreptitia. Vid. *Obreptio*; cfr. etiam Instr. S. C. P. F. *9 maii 1877* super hoc datam. Antiquitus exprimenda erat et copula incestuosa, quae obligatio a Leone XIII sublata est, per litteras encyclicas S. Officii *25 ian. 1885*.

Iuverit autem hic quaedam referre ex libello « Praxis ap. disp. super imped. matr. », quae significant antiquam Datariae praxim, quaeque, congrua congruis referendo, indicant praxim nunc quoque, ut puto, vigentem apud S. Congregationem de sacramentis. Dicitur igitur, praecipuum esse « exponere in individuo impedimentum, cuius petitur dispensatio. Non enim conceditur, nisi illud quod petitur, nisi evidenter, quod non est per errorem manifestatum, virtualiter contineatur in eo, quod per errorem fuit expositum, et deinde concessum. Puta, si, petita dispensatione, eaque concessa, ab impedimento secundi gradus consanguinitatis, deinde, facta ab exsecutore verificatione, reperiatur impedimentum non esse in secundo gradu, sed in tertio.

« Atque hic notandum est discrimen inter facultatem concessam dispensandi et concessam dispensationem. Facultas dispensandi ordinariis concessa, ad tempus definitum, vel ad certum casuum numerum, late accipitur.

« Hinc facultas concessa dispensandi in tali gradu extenditur ad quoscumque gradus eiusdem generis, nempe ad duplicem, triplicem, quadruplicem etc. Ratio est, quia praedicta concessio beneficium principis est, praeter ius concessum, nullique tertio praeiudicium afferens. Dispensatio e contra stricte est accipienda, quum ipsa exorbitet a iure communi, illudque quasi laedat et vulneret. Hinc dispensatus ex. gr. super tertio gradu consanguinitatis, non est ideo dispensatus super tertio gradu affinitatis, quamvis vinculum consanguinitatis sit fortius affinitatis vinculo; quia diversae speciei sunt impedimenta.

« Quare impedimentum exponendum est in sua specie infima; et, si plura sint impedimenta, sive eiusdem, sive diversae speciei, omnia quoad validitatem dispensationis, per se loquendo, exponenda sunt. *Per se loquendo;* nam vi clausulae: *ac aliis bona fide forsan reticitis... non obstantibus,* valida esse poterit dispensatio, si nempe *alia, bona fide,* et non ex dolo malo, et *ex mala fide* fuerint omissa.

» *Aliis,* similibus scilicet *impedimentis.* Quare ea clausula nullo modo comprehenduntur impedimenta, a quibus S. Sedes numquam hactenus dispensavit; neque comprehenduntur impedimenta, a quibus S. Sedes nonnisi rarissime dispensat; neque comprehenduntur impedimenta, a quibus Dataria apostolica regulariter non dispensat; neque comprehenduntur impedimenta quae *speciali* indigent *mentione.*

« Reliqua impedimenta non com-

prehenduntur, si *difficilioris* per se essent dispensationis, quam impedimentum in supplicatione expositum et dispensatum.

« *Speciali mentione* indigent ea omnia impedimenta, quae nonnisi ex audientia Sanctissimi, vel ex audientia emi Datarii dispensantur, et super quibus in ordinario Datariae congressu, singulis hebdomadis, consultatio instituitur. Huiusmodi sunt impedimenta in primo, vel in primo et secundo gradibus. Quibus accedunt omnia alia impedimenta, in quibus dispensandis desideratur *specialis causa canonica.*

« Si dispensatio obtenta fuerit ab uno impedimento, ex. gr. consanguinitatis, quae non fuerit sortita suum effectum, ex. gr. quia praemortua est sponsa; et deinde petatur alia dispensatio ab alio impedimento, ex. gr. affinitatis, ad contrahendum cum alia, opus non est commemorare priorem habitam dispeusationem.

« Opus item non est nova dispensatione, si, hac exsecutioni iam data, nolint amplius sponsi matrimonium contrahere, et mutata deinde voluntate, de facto contrahant, quamvis post notabile tempus, quia manent semper dispensati.

« Si aliam quis dispensationem antea impetraverit, eaque usus fuerit, debet illius mentionem facere, quum agitur vel de *eodem* castitatis *voto,* quia posterior dispensatio est quasi extensio prioris et nova dispensatio; vel de *eodem crimine,* quia difficilius parcitur pluries peccanti, et difficilior est altera dispensatio super eodem delicto ». *Praxis etc. nn. 26-32.*

Quaedam circa exsecutionem dispensationis. — Notandum hic quoque est, poenitentias in exsecutione dispensationum matrimonialium omnino imponendas esse, sed omissum earumdem adimplementum secum non ferre dispensationis invaliditatem (*S. Poen. 14 dec. 1891*); imo clausulae praescribenti impositionem poenitentiae censeri satisfactum, etiamsi ficto animo ab iis suscipiatur, qui dispensantur. *S. Poen. 12 nov. 1891.* In imponendis autem poenitentiis, quae non specificantur, ab exsecutore habenda est ratio conditionis, aetatis, virium, aliarumque qualitatum personarum, quibus dispensatio impertitur. *S. Poen. decr. cit. 14 dec. 1891.* 2385

Valde autem hic annotare interest, in praesenti, quum gratiae, ac dispensationes omne genus a S. Sede, concessae, etiam censura irretitis, ratae sint ac legitimae, nisi de iis agatur qui nominatim excommunicati sint aut a S. Sede nominatim pariter poena suspensionis a divinis mulctati (*Normae pecul. c. III n. 6*) supervacaneas esse omnes quaestiones, quae antiquitus fiebant de neeessitate praemittendi exsecutioni dispensationis absolutionem a censuris.

De casu, quem vocant perplexo. — — Quaerunt hic doctores, quid agendum in casu, quum, omnibus iam paratis ad nuptias, deprehenditur matrimonio officere aliquod impedimentum; qui casus, quum in magnas saepe perplexitates parochum aut confessarium inducere soleat, ideo vocatur *casus perplexus.* 2386

Porro iam diximus in superioribus, episcopum (scilicet ordinarium, hinc

etiam vicarium capitularem, non vero vicarium generalem) posse in casu urgentissimae necessitatis dispensare ab omnibus impedimentis occultis: quam facultatem quum episcopi habeant vi muneris, ordinaria est, quam proinde delegare possunt etiam habitualiter. Quare in casu praedicto, quando sponsi accedunt ad matrimonium contrahendum, et deprehenditur adesse aliquod impedimentum occultum (iuris ecclesiastici,ut patet, nam, si esset iuris divini, planum est matrimonium numquam posse valide celebrari), ac proinde matrimonium differri nequit sine scandalo et infamia, potest episcopus dispensare. Ben. XIV *de syn. lib. VII. cap. 31. n. 2;* S. Alph. *VI. 613.*

Sed aliquando impossibilis est recursus ad episcopum, quod tunc maxime verificatur, quum parochus vel confessarius in ipsa confessione poenitentis detegit impedimentum. Tunc, si contrahentes sunt in bona fide, in ea videntur relinquendi, curantibus tamen confessario aut parocho statim expetere a S. Poenitentiaria relaxationem impedimenti aut dispensationem in radice.

Quod si confessarius non solum impedimentum detegit, sed simul deprehendit sponsos, vel unum ex eis, non esse in bona fide, potest declarare legem impedimenti in casu cessare, nisi forte sperari posset, sponsos copulae operam non esse daturos, priusquam perveniat dispensatio sacrae Poenitentiariae, ut esset ex. gr., si vir impedimenti conscius puellam uxorem duceret, quae rei matrimonialis ignara debitum certe non esset exactura. Ratio principalis assertionis est, quia lex impedimenti est lex ecclesiastica, ut in casu supponitur, quae profecto cedere debet legi naturali de vitando scandalo et infamia; et praeterea lex, quae esset nociva et non utilis, non est lex. Cfr. Pignatelli *Cons. mor. tom. III. cons. 33. n. 5;* Roncaglia *tr. XXI. q. 5. c. 1. § 2;* S. Alph. *VI. 613.*

Nec placet restrictio, quam ponit auctor ephemeridis « Monitore ecclesiastico » (*vol. XII pag. 22*) post alios (qui tamen [*ibidem et vol. XI. p. 38*] praecedenti doctrinae plene subscribit), volens scilicet, unum saltem ex sponsis esse in bona fide, quum fraus et dolus nemini debeat patrocinari. Nam, quamvis haec sit notissima regula iuris, notandum tamen est, cessationem impedimenti non haberi praecise ad iuvandos sponsos, sed ad vitandum scandalum et infamiam. Porro, etiamsi quis dolo egerit, adhuc tamen ius habet vitandi infamiam suam, et praeterea urget necessitas gravior vitandi commune scandalum. Nec dicendum videtur, requiri bonam fidem ex Tridentino (*sess. XXIV. c. 5. de ref. matr.*) aiente: « Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere praesumpserit, separetur, et spe dispensationis consequendae careat ». Ibi enim Tridentinum loquitur de casibus et de impedimentis publicis, non autem occultis, in quibus proinde casibus non militat ratio de infamia aut scandalo vitando.

Postquam autem confessarius declaravit impedimentum in casu non subsistere, et matrimonium celebra-

tum fuit, omnes dicunt, recurrendum esse ad S. Poenitentiariam, ut dispensationem concedat, vel ab impedimento, vel, si opus fuerit, in radice (melius diceres, ut vel datam dispensationem ratificet, vel cessasse impedimentum confirmet) ob reverentiam, quae debetur legibus ecclesiae. Verum probe advertit auctor ephemeridis « Monitore ecclesiastico » (*loc. cit. et vol. XI. p. 39*) hoc valde esse conveniens, non tamen esse praeceptum. Ita etiam Roncaglia *loc. cit.*

Nota tamen, non omnes doctores in expositam sententiam convenire. Nam, etiam praetermissis illis, qui putant in casu ineluctabiliter abstinendum esse a matrimonio celebrando, donec habita fuerit dispensatio; alii sunt, qui putant quidem, posse parochum et sponsos devenire ad celebrationem matrimonii, sed actum fore omnino nullum, et proinde sponsum conscium impedimenti non posse aut petere aut reddere debitum, quamvis in extremis quibusdam casibus permittant stare probabilitati sententiae de validitate actus. Cfr. Feije *de imp. et disp. matr. n. 640 sqq.*

Quod diximus de impedimentis occultis, verificatur probabiliter etiam in impedimentis materialiter publicis et formaliter occultis. Nam quoad hoc praeter auctoritatem plurium doctorum, habemus resolutionem S. Congr. Concilii, quae huic sententiae favet. Quum enim quidam celebrasset matrimonium, cui obstabat impedimentum affinitatis ex copula illicita (et de facto inducente impedimentum publice constabat, de ipso autem impedimento non), postquam, stante urgente necessitate, episcopus oraliter dispensasset ab impedimento, petiit postea declarationem nullitatis istius matrimonii. Et S. Congregatio Concilii (*29 ian. 1881*) respondit: Non constare de matrimonii nullitate.

Nota, in facultatibus, quae a S. Poenitentiaria concedi solent episcopis, hanc etiam inveniri: « Item de speciali et expressa apostolica auctoritate vobis facultatem concedimus dispensandi super dicto occulto impedimento seu impedimentis affinitatis ex copula illicita etiam in matrimoniis contrahendis, dispensandique facultatem subdelegandi, etiam habitualiter, parochis vestrae dioecesis, quando tamen omnia parata sint ad nuptias, nec matrimonium, usque dum ab apostolica Sede obtineri possit dispensatio, absque periculo gravis scandali differri queat; remota semper occasione peccandi, et firma manente conditione, quod copula, habita cum matre mulieris, huius nativitatem non antecedat: iniuncta in quolibet casu poenitentia salutari ».

In casibus publicis hoc fieri non posse, etiam stante urgentissima necessitate, declararunt S. Congr. Concilii (*19 ian. 1661*) et S. Congr. S. Officii (*8 ian. 1786*). Cfr. Gennari *Consult. mor. cons. 127,* qui tamen in casu parochum vel episcopum ex epikeia agentem prout relate ad casus occultos diximus, non audet improbare. Cfr. Mon. eccl. *vol. XVIII. p. 137 n. 26.*

De revelatione impedimentorum. 2387
— Quisquis fidelis, et in primis ipsi sponsi (excepto pro his ultimis casu,

quod agatur de impedimento occulto et famoso, a quo tamen debent sibi obtinere dispensationem a S. Poenitentiaria) tenentur denuntiare impedimenta, si quae sint, quae alicui matrimonio obstent, sive impedimentum sit dirimens, sive impediens, etsi sit occultum et infamans seu famosum, nempe quod ortum habuerit ex peccato; et hoc etsi noverint impedimentum sub secreto naturali et promisso, etiam cum iuramento non revelandi. S. Alphons. *VI. 994.* Haec obligatio urget tum ex naturali praecepto caritatis, tum ex positiva lege ecclesiae in hunc finem banna instituentis. Gasparri *de matr. I. 175.* Illi, qui impedimentum cognoscunt sub sigillo sacramentali, aut sub secreto, quod vocant, professionali (ut sunt medici, advocati, obstetrices etc.), vel qui in casu revelationis probabiliter subituri essent grave damnum suum aut suorum, ab hac obligatione liberantur. Schmalzgrueber *in tit. 1 lib. IV Decr. n. 51. sqq.* Eodem modo excusatur ille, qui impedimentum noscit tantum ex auditu, sed non recordatur a quo audierit; vel qui illud accepit a persona non fide digna; quia haec revelatio foret inutilis. S. Alph. *loc. cit.* Quamvis et in hoc casu consultius esse revelare tradit merito Gasparri *loc. cit. I. 178.* Si impedimentum sit occultum, et iam fuerit obtenta dispensatio quoad forum internum, sciens impedimentum non tenetur illud revelare; secus si adesset publica fama de impedimento, et dispensatio esset occulta. S. Alph. *loc. cit.*

Ille, qui fide dignus impedimentum solus novit, et non potest probare, tenetur tamen illud revelare (quamvis nonnulli eum ab hac obligatione solvant), quia unus testis fide dignus satis est ad impediendum matrimonium. B. P. *VI. 585;* Gasparri *l. c. I. 178.*

Ad satisfaciendum huic obligationi sufficit, ut quis ante matrimonium impedimentum cognitum denuntiet, sed praestat, ut id faciat quamprimum potest. Si quis non fecerit, non incurrit poenam certam latae sententiae ex iure communi, sed castigari potest arbitrio episcopi, qui etiam poenas latae sententiae contra hos generali decreto ferre potest; quemadmodum ipsi ius est ex Concilio Lateranensi puniendi eos, qui ad impediendum matrimonium denuntiant falsum impedimentum. Gasparri *l. c. I. 180.*

Qui impedimentum, postquam publicationes coeptae sunt, cognoverit, debet illud opportuno tempore manifestare ante celebrationem matrimonii; si autem aliquis appareat accusator matrimonii post matrimonium contractum, quum non prodierit in publicum, quando banna secundum consuetudinem in ecclesia edebantur, audiri tantum debet, si tempore denuntiationum erat extra dioecesim, vel alias denuntiatio non potuit ad eius notitiam pervenire; quibus casibus exceptis, repellendus est, nisi proprio iuramento firmaverit, se postea didicisse ea, quae vult obiicere, seque ad hoc ex malitia non procedere. *c. 6. qui matr. etc.* (*IV. 18*).

c. 13 de restitut. spoliat. X. (II. 13); c. 23 de sponsalib. et matr. X. (IV. 1); cc. 8. 9 de

divortiis X. (IV. 19); Const. Pii V « Sicut accepimus » 5 dec. 1566; Const. Ben. XIV « Ad apostolica » 25 februar. 1742; Const. Ben. XIV « Pastor bonus » 13 apr. 1744; Conc. Trid. sess. XXIV de sacr. matr. cann. 3. 4. 9. 11. 12; multa etiam in capitibus eiusdem sessionis de reformatione matr.; Instr. S. C. P. F. 9 maii 1877; Instr. S. U. I. 20 febr. 1888 et aliae multae; *Pontius* De impedimentis matrimonii; *Florens I. F.* De dispensationibus ecclesiasticis; *Launoius J.* Regia in matrimonium potestas vel tract. de iure saecularium principium in sanciendis impedimentis matrimonium dirimentibus; *Ritz Gotfr.* De dispensatione matrimoniali; *Linckens Henr.* De dispensatione matrimoniali; *Anon.* Observationes in librum Joannis Launoii, cui titulus: Tractatus de regia in matrimonium potestate; *Gerbais M.* Traité pacifique du pouvoir de l'Eglise et des princes sur les empêchements du mariage; *Boileau M. J.* Traité des empêchements du mariage; *De Justis* De dispensationibus matrimonialibus; *Kreslinger* Theoria et praxis impetrandi dispensationem quoad impedimenta matrimonialia tam in curia romana quam in episcopali; *Corradus Phyrrus* Praxis dispensationum apostolicarum; *du Percay* Tr. des dispenses de mariage; *Kugler* Tract. de dispensationibus; *Dalbert* Sacram. matrimonii quomodo impediatur et quomodo ab impedimentis expediatur; *Heislinger A.* Resolutiones morales de matrimoniorum impedimentis et istorum dispensatione; *De Justis Vinc.* De dispensationibus matrimonialibus; *Ayrer* Commentatio iuris ecclesiastici de iure dispensandi circa connubia; *Grassoldt* Expedita de imped. matr. notitia; *Englmayr* Series imped. matr. dirim. et impedientium; *Tropper* De imped. matrim.; *Van Espen* Diss. canon. de dispensationibus, praesertim matrimonialibus; *Van Espen* Ius eccl. univ. p. II. tit. 14; *Pereira de Figueredo* Tract. theol. de dispensat. in impedimentis matrimonialibus; *Nest* De dirimentibus matr. imped.; *Apel* De causis matrim. annullandi; *Boyer* Examen du pouvoir legislatif de l'Eglise sur le mariage; *Baston* Concordance des lois civiles et ecclésiastiques de France sur le mariage; *Von Moy E. K.* Comparatio critica legislation. canonic. de impedim. matrim. dirim. etc.; *Boigeol* Sur les nullités du mariage; *Martin* De matrimonio et potestate ipsum dirimendi; *Beyer* Ueber Dispensationen in Ehesachem; *Vogt* An acatholici secundum principia iuris can. impedimentis iuris mere eccles. teneantur necne quaeritur. Diss.; *Heuser* De potestate statuendi impedimenta dirimentia pro fidelium matrimoniis soli ecclesiae propria: *Binder M. J.* Die Lehre v. den Ehehindernissen; *Giovine* De dispensationibus matrimonialibus; *Van de Burgt* Tract. de dispensationibus matrimonialibus; *Brilland* Traité pratique des empêchements et des dispenses du mariage; *Tattarano* De la nature du mariage et des nullités qui le vicient à Rome, en France et en Roumanie; *Mansella* De imped. matr. dirimentibus ac de processu iudiciali in causis matr.; *Planchard* Dispenses matrimoniales; *Weber* Die canonischen Ehehindernisse; *Flornoy* Des nullités de mariage en droit français; *Feije* De imped. et dispensationibus matrimonialibus; *Allègre* Impedimentorum matrimonialium synopsis; *Zitelli* De dispensationibus matrimonialibus; *Resemans* De competentia civili in vinculum coniugale infidelium; *Théphany* Traité des dispenses matrimoniales; *Bouly de Lesdain* Des nullités de mariage en droit romain et français; *Joder* Formulaire matrimonial; *Riedle* Sponsalienaufnahme und Behandlung der Ehedispensgesuche; *Derrey* Des empêchements prohibitifs en droit can. et en droit franç.; *De Becker* De sponsalibus et matrimonio; *Pompen* Tract. de dispensationibus et invalidatione matrimonii; *Putzer* Commentarium in facultates apostolicas; *Basdevant* Des rapports de l'église et de l'état dans la législation du mariage; *Stiegler M. A.*

Dispensation, Dispensationswesen u. Dispensationsrecht i. Kirchenrecht; *Melata* De potestate qua matrimonium regitur; *Rousseau* Renseignements pratiques à l'usage du curé et des confesseurs pour la législation canonique du mariage; *Besson J.* Dispenses d'empêchements in extremis; *Esmein* II, 315-368; *Sanchez* lib. VII et VIII; *Scherer* KR. § 133; *Freisen* Gesch. des can. ER. § 77; *Leitner* Lehrb. des kath. Eherechts § 16, 48 sqq; *Vernz* Ius Decr. IV. 214 sqq.; *Sagmuller.* Lehrb. d. k. KR. § 129.

2388 **Impotentia. — De natura et divisionibus impotentiae.** — Impotentia duplex distinguitur: impotentia coeundi et impotentia generandi.

Impotentia coeundi est incapacitas carnalis commixtionis seu physici coitus; qui scilicet talis sit, ut per membrum virile in vaginam immissum semen maris in femineo organo deponatur, et ab hoc recipiatur; impotentia vero generandi est inhabilitas habendi prolem, posito physico actu copulae; haec si perpetua est, a nonnullis semper, ab aliquibus aliquando dicitur sterilitas. B. P. *VI. 865 sqq.;* Gasparri *de matrim. I. 510 sqq.;* Feije *de imp. et disp. matr. n. 538 sqq.*

Impotentia coeundi habetur, si in viro absit penis, vel ita sit conformatus, ut in vaginam mulieris immitti nequeat, vel si vir semen emittere non possit, etc.; si in muliere absit vagina, vel ita arcta sit, aut ex morbo ita affecta, ut membrum virile recipere non patiatur, etc.

Impotentia coeundi potest esse:

a) perpetua vel temporanea, prout per naturalia media, aut absque peccato, vel sine gravissimo periculo tolli nequit (cfr. *c. 9. de frigidis et maleficiatis etc. X.* [*IV. 15*]), aut secus;

b) antecedens vel subsequens, prout ante matrimonium habetur, vel post illud supervenit;

c) absoluta et relativa, prout aliquis vir cum quacumque muliere, vel cum certa tantum quadam muliere, incapax est coeundi; et vicissim aliqua mulier ad coitum cum qualicumque viro, vel cum certo tantum viro, inhabilis est. B. P. *VI. 865.*

De impotentia antecedente. — *Quae certo statui possunt de influxu impotentiae in matrimonium.* — 2389 Ut autem a certis incipiamus quoad influxum impotentiae in matrimonium haec sunt notanda:

1° Impotentia quaecumque temporanea nec matrimonium contrahendum impedit, nec dirimit contractum, Cfr. *c. 6 tit. cit. X.* (*IV. 15.*); Reiffenstuel *in tit. 15 lib. IV Decr. n. 11;* B. P. *VI. 870.*

2° Impotentia coeundi antecedens et perpetua iure ipso naturae (*Const.* Sixti V «Quum frequenter» *22 (iuxta alios 27) iun. 1587;* Gasparri *l. c. l. 527;* Feije *l. c. n. 539*), sive impotentia habeatur ex parte viri, sive ex parte mulieris, sive absoluta sit, sive relativa, matrimonium dirimit. *cc. 1. 2. 3. 5. 6. 7 tit. cit. X.* (*IV. 15*).

3° Impotentia generandi, quae sterilitas est, matrimonium non irritat.

***De matrimonio mulieris carentis utero vel ovariis.* — Praenotiones.** — 2390 Ea, quae hucusque diximus, certa nunc sunt apud omnes. Sed heic quaestio sese offert maxime implexa, quae ultimis praesertim annis vehementer invaluit. Proponi autem potest, et pro-

ponitur a diversis diversimode. Scilicet: an impotentia tunc etiam dari dicenda est, quum, stante possibilitate physici actus copulae, ea copula tamen necessario est talis, quae non est capax obtinendi generationem? Vel etiam: an impotentia quoque generandi, si quando non ex accidentali quadam circumstantia, sed ex ipsa proveniat muliebris corporis constitutione, quia ex. gr. mulier utero aut ovariis caret, dicenda est matrimonium dirimere? Vel aliis verbis: an impossibilitas generandi, quae tunc habetur, quum aliquod deest in muliere ex iis organis, quae necessaria sunt ad generationem, dicenda est impotentia, an vero sterilitas tantum? Vel alio modo: Num sterilitas tunc tantum obtinet, quum ex copula habita ab iis, qui seiunctim sumpti capaces sunt generandi, generatio tamen per accidens non sequitur; an potius tunc etiam datur sterilitas, quum, supposita possibilitate physici actus copulae, generatio tamen non sequitur, vel sequi etiam non potest?

Circa hoc igitur inter recentiores doctores questio exardescit. Hi, quaestione ad certam dicendi formulam constricta videlicet: an mulier carens utero vel ovariis sit, necne, habilis ad matrimonium, alii (Topai, Ios. Antonelli, Ios. Lapponi, Marianus De Luca, Bucceroni, Leitner, Casacca: his adhaerent, etsi, ut videtur, non sine omni dubitatione, Palmieri in B. P. *VI. 865* [*a*]; Wernz *Ius Decr. IV. 345* [*34*], qui postremus *loc. cit. 302* [*31*] videtur contrariae potius sententiae adhaerere) pro negativa sententia incunctanter respondent; — alii (Ballerini in B. P. *VI. 865*, Eschbach, Gasparri, Iosephus D'Annibale, Berardi, Aertyns, Laurentius, Iosephus de Barbieri, Génicot, Sägmüller, Hild; *Theses ex universa Theologia, quas, praeside R. P. Edmundo Procès, die 29 iunii anni 1904 defendit P. Petrus Scheuer S. I. Lovanii, inter quas n. 78 habetur haec thesis:* « Contra nonnullos recentiores *contendimus, mulierem perfecte castratam non esse inhabilem ad contrahendum matrimonium* », etc.) pro sententia affirmante acriter dimicant.

Ut autem circa hanc quaestionem meam aperiam sententiam, haec sit propositio:

Sententia affirmantium in casu impotentiam et proinde exsistentiam impedimenti relate ad matrimonium et consequentem invaliditatem matrimonii sic forte contracti *absque dubio* certa non est.

Ad probandum hoc assumptum iuverit afferre argumenta eorum, qui in casu exsistentiam impotentiae tuentur et demonstrare ea non esse cogentia.

Crisis argumentorum pro sententia asserente invalidum matrimonium. — 2391
Primum argumentum desumunt ex modo loquendi iuris canonici et ad hoc fere reducitur:

Romani Pontifices in iure docent matrimonium consummari tunc tantummodo, quum inter coniuges datur copula, in qua concurrunt omnia elementa necessaria ad prolem obtinendam ex parte utriusque h. e. maris et feminae; ii autem, qui matrimonium consummare non possunt, certe sunt impotentes. Atqui heic non con-

currunt omnia elementa necessaria ad prolem obtinendam. Ergo in casu matrimonium consummari non potest; mulier autem, ex cuius parte defectus est, vere impotens est dicenda.

Tota difficultas est in maiori, quam adversarii sic probant:

In iure consummatio matrimonii exprimitur phrasibus: virum cognoscere feminam seu uxorem, carnaliter commisceri cum femina, per carnis copulam fieri unam carnem, subsequi carnalem commixtionem inter marem et feminam etc.

Porro omnes istae phrases significant copulam, in qua concurrant omnia elementa necessaria ad prolem obtinendam.

Hoc autem ex eo patet, quod omnes istae phrases desumptae sunt a Romanis Pontificibus ex modo loquendi scripturistico, iique in eodem sensu ac S. Scripturae eas usurpant. Porro cognoscere propriam uxorem nihil aliud in Scripturis significat, nisi mulierem per copulam fecundare ac liberos gignere.

Adducunt autem ad hoc probandum *Gen. IV. 1.*: « Adam vero cognovit uxorem suam Hevam, quae concepit et peperit Cain »; *Gen. IV. 17.*: « Cognovit autem Cain uxorem suam, quae concepit et peperit Henoc »; *Gen. IV. 25.*: « Cognovit quoque adhuc Adam uxorem suam et peperit filium, vocavitque nomen eius Seth »; *I Reg. 1. 19. 20*: « Cognovit autem Helcana Annam uxorem suam, et recordatus est eius Dominus; et factum est, post circulum dierum, concepit Anna et peperit filium ». In horum confirmationem adducunt illud B. Virginis (*Luc. 1. 34*): « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? », quod ideo B. Virgo respondit, quia castissimum suum matrimonium cum S. Ioseph non consummaverat, et in animo habebat non consummandi. Adducunt etiam locum Cornelii a Lapide in Pentateucum *c. 4. v. 1.*: « Cognovit: hoc verbo Scriptura honeste significat copulam carnalem; quia enim Hebraei virginem vocant *alma*, idest absconditam et incognitam viro, hinc eam corrumpere vocant eam cognoscere vel *revelare* eius turpitudinem, ut patet *Levit. 18* ».

Porro hoc argumentum profecto 2392
non est cogens imo inane est. Nam totum in hoc fundatur, quod phrases, quibus ius utitur, significant copulam, in qua concurrunt omnia elementa necessaria ad prolem habendam. Hoc autem certe non probatur argumento isto, idest iis locis Scripturae, ubi dicitur *cognovit et peperit*. Nam in iis locis duo asseruntur, copula et generatio, sed ne vestigium quidem habetur, quod physica copula in sensu scripturistico non sit cognoscere uxorem. Imo facile esset probare contrarium. Nam ex. gr. in Genesi *XIX. 5.* dicitur: « Vocaveruntque Lot et dixerunt ei: Ubi sunt viri, qui introierunt ad te nocte? educ illos huc, *ut cognoscamus eos* ». Et in libro Iudicum *XXI. 11* habetur: « Ex hoc erit, quod observare debebitis: Omne generis masculini et mulieres, quae cognoverunt viros, interficite, virgines autem reservate ». Ergo mulieres cognitae non sunt nisi mulieres, quae copulam habuerunt, non vero mulieres, quae habuerunt prolem.

Hoc idem patet ex verbis B. Virginis « quoniam virum non cognosco », quae profecto significant, B. Virginem nullam et numquam copulam habuisse. Hoc probat locus adductus ex Cornelio a Lapide, ubi expresse dicitur, quod Hebraei virginem « *corrumpere* vocant eam cognoscere vel revelare eius turpitudinem ». Quare mirum est, quod adversarii haec quasi sibi faventia adducant.

Eodem sensu videntur hae phrases sumi in iure, ubi (*c. 5 de frigid. etc. X. IV. 15*) Caelestinus III dicit, coniuges fieri unam carnem *per carnis copulam*. Eodem pariter sensu a doctoribus passim fieri unam carnem coniuges dicuntur per commixtionem corporum, per commixtionem carnalem etc. Sufficiat hic ea adducere quae habet iam Rufinus in Summa (haec forte circa annum 1165, certe ante annum 1171 publicata est) *caus. XXXIII q. 1* : « Ceterum si vir contradicat propositae contra eum frigiditati tum - quia vir caput est mulieris, in veritate viri consistat - ut infra 2 cap. dicitur. Ita tamen ut per verum iudicium hoc est septima manus propinquorum iurando probet quod cum ipsa una caro effectus est ». Porro hic agitur de eo, qui a muliere sua tamquam impotens accusatur ; non igitur agi potest de eo qui ex muliere genuerat. Dicitur tamen is potuisse unam carnem fieri ; ergo copula tantum respicitur materialiter sumpta. Ita etiam videtur phrasis *fieri unam carnem* explicari a Paulo (*I. Cor. VI. 16*) : « An nescitis, quoniam qui adhaeret meretrici unum corpus efficitur ? Erunt enim (inquit) duo in carne una » ; quare Tertullianus (de pudicitia *c. 15*) vocem graecam, quae respondet verbis *qui adhaeret* reddit, *qui agglutinatur*, quod profecto ideam materialis copulae praefert. Idipsum firmatur ex sequenti versiculo 17 : « Qui autem adhaeret Domino, unus spiritus est », quae videntur omnino explicanda de communione caritatis, qua efficimur divinae consortes naturae.

Sed et praeterea adnotandum est, quod, etsi suppositum adversariorum verum esset, adhuc esset probandum, eas phrases in eo praecise sensu voluisse etiam usurpare ius canonicum et Pontifices. Quod profecto non facilis est probationis.

2. Alterum argumentum desumitur 2393
ex canone 18 Lex divinae *C. XXVII. q. 2*, qui dicitur Benedicti papae ad patriarcham Gradensem, et est sequens : « Lex divinae constitutionis apostolicam cathedram totius posuit orbis terrarum magistram, ut quidquid ubique locorum dubitatur, ab ea ratio eiusdem requiratur. Affatus est autem nos suis litteris quidam vestras, nomine Ioannes, pro connubio filiae suae superstitis, cuius soror defuncta cuidam iuveni, Stephano nomine, simplicibus verbis fuerit desponsata, et antequam ad nuptias perveniret, morte praeventa : utrum scilicet cum eodem iuvene possit matrimonium celebrari superstitis filiae, necne. Namque testatus est huius rei rationem apud vos haberi ambiguam. Quam, Deo docente, reddimus his verbis certissimam. Protoplastus ille, radix et origo nostra, detractam sibi costam in mulierem videns formatam,

prophetico spiritu inter alia protulit: Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Quibus verbis innotuit, non aliter virum et mulierem posse fieri unam carnem, nisi carnali copula sibi cohaereant. Qui enim nequaquam mixtus est extraneae mulieri foedere nuptiali, quo pacto per nuda sponsionis verba possunt fieri una caro, nullatenus valemus intueri. Propinquitas enim carnis verbis dicitur, non verbis efficitur; sed neque osculum parit propinquitatem, quod nullam facit sanguinis commixtionem. Quoniam vero...». Porro, correcto errore physiologico de commixtione sanguinum hic expresso, sequitur non dari propinquitatem, nisi detur commixtio spermatis cum ovo.

2394 Sed neque hoc argumentum aliquid valet. Ante omnia canon iste est apochryphus (Berardi, *Canones Gratiani vol. II c. 57*; Friedberg *in h. c.*); quare non multa ex eo canone deduci possunt. Sed, etsi esset authenticus, an vere aliquid pro ista sententia probaret? Verba, quae ex isto canone magis adversariis favent, sunt: « Sed neque osculum parit propinquitatem quod nullam facit sanguinis commixtionem ». Porro paullo ante ibidem dicitur: « Quibus verbis innotuit, non aliter virum et mulierem posse fieri unam carnem, nisi carnali copula sibi cohaereant ». Ergo pro Benedicto papa (cui hic canon ascribitur) idem est fieri unam carnem, facere sanguinis commixtionem, carnali copula sibi cohaerere. Restat igitur adversariis probandum, quod ex mente Benedicti carnali copula sibi cohaerere intelligendum sit pro facienda sanguinis commixtione, et non potius facere sanguinis commixtionem sumendum sit pro carnali copula sibi cohaerere, adhibita scilicet periphrasi quae ex communiter contingentibus desumitur.

3. Tertium argumentum, quod con- 2395
firmat duo praecedentia ex eo deducitur, quod omnes doctores dicunt ad consummandum matrimonium necesse esse, ut detur copula « de se apta ad generationem », « ex qua sequi possit generatio ». Hoc autem, quod tamquam principium habuerunt, applicarunt postea cognitionibus scientificis sui temporis, et proinde nonnulli voluerunt, necessarium esse, ut femina seminaret, idest humorem emitteret, alii non, prout hoc necessarium vel non necessarium putarunt ad generationem habendam.

Horum doctorum catalogum magna cum diligentia confectum invenire quis potest apud Antonelli *de conceptu impotentiae et sterilitatis n. 19 sqq.*, *pro conceptu impotentiae et sterilitatis n. 21 sqq.*

Verum *concors* sententia canonista- 2396
rum et theologorum non est in hoc, quod copula maritalis non sit nisi ea, quae fit inter duos, quorum uterque potest dare ea omnia, quae necessaria sunt ad generationem, sed tantummodo in hoc, quod copula maritalis ea est, quae fit per eiaculationem seminis ex parte viri intra vaginam mulieris. Haec tantum, generaliter loquendo, putabant necessaria ad habendam copulam coniugalem et etiam ad generationem prolis. Quare non

est mirum, quod aliquando, imo etiam saepe, ad indicandam copulam coniugalem dicant, eam esse, ex qua sequi per se possit generatio. Scilicet haec duo habebant tamquam synonima, eaque proinde promiscue usurpabant; sic autem loquentes hoc tantum volebant, id est non consummari matrimonium per tactus quoslibet impudicos, per pollutionem seu effusionem seminis extra vas mulieris naturale, per copulam, in qua penetratur quidem vas, non tamen immittitur aut recipitur in illo semen a viro, etc. Si quidam aliquid plus dicunt, hoc refert sententiam quamdam *singularem*, non sententiam communem doctorum.

2397 Non possum haec singillatim prosequi et probare, examinando textus ab adversariis allatos; nimis enim excederem limites huic operi praefixos. Melius erit pauca quaedam afferre ex doctoribus, quae assertionem probent, quam superius feci.

Tancredus († 1234 vel 1236) in sua *Summa de matrimonio* (compilata inter ann. 1210 et 1214) loquens de impotentia dicit: « Inter alia impedimenta matrimonii impossibilitas coeundi maximum obtinet locum, quoniam ex sui natura potius quam ex constitutione ecclesiae impedit matrimonium. Cum enim omne matrimonium aut causa suscipiendae prolis *aut causa incontinentiae* fiat, *impossibilitas coeundi utramque causam removet* ». Ergo si non utraque causa removeretur, sed alterutra salvaretur, non impediretur matrimonium.

Et postea: « Sequitur ut de accidentali videamus, et primo de castratione, scilicet cum quis habet secta virilia. Et in hoc firmiter tenendum est, licet quidam dixerint in contrarium, quod *qui inepti sunt ad reddendum debitum*, matrimonium contrahere non possunt, sicut nec pueri ».

S. Raymundus in sua *Summa*, quam mox post annum 1234, scilicet post publicationem Compilationis Gregorianae, ipse illius compilator publicavit, titulum de impotentia inscribit aperte *de impotentia coeundi*. Postea prosequitur: « Inter alia impedimenta matrimonii impossibilitas coeundi maximum obtinet locum, quoniam ex sui natura potius quam ex constitutione impedit matrimonium: quum enim omne matrimonium aut causa suscipiendae prolis *aut causa incontinentiae* fiat, impossibilitas coeundi *utramque causam* removet. Sed quod omnis impossibilitas coeundi matrimonialem consensum excludit, ideo, ut plenius elucescat, quid de iure fieri debeat in hac parte, videndum est quid sit impossibilitas coeundi..... § 1. Impossibilitas coeundi est vitium animi vel corporis vel utriusque, *quo quis impeditur alii carnaliter commisceri* ».

Goffredus de Trano in *Summa*, quam composuit inter annum 1241-1245, quae tanto plauso excepta et in scholis diu adhibita est, plura huiusmodi habet. Sint inter alia: « Frigidus enim naturalis contrahere non potest, et si contraxerit, non tenet matrimonium, ut ius eod. c. 1° c. laudabilem et cap. litterae et 33. q. 1. c. 1. et 2. Et in hoc casu non dicitur matrimonium contractum dissolvi, sed a

principio non fuisse, ut in Auth. de nupt. § si vero col. 4. Quum enim duae sint causae matrimonii, propter quas exstitit institutum, ut notatur supra de sponsalibus § fuit (scilicet propter generationem prolis et propter sedandam concupiscentiam), et *nulla illarum subsit in frigido,* merito matrimonium est nullum ». - Et paullo post: « De castratis autem dicunt quidam, quod castrati h. e. caste nati, idest frigidi, contrahere non possunt, et si contraxerint, non tenet matrimonium, ut superius dictum est. Si vero fuerint spadones, idest spata secti, possunt contrahere, in quibusdam enim matrimonium est humanitatis solacium ut 27. q. 1. c. nuptiarum et ar. ad idem 33. q. 5 c. quod. Sed verius est, quod secti matrimonium contrahere non possunt, nec valet contractum, quia, *ex quo cognoscere uxores non possunt,* pueris assimilantur ». - Tandem post quaedam alia: « Quid si vir generare non possit, vel mulier concipere, numquid matrimonium contrahere possunt? Respondeo *sic;* nam quamvis in matrimonio talium utraque causa matrimonii locum non habeat, de quibus not. supra de sponsalibus c. causae; *sufficit tamen alteram non deesse* ».

S. Thomas in *Supplemento q. 58 a. 1. ad 3.* « Ad tertium dicendum, quod senes, quamvis quandoque non habeant caliditatem sufficientem ad generandum, tamen habent caliditatem sufficientem *ad carnalem copulam.* Et ideo conceditur eis matrimonium, *secundum quod est in remedium,* quamvis non competat iis secundum quod est in officium naturae ».

Hostiensis (Henricus de Segusio † 1271) haec habet in Summa *in tit. de frigidis etc. n. 6:* « Dicas quod qualitercumque impotens sit [femina] ad carnale debitum reddendum matrimonium impeditur, quia decretum non distinguit. Secus si cognoscibilis sit quocumque modo, *quamvis concipere non possit,* ut in lecto mingat vel mortuum pariat, quia hoc edictum prohibitorium est, ut supra... nisi forte dominus Papa contrarium responderet ».

Panormitanus seu Abbas Siculus (Nicolaus de Tudeschis † 1445 vel 1453) *in cap. 4 de frigidis et maleficiatis* haec habet: « Casus litteralis. Aliquae mulieres ita sunt clausae et impotentes quod viris carnaliter commisceri non possint. Quaeritur an possint contrahere matrimonium, et, si contraxerint an debeant separari. Respondet Papa non videri credibile quod aliquis cum talibus contrahat matrimonium, tamen romana ecclesia consuevit cum talibus iudicare ut, si non possunt eas habere ut uxores, habeant ut sorores. Ber. — Not. 1. Quod cum omnino impotenti ad copulam non potest consistere verum matrimonium; nam desinit causa institutionis matrimonii, nam nec propter spem sobolis, nec ut evitetur fornicatio, hoc matrimonium potest dici contrahi ». Ex quibus sequitur quod si quando salvatur finis vitandae incontinentiae salvatur matrimonium. Quae est eadem doctrina, quam audivimus a Goffredo propugnatam.

Navarrus († 1586) in suo Manuali *c. 22 n. 59:* « Duodecimum impedi-

mentum dirimens matrimonium est impotentia coeundi. Est autem impotentia impediens matrimonium impedimentum perpetuum naturale aut accidentale ad copulam naturalem perfectam iuxta mentem S. Thomae in *IV. dist. 34* et S. Antonini *3. p. tit. 1. c. 12* ... Dixi *ad copulam naturalem perfectam*, quia *non sufficit* impotentia *generandi*, quae in senibus sua natura aut *arte sterilibus* invenitur iuxta glossam receptam cap. quod sedem de frigidis et maleficiatis ». – Ergo ex Navarro copula naturalis perfecta invenitur in *arte* sterilibus, et proinde non est nisi copula physice considerata, quemadmodum patet de superioribus etiam auctoribus, quorum citationibus nullam apposui observationem, ne prolixior evaderem.

Sanchez († 1616) etiam explicat suam mentem, quando loquitur de copula per se apta ad generationem, atque aperit quid per ea verba intelligat. In lib. VII de matr. disp. 64. n. 8 haec habet : « Non efficiuntur una caro [vir et mulier], nisi per copulam perfectam ac *sufficientem ad prolis generationem*, qualis est sola illa, *in qua virile semen intra vas femineum recipitur* ». – Et eodem lib. VII. disp. 92. n. 26 : « His tamen non obstantibus, certissimum est sterilitatem nil obesse valori matrimonii. Quod ecclesiae usus ita habeat; numquam enim auditum est, dissolvisse aliquod coniugium ratione sterilitatis, imo passim admittit senes ad illud ineundum, quum tamen eorum semen constet esse sterile..... Tandem, quia etsi id matrimonium frustretur fine primario, qui est prolis generatio, *consequitur tamen finem secundarium, nempe satisfacere concupiscentiae, vera copula habita ; quod ad eius valorem sufficit.* Et ita sustinet D. Thomas *in IV d. 34. q. un. art. 2 ad 3* receptus passim ab omnibus theologis et iuris pontificii professoribus, demptis paucis relatis numero praecedenti, quos optime impugnat Barbosa *l. 1. p. 1. num. 98 D. solut. matrim.* Nec obstant argumenta pro ipsis numero praecedenti adducta. Quia ad primum neganda est consequentia. Nam quando est impotentia ad copulam, neuter matrimonii finis reperiri potest ; *at quando est sola sterilitas, salvatur finis secundarius* ». Ex quibus patet, secundum Sanchez et copulam de se aptam ad generationem esse copulam physice consideratam, et eius possibilitatem sufficere ad matrimonium quia, etsi tunc non salvetur primarius finis generationis, salvatur tamen secundarius, idest sedatio concupiscentiae.

Huiusmodi citationes facile multiplicari possent, sed allatae sufficiunt, ni fallor, ad intentum meum probandum, scilicet ex modo loquendi doctorum non posse deduci argumentum certum et cogens pro sententia asserente impotentiam in muliere, de qua est quaestio.

Loco aliarum citationum sit potius id, quod examinans antiquorum doctorum sententias dicit circa hoc Esmein (*Le mariage en droit canonique I. pag. 249*) : « C'était, enfin, une question classique dans l'école, que de se demander si la stérilité de la femme n'était pas aussi une cause de nullité. La réponse n'était point douteuse; car dès les temps anciens la doctrine

de l'Eglise avait même de ce chef condamné le divorce. Mais on tenait à mettre cette solution d'accord avec les principes généraux. Le mariage ayant deux buts principaux, la procréation des enfants et la guérison de l'incontinence et l'un de ces buts étant ici impossible à atteindre, la nullité du mariage n'en suivait-elle pas? Non, disaient les docteurs, l'un des buts du mariage était atteint et cela suffisait pour le rendre valable ».

Accedit, quod non pauci doctores, ut ex. gr. Magister sententiarum *IV. d. 34 c. 1.*, Paludanus *in IV. d. 30 q. 1. a. 2,* Petrus Soto *de matrimonio lect. 5,* Navarrus *Consiliorum lib. IV tit. de sponsalibus*, Vasquez *in 3.p. disp. 125 c. 7*, Pontius *lib. VII c. 53 sqq.*, Gonzalez *in c. 4 tit. 15 lib. IV Decr.,* Gotti *tract. 13 de matrimonio* et alii tenuerunt, impotentes contrahere validum matrimonium cum potente, si haec ante matrimonium de eorum defectu certior facta esset.

An, his stantibus, asseri potest, sententiam communem doctorum fuisse non dari validum matrimonium, quando inter contrahentes dari nequit copula, quae de se apta sit generationi, idest quando nequit uterque contrahens illud ex sua parte praestare, quod ad generationem necessarium est?

2398 4. Argumentum quartum deducitur ex constitutione Sixti V. « Quum frequenter» (*22 iun. 1587*) in qua Pontifex loquitur de eunuchis et spadonibus « qui utroque teste carent, et ideo certum ac manifestum est, eos verum semen emittere non posse ». Hi « quia impura carnis tentigine atque immundis complexibus cum mulieribus se commiscent, et humorem forsan quemdam similem semini, licet ad generationem et ad matrimonii causam minime aptum effundunt, matrimonia cum mulieribus, praesertim hunc ipsum defectum scientibus, contrahere » praesumunt. Porro vult Pontifex, ut Nuntius Apostolicus in Hispania, ubi mos iste improbandus inoleverat, hos eunuchos cum quibusvis mulieribus, defectum praedictum sive ignorantibus, sive etiam scientibus, contrahere matrimonium prohibeat, eosque ad matrimonia quomodocumque contrahenda inhabiles auctoritate sua declaret.

Ergo, concludunt hi doctores, a pari, quando in muliere deest id, quod necessarium est ad generationem, quodcumque illud sit, mulier est impotens.

Ad hoc, quod est maximum argu- 2399
mentum horum doctorum, haec adnotari possunt. Totum hoc argumentum tandem aliquando reducitur ad analogiam: Quod verificatur in viris, hoc etiam de feminis dicendum est. Sed haec illatio non est omnino certa. Nam extra dubium est, quod plura, quae matrimonium regunt, pendent ex iure positivo divino. Curnam igitur Deus non potuit quaedam exigere ex parte viri, quae non exigit ex parte mulieris? Praesertim quia ad hoc discrimen inducendum non spernendae adsunt rationes. Nam quod vir aliquis careat testibus, nimis profecto in aperto res est; sed ad investigandum, utrum mulier habeat necne uterum, habeat necne ovaria, aliud prorsus re-

quiritur. Iam ad exsistentiam ovariorum in feminis asserendam nonnisi serius devenimus. Forte, ait Antonelli, tempore Galeni fuerunt nota, et appellabantur muliebres testes ad analogiam ad testes viriles, ut tradit Testut (*Tratt. di anatomia umana Torino 1896, (vol. III. p. 2. p. 201)*; sed, quod certo sciamus, primus von Graaf vesiculas femineas descripsit, esti pro ovulis eas habuit (*1678*); idem fere fecit Malpighi (*1687*); in ovariis autem mulieris ovulum, in vesicula Graaf contentum, primo (*1827*), si non cognovit, saltem scientifice asseruit et illustravit von Baer.

Et id ex eo quoque suadetur, quod periculo exponeretur stabilitas familiae, si impotentia, ex qua nullitas oritur matrimonii, in aliquo non de facili cognoscibili reponenda esset.

Neque forte physiologia ultimum verbum dixit. Nonne alia etiam elementa necessaria ad generationem, alia organa (vel aliae organorum functiones) fortasse invenientur a physiologia adhuc progressura in suis inquisitionibus? Quod bene adnotat Sägmüller *Lehrbruch des kath. Kirchenrechts § 135. not. 2.* Porro non videtur dicendum, Deum providentissimum adeo in anticipi reliquisse valorem matrimonii.

Sed et praeterea aliud quoad hoc adnotant nonnulli. Scilicet copula cum eunuchis non valet ad sedandam concupiscentiam, dum contra copula cum eunuchissis concupiscentiam sedat, quemadmodum copula cum muliere integra et sana. Eschbach (*De novo quodam sterilitatis conceptu p. 58*) asserit, ipsos eunuchos nullam ex coitu percipere concupiscientiae sedationem, sed potius maiorem irritationem. Et hoc dicit ab antiquioribus quoque fuisse cognitum; in cuius confirmationem citat verba quaedam excerpta ex libro de Vera virginitate (inter opera S. Basilii *tom. 2°*). Et citari posset etiam Goffredus in Summa de frigidis etc., ubi ad probandum, eos, qui castrati sunt, inhabiles esse ad matrimonium, haec praeter alia habet: «Praeterea tria sunt bona matrimonii, proles, fides et sacramentum, quae in matrimonio castrati locum non habent, ut *37. q. 1. c. Omne.* Item duae sunt causae principales matrimonii, ut notatur superius de sponsalibus §. causae, *quarum neutra in castratis invenitur*». Et in loco heic citato dicit: «Fuit autem institutum in paradiso et ante peccatum... Post peccatum vero et extra paradisum fuit institutum ad remedium, ut carnis vitium cohiberetur. Unde Apostolus: unusquisque habeat suam propter fornificationem. Causae matrimonii sunt duae principales, susceptio sobolis et vitae conformationis (forte: *conformatio*), *ut 32. q. 2. c. Sicut non omnis § His ita.* Propter primam instituit Dominus, propter secundam Apostolus, ut dictum est... Proles, propter quam multiplicandam matrimonium est a Domino institutum in paradiso, ut *35. q. 1. c. Cum igitur in princ. et 26 disp. c. Deinde;* licet quibusdam non valentibus generare matrimonia sint ad solatium, ut *27. q. 1. c. Nuptiarum*».

Accedit, quod, quidquid sit ex parte viri eunuchi, ex parte feminae certe. ista copula est periculis plena, quum

notum sit, ut asserunt medici, copulam, in qua vir non seminat intra vas mulieris, si nempe sit pluries repetita, causam esse plurium morborum in ipsa femina (metritis etc.).

Hinc optime Sixtus V dixit, ex copula eunuchorum nullam utilitatem provenire, *sed potius tentationis illecebras et incentiva libidinis oriri.*

Haec autem non verificantur in copula mulieris eunuchissae. Mulier enim satiatur in sua voluptate ex emissione illius humoris muco-vaginalis, quem veteres vocabant « femineam seminationem », quemadmodum vir satiatur in emissione spermatis. Seminationem autem femineam habere potest mulier eunuchissa, quemadmodum et sana ac integra.

Hinc asserit Eschbach, physiologos universim negare exsistentiam alicuius analogiae, quod pertinet ad erotismum inter testes et ovaria.

Et hic obiter nota, accuratissime locutum fuisse Sixtum V in sua constitutione, quum, postquam dixerit eunuchos, de quibus agit, « verum semen emittere non posse... et humorem forsan quemdam similem semini, licet ad generationem et ad matrimonii causam minime aptum » effundere, rationem reddens suae declarationis non ad impossibilitatem generationis appellat, sed ad id, quod « ex spadonum huiusmodi et eunuchorum coniugiis nulla utilitas provenit, sed potius tentationis illecebrae et incentiva libidinis oriuntur ». Ex quibus colliges immerito Antonelli (*vol. II, n. 581, 6*) asserere « eunuchorum matrimonium (ex Sixtina constitutione) invalidum esse, quia nequeunt generare, *ut ipsa constitutio dicit* ». Neque enim hoc dicit constitutio, sed ipse Antonelli.

5. Quintum argumentum deducitur 2409
ex quibusdam sententiis latis a S. C. Concilii.

Prima, quae adducitur, est causa quaedam Salernitana 21 mart. 1863. Agebatur de quadam muliere carente utero, *et habente informem ac obliteratam vaginam,* quae matrimonium contraxerat die 4 febr. 1838. Post multos annos cohabitationis ac reiteratos conatus copulae, *quum coniuges illi non possent consummare matrimonium,* causam inierunt apud curiam archiepiscopalem Salernitanam, quae stetit pro invaliditate ex capite impotentiae. Hanc sententiam confirmavit S. Congregatio Concilii 21 mart. 27 iun. 1863.

Altera est causa quaedam Verulana 24 ian. 22 iun. 1871. Agebatur de quadam muliere, quae die 18 sept. 1855 matrimonium inierat et cum viro suo novem annos cohabitaverat. Attamen matrimonium vir consummare numquam potuerat. Quare ad curiam episcopalem recursum habuit, quae, quum cognovisset, mulierem carere utero, *et vaginam habere duos pollices longam,* sententiam tulit pro nullitate. S. Congr. Concilii hanc sententiam confirmavit.

Tertia est causa Albinganensis 7 sept. 1895, in qua declaratum fuit nullum matrimonium cuiusdam mulieris, quae reperta fuit carere utero, *et habuisse vaginam longam 4 cm.*, quae per operationem evasit longa fere 6 cm.

Quarta est causa Monasteriensis, 16 dec. 1899, in qua declaratum fuit

nullum matrimonium cuiusdam mulieris ob carentiam uteri et *informem ac obliteratam vaginam, cuius longitudo erat 5 cm.*

Ex his omnibus causis arguunt doctores isti, dicentes omnia haec matrimonia in sententia contraria declaranda fuisse valida, quum vir in casu posset seminare in vagina feminae, in qua sufficit minimam partem seminis circulare, ut ex parte viri haberi possit generatio. Ergo, si nulla declarata sunt, id fuit, quia deerat id, quod est necessarium ex parte mulieris, idest sive uterus, sive via pervia ad uterum ex vagina.

2401 Sed contra: *a*) Sacra Congregatio Concilii pro suo munere numquam onus sibi suscepit edendi in his declarationes doctrinales. S. C. Concilii assumebat principia theoretica S. Officii vel principia omnibus communia et ea applicabat ad casus particulares. Hinc decisiones S. Congr. Concilii a priori debent assumi ita, ut decisionibus S. Officii non contradicant. Porro hae decisiones intellectae in sensu adversariorum contradicerent decisionibus S. Officii, ut probari facile posset.

b) Si inspiciatur ipsa substantia rei, hae decisiones S. Congr. Concilii non solum non pugnant cum decisionibus S. Officii, quin imo eae sunt, quas ipsum S. Officium certo dedisset in iisdem causis. Nam in omnibus causis citatis semper verificatur defectus quidam vaginae in muliere, *ob quem copula aut nullo modo aut non naturali tantummodo inter coniuges haberi poterat*. Porro hoc omnino requiritur ad valorem matrimonii, Et certe vel nulla erat vagina, quemadmodum in causa Salernitana (cfr. acta causae apud Mühlbauer, *Th. resol. S. C. C. vol. V. p. 1045 sqq.*), vel nimis brevis, scilicet aut duos tantum pollices, ut in Verulana; longitudo maior vaginae, quae in his casibus verificabatur, fuit longitudo 5 cm.; membrum autem virile in statu erectionis, desumpta media, ut medici asserunt, pertingit ad longitudinem 8-10 cm.

c) Non potest recte deduci argumentum ex rationibus allatis a consultoribus, qui tuebantur sententiam, quam dedit S. Congregatio, quasi haec sententia sua voluerit probare argumenta consultorum. Scilicet ex. gr. in causa Monasteriensi a. 1899 exmus dnus Sili consultor tuebatur, uteri absentiam circa matrimonii valorem nullam de facto exserere vim, et exinde concludebat valorem matrimonii. P. De Luca e contra sustinebat unionem in unam carnem non intelligi, nisi sperma offendat in ovulum, ad quod requiritur uterus, et proinde, ablato utero, impossibile dicebat matrimonium; quare in casu tuebatur nullitatem. Porro ex sententia a S. Congr. lata non est concludendum, Cardinales voluisse adhaerere sententiae theoreticae P. De Luca, sed tantummodo iudicasse nullum matrimonium forte ex ratione, quae fugerat ex. d. Sili, quamvis cum eo potius in principiis concordarent; scilicet quia in casu vagina non erat longior 4 vel 5 cm., quae proinde copulam necessario imperfectam reddebat, nec perfectam concupiscentiae sedationem afferebat.

Responsiones, quas adversarii his rationibus opposuerunt, non sunt nisi petitiones principii.

2402 6. Sextum argumentum deducitur ex eo, quod, quum anno 1902 S. Congr Inquisitionis requisita fuisset circa aliquem casum mulierem respicientem, cui ovaria rescissa fuerant, Sacr. Congreg., antequam responderet, a medico expetivit, quanam ratione haec ovariorum rescissio fuisset facta: qui quum respondisset de perfecta carentia organorum non certo constare, tum demum prodiit responsum: matrimonium non esse impediendum. Ergo S. Congreg. Inquisitionis, antequam det responsionem illam in his causis solitam, *matrimonium non esse impediendum,* vult certior fieri, rescissionem ovariorum non fuisse certo perfectam.

2403 Verum conclusio magis patet quam praemissae. Nam ante omnia hoc, quod sciamus, semel factum est; sed et praeterea, ut ait Gasparri (*de matr. 1. 578* [*1*]) S. Congregatio ideo forte medicum interrogavit, quia ex diversa eius responsione diversum poterat esse responsum. Ex. gr. si medicus dixisset, partem tantum ovariorum ablatam fuisse, intactis remanentibus tubis falloppianis et utero, fortasse responsum fuisset: mulierem esse habilem ad matrimonium, aut quid simile. Quum vero medicus dixerit, de perfecta carentia ovariorum non certo constare, S. Congregatio solitum dedit responsum ob dubium facti et iuris, quamvis medici affirmatio *non importaret possibilitatem generationis ob rescissionem,* quae semper fieri solet, *tubarum falloppianarum.*

7. Septimum argumentum desumi- 2404
tur ex natura matrimonii. Ex natura scilicet matrimonii deducitur, tria esse, et nonnisi tria, bona matrimonii essentialia, scilicet proles, fides, sacramentum. Porro quando in matrimonio ex parte mulieris dari nequit proles, deest unum ex bonis necessariis matrimonii. Neque dicendum, matrimonium esse etiam in remedium concupiscentiae. Nam hoc quidem verum est, sed nihil probat contra theoriam positam. Est enim in remedium, quod tamen quaeratur per copulam aptam ad generationem. Quare hoc esse in remedium est quidem bonum matrimonii, non tamen essentiale, quod requiratur aut sufficiat ad eius essentiam ponendam. Et sic S. Th. (*in Suppl. q. 49. a. 4*) dicit: « Et ideo duobus solis modis coniuges absque omni peccato conveniunt. Scilicet causa procreandae prolis et debiti reddendi; alias autem semper est ibi peccatum, ad minus veniale ».

Hoc autem confirmatur ex const. Sixti V citata. Nam eunuchi (saltem illi, qui eunuchi facti sunt post adeptam pubertatem) et concupiscentiam persentiunt et voluptatem capiunt ex copula, quam habere possunt omnino, quia capaces sunt erectionis. Eorum tamen matrimonia invalida a Pontifice sunt declarata. Ergo non sufficit remedium concupiscentiae ad matrimonium.

Sed contra est: S. Bonaventura 2405
(*in IV dist. 31. a. 1. q. 3*) explicans quomodo tria bona matrimonii non sunt aequaliter de eius necessitate, nec ad eius essentiam aequaliter pertinent, haec habet: « Unum, scilicet sacra-

mentum est de necessitate matrimonii; sacramentum enim venit ex mutua obligatione et divina institutione et significatione signationis illius unionis; et ideo, quia ista sunt de necessitate matrimonii, per consequens et sacramentum. Sed alia duo bona *quodam modo sunt de esse, quodam modo de bene esse.* Si enim loquamur quantum ad matrimonii usum, sic sunt de bene esse, quoniam usus matrimonii absque his esse potest, sicut quotidie est; et non solum est absque his, sed etiam cum suis oppositis. Unde sterilitatis et abortus procuratio et fidei fractio non dissolvunt matrimoniale vinculum contractum. Si autem loquamur quantum ad matrimonii contractum, qui est per matrimonialem consensum, *sic potest esse contractus absque his duobus bonis,* ut puta in sterilibus et in continentibus: si tamen non est contra haec. Tum autem est contra haec, quando sub tali pacto consentitur, ut prolis sterilitas procuretur, vel uxor alii prostituatur; tunc enim non est consensus vel pactio matrimonialis, sed potius adulterii, quum directe repugnet institutioni matrimonii. Sed carentia sive absentia horum duorum non repugnat, quia fides venit ex recto matrimonii usu; et quia possunt homines abuti ipso, ideo potest deesse fides. Similiter proles venit ex fructu ventris, et quia *steriles* possunt esse vel natura *vel arte,* ideo matrimonium hoc bono potest carere ». Confer Eschbach *de novo quodam sterilitatis conceptu resp. ad arg. 6.*

His ex S. Bonaventura desumptis addi possent plura loca S. Thomae, sed unum afferre sufficiat. S. Doctor (*in Suppl. q. 58 a. 1*) quarto loco hanc sibi proponit difficultatem: « Si scit mulier virum esse frigidum, quando cum eo contrahit, verum est matrimonium ». Cui difficultati respondet: « Ad quartum dicendum, quod in quolibet contractu hoc universaliter tenetur, quod ille, qui est impotens ad solvendum aliquid, non reputatur idoneus ad contractum illum, quo se obligat ad eius solutionem. Est autem impotens dupliciter: uno modo, quia non potest solvere de iure, et sic talis impotentia omnibus modis facit contractum esse nullum, sive sciat ille, cum quo facit talem contractum hanc impotentiam, sive non. Alio modo, quia non sit solvendo de facto; et tunc, si sciat ille, cum quo contrahit, hanc impotentiam, et nihilominus contrahit, ostenditur, quod alium finem ex contractu quaerit, et ideo contractus stat. Et ideo frigiditas, quae causat talem impotentiam, *ut homo non possit de facto solvere debitum,* sicut et conditio servitutis, per quam non potest homo de facto libere reddere, impediunt matrimonium, quando alter coniugum ignorat hoc, *quod alius non potest reddere debitum.* Impedimentum autem, per quod quis non potest de iure reddere debitum, ut consanguinitas, annullat contractum matrimonium, sive sciat alter coniugum, sive non. Et propter hoc Magister ponit (*Sent. IV. dist. 34*), quod haec duo, frigiditas et servitus, faciunt personas non omnino illegitimas ».

Ad quae loca S. Bonaventurae et S. Thomae nimis certo properanter respondet Antonelli, *Pro conceptu etc.*

n. 41: « de loco S. Thomae et S. Bonaventurae dicendum, quod hic loquuntur *tantum* de sterilibus ». Nam S. Thomas hic loquitur imo de frigiditate, *qua quis non potest solvere debitum*, quod profecto nullo modo applicari potest ad sterilitatem.

S. Bonaventura vero loquitur etiam, ut patet ex eius verbis expressis *de sterilitate ex arte invecta*, quae nescio an dari possit pro Antonelli, qui sterilitatem definit ex Pichler inhabilitatem ad *actualem* generationem, etiam praesupposita copula carnali perfecta, seu de se sufficienti ad generationem prolis.

Porro certe S. Bonaventura non loquitur de impedimento quodam actualiter posito ad generationem, quia tunc potius quaestio esset de casu onanismi, quam de sterilitate. Neque haec solvuntur ex iis, quae in locum S. Bonaventurae Antonelli addit in *de mulieris excisae impotentia n. 84.*

Nec plus probant ea quae idem auctor habet in *Medicina pastoralis ed. 3ª v. 2. n. 585.* Nam etiamsi steriles arte hic non castrati, sed mulieres intelligendae sint, quae venena sterilitatis sumpserant, ut loquebantur antiquiores (quod tamen adhuc maneret probandum), semper verum est pro S. Bonaventura matrimonium cum tali muliere initum subsistere posse, etsi bono prolis careret. Neque ullum assignari posset discrimen inter mulierem carentem utero et ovariis et mulierem inhabilem redditam ad generandum per sumptionem veneni sterilitatis.

Haec autem non solum non infirmantur sed confirmantur ex loco S. Thomae ab adversariis adducto (*ex q. 49 Suppl. a. 4*), ubi S. Doctor asserit, *duobus* tantum modis coniuges absque omni peccato convenire, scilicet causa procreandae prolis *et debiti reddendi.* Nam in sententia adversariorum videretur potius S. Thomas dicere debuisse, coniuges *uno* tantum modo sine peccato convenire, scilicet causa procreandae prolis, nec debuisset addere tamquam causam distinctam : aut causa debiti reddendi.

Illud autem, quod ultimo loco in argumento ab adversariis addebatur, iam responsionem per se habet ex dictis, sed plenius evolvetur in sequentibus.

8. Octavum argumentum deducitur 2406
ex S. Thoma, qui (*Suppl. q. 49. a. 1. ad 2*) dicit : « Ad secundum dicendum, quod ista bona, quae matrimonium honestant, sunt de ratione matrimonii ; et ideo non indiget eis, quasi exterioribus quibusdam, ad hoc honestandum, sed quasi causantibus in ipso honestatem, quae ei secundum se competit ». Demptis igitur istis bonis, demitur matrimonii honestas, adeoque demitur ipsum matrimonium.

Verum contra est, quod conse- 2407
quentia non videtur legitima. Hoc autem probo ex mente ipsius S. Thomae. Angelicus Doctor (*Suppl. q. 67. a. 3. c.*) dicit probabile esse, quod in lege permissum esset Iudaeis uxores absque peccato dimittere ; et alibi (*libro III Contra gentes cap. 123*) ait : « Per hoc autem excluditur consuetudo dimittentium uxores, quod tamen in veteri lege permissum fuit Iudaeis propter eorum duritiam, quia scilicet proni erant ad occisiones uxo-

rum. Permissum ergo fuit minus malum ad excludendum maius malum ». Porro, stante liceitate repudii, inseparabilitas matrimonii, ut ait ipse S. Thomas (*Suppl. q. 67. a. 4. c.*), ex causa divinae dispensationis tollebatur. Ergo, si legitimus esset modus argumentandi in argumento adversariorum supra allato, dicendum esset quod in casu apud Iudaeos non habebatur matrimonium, sed coniunctio quaedam inhonesta, vel saltem quod illud, quod Iudaeis ex divina concessione permittebatur, non erat unio maritalis sed alia quaedam unio; deerat enim bonum sacramenti, idest indissolubilitas. Verum S. Thomas in illa unione Iudaeorum videt semper veri nominis matrimonium, neque hoc videtur posse negari. Non ergo necesse est, omnia illa bona simul inveniri, ut excludatur inhonestas et proinde dematur matrimonium. Vel potius dic, illa tria bona non esse de ratione matrimonii, quasi sint constituentia intrinsecus ipsum, quae si desint, constitutum seu res haberi non possit, sed esse potius bona, quae ex natura istius contractus connaturaliter profluunt, rebus generaliter consideratis.

Ceterum adverte ea, quae iuste adnotat Palmieri (*de matr. th. III*) quis ibi proponens hanc difficultatem; contrahere cum pacto servandae virginitatis « adversatur fini matrimonii, cuius finis est proles », respondet: « Respondemus ergo secundum ea, quae ex Augustino docuimus in praecedente thesi: proles est finis copulae matrimonialis primarius, quamvis non unicus, *conc.*; est finis ipsius vinculi matrimonialis, *dist.*: immediatus, *neg.*: mediatus *subd.*: est finis unicus vel essentialis essentiae matrimonii, *neg.*: est aliquis finis, imo etiam primarius, *conc.* Iamvero contractum aliquem inire cum pacto non quidem agendi contra aliquem ex eius finibus, sed solum non faciendi id, ex quo aliquis eius finis vel primarius consequitur, manentibus aliis finibus et bonis, certe licet. Dummodo enim finis hic positive non excludatur, actio intendens bonum ex bono fine est honesta (cfr. *theol. morales*); finis autem positive non excluditur, quum solus usus rei omittitur. Sane interrogo: estne verus contractus matrimonialis, quando fiat inter eos, quibus possibilis est quidem copula, sed non possibilis proles? Quis id umquam sanus negavit? An in istis contrahentibus potest esse seria intentio prolis? non puto. Ergo valet contractus matrimonialis etiam sine ulla positiva intentione cuiusdam boni sive finis eiusdem, sine ulla, inquam, intentione prolis. Ex eo ergo, quod propter pactum continentiae appositum contractui desit intentio prolis, nequit ex defectu intentionis huius finis, improbari illud pactum ». Potest igitur consistere matrimonium sine aliquo ex bonis in argumento adversariorum adductis.

Quid, quod fere certe ipse S. Thomas putat, consistere matrimonium inter potentem et impotentem, quando pars potens certior facta est ante contractum de defectu impotentis? Sufficiat quoad hoc afferre breviorem quemdam locum S. Doctoris, ubi hoc tradit, scilicet *in IV. d. 36. q. 1. a. 1*, ubi ait: « Respondeo dicendum, quod in matrimonii contractu obligatur

unus coniugum alteri ad debitum reddendum; et ideo si ille, qui se obligat, est impotens ad solvendum, ignorantia huius impotentiae in eo, cui fit obligatio, tollit contractum. Sicut autem per impotentiam coeundi efficitur aliquis impotens ad solvendum debitum, ut omnino non possit solvere, ita per servitutem, ut libere reddere debitum non possit; et ideo *sicut impotentia coeundi ignorata impedit matrimonium, non autem si sciatur*, ita conditio servitutis ignorata matrimonium impedit, non autem servitus scita ». Haec fusius et clarius docet *in IV. d. 34. q. 1. a. 2. ad 4.* Neque aliquid valere videntur in contrarium ea, quae in defensionem S. Thomae nonnulli ejus discipuli adduxerunt. Cfr. Sylvium, Billuart etc. Verba igitur S. Thomae in loco allato intelligi nequeunt ex ipso S. Thoma in sensu adversariorum.

2408 9. Nonum argumentum petitur etiam ex quibusdam verbis. S. Thomae (*Suppl. q. 42 a. 2. c.*) scilicet: « Matrimonium, secundum quod ordinatur ad procreationem prolis, quae erat necessaria etiam peccato non exsistente, institutum fuit ante peccatum: secundum autem quod remedium praebet contra vulnus peccati, institutum fuit post peccatum tempore legis naturae ». Super quae adversarii ita ratiocinantur: matrimonium secundario institutum in remedium concupiscentiae non est aliud quoddam specie matrimonium, sed matrimonium primo institutum in officium naturae; hinc impossibile est, quod sit in remedium concupiscentiae, quin sit in officium naturae ».

Sed contra est, quod fundamentum argumenti, scilicet matrimonium institutum fuisse in officium naturae, distinguendum est. Quare respondeo: matrimonium institutum est in officium naturae *dist.*: cui institutioni fit satis per copulam perfectam per se ordinatam ad generationem, *conc.*; aliquid aliud praeterea in muliere requiritur, *subd.*: ut sit matrimonium, *nego*: ut finis seu proles obtineatur *iterum subd.*: quae assecutio finis est intrinseca matrimonio, *nego*: extrinseca, *concedo.* 2409

Quid quod ipse S. Thomas (*Suppl. q. 58. a. 1. ad 3*) loquens de senibus dicit, quemadmodum supra retulimus, senibus concedi matrimonium « *secundum quod est in remedium, quamvis non competat eis secundum quod est in officium naturae?* »

His consentit etiam Sanchez (*de matr. lib. II. disp. 29. n. 16*), ubi dicit: « Quarta conclusio. Quando contrahitur matrimonium in ordine ad copulam, si contrahentes sint tales, ut secundum communem spem possint habere prolem, est peccatum veniale contrahere principaliter gratia vitandae fornicationis...; si vero non possint iuxta communem spem prolem generare, nulla est culpa... Probatur posterior pars, quia, quando finis primarius est impossibilis, licitum est eligere secundarium; non enim id, quod est impossibile, potest intendi. Item, quia alias senes generationi inepti semper peccarent contrahendo.

Scilicet, « quum aliqua res seu aliquod opus ad plures fines honestos conducere potest, ut illud secundum ipsum ius naturale honeste adhibeas,

non est necesse, ut omnes fines intendas, vel primarium, si quis est inter illos; sed satis est, ut aliquem ex his finibus intendas, contra alios autem nihil facias: sic enim actio tua ex obiecto et fine erit bona. (Cfr. *theol. morales*). Si autem id non est necesse, spectato iure naturali, certum est, id non praecipi a natura. Ita ex. gr. ieiunii finis est multiplex vel saltem potest esse: honor Dei, expiatio tuorum peccatorum, impetratio alicuius beneficii spiritualis vel temporalis pro te vel pro aliis; quocumque ex his finibus agas, recte agis, aliis, si fines intrinseci sunt, per se consequentibus. Eodem pacto matrimonium contrahis propter remedium concupiscentiae, ac in usu eius id intendis, *non impedis* tamen generationem, prolemque suscipis, quam Deus dederit (si nempe possibilis sit). Et adverte quod commixtio sexuum per se non est mala, quum sit ex ipsa istitutione naturae; sed mala est vaga commixtio inter solutos, ac multo magis cum iis personis, quae sint alteri obligatae. Ut ergo hoc malum, in quod ferretur homo propter concupiscentiam, evitetur, eligitur ille status, in quo commixtio carnis licita est et honesta ». Ita Palmieri *de matr. th. II.* Et postquam sibi obiecerit, quod, si non esset procreatio prolis, matrimonium non fuisset institutum, quod ante omnia probandum esset, respondet quod hoc verum fortasse esset tantummodo in hypothesi, quod non esset possibilis procreatio prolis, eo quod esset impossibile per se ex commixtione carnis prolem generari (non autem si ex. gr. Deus statuisset non creare animas aut non formare organismum prolis in utero feminae); et tunc essemus in alio omnino ordine, in quo forte nec esset distinctio inter marem et feminam. Imo, etiamsi vera esset hypothesis, non recte colligitur, quod nunc propter solam filiorum procreationem matrimonium ineundum sit. «Nam non raro contingit, ut id, quod nisi exsistente aliquo certo fine non fuisset institutum, quum tamen, postquam institutum est, ad alios quoque fines conducere potest seu alia bona parere, propter ea possit adhiberi, iis solis directe intentis, dummodo contra finem illum, qui esset primarius, non agatur ». Palmieri *loc. cit.*

Si igitur matrimonium recte iniri potest tantummodo ob finem sedandi concupiscentiam, sedatio etiam concupiscentiae bonum est matrimonii, et matrimonium haberi potest secundum quod est in remedium in illo, cui non competit secundum quod est in officium naturae, quemadmodum docebat S. Thomas, dummodo sedatio concupiscentiae haberi possit per copulam coniugalem, ad quam ius dat contractus matrimonialis; quam eam non esse, in qua vir seminat in vagina feminae, etsi haec careat utero et ovariis, nondum probatum est ab argumentis adversariorum.

Et certe adversarii confundunt finem primarium cum fine unico, qui ille est, praeter cuius intentionem medium nequit adhiberi. Proles autem est finis matrimonii primarius, sed non unicus. Quare nihil quis potest positive facere contra bonum prolis in usu corporum coniugali; sed non sequitur non esse usum corporum coniugalem

omnem illum usum, ex quo proles sequi etiam non potest.

2410 10. Decimum argumentum adversariorum est istud. Si inter coniuges potest fieri ista copula propter sedationem concupiscentiae; ergo licet etiam copula onanistica et sodomitica, quae eodem modo valet ad concupiscentiam sedandam.

2411 Verum haec dici possunt a doctissimis viris in aestu disputationis, sed certe non accurate dicuntur. Coniugibus ad sedandam concupiscentiam licet ista copula, etsi non sit ex ea possibilis generatio, quia copula est actus coniugalis, et coniugibus licet sedare concupiscentiam per actum coniugalem. Copula onanistica aut sodomitica non licet coniugibus, quia non sunt actus coniugalis, et iis non licet concupiscentiam sedare per actum non coniugalem.

Nec dicendum, etiam copulam, de qua quaerimus, non esse actum coniugalem. Nam praecise hoc est in quaestione, nec id quod est probandum, assumi potest tamquam probatum.

2412 11. Undecimum argumentum est istud. Conditio apposita matrimonio, quae sit contra eiusdem matrimonii substantiam, ut ecce: contraho tecum, si sumes venena sterilitatis, invalidat matrimonium. Ergo a fortiori invalidum reddit matrimonium conditio in factum deducta, idest sumptio peracta veneni sterilitatis, seu in casu ablatio iam perfecta ovariorum et uteri.

2413 Sed contra est, quod argumentum istud speciosum quidem est, sed non cogens. Nam conditiones turpes contra substantiam invalidant quidem matrimonium, si sint verae conditiones, idest de futuro. Secus dicendum est de conditionibus etiam turpibus contra substantiam de praeterito vel de praesenti, ut iam advertit Sanchez (*de matr. lib. V. disp. 9 n. 6 sqq.*), ubi hic auctor adnotans, quod nonnulli voluerunt vitiari matrimonium etiam per adiectionem conditionis contra substantiam de praesenti, dicit: « Sed contrarium est verius, nempe solam conditionem contrariam matrimonio illud vitiare, quando est de futuro, secus quando est de praesenti vel praeterito... Probatur, quia dictum caput finale loquitur de conditionibus; at proprie conditio non est, nisi quando est de futuro. Item, quia feminam aut virum intendere adulterari aut venena sterilitatis sumere, non adversatur substantiae matrimonii, sed se obligare ad sic faciendum. Nam haec bona matrimonii tantum pertinent ad eius essentiam quoad obligationem, non vero quoad exsecutionem. At quando est conditio de praesenti aut praeterito tantum, continet exsecutionem contrariam, non vero obligationem. Ita docent Paludanus, Covarruvias, Henriquez, etc. Quare valida est conditio, et, ea impleta, valebit matrimonium et non aliter. In uno tantum casu habebit verum prior (idest contraria) sententia, scilicet quando sic adiiceretur conditio contraria de praesenti aut praeterito, ut afficeret ac tangeret matrimonium in futurum, ut: contraho tecum, si invenisti vel habes venena sterilitatis ad utendum in matrimonio. Vitiabit enim conditio haec matrimonium, quia perinde est ac obligare se in futurum ad ea venena

sumenda. Sic Paludanus *IV. a. 29 q. 2. a. 5. n. 27* ».

Scilicet, ideo conditio contra substantiam de futuro irritat coniugium, quia inducit in ipso actu celebrationis matrimonii obligationem, quae pugnat omnino contra aliam obligationem, quae necessario ex illo eodem actu suscipitur, eamque proinde elidit. Conditio autem de praeterito aut de praesenti non inducit contrariam obligationem, et proinde non elidit obligationem necessario resultantem ex contractu matrimoniali.

Porro factum carentiae uteri et ovarii non influit in futurum, quasi sit obligatio, quae in futurum sit implenda, sed est factum mere praeteritum.

2414 12. Duodecimum argumentum est sequens. Impossibile est serio velle id quod ex necessitate et ex sui natura fieri non potest. Ergo mulier, quae caret utero et ovariis non potest velle prolem, et proinde nec matrimonium, quod ad illam ordinatur. Si igitur mulier quaedam excisa, suam excisionem cognoscens eiusque naturalem effectum, matrimonium contrahit, matrimonium est nullum ex defectu consensus; ad summum matrimonium huius mulieris validum dici posset tunc tantummodo, quum ipsa vel non cognoscit defectum suum vel cogniti defectus consequentias saltem ignorat.

2415 Hoc argumentum haud multum profecto valet, ut attendenti ex dictis patet. Supponit enim in primis prolem esse unicum matrimonii finem, quod falsum est, ut diximus satis in praecedentibus. Nec admitti possunt ea, quae ultimo loco dicuntur. Agitur enim hic in suppositione de impedimento dirimente; impedimenta autem dirimentia in leges inhabilitantes seu irritantes regulariter recidunt, sive ex naturali, sive ex evangelico sive ex canonico iure constent (D'Ann. *III. 429*); in his autem legibus « non prodest ignorantia seu facti, *quia nihil mutat ignorantia facientis;* seu iuris, quod indubitatum est apud omnes » (D'Ann. *I. 216*). Sive igitur mulier, de qua est quaestio (aut alia pars) cognoscat, sive ignoret defectum suum et eius consequentias, matrimonium valebit vel non, prout defectus ille constituit necne impedimentum dirimens.

Haec, quae hucusque dicta sunt, videntur probare intentum meum, quod, probe velim animadvertatur, non est demonstrare in casu non adesse impotentiam, sed unice habet scopum negativum, probare scilicet, impotentiam in casu adesse non evinci ab adversariis.

Argumenta quaedam positiva pro sententia asserente validum matrimonium. — Ceterum iuverit addere quaedam argumenta positiva pro sententia affirmante in casu validitatem matrimonii, quae, etiamsi non haberent vim omnino cogentem, probant tamen et confirmant illud, quod nunc intendo, scilicet rem esse saltem maxime dubiam. 2416

Primum argumentum ex eo petitur quod omnes permittunt matrimonium et copulam tum adolescentibus ante decimum octavum annum, tum senibus, tum mulieribus post aetatem criticam. Porro hi omnes ordinaria omnino lege sunt inhabiles ad gene- 2417

randum. Ergo non debet requiri potentia ad generandum pro matrimonio, sed sufficit potentia coeundi. — Et si qui sunt, qui putant, physiologice certum esse, capacitatem generandi incipere cum pubertate, quum scilicet testes incipiunt elaborare nemaspermata, alii e contra sunt medici et physiologi contrarium asserentes (cfr. ex. gr. Roubaud *L'impuissance et la stérilité*); quod saltem probat maximam incertitudinem, quae exstat in physiologia relate ad generationem humanam, quam experimentis directis investigare physiologi aut omnino non possunt aut saltem possunt difficillime. — Quoad mulieres vero post aetatem criticam notandum est, teste eodem Roubaud, nonnullos in his mulieribus habuisse pro menstruis sanguineas emissiones, quae ex pathologico quodam statu potius in his mulieribus oriebantur. — Praeterea certum est, generali regula has mulieres habere ovaria senilia, idest atrophizata, vel in iis ovaria penitus disparuisse (aliquando saltem, quum ab aetate critica seu a menopausi longe iam distant); hinc omnes medici admittunt analogiam quoad impossibilitatem prolis habendae inter has feminas et feminas ovariis et utero carentes. Ergo in his feminis deberet praesumi impotentia; quare ad permittendum harum mulierum matrimonium deberet probari praesumptionem in casu non procedere. Hoc autem est contrarium praxi ecclesiae, quae haec matrimonia semper permittit, eaque habet *non praesumptive tantum, sed obiective valida*. Et haec praesumptio ideo fortior evadit, quia, ut asserit Hofmann (*Trattato di medicina legale*), secundum observationes Berner unus est casus authenticus, et hic Davies occurrit, mulieris quinquaginta quinque annos natae, quae ea aetate peperit. Quare generali regula mulieres, saltem quum ad sexagesimum annum pervenerint, praesumendae sunt omnino impotentes ad generandum. Quae confirmantur ab Albertoni-Stefani (*Manuale di filosiologia umana, Vallardi, senza data*), qui haec habet: « Il massimo numero dei parti si verifica nella donna dai 18 ai 40 anni. Sopra 10.000 parti in età superiore a questa si ebbero in donne di 41 anni n. 101 - di 42 n. 113 - di 43 n. 70 - di 44 n. 58 - di 45 n. 43 - di 46 n. 12 - di 47 n. 13 - di 48 n. 8 - di 49 n. 6 - di 50 n. 9 - di 52 n. 1 - di 53 n. 1 - di 54 n. 1. I parti in età molto più avanzata *appartengono alle favole* ».

Haec vero, quae ex Hofmann et Albertoni-Stefani annotata sunt, probant, non multum valere ea, quae contra hoc argumentum proferunt adversarii, eos scilicet rarissimos casus, quos enumerant, sive mulierum sive virorum, qui aetate longe grandaeva genuisse dicuntur. Quoad mulieres respondent affirmationes Hofmann et Albertoni-Stefani supra allatae; quoad viros non solum haud certa est aetas, quae ipsis ascribitur, sed nec extra dubium est honestas mulierum, ex quibus hi viri genuisse dicuntur.

Secundum argumentum est istud. 2418
Finis, etiam ille, qui finis est operis et proinde intrinsecus dicitur, de se extrinsecus est naturae rei, quum prior, natura saltem, res sit quam eius destinatio. Attamen si finis est

unicus, et sit finis naturae, probe quis argumentatur a fine ad naturam rei, vel a deficientia finis ad deficientiam ipsius rei, quia res in casu habet a natura rationem medii, medium autem non est, nisi ad finem. Verum, si non agitur de fine unico, sed tantum de fine primario, cui proinde accedunt fines alii secundarii, non bene arguitur ex deficientia finis primarii ad deficientiam ipsius rei. Potest enim tunc subsistere res, quae est medium ad alios fines, etsi non sit medium ad finem primarium. Hoc autem multo magis valet, quando finis primarius non est immediatus, sed mediatus tantum, quemadmodum est proles in matrimonio. Nam finis immediatus matrimonii est coniunctio maris et feminae per actum de se tendentem ad procreationem prolis; huius autem actus finis est proles. Salvato igitur fine immediato, idest salvata possibilitate illius coniunctionis, seu emissionis spermatis ex parte viri in vagina mulieris, salvatur matrimonium. Nec dicendum est, copulam hanc non esse maritalem, et proinde ne finem quidem immediatum matrimonii in casu salvari. Nam ipsa per se est copula natura sua ordinata ad procreationem prolis; etsi autem impedimentum occurrat, perfecte idonea est ad finem secundarium, qui est sedatio concupiscentiae et etiam unio animorum, supposito hoc fine.

2419 *Tertium argumentum* hoc est. In sententia, quam assero non esse certam, dicenda esset omnino illicita copula habita cum praegnante; non enim esset in sententia horum doctorum copula coniugalis, quia tempore gestationis, saltem iam progredientis, uterus est omnino clausus, et impossibile omnino est, sperma pervenire ad ovulum.

Ad hoc argumentum respondet Antonelli (*de conceptu etc. n. 136*), copulam cum muliere praegnante non esse aequiparandam copulae cum muliere carente utero et ovariis ob tria:

a) Quia copula cum muliere praegnante non est infecunda ex natura sua, sed tantum per accidens:

b) Quia non est impossibilis superfecundatio, de qua plura certa noscuntur exempla;

c) Quia hic agitur de suspensione fecundationis ad breve tempus, dum contra mulier, quae careat organis supra dictis nullam amplius in perpetuum habet possibilitatem fecundationem subeundi.

Attamen haec responsio non satisfacit. Nam in primis nimis facile ab Antonelli respondetur, copulam cum muliere praegnante non esse ex natura sua infecundam, sed tantum per accidens. Videtur haec distinctio ab Antonelli ex necessitate adducta, quae ne cum ipsis quidem eius principiis cohaeret. Nam pro Antonelli ad habendam copulam vere coniugalem, ex qua coniuges fiunt una caro, tria necessaria sunt, scilicet (*1°*) eiaculatio seminis ex parte viri, (*2°*) ovum ex parte mulieris, (*3°*) *via pervia ad ovum,* qua semen ovo uniri illudque fecundari possit. Porro ex his tribus in casu nostro unum deest, scilicet via haec pervia, idque ex natura rei et ex necessitate, quia post quatuor menses fere certe uterus est omnino clausus. Ergo ista copula est neces-

sario infecunda et talis est *natura ipsa sua*. Et revera ipse Antonelli in 2° opuscolo (*Pro conceptu etc. n. 81*) dicit: « item (sequitur) veram impotentiam haberi in casu uteri clausi ».

Illud praeterea, quod additur, de superfecundatione contradicit ipsis assertionibus Antonelli. Nam evidens est, argumentum hic a nobis adductum valere pro tempore, quo mulier praegnans gerit uterum clausum, qualecumque sit illud tempus. Ergo, si tunc temporis possibilis esset superfecundatio, ageretur profecto de praegnatione extra-uterina.

Porro quid ipse Antonelli in 1° opusculo (*n. 105*) de praegnatione extra-uterina tradit contra Eschbach? Asserit:

a) Praegnationem extra-uterinam, ut fiat, supponere uterum, ad minus *unam tubam falloppianam perviam* et unum ovarium, aut saltem huius partem omnino sanam.

b) Quamcumque praegnationem, quae non fiat in utero, et quae proinde non sit uterina, extra uterum accidere, sive accidat in tubis (et est tubaria), sive accidat in ovario (et est ovarica, si nempe ovulum fecundatur in ovario, quia ob angustiam oris vesiculae Graaf nequit ex ovario exire; ibi potest sese evolvere, vel post aliquod tempus inde exire et suam evolutionem in abdomine prosequi, dum eius placenta ovario adhaeret), sive accidat in cavitate ventris seu in abdomine (et est abdominalis, si nempe ovulum fecundatum post egressum e vesicula Graaf tubam non ingreditur, sed in cavitate ventris sistit, ibique sese evolvit).

Praegnationem extra-uterinam dicit Antonelli esse veram anomaliam, et derogationem legum physiologiae constituere, quae propter hoc gravissimorum malorum et mortis matris et fetus fere semper causa evadit. Nam plerumque praegnationes extra-uterinae ante tempus finiunt ob rupturam membranarum fetum involventium; aliquando vero fetus perfectam evolutionem assequitur, sed via naturali nasci non potest. In utroque casu in magno constituitur discrimine vita matris et fetus, quia ruptio membranarum affert mortem fetui, et producit earumdem membranarum inflammationes cum gravi periculo peritonitis pro matre. Fetus vero, si completam evolutionem assequitur, excitat contractiones uterinas, ob quarum vim moritur. Secundum Doctorem Shauta (*Tratt. complementare di ginecologia, Torino 1898, pag. 173*) matres hisce in adiunctis moriuntur 68.8 %, fetus vero paucissimi vivi e ventre matris exierunt.

Haec ipse Antonelli asserit. Porro, his suppositis, quomodo ex possibilitate alicuius superfecundationis extra-uterinae cohonestari potest ea copula, quae habetur tempore praegnationis, quum imo nova exinde exsurgat difficultas pro tuenda honestate illius copulae? Nam profecto haec copula, quae in tanto discrimine ponit vitam matris et fetus, etiam ex hoc tantum capite, videretur immoralis.

Sed et praeterea ex iis ipsis, quae Antonelli asserit, est exclusa possibilitas istius eiusdem superfecundationis. Nam non datur ex ipsa eius assertione fecundatio ulla, nisi detur

uterus pervius. In casu autem uterus est clausus. Erit igitur temporanea quidem impotentia (in modo loquendi Antonelli), sed vera impotentia, et quum certum sit, eam non posse finem habere nisi per partum, copula usque ad partum erit coniugibus prohibita.

Et sic etiam responsum est tertiae rationi, quam affert Antonelli, ob quas dicit, copulam cum muliere praegnante non esse aequiparandam copulae cum muliere carente utero et ovariis, scilicet, quia illa non patitur nisi suspensionem fecundationis, haec habet perpetuam impossibilitatem. Quod utique verum est, sed ex hoc deducitur tantum, quod copula cum muliere praegnante *erit licita post eius partum tantum*, copula cum muliere carente utero et ovariis numquam erit licita in sententia Antonelli.

Quare argui posset hic Antonelli defectus ratiocinationis. Magis logici fuerunt, qui huius copulae liceitatem negarunt. Cfr. Rosset *de matrim. V. 3111.*

Verum negare liceitatem huius copulae est contraire doctrinae omnium theologorum, qui eam absque ullo scrupulo licitam omnino dicunt saltem ob finem secundarium, qui fere numquam deest. Sed insuper hoc esset reddere statum matrimonialem difficilem nimis ad salutem aeternam, quum loco inveniendi in eo statu remedium ad concupiscentiam, iuvenes praesertim coniuges invenirent incentivum ad peccatum. Quare haec videntur contraria doctrinae Pauli.

Et haec est antiqua sententia. Nam iam Rufinus (*Die Summa decretorum des Magister Rufinus ed. ab H. Singer Paderborn, 1902, Caus. XXXIII q. 4, pag. 504*) dicebat: « In canonibus autem dicitur ut vir non conveniat cum uxore ab eo die, quo filius in utero motum fecerit, usque ad partum. A partu post 30 dies, si filius est; si filia post 56 ut in Burch *l. XIX ex Poenit. rom. cap. In tribus.* Verumtamen totum hoc consilii, non praecepti ».

Hinc alii, qui sententiam Antonelli tuentur, aliam viam ingressi sunt ad respondendum huic argumento. Scilicet dixerunt, aliud esse quid necesse sit ut matrimonium iniri possit, aliud quid ut matrimonio inito aliquis possit uti. Ad ineundum matrimonium necesse est possibilem futuram prolem. Ad utendum matrimonio non est necesse quod proles dari possit, sed sufficit sedatio concupiscentiae saltem ratione partis alterius, ita ut vir ex. gr. sine ullo peccato possit petere, etiam quando nequit haberi proles, ut vitet incontinentiam compartis, et vicissim. Hoc ultimum fundatur in sententia Sanchez *(de matr. lib. VII. disp. 102 n. 7)*, secundum quem licet illi, qui eunuchus factus est post matrimonium initum, actum coniugalem perficere, quia nempe, ut puto, copulam in casu considerat Sanchez veluti tactum turpem; tactus autem turpes coniugibus licent. Hanc sententiam ante Sanchez defenderant Caietanus (*in. 2. 2. q. 154. a. 1.*); Navarrus (*Man. c. 22. n. 6.*) ac Toletus (*Instr. sacerd. lib. VII. c. 16. n. 4*), et postea defendit Laymann (*Th. mor. lib. V. tr. 10. p. 4. c. 10. n. 3*). eamque amplexus est sine restrictione D'Annibale *III. 470 (13)*. Porro eunuchus impotens est, ut habemus ex constitutione Sixtina citata. → Atta-

men alii et non pauci contrariam sententiam tuentur et merito, ut videtur, quia in hypothesi Sanchesii mulier profecto fruitur voluptate extra actum coniugalem. In casu autem nostro, vel actus est coniugalis, et tunc possibilitas eum ponendi sufficit etiam ad ineundum matrimonium, vel, in sententia eorum, qui sic respondent, non est actus coniugalis, et tunc vir extra actum coniugii perfectam voluptatem sibi quaerit, quod illicitum est.

2420 *Quartum argumentum* est: Ecclesiam hucusque putasse fieri unam carnem ex sola copula perfecta in vagina vel ex eo apparere videtur quod ovulum mulieris et concursum spermatis cum ovulo ignoraverit. Hinc retinet in sua praxi, copulam, qua partes fiunt una caro, esse factum externum iuridicis probationibus obnoxium, et semper censuit, partes fieri unam carnem per copulam cum muliere praegnante. In sententia contraria ecclesia per viginti fere secula permisisset usum matrimonii non vere coniugatis, quod, quum respiciat rem moralem, admitti nequit. Cfr. Gasparri *de matr. I. 582.*

2421 *Quintum argumentum* deducitur ex notissimis tribus responsionibus S. Officii, quas statim afferam. Hae non solum ex doctrinali auctoritate, qua sacra haec Congregatio pollet, sed, etiam ab ea praescindendo, ex auctoritate plurium virorum doctrina praestantium, qui eam constituunt eamque adiuvant, ex maturitate iudicii, qua semper procedit, illud certo efficient ut si revera adversentur sententiae recentiorum doctorum haec nullo modo haberi possit ut certa. Eae porro plenae adversantur sententiae recentiorum.

Quae publice cognoscantur tres sunt responsiones s. Officii, scilicet:

a) Quaesitum est: « Num mulier N. N. per utriusque ovarii excisi defectum sterilis effecta ad matrimonium ineundum permitti valeat et liceat, necne? » Responsum est *3 febr. 1887*: « Re matura diuque perspecta, matrimonium mulieris, de qua in casu, non esse impediendum ».

b) Idem S. Officium sequentes litteras dedit ad epum Regiensem:

« Illme ac Rme Domine, In congregatione *fer. IV diei 23* currentis mensis discussum fuit dubium ab Amplitudine Tua propositum supplici libello diei 31 octobris elapsi anni, videlicet: — Num mulier N. N., cui operatione chirurgica ablata sunt duo ovaria et uterus, admitti possit ad matrimonium contrahendum — et, re mature perpensa, emi dni Cardinales una mecum inquisitores generales decreverunt: Matrimonium non esse impediendum. Quod dum Amplitudini Tuae pro istius curiae norma significo, eidem fausta quaeque adprecor a Dno. — Amplitudinis Tuae Addictissimus in Dno. — R. Card. Monaco, *30 iul. 1890.*

c) Archiepiscopus Westmonasteriensis proposuerat: « Utrum puella N., cui ovaria per operationem chirurgicam ablata sunt, quaeque proinde, licet ceteroquin perfecta sit, prolem concipere nequit, matrimonium valide et legitime contrahere possit ». Responsum est *31 iul. 1895:* « Detur responsum ut in Rheginen (ita in Collectanea *S. C. P. F. ed. 2. n. 1907,*

sed legendum videtur *in Regien.*), scilicet: iuxta exposita matrimonium non esse impediendum ».

His responsionibus seu decisionibus S. Officii Antonelli pluribus respondit in 1° opusculo *de conceptu etc. n. 127*, quae in 2° opusculo *pro conceptu n. 78* recapitulavit, nova quaedam addens, et iterum repetiit in 3° opusculo *de mulieris excisae impotentia, n. 125 sqq. et Appendix, pag. 165.*

Referam alterum locum Antonelli, ubi brevius ea omnia habentur, quae ad has responsiones explicandas auctor excogitavit. Dicit igitur:

« Quod vero spectat ad duplicem responsionem S. O. in duplici noto casu, iam diximus in opusculo (*de conceptu nn. 126-134*), quomodo, ex principiis theologorum, accipienda sit. Nam, quum *res substantialis* in contractu matrimoniali sit corpus aptum ad generandum, mulier, quae careat certo utero vel ovariis, non amplius et in perpetuum est apta ad generandum, ac ideo non potest contrahere. (Et haec auctor putat se probasse, sed non probavit, ut ex superius disputatis liquet). Quare dicendum in *particularibus* illis casibus, S. O. relatis, nonnullas adfuisse speciales conditiones (quae illas responsiones permiserunt), quaeque scilicet supponere faciebant adhuc inesse illis mulieribus, de quibus in casu, capacitatem generandi, ut constat ex sequenti declaratione a P. Bucceroni relata: — Neque vero ullo modo obstant notae responsiones S. Poenitentiariae et S. Officii, *matrimonium non esse impediendum,* in casu excisionis ovarii et uteri. Nam, ut mihimetipsi declaratum est ab ipso emo Cardinali S. Officii Secretario, responsiones illae, ad *particulares casus* dumtaxat datae, supponebant, *posse* adhuc *per se* in illis casibus sequi generationem, scilicet quatenus non fuisset perfecta et absoluta uteri et ovariorum excisio et absentia. Quapropter S. Congr. Concilii *19 dec. 1899* propter uteri defectum *invalidum* matrimonium declaravit, quamvis contrarium acriter propugnasset defensor vinculi ex officio in causa *Monasterien.* — Quam ob causam, quum res ita sit, multo minus potest afferri argumentum aliquod ex illis responsionibus pro feminis excisis. Quod ita vero tenendum sit, constat ex hoc, quod nulla Congregatio Romana, et ne Papa quidem, aliquid possint immutare de *substantialibus* sacramentorum. At corpus aptum generandi est *res substantialis* in matrimonio ».

Quae quidem nimis properanter dicta fuisse videntur.

Responderunt enim doctores, qui contrariam sententiam tuebantur, annotantes, quod « Sacrae Congregationes respondent circumstantiis expressis in dubio, quod enunciatur in ipso decreto, non autem circumstantiis, quae maneant occultae; secus infinitis aequivocationibus daretur locus et praeterea hoc inconveniens haberetur, quod S. Congregatio unam quaestionem proponeret in dubio et aliam substantialiter diversam dirimeret in decisione » (Eschbach *Disp. phisiologico-theologicae, ed. altera*).

Annotarunt etiam, supponere S. Congregationem alia scivisse praeter ea, quae in quaesito exposita sunt, esse

suppositionem omnino gratuitam, imo videri omnino excludi in secundo quaesito ab ipsis litteris Card. Monaco, qui, rescribens ad ep. Regiensem, dicit cardinales resolvisse *dubium ab eo propositum,* non tulisse sententiam in aliqua causa; in primo autem quaesito ex eo quod verba *per utriusque ovarii excisi defectum sterilis effecta,* sepositis cavillationibus, clare significant, mulierem ex operatione evasisse ineptam ad prolem generandam. Et hoc confirmabant ex obvia interpretatione harum responsionum, quas statim in hunc sensum fecerunt, qui de re morali scripserunt, ut Génicot (*II. 503*), Marc (*II. 2008*), Lehmkuhl (*II. 744*, qui tamen contrariam prius sententiam sustinuerat) et D'Annibale, qui tunc temporis fungebatur munere assessoris S. Officii, qui in tertia editione (quarta editio, quam pro se citant adversarii, ab aliis curata est post mortem auctoris), quae prima fuit post decretum S. Officii anni 1887 (*III. 431* [9]) scripsit: « nec mulier prohibetur nubere, cui utrumque ovarium *penitus* excisum fuit (*S. U. I. 3 febr. 1887*). Scilicet matrimonium ad mutuum quoque vitae adiutorium pertinet et ad concupiscentiam coercendam » (1).

Observarunt praeterea has esse quidem responsiones ad casus particulares, sed evidens esse quod casus hi particulares non poterant resolvi, nisi resoluta prius fuisset quaestio theoretica de principio, cui resoluti casus innitebantur.

Quoad responsionem autem, quae a card. Parocchi data dicitur, eam non multum ponderis habere dixerunt, saltem ex eo quod Card. Parocchi, qui, etsi a secretis esset S. Congregationis, strictissimo tenebatur s. Officii secreto, etiamsi aliquod circa hoc scivisset, non poterat certo illud publici iuris ipse facere; quare vel mentem suam privatam aperuit, vel aequivocis verbis usus est, quae alii iuxta suam mentem interpretati sunt.

Sextum argumentum deducitur ex novissima responsione S. Congregationis de sacramentis, quam refert Ferreres (Razón y Fe *tom. XXVI. n. 1 pag. 101*). Petitio est sequens, quam ex originali hispanico latine versam hic transcribo: « Eme Dne Card. Praef. S. Congr. de Sacr.; N. N. parochus S. Petri de N. dioecesis N. in Hispania Eminentiae tuae debita cum reverentia exponit parochianam suam nomine M. M. multis abhinc annis in concubinatu vivere. Quum ipse parochus inquisitionem fecisset et suam curam converteret ut eam ex inhonesto suo statu eriperet, eidem ipsa aperuit se recenter chirurgicam operationem subiisse, qua ipsi uterus et ovaria extracta fuerant. Medicus, qui operationem perfecerat, requisitus affirmavit certam esse extractionem uteri et utriusque ovarii. Possumne igitur ad matrimonium procedere, an potius eam habere debeo matrimonio inhabilem ex capite im-

(1) Immutatio, quae in quarta editione facta est, ita diiudicatur ab exmo D. Dom. Mannaioli (Suppl. edit. quintae Summulae theol. mor. Ios. Card. D'Annibale, *Romae, 1909,* n. *XXI*): « Verbo dicam : facinus huiusmodi in textum Iosephi D'Annibale aliena manu contra auctoris mentem et post huius obitum patratum fuisse ».

potentiae? Et supposita totali ablatione uteri et ovariorum possumne petere a Sanctitate Sua dispensationem ab impedimento impotentiae ut christiane vivat? - Responsionem expecto Em. tuae. *3 mart. 1909*». - His litteris haec fuit responsio exmo episcopo data: « Sacra Congregatio de disciplina sacramentorum relatis precibus hisce litteris annexis, omnibus mature perpensis, Amplitudini tuae respondendum censuit prout sequitur: quatenus vera sint exposita, detur responsum S. Congr. S. Officii *diei 23 iunii 1890* in causa Quebecen. scilicet - Matrimonium non esse impediendum. - Datum Romae die 2 aprilis 1909 ».

P. Ferreres, cui haud difficile erat inquisitiones peragere circa hunc casum, qui in Hispania praecise locum habuerat, eas de facto peregit et ipse quoque directe rescivit chirurgum affirmare absque dubio perfectam fuisse ablationem uteri et ovariorum. Hoc ipsi certum fuit ex litteris, quas medicus requisitus dedit sacerdoti, qui eam unionem legitimavit. Addebatque notarius curiae in litteris ab se datis ad P. Ferreres nec episcopum apud S. Congregationem institisse ut concederetur facultas celebrandi matrimonium, nec S. Congregationem ab episcopo ulteriorem ullam inquisitionem faciendam requisivisse.

Quae omnia ostendunt aperte nec multum valere ea, quae adversarii contra notas responsiones S. Officii effutiebant, nec dubium S. Congregationi esse quid in praxi talibus casibus respondendum sit.

Sit tandem conclusio. Ex analysi 2422
argumentorum, quae a doctoribus recentioris theoriae patronis allata sunt et ex positivis argumentis, quae in favorem sententiae contrariae, asserentis validum matrimonium initum a muliere carente utero et ovariis, militant, illud *saltem* absque dubio brobatum videtur, quod volebam, scilicet sententiam asserentem invaliditatem matrimonii huiusmodi *a nullo haberi iure posse tamquam antiquiorem ac certam.*

Annotent hic velim lectores atten- 2423
te me legisse quae contra meam discussionem in praecedenti editione peractam scripserit Antonelli in sua *Medicina pastoralis ed. 3ª v. 2. n. 574 sqq.* De iis, quae solida mihi videbantur, rationem habui in iis quae scribo: alia praeterire ex toto censui, cum animus mihi non sit concertationem cum aliquo particulari, auctore instituere, sed, veritatem attendendo, ea sincere promere, quae mihi magis ipsi veritati conformia videntur.

Addere tandem hic liceat, rationes 2424
moralitatis, quae pro allata sententia visae sunt quibusdam militare, et propter quas nonnulli inclinarunt in eam sententiam, si bene inspiciantur, potius quam moralitati favere, immoralitatem inducere. Quod non semel evenit ut scilicet in rebus practicis exaggerata veritas ad falsitatem conducat.

Quamvis enim verum sit fieri posse ut mulieres quaedam, posthabitis periculis et curis partus, adhibita operatione excisionis ovariorum, quae facilior nunc est, voluptatibus tan-

tummodo in matrimonio indulgere velint, falso tamen quis se putaret moralitatis defensorem quia has feninas incapaces ad matrimonium pronuntiat, praescindendo nunc ab intrinseca veritate aut falsitate sententiae.

Mulieres enim generatim, nisi vitiosissimae sint, maxime desiderant matres fieri; omnes, mulieres praesertim, maxime abhorrent a chirurgicis operationibus; omnes iure ipso naturae prohibentur a mutilatione, horum etiam membrorum, sine iusta causa in se patienda. Fieri utique potest, his non obstantibus, quod vitiosissima quaedam mulier hoc attentet ad declinanda pericula partus. Sed evidens est haec difficile admodum evenire in illis mulieribus, quae statum appetunt matrimonialem. Facilius erit, unam aut alteram mulierem haec attentare ex iis, quae vitam liberam et voluptatibus plenam, amores impudicos foventes, sectantur. Eae, quae nubere volunt, si filios nolint procreare, ad alia media maiori cum facilitate recurrent. Iam vitiosissimi isti coniuges, a medicis coadiuvati, invenerunt medium facile vitandi prolem, faciendo iniectiones aquae acidulae, mixtae scilicet cum *acido simico* vel cum *bisolfato di chinino*. Praeterea semper praesto est condamismus. Parvus igitur esset fructus ex hac parte.

Ex alia parte interdicendo his mulieribus nuptias, quum saepe accidat operationem excisionis uteri vel ovariorum necessariam esse, plures haberemus vel iam uxoratas, quibus implicite assereretur illicitus usus coniugii vel nondum uxoratas, quaequum invenire non possent adiumentum viri ad vitam agendam, in maximo periculo incontinentiae versarentur.

Certe huiusmodi chirurgicae operationes saepius necessariae sunt in mulieribus conditionis *mediae*, quam vocant. His manuum labore vitam agere durum saepe, quum labori assuetae non sint, indecorum saepissime esset. Quomodo difficultati isti occurrerent? Profecto, nisi christiana principia probe retinerent animo defixa, ad difficultates vitae superandas facile inducerentur vel ad meretricium vel ad concubinatum agendum.

De matrimonio viri, qui « vasectomiam » passus est. — Quid vasectomia sit et an licita vide sub *Vasectomia*. Hic brevissime ad quaestionem nostram intelligendam haec scienda sunt. Vasectomia, quae etiam vasectomia duplex apud quosdam audit, nova est operatio, qua canales spermatici seu canales virile semen deferentes secantur medii, scilicet longitudinaliter per totum dividuntur. Divisione peracta et statim retracto cultro vulnus ipsum contractione musculi clauditur vi ipsa sua. 2425

Operationis huius, ceteroquin facillimae, effectus, quod ad nos spectat, hic est ut quamvis vir, qui eam passus est, ad copulam peragendam maneat aptus ut erat ante operationem, et omnes sexuales operationes peragere possit, est tamen physice impotens emittendi virile semen. Addendum, quod iis, qui per vasectomiam steriles efficiuntur « integritas vasis divisi per subsequentem operationem restitui

potest, et ita organorum functio illaesa habebitur ». Cfr. P. Donovan in *Ecclesiastical Review; Nouvelle revue théolog. tom. 42 fasc. 7 pag. 420.*

His suppositis quaeri potest an valeat matrimonium ab eo initum qui talem operationem passus est. Et puto valere. Ratio est, quia in hypothesi facta agitur hic de impotentia temporanea, quae scilicet per naturalia media et absque peccato sine periculo tolli potest. Porro haec impotentia matrimonium non irritat, ut habemus expresse in cap. 6 *de frigidis et malefic. X.* (*IV. 15*).

Et hoc valet non solum quando agitur de eo, qui velit forte, matrimonio contracto, operationem denuo subire ad recuperandam potentiam suam naturalem, sed etiam si de eo ageretur qui contrariam foveret voluntatem, aut etiam praecise in ordine ad matrimonium contrahendum operationem vasectomiae passus esset, ut facile patet ex iis, quae diximus supra relate ad mulierem carentem utero et ovariis.

P. Ferreres (Razón y Fe *tom. XXVII n. 3. pag. 374 sqq.*) tractans hanc quaestionem negativam dedit solutionem, hosque dixit omnino incapaces ad matrimonium contrahendum. Sed hoc factum esse puto, quia res ei ita proposita est, ut de hac possibilitate recuperandi pristinam facultatem semen eiaculandi nihil eidem fuerit propositum. Et certe ipse hos aequiparat castratis seu eunuchis, quos incapaces esse ad matrimonium omnes dicunt. Sed, si vera sunt ea quae exponuntur in Nouvelle revue théol. (*loc. cit.*), ii, qui vasectomiam passi sunt, non sunt aequiparandi eunuchis, sed potius iis, qui ex aetate adhuc sunt impotentes. Quamvis et cum his non omnimoda sit similitudo multis de causis, praecipue quia ius ecclesiasticum positivum impuberes incapaces declaravit matrimonii, vasectomiam passos, quippe qui impotentia tantum temporanea laborant, non item, ut diximus.

Ceterum si revera, semel vasectomia peracta, non posset amplius recuperari facultas emittendi verum semen, solutio P. Ferreres esset omnino admittenda; hi enim vere essent in casu impotentes impotentia perpetua et absoluta, qui ad matrimonium inhabiles sunt iure ipso naturae, quum ipsis impossibilis sit copula coniugalis, qua scilicet verum semen emittant in vaginam mulieris.

Haec iam scripseram, quum ad me pervenit novus eiusdem cl. auctoris articulus (Razón y Fe *XXVIII. n. 2 pag. 224 sqq.*), in quo omnia admittuntur, quae hic dicebam. Additur solummodo, ex auctoritate quoque praeclarorum rei medicae peritorum, effectus vasectomiae semel peractae irreparabiles esse. Quoad factum non est meum proferre iudicium; sed, si ita est, matrimonium, ut dixi, nullum esse nimis est evidens.

De matrimonio contracto cum impotentia non cognita. — Accidit aliquando ut matrimonium contrahatur ab impotente, qui se potentem putat; contracto autem matrimonio impotentia detegitur. Et certe ab initio ordinarie loquendo impotentia erit dubia, quamvis aliquando certa etiam esse poterit. 2426

Si vix contracto matrimonio statim detegitur impotentia, quae *certa* sit, matrimonium fuit certe invalidum et praetensi coniuges debent a toro illico se separare, imo propria etiam auctoritate possent, secluso scandalo, se separare a cohabitatione. Attamen melius pro tali omnimoda separatione recurrerent ad auctoritatem ecclesiasticam (nisi periculum peccandi urgeret, quo in casu ab invicem divertere propria auctoritate statim deberent), cuius iudicium semper intervenire debet quando agitur de novis nuptiis contrahendis.

Si *dubium* de impotentia exsurgit, possunt certo coniuges praetensi per triennium saltem experiri an capaces tandem sint consummandi matrimonium, omnibus etiam convenientibus modis se excitando etc., dummodo voluntarie non deveniant ad seminis frustrationem, quae tamen, si per accidens habeatur, ut saepe continget, nihil erit.

Expleto triennio et nondum consummato matrimonio, permittebatur antiquitus his putativis coniugibus cohabitare simul tamquam frater et soror. Nunc convolandum est ad invocandam sententiam declaratoriam nullitatis. Et haec quidem theoretice. In praxi autem saepe bonum erit putativos hos coniuges relinquere in bona fide, si in ea sint, et generatim imprudens erit confessarium ipsos docere de *triennio* permisso ad experimentum, et melius erit de maiori vel minori tempore ad hoc concesso prudenter tacere. Dari tamen etiam possunt casus, in quibus prudenter iudicet confessarius partem potentem statim monere de probabili impotentia et consequente matrimonii invaliditate ut obtinere statim possit saltem dispensationem a matrimonio rato et non consummato. In omnibus his prudentia duce, debet confessarius se regere iuxta varias casuum circumstantias.

De emissione spermatis ad os vaginae et de fecundatione artificiali. 2427
— Aliquid dicendum etiam de casu, quo proles habeatur sine copula, idest sive per emissionem spermatis ad os vaginae, sive per fecundationem artificialem.

Quoad primum notandum est, antiquiores (cfr. Zacchia *lib. III tit. 1 q. 8. n. 20*) negasse, generationem haberi posse sine copula. At nunc recentiores, cognitis spermatozoidis, non admittunt, tantam esse vim aeris, ut Zacchia volebat, ut tam brevi tempore semen effusum ad os vaginae valeat corrumpere. Quare generatim nunc affirmant, generationem sic dari posse. Supposita igitur possibilitate generationis in casu, quid dicendum est de consummatione matrimonii et de potentia horum coniugum, si vir nullo modo possit vaginam penetrare, sed unice valeat semen ad os vaginae emittere? Et in sententia eorum, qui potentiam ad matrimonium et matrimonii consummationem vident tantum in actu physico copulae, patet virum istum esse impotentem, et proinde matrimonium nullum, nec ullo modo dici posse consummatum matrimonium, quod tali tantum modo perficeretur. Notandum vero est, inter hos auctores, nonnullos post Sanchez (*De matr. lib. II disp. 21. n. 2. 5*),

putare matrimonium, quod validum fuerit, consummari quacumque arte semen recipiatur intra vas naturale mulieris etiam absque illius penetratione.

In theoria illorum, qui volunt coniuges unam carnem fieri ex actu per se ad generationem sufficienti logice sequi videtur, in eo actu dari consummationem matrimonii et actum vere coniugalem, quum talis sit iste actus, ut ex eo aliquando sequatur generatio. Verum nonnulli huius sententiae patroni volunt, copulam etiam necessariam esse ad consummationem matrimonii, quia actus proprius coniugalis, quo coniuges fiunt una caro, est copula; et, etsi finis copulae aliter per accidens possit obtineri, non exinde sequitur, eum qualemcumque actum esse actum coniugalem

Quoad fecundationem artificialem ex dictis patet solutio quaestionis. Praeterea vide *Fecundatio artificialis*.

2428 **De impotentia consequente.** — Quando contracto valide matrimonio ab iis, qui potentes erant, supervenit impotentia, tunc habetur ea, quae vocatur impotentia consequens.

Evidens est et ab omnibus admittitur, impotentiam consequentem nullum exercere influxum super substantiam matrimonii antecedentis. Quum enim illud validum fuerit et proinde indissolubile, consequente illud impotentia, validum manet prout ante. Nam si generatim « factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari » (*reg. 73 de reg. iuris in 6°*), multo magis hoc valet in casu matrimonii, quod natura sua contractus est indissolubilis.

Attamen si nihil exinde immutatur quoad valorem matrimonii, quoad licitum exercitium iurium matrimonialium non idem forte dicendum est. Sed per gradus progrediamur.

Ante omnia in initio impotentiae supervenientis dubium de ipsa impotentia saepe haberi potest. Tunc etiam in exercitio iurium coniugalium nulla videtur immutatio introducenda. Iura enim illa coniugalia sunt iura coniugibus iam quaesita et in quorum possessione coniuges sunt. Porro iure quaesito nemo in dubio privandus est, nec possessor a sua possessione deiici potest, donec probetur iniustum esse possessorem.

Quid autem si certitudo impotentiae superveniat? Et theoretice loquendo puto dicendum esse coniugibus illicitum usum matrimonii et eorum omnium, quae proximum inducunt periculum pollutionis in uno vel altero coniuge. Ratio est, quia coniugibus ius est ad copulam *coniugalem;* copula autem coniugalis consistit in immissione seminis ex parte viri in vaginam mulieris. Porro haec fieri nequit in casu, quo unus ex coniugibus impotens evadat.

Et haec quidem theoretice mihi certissima videntur; in praxi tamen, quum haud pauci et graves doctores (vid. *Actus coniugalis n. 158 sqq.*) licitum putent impotentibus post matrimonium factis exercitium omnium iurium coniugalium, confessarius ipsos relinquere debet in bona fide omnia eis permittendo, quae legitimis coniugibus licita sunt.

2429 **De iudicio in causis impotentiae.** — ***De accusatione matrimonii ex capite impotentiae.*** — Ius accusandi matrimonium coram iudice ecclesiastico ex capite impotentiae antecedentis et perpetuae, et implorandi sententiam nullitatis, coniuges, iique soli, sive pars potens sive pars impotens, habent (*cc. 1. 5 tit. cit. X.* [*IV. 15*]; *Instr. S. U. I. 20 iun. 1883 § 45*); et hoc ius nullo lapsu temporis amittunt. *cc. 1. 7 tit. cit. X.* (*IV. 15*).

2430 ***De procedura canonica in causis impotentiae.*** — In praesenti disciplina illis, qui certo impotentes matrimonium contraxerunt, non permittitur cohabitatio ad modum fratris et sororis, ut prius (cfr. *c. 5 tit. cit. X.* [*IV. 15*]) permittebatur, nisi in extraordinario quodam casu, ut esset, si per iura civilia, quae impedimentum impotentiae non agnoscunt, cogerentur simul permanere, dummodo tamen absit periculum incontinentiae, seu sine peccati periculo hoc fieri possit. *S. C. C. 15 dec. 1877.*

Ordinarie vero in casu impotentiae, etsi plus minusve certae, ex stylo Curiae quando certo probata est inconsummatio matrimonii, saepius (nam et declaratio nullitatis ex capite impotentiae aliquando datur, cfr. *causam Premisliensem in S. C. C. 14 mai 1898*) consulitur SSmo Domino, ut concedat ad cautelam dispensationem a matrimonio rato et non consummato, quam ipsum matrimonium declaretur nullum. Gasparri *l. c. n. 609;* Feije *l. c. n. 541;* Wernz *Ius Decr. IV. 350* (*53*).

Coniugi, cuius matrimonium declaratum est nullum ob ipsius absolutam impotentiam, non potest permitti, ut ad novas convolet nuptias (cfr. *cc. 5. 7 tit. cit. X.* [*IV. 15*]), imo ne illi quidem hoc permitti potest, cuius matrimonium ratum ex verisimili impotentia ad cautelam solutum est a R. Pontifice; et saepe in casu Sacra Congregatio Concilii (nunc autem Sacramentorum) expresse mandat ut is ad novas nuptias, inconsulta Sacra Congregatione, non transeat (Feije *l. c. n 545*); sed bene ad novas nuptias admitti potest altera pars, ut patet. Si vero declaratio nullitatis facta fuerit ex impotentia relativa, utraque pars potest novas nuptias contrahere, post duplicem tamen sententiam conformem de nullitate prioris matrimonii.

Circa modum servandum in causis matrimonialibus ex capite impotentiae notandum est, non solum servandas esse omnes dispositiones Benedicti XIV *Const.* «De misericordia» *3 nov. 1741;* sed etiam ea attendenda esse, quae peculiariter circa has causas servanda mandavit Sacra Congregatio Concilii in sua instructione pro confectione processus in causis matrimonialibus *22 aug. 1840 § 42 sqq.;* idest iuxta iuris sanctiones (*cc. 4. 6. 7 tit. cit. X.* [*IV. 15*]) a rei medicae peritis facienda est inspectio corporis viri, et a tribus obstetricibus (aliquando conceditur, ut loco obstetricum medici adhibeantur), quae a duobus peritis, uno medico et altero chirurgo, sedulo instruendae sunt circa exercendum munus, inspectio corporis mulieris.

Ut haec autem inspectio mulieris

rite fiat, haec servanda sunt. Mulier traducenda est ad domum honestae matronae a iudice deputandae, atque astantibus semper tribus obstetricibus et matrona, immergenda est in balneo aquae tepentis a peritis prius recognoscendo, quod sit aquae purae; quo in balneo per spatium saltem trium quadrantium horae unius permanere debet; quo tempore transacto, astantibus semper et praesentibus matrona et obstetricibus, statim, ne ullum spatium aut momentum temporis mulieri concedatur, quo ad arctandum vas ullo medicamento aut aliqua fraude uti queat, ad ipsius corporis inspectionem a singulis seorsim deveniendum est, astante semper et praesente matrona; qua in re prospiciendum etiam est, ut haec recognitio fiat tempore tantum diurno et in cubiculo luminoso, ut ex inspectione huiusmodi, utrum mulier virgo sit, an violata et corrupta, adhibitis artis regulis, deprehendatur. Peracta recognitione, singulae obstetrices referre debent de virginitatis aut corruptionis indiciis ab inspectione resultantibus; formali etiam examini subiiciendi sunt periti, quorum iudicium exquirendum est super relatis et depositis ab obstetricibus. Tandem subire debet examen etiam matrona quoad praestitam toto balnei et recognitionis tempore assistentiam. *Instr. cit. S. C. C.*

Si in alterutro inveniantur signa certa impotentiae antecedentis et perpetuae, matrimonium statim declarandum est nullum; si signa non sunt physice evidentia, sed moraliter tantum certa, nullum etiam declaratur matrimonium, dummodo coniuges iurent, se matrimonium non consummasse, et habeatur simul iuramentum *septimae manus* de coniugum credulitate. Feije *l. c. n. 543. sq.* Si autem signa impotentiae sint omnino dubia, et constet de inconsummatione matrimonii, praesertim ex inspectione mulieris, petitur a Romano Pontifice dispensatio super matrimonio rato et non consummato. Vide supra.

Decr. Grat. c. 29 C. XXVII q. 2; C. XXXII q. 7; C. XXXIII q. 1; tit. de frigid. et maleficiat. et de impot. coeundi X. (IV. 15); Const. Sixti V «Quum frequenter» 22 iun. 1587; Const. Greg. XV «Omnipotentis» 20 mart. 1623; Instr. ss. CC. s. Off. et P. F. a. 1883; Instr. S. C. C. 22 aug. 1840; *Hotman A.* Traité de la dissolution du mariage par froideur de l'homme ou de la femme; *Rouillard S.* Capitulaire prouvant qu'un homme né sans testicules apparents est capable du mariage; *Peleus J.* Quaestio de solutione matrimonii ex causa frigoris; *Francolini M.* De matrimonio spadonis utroque testiculo carentis; *Tagereau V.* Discours sur l'impuissance de l'homme et de la femme; *Covarruvias D.* Tract. in tit. de frigidis et maleficiatis; *Delphinus H.* Coniugium eunuchi; *Simonis Io. G.* Delineatio impotentiae coniugalis; *Id.* De impotentia coitus; *Menzer* Quaestio ob es rechte Ehe sei, wenn ein junger Mann ein alt Weib nimmt; *Sanchez* De matr. lib. VII disp. 92 sqq.; *Hoffmann Ch.* De matrimonio sexagenarii...; *Zielinski* De coniugibus incantatis; *Trier* De pudore naturali in contrahendis matrimoniis iuspiciendo; *Grimaldi* Diss. sul punto dello scioglimento de' matrimonj per ragion d'impotenza; *Hupel* Vom Zweck der Ehe, ein Versuch die Heyrath der Castraten zu vertheidigen; *Püttmann* De nuptiis senum; *Sehling* Die Wirkungen der Geschlechtsgemeinschaft auf die Ehe; *Scherer* KR. § 115; *Levi* La

mancanza dell'utero come causa di nullità del matrimonio; *Vedani A.* Della impotenza come causa di nullità del matrimonio; *Leitner* Lehrbuch des kath. ER. § 26; *Lapponi* Votum in causa Albinganensi 7 septembris 1894; *De Luca M.* Votum in causa Monasteriensi 16 dec. 1899; *Eschbach* Disputationes physiologico-theologicae; *Id.* Casus de feminea impotentia discussus ac solutus; *Id.* Art. in « Analecta ecclesiastica » mense maio 1900; *Id.* De novo quodam sterilitatis conceptu; *Hansen* Zauberwahn, Inquisition u. Hexenproz. im Mittelalter; *Bucceroni J.* Casus conscientiae n. 146. 2; *Id.* Theol. mor. II. 994; *Id.* Casus resolutus ad S. Apollinaris 15 apr. 1901; *Sägmuller* Lehrbuch des k. KR. § 135; *Topai* Importanza dell' utero etc.; *Antonelli Ios.* De conceptu impotentiae et sterilitatis etc.; *Antonelli* Pro conceptu impotentiae et sterilitatis relate ad matrimonium; *Antonelli* De mulieris excisae impotentia ad matrimonium; *Antonelli* Medicina pastoralis in usum confessariorum; *Casacca* De carentia orariorum relate ad matrimonium; *De Barbieri I.* De validitatis extensione quoad matrimonium; *Hild* Art. in American ecclesiastical Review; *Villien A.* L'empêchement du mariage. Sa notion juridique d'après l'histoire; *Gasparri P.* De matrimonio I. 510; *Genicot* Theol. moralis institutiones II. 503; Theses ex universa theologia, quas praeside R. P. Edmondo Procès... defendet P. Petrus Scheuer S. I. Lovanii, inter quas n. 78 habetur haec: « *Contra nonnullos recentiores* contendimus, mulierem perfecte castratam non esse inhabilem ad contrahendum matrimonium ».

2431 **Imprecari.** — Imprecari malum alteri, qua ei malum est, caritas vetat; et est grave ex genere suo, nisi quis excusetur subito motu vel habitu, vel nisi imprecatus fuerit malum verbo tenus, ut saepius accidit parentibus, qui filiis suis maledicunt. Salmanticenses *Th. mor. tr. XIII. c. 4. n. 27.* Si quis ira correptus imprecationes in proximum fuderit, et nesciat utrum id fecerit ex animo, an verbo tenus, probabiliter reus habebitur, si fuderit adversus eum, quem odit, vel a quo iniuria fuerat affectus, innocens vero si adversus eum, quem diligit. D'Anh *II. 86 (5).* Vide *Caritas.*

Impressio librorum. — Ex constitutione Leonis XIII « Officiorum ac munerum » *VIII kal. febr. a. 1896 (a. 12)* nefas est libros edere, legere aut retinere, in quibus sortilegia, divinatio, magia, evocatio spirituum, aliaeque huius generis superstitiones docentur vel commendantur. 2432

Litaniae omnes, praeter antiquissimas et communes, quae in breviariis, missalibus, pontificalibus ac ritualibus continentur, et praeter litanias de B. M. V., quae in sacra Aede lauretana decantari solent, et litanias SS. Nominis Iesu (et litanias SS. Cordis Iesu, nec non s. Ioseph) non possunt edi sine revisione et approbatione ordinarii. *Const. cit. a. 19.* Vid. *Litaniae.*

Libros aut libellos precum, devotionis, vel doctrinae institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae aliosque huiusmodi, quamvis ad fovendam populi christiani pietatem conducere videantur, nemo praeter legitimae auctoritatis licentiam potest publicare; secus haberi debent prohibiti. *Const. cit. a. 20.*

Libros ab Apostolica Sede proscriptos nemo potest iterum in lucem edere: quod si ex gravi causa singularis aliqua exceptio hac in re admittenda videatur, id numquam fieri pot-

erit, nisi obtenta prius sacrae Indicis Congregationis licentia, servatisque conditionibus ab ea praescriptis. *Const. cit. a. 31.*

Quae ad causas beatificationum et canonizationum Servorum Dei utcumque pertinent, absque beneplacito Congregationis sacris ritibus tuendis praepositae publicari nequeunt. *Const. cit a. 32.*

Idem dicendum de collectionibus decretorum singularum Romanarum Congregationum; hae nimirum collectiones edi nequeunt, nisi obtenta prius licentia et servatis conditionibus a moderatoribus uniuscuiusque Congregationis praescriptis. *Const. cit. a. 33.*

2433 **Imprimentes.** — Imprimentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per apostolicas litteras nominatim prohibitos excommunicationem incurrunt l. s. Rom. Pontifici specialiter reservatam. *Const.* « Ap. Sedis » *ser. 1. n. 2; Const.* Leonis XIII. « Officiorum ac munerum » *VIII kal. februar. a. 1896 § 47.*

Imprimentes autem (qui latius patent, quam impressores, de quibus Tridentinum *sess. IV*) sunt ii omnes, qui ad impressionem proxime cooperantur, uti sunt ii, qui typos componunt, atramento eos tingunt, chartas madefaciunt, praelum versant etc. (D'Ann. *Comm. in const.* « *Apost. Sedis* » *n. 38* [*26*]), imo etiam ipse typographus, qui eorum operas conducit, et multo magis editor vel auctor libri, si eius cura liber editur. D'Ann. *Comm. cit. in 1 editione,* cuius sententia melior omnino ea videtur, quam tradit in quarta editione eiusdem operis loco citato. Absurdum enim videtur excommunicatione subalternos teneri artifices, qui materialiter librum imprimunt; non autem typographum, qui librum imprimendum ab auctore accipit, et artifices imprimere iubet, vel auctorem, qui usu omnium typis edere, imprimere librum dicitur, quum opus suum imprimendum tradit. Cfr. Sanchez *in Dec. II. c. 10. n. 57.*

Haec olim scripsimus, sed nunc quoad imprimentes confer sequentia. — Imprimentes non dicuntur, qui folia et libros impressos iam ordinant; an correctores in typographia ad imprimentes spectent, sunt qui negant (cfr. Ugolinum *de censuris Papae reservatis p. 2. c. 1 verbo* « *Imprimentes* »; Sanchez *l. c.*); sed certe hi videntur ad impressionem cooperari. Gennari *Comm. in const.* « *Officiorum ac munerum* » *a. 47. 2.* Quoad manuales subalternos, quando agitur de impressione pravorum librorum, videndum ex adiunctis, an habendi sint tamquam cooperatores formales, vel materiales tantum; et si non sunt cooperatores formales, an ex causa iusta et proportionata excusentur a culpa et poena, quae aliquando contra huiusmodi imprimentes ipso iure fertur. Cfr. Cretoni *apud B. P. VII. 277.*

Haec quidem secundum normas iuris per constitutionem « Apostolicae Sedis » constituti. Verum ex constitutione « Officiorum ac munerum », quamvis in ea (*a. 47*) re-

tenta sit haec excommunicatio, putat Vermeersch (*de prohibitione et censura libr. n. 32. 8*), probabiliter imprimentes non esse, nisi solum editorem et impressorem. Nam: « videtur satis absonum, ut eadem vox *imprimentes* diverso sensu accipiatur in duobus articulis, quorum alter alterum excipit. In articulo autem 48, nisi velimus, sine cogente ratione, strictius quam olim interpretari verba, *imprimens* ille est, qui opus imprimendum suscipit: *impressor* nempe, quem gallice proprie appellamus *l'imprimeur*. Aliunde valde congruit benignae nostrae legi non plectere censura opifices istos, qui de libris, ad quorum impressionem cooperantur, iudicium ferre nequeunt, poenam latam plerumque ignorabunt, nec raro morali necessitate a contumacia excusantur ».

Qui sine ordinarii approbatione sacrarum Scripturarum libros, vel earumdem annotationes vel commentarios imprimunt aut imprimi faciunt, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam. *Const.* « Officiorum ac munerum » *a. 48.* Haec est innovatio partialis excommunicationis Tridentinae (*sess. IV. de edit. et usu Sacr. Libr.*). quam retinuerat constitutio « Ap. Sedis », quae eam latissimis verbis expresserat: « cui (excommunicationi) illos tantum subiacere volumus, qui libros *de rebus sacris* tractantes sine ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt », quamvis iam a s. Congregatione s. Officii declaratum esset, haec verba restringenda esse « ad librum sacrarum Scripturarum, nec non earumdem annotationes et commentarios, minime vero ad libros quoscumque de rebus sacris in genere, idest ad religionem pertinentibus tractantes ». *S. U. I. 22 dec. 1888.*

Ad hanc igitur excommunicationem incurrendam necesse est, ut liber edatur sine approbatione ordinarii; quae si data fuerit, etsi non in scriptis, sed oraliter tantum, vel quamvis sola adsit, etsi per se non sufficeret, sed requireretur alia, ut esset in casu religiosi, qui praeter licentiam ordinarii indiget licentia praelati sui, excommunicatio non incurritur.

Imprimentes vero ex Vermeersch (*loc. cit. n. 33. 2*) hic « ii tantummodo videntur esse, qui vel domini sunt typographiae, vel eorum personam sustinent, ita ut rem eorum nomine gerant. Eas enim iussiones et poenas continet textus Tridentinus, quae opificibus etc. accomodari nequeant ». Imprimi vero facientes, iuxta eumdem Vermeersch, sunt « editor libri, is, cuius cura liber imprimitur; non necessario auctor, v. gr, si mere dedit aut vendidit manuscriptum, nihil impressionem curans ».

Improperium. — Improperium est 2434
species contumeliae, qua alicui inopia, defectus, etc. exprobrantur (G. B. *I. 462.*); stricte autem ex S. Thoma (*2. 2. q. 72. a. 1. ad 3*) tunc habetur, quando aliquis iniuriose alteri ad memoriam reducit auxilium, quod contulit ei necessitatem patienti.

Impuberes. — Impuberes in iure 2435
canonico habentur masculi nondum expleto anno decimoquarto, feminae nondum expleto duodecimo. *c. 3 de*

desp. impub. X. (*IV. 2*); cfr. Inst. Iust. *l. I tit. 22 prooem.*

Eorum vota possunt directe irritari a patre. S. Alph. *III. 229.* Etiamsi sint doli capaces, non ligantur censuris a iure latis (*cc. 1. 60 de sent. excomm. X.* [*V. 39*]), nisi in monasterium monialium ingressi fuerint (Conc. Trid. *sess. XXV. c. 5 de ref.*); at ligari certo possunt, saltem valide, censuris latis per modum praecepti. Suarez *de censuris disp. V. sect. 1. n. 19.*

Non possunt valide inire matrimonium (*cc. 11. 14 tit. cit. X.* [*IV. 2*]), nisi malitia suppleat aetatem (*cap. 9 tit. cit. X.* [*IV. 2*]); item non possunt ante septennium completum inire valida sponsalia (*cc. 4. 5 tit. cit. X.* [*IV. 2*]), septennio autem expleto possunt. Reiffenstuel *in tit. 2. l. IV Decr. n. 3;* cfr. *l. 14 de sponsalibus D.* (*XXIII. 1*). A sponsalibus tamen initis ante adeptam pubertatem resilire non possunt (*c. 7 tit. cit. X.* [*IV. 2*]), ea adepta possunt. *c. 8. tit. cit. X.* (*IV. 2*). Vid. *Sponsalia.*

Bibliographiam quaere sub *Aetas.*

Impudicitia. — Vide *Luxuria.*

Inamovibilitas. — Vide *Amovibilitas.*

2436 **Incardinatio.** — Ad incardinationem legitime faciendam nunc ex decreto S. C. C. 20 iul. 1898, requiritur actus legitimus excardinationis episcopi a quo, et incardinationis episcopi, qui dioecesi suae ascribit; et uterque actus in scriptis conficiendus est. Debet praeterea fieri absolute et in perpetuum, idest nullis sive espressis sive tacitis limitationibus obnoxia; ita ut clericus novae dioecesi prorsus mancipetur, praestito ad hoc iuramento ad instar illius, quod constitutio « *Speculatores* » (Inn. XII *4 nov. 1694*) pro domicilio acquirendo praescribit. Praescribitur etiam ut episcopus incardinans obtinuerit ab episcopo dimittente, sub secreto, si opus sit, opportuna testimonia de clerici incardinandi natalibus, vita, moribus ac studiis. Meminisse etiam debet episcopus incardinans nullum esse ascribendum novum clericum nisi pro necessitate aut commoditate dioecesis. Quoad clericos vero diversae linguae et nationis oportet ut episcopi in iis admittendis cautius et severius procedant ac numquam eos recipiant nisi requisiverint prius a respectivo eorum ordinario et obtinuerint secretam ac favorabilem de ipsorum vita et moribus informationem, super quo graviter oneratur episcoporum conscientia. *S. C. C. 11 dec. 1903.* Quoad incardinationem laicorum. Vid. *Laici.*

Vicarius capitularis, quamvis non possit clericos excardinare, potest tamen novos clericos sub iurisdictione dioecesana ad servitium dioecesis recipere, seu dioecesi incardinare; ad hoc autem nec consensu, nec consilio capituli indiget. De Angelis *in tit. 28 l. I. Decr. n. 21;* De Herdt *Praxis capitularis c. XXIII.* § 7.

Nota incardinationem aliquando etiam implicite fieri, quum scilicet clerico confertur beneficium in dioecesi non sua, quod ipse acceptat, et ad dioecesim, in qua situm est beneficium transit, venia accepta a priore episcopo suo. Cfr. causam Viterbien. actam apud *S. C. EE. RR. 14 iul. 1905.* Vide *Ordo, Excardinatio.*

2437 **Incensatio.** — Alicubi mos inolevit, turibulum in incensatione non manuducendi, sed, laxatis catenulis, iactandi. Quaesitum est a S. Congr. Rituum, an iste ritus servari posset; et sacra Congregatio respondit: « Quamvis consuetudo, de qua supra, differat ab usu liturgiae totius ecclesiae latinae; attamen, inspecta consuetudine locali, potest tolerari, quatenus nequeat reformari absque admiratione fidelium ». *S. R. C. in Virodunen. 4 sept. 1875* (*3374*).

In missa, quae cum cantu, sed sine ministris celebratur, incensationes omnes omittendae sunt; si vero, dum haec missa cantatur, ssmum Sacramentum super altare est expositum, incensationes in missa pariter omittendae sunt; et ssmum Sacramentum incensatur tantum postquam in throno fuit collocatum, et antequam deponatur (*S. R. C. in una de Zacathecas 18 mart. 1874 ad 1* [*3328*]); contrarius mos incensationes in his missis faciendi nequit tolerari sine speciali indulto etiam in locis, in quibus esset consuetudo. *S. R. C. in Caurien. 9 iun. 1884 ad 6* (*3611*).

Sicubi adest, servari potest consuetudo, ut in anniversario dedicationis ecclesiæ diaconus in missa solemni et celebrans in vesperis turificet cruces parietum ecclesiae, dummodo uterque turificationem perficiat stando. *S. R. C. in Sanctorien. 12 sept. 1884 ad 1* (*3621*).

Consuetudo exponendi ss. Sacramentum absque incensatione est prorsus eliminanda. *S. R. C. in Senen. 30 iun. 1883 ad 6* (*3580*). Vid. *Expositio ss. Sacramenti.*

Incestus. — Incestus est concubitus 2438
cum consanguineis vel affinibus intra gradus ab ecclesia pro matrimonio prohibitos. S. Alph. *III. 448*. Specie differt ab aliis luxuriae peccatis. S. Th. *2. 2. q. 154. a. 9*. Probabile est non differre specie incestum cum consanguinea ab incestu cum affini. Circumstantia gradus incestus cum consanguineis et affinibus (excepto tantum primo gradu in linea recta inter consanguineos [S. Th. *l. c. ad 3um*], non autem inter affines [Lugo *de poen. disp. XVI n. 316*], quamvis alii ne hoc quidem necessario aperiendum existiment [B. P. *V. 210*]) probabiluis non est aperienda in confessione. S. Alph. *VI. 470;* D'Ann. *II. 69*.

Ex decreto Leonis XIII (*25 iun. 1885*) in petendis dispensationibus ab impedimentis matrimonialibus non opus est manifestare habitam copulam incestuosam inter oratores.

Sharrock R. De variis inconscientiae speciebus (ubi etiam de incestu); *Hauemanni M.* Gamalogia synoptica (in libr. 3. de incestu); *Velthusii L.* De naturali pudore et incestu; *Ott* De vetitis affinium nuptiis; *Kluger* De nuptiis incestuosis; *Ram* De incestu; *Pasqualini* Condizione dei figli adulterini e incestuosi secondo il codice civile italiano; *Lusignoli* I figli adulterini e incestuosi nel codice patrio.

Incompatibilitas beneficiorum. — Vid. *Pluralitas beneficiorum.*

Incorrigibilitas. — Vide *Eiectio.*

Indicis (S. Congregatio). — Post in- 2439
ventionem impressoriae artis magis persensit ecclesia pro munere sibi divinitus commisso conservandi inter fideles unitatem fidei eosque arcendi ab immundis pabulis, quae ipsos in

sordes et carnis immunditiam praecipites agerent, necessitatem coercendi pravos libros et ab eorum lectura suos arcendi filios. Hinc iam die 1ª iunii anni 1501 Alexander VI saluberrimam edidit constitutionem « Inter multiplices » pro quatuor Germaniae provinciis ecclesiasticis, in qua inter alia videre etiam quis non immerito posset praeformatam regulam decimam tridentinam. Aliquibus post annis in Concilio Lateranensi V Leo X iteravit leges in const. Alexandri VI contentas, eas ad totum orbem extendens, firmansque sanctionibus magis determinatis constitutione sua « Inter sollicitudines » *4 maii 1515*. Postea Clemens VII inseruit in celebri Bulla Coenae excommunicationem, quae postea futura erat secundae primae seriei in constitutione « Ap. Sedis ».

Ex his omnibus necessitas practica exsurrexit pro fidelibus habendi catalogum librorum, a quorum lectione abstinere ipsi debebant. Et ab initio habiti sunt catalogi quidam sive privato sive publico nomine et auctoritate (non tamen suprema) editi.

Tandem Paulus IV in mandatis dedit s. Officio ut componeret indicem generalem. Publicatus est primitus anno 1557. Novus postea index iussu Concilii Tridentini confectus a Pio IV approbatus est et publicatus constitutione « Dominici gregis ». Indicis editiones plures postea secutae sunt usque ad novissimam Leonis XIII ab eodem Pontifice publicatam brevi « Romani Pontifices » *27 sept. 1900*.

Interim vero Pius V peculiarem instituit cardinalium congregationem, quae huic operi damnandi libros pravos eorumque indicem curandi praeesset. Eam ipse instituit veluti congregationem de reformando indice et corrigendis libris mense martio 1571, postquam anno 1570 Motu proprio diei 15 novembris Magistro S. Palatii iam fecisset plenissimam potestatem libros editos corrigendi. Hanc congregationem postea Gregorius XIV constitutione « Ut pestiferarum » (*13 sept. 1572*) in meliorem redegit formam, eamque Sixtus V in constitutione sua « Immensa » (*22 ian. 1588*) confirmavit et ratam habuit. In constitutione "Sapienti consilio„ congregatio haec integra mansit nullis fere immutationibus obnoxia.

Constituitur autem congregatio pluribus cardinalibus quorum unus est congregationis praefectus. His adduntur tamquam assistens perpetuus magister s. palatii apostolici religiosus ordinis Praedicatorum et alter eiusdem ordinis religiosus tamquam secretarius. Nec desunt huic congregationi consultores plures et quidam relatores (nunc unus est relator) ex utroque clero seculari et regulari selecti.

Competentia huius congregationis facili ratione exponitur dicendo eam competentem esse ad censuram librorum et ad damnationem eorum, qui fidei aut bonis moribus adversantur vel contra fidem aut bonos mores aliquod praeseferunt periculum, attentis legibus pontificiis exsistentibus et peculiaribus circumstantiarum adiunctis.

Obligant autem decreta huius congregationis, libros proscribentia aut

damnantia, ubique in ecclesia, nec ullo modo admitti potest aliqua esse loca in quibus eius decreta non obligent (Arndt, *De libris prohibitis, n. 87 sqq.*).

Quemadmodum autem congregatio potest per prohibitionem librorum fideles auctoritative et obligatione imposita arcere ab eorumdem lectione, ita potest super hac prohibitione dispensare eorumdemque librorum retentionem seu lectionem particularibus fidelibus vel etiam aliquando, immutatis forte circumstantiis, fidelibus omnibus permittere (cfr. *const. Leonis XIII « Officiorum ac munerum »*). Multo magis autem potest novam libri, post damnationem emendati et correcti, permittere editionem. Constitutione autem *Sapienti consilio* illud etiam congregationi committitur ut in memoriam ordinariorum reducat quam religiose teneantur in perniciosa scripta animadvertere eaque S. Sedi denunciare ad normam const. *Officiorum ac munerum*. Competentia huius congregationis cumulativa est cum competentia congregationis s. Officii.

Forma, qua haec Congregatio procedere hucusque debebat in prohibendis et damnandis libris pravis (eademque fere est ea, qua utitur congregatio s. Officii) determinatur accuratissime ab instructione Clementis VIII et constitutione Benedicti XIV « Sollicita » *VII. id. iul. 1753*.

In nova constitutione piana unum additum est et haud parvi momenti. Scilicet hucusque, ut vidimus, congregatio ad prohibendum librum non procedebat, nisi praevia denuntiatione.

Constitutio *Sapienti consilio* congregationi hoc etiam munus attribuit, ut ex officio etiam inquirat, qua opportuniore licebit via, si quae in vulgus edantur scripta cuiuslibet generis damnanda.

Administri, consultores, cardinales huius congregationis strictissimo tenentur secreto circa ea, quae librorum prohibitionem respiciunt, et quidem de hoc secreto servando iuramentum praestare debent iuxta formulam s. Officii. Utriusque autem congregationis seu s. Officii et Indicis administri, consultores et cardinales ea omnia et sola secum invicem communicare possunt, quae ad librorum prohibitionem pertinent.

Bibliographiam quaere sub *Libri prohibiti*.

Indissolubilitas matrimonii. — Vide *Matrimonium*, *Divortium*.

Indulgentia. — ***De natura et divisionibus indulgentiae.*** — 2440
Indulgentia est remissio poenae temporalis Deo debitae, quam ecclesia, ex thesauro meritorum Christi et sanctorum, subditis suis concedit extra sacramentum, per potestatem solvendi sibi divinitus factam. Palmieri *de poenit. App. de indulgent. § 1. XIII.*

Multiplex distinguitur indulgentia: *plenaria*, qua totum debitum poenae iis, qui illam lucrantur, dimittitur; *partialis*, qua non totum poenae debitum, sed pars dimittitur.

Quando indulgentia partialiter indulgetur, mos est, ut in formulis dicatur concedi indulgentia tot dierum, annorum, quadragenarum. Hac ratione loquendi supponunt Pontifices veterem morem redemptionis poeniten-

tiae canonicae, intelliguntque Pontifices, se concedere eam remissionem, quae responderet antiquae poenitentiae ecclesiasticae tot dierum, annorum, etc. Advertendum autem est, quod quadragenae, quae annis in formulis generatim adduntur, non signant aliquid praeter ipsos annos, sed quadragesimae tempus signant, idest eam anni partem, qua laboriosior erat poenitentia ac proinde satisfactoria magis. Palmieri *l. c. § 5.*

Distinguitur etiam indulgentia in *localem,* quae veluti alicui loco adhaerens est, ut est indulgentia, quae ecclesiam quamdam adeuntibus conceditur; in *personalem,* quae alicui individuo in particulari, vel alicui individuorum coetui, non omnibus Christifidelibus, conceditur, ut sunt indulgentiae concessae tertiariis sancti Francisci etc.; in *realem,* quae annectitur quibusdam pietatis instrumentis (*oggetti di devozione*).

Haec indulgentia, quae pietatis instrumentis (Christi crucifixi imaginibus, coronis marialibus etc.) nectitur, realis simul et personalis ordinarie est. Mos enim generalis est, ut indulgentia his pietatis instrumentis ita annectatur, ut ii soli, qui ea possident iisque primum utuntur, possint eam lucrari. Instrumentis his pietatis destructis, vel in sua naturali forma immutatis, realis indulgentia cessat; attamen, si in quadam corona mariali plerique globuli ex illis, qui coronam efformabant tum, quum indulgentia ditata est, maneant, reliquis destructis, realis indulgentia non perit. Cfr. Béringer *Les Indulgences 1. p. IX. 2. p. s. 3. n. 1.*

Distinguitur etiam indulgentia in *temporalem,* quando usque ad certum tempus, ex. gr. ad annum, ad tres annos etc.; et in *perpetuam,* quando usque ad expressam revocationem, vel ad beneplacitum Romani Pontificis seu Sedis Apostolicae conceditur.

Quinam valeant indulgentias concedere. — Generatim dicendum, solos praelatos ecclesiae habere potestatem concedendi indulgentias suis subditis, quae potestas continetur potestate iurisdictionis, non ordinis, neque enim potestas sacramentalis est. 2441

Romanus Pontifex tantum habet illimitatum ius concedendi indulgentias quas, quibus, et quomodo vult, dummodo ex iusta causa. *c. 2 de poenitent. et remiss.* (*V. 9*) *inter Xvag. comm.; Leo X in litt. ad Card. Caietanum;* Palmieri *l. c. § 1. IX., § 3. VIII.*

Episcopi, etiam confirmati tantum et non consecrati, de iure communi possunt concedere indulgentiam quinquaginta (*S. C. Indulg. 28 aug. 1903;* prius quadraginta tantum poterant) dierum, et in dedicatione ecclesiae indulgentiam unius anni (*c. 14 de poenit. et remiss. X.* [*V. 38*]); sed suis tantum subditis (qui, si agatur de indulgentiis personalibus, lucrari possunt indulgentias a suo episcopo concessas, etiam extra dioecesim, *S. C. Indulg. 26 maii 1898*), non vero aliis (qui tamen, si indulgentiae non sint concessae alicui coetui personarum, lucrari possunt indulgentias ab illo ordinario concessas, in cuius dioecesi morantur, *S. C. Indulg. decr. cit. 26 maii 1898*); et per modum absolutionis, proinde non pro defunctis. B. P. *V. 779.*

Cardinales in ecclesiis sui tituli aut in suis dioecesibus possunt concedere indulgentiam bis centum dierum (*S. C. Indulg. 28 aug. 1903*; prius centum tantum poterant).

Nuntii apostolici subditis sui territorii centum vel etiam ducentorum aut tercentorum dierum, minus autem quam unius anni. Pro templo vel cappella possunt ipsi dare indulgentiam septem annorum et septem quadragenarum. Ita B. P. *l. c.* citans Croix *de indulgentis n. 1322,* id asserentem ex quodam indulto Innocentii XI.

Archiepiscopus potest concedere indulgentias non solum subditis suae dioecesis, sed etiam subditis suffraganeorum, idest in tota provincia. *c. 15 tit. cit. X.* (*V. 38*). Concedere autem possunt de iure ordinario indulgentias centum dierum (*S. C. Indulg. 28 aug. 1903;* prius concedere poterant easdem tantum indulgentias ac simplices episcopi, idest quadraginta dierum; archiepiscopis Americae latinae concessum fuerat, ut concederent octoginta dies indulgentiae. *S. Congr. Neg. eccl. extr. praep. 4 iul. 1899*).

Episcopi titulares, coadiutores episcoporum (quia hi non habent iurisdictionem, Ferraris *Prompta bibl. v.* « *Indulgentia* » *art. 2, n. 20*), vicarii generales (Leuren. *de episc. vic. q. 139*), etc., indulgentias concedere nequeunt.

Etiam vicarius capitularis tutius abstinet ab indulgentiis concedendis, *S. C. C. 13 nov. 1688;* Melata *Manual. de indulgent. p. 55; c. 12 de excessib. praelat. etc. X.* (*V. 31*).

Non est certum apud doctores, an possint episcopi aliis clericis delegare potestatem concedendi indulgentias; plures id negant, affirmant plures. Cfr. Ben. XIV. *de Syn. lib. II c. 9. n. 8;* B. P. *l. c.;* Ferraris *l. c. n. 12;* Leuren. *l. c.*

Nota tamen, episcopum, vel alium quemcumque praelatum, non posse eidem actui pietatis, sive eidem pio sodalitio, cui a Romano Pontifice iam indulgentiae sive plenariae, sive partiales, concessae sunt, alias indulgentias adiungere, nisi novae conditiones implendae praescribantur; pariter non posse episcopum eumdem actum pietatis, ex, gr. recitationem salutationis Angelicae in frusta dividere, et singulis partibus annectere indulgentiam; pariter non posse crucibus, coronis, sacris imaginibus, a Papa vel sacerdote legitima facultate munito benedictis novas annectere indulgentias, nisi novae conditiones implendae praescribantur. *S. C. Indulg. 12 ian. 1878.*

De operibus iniunctis pro lucrandis indulgentiis. – Fideles ad lucrandas indulgentias debent opera iniuncta tempore praescripto implere, et dum ultimum ponunt, iuxta plerosque, debent esse in statu gratiae (Palmieri *l. c. § 1, XI;* Lugo *de poen. disp. XXVII, n. 84*); certum est, eam culpam debere esse deletam, cui respondet poena, quae per indulgentiam condonatur (Palmieri *l. c. IV*); veniale autem, nisi agatur de indulgentia omnino plenaria, non est obex ad indulgentiam lucrandam. – Notandum autem est, quoad opus ponendum pro lucranda indulgentia necesse esse, ut opus impleatur totum et integre saltem moraliter, idest ut, etiamsi ali- 2442

quid omittatur, adhuc communi existimatione censeatur illud idem opus; ut si paucas salutationes angelicas in rosario omittas. B. P. *V. 773.*

Quoad indulgentias pro defunctis confer etiam *Defuncti.*

Nemo potest per preces aliunde obligatorias, v. gr. per horas canonicas, satisfacere precibus a Summo Pontifice praescriptis ad lucrandam indulgentiam plenariam. *S. C. Indulgent. 29 maii 1841.* Attamen, si confessarius in sacramentalem poenitentiam iniunxerit precem aliquam recitandam indulgentiis ditatam, potest poenitens simul et poenitentiae satisfacere et indulgentias lucrari. *S. C. Indulg. 14 iun. 1901.*

Si quando autem praescripta est visitatio alicuius ecclesiae, et quis ad eam ecclesiam pergit auditurus missam ratione praecepti quod urget, nihil impedit quominus audiendo missam satisfaciat etiam visitationi praescriptae; neque enim praescriptum est ut in ea ecclesia missa audiatur. Ita plures. Cfr. Melata *Man. de indulg. p. 1. c. 5. § 2. q. 3.*

Quando ad indulgentias lucrandas praescribitur oratio pro fine determinato, v. gr. pro extirpatione haeresum etc., non requiritur intentio explicita, expressa singulis vicibus. *S. C. Indulgent. 22 febr. 1847.*

Potest quis eadem die plures indulgentias plenarias lucrari, sed tunc, quando requiritur, visitatio ecclesiae renovanda est totidem vicibus, quot sunt indulgentiae lucrifaciendae. *S. C. Indulg. 29 febr. 1864.*

Indulgentiae annexae aliquibus precibus seu orationibus lucrari possunt quocumque idiomate eae preces recitentur, dummodo versiones sint fideles. Licet autem pro lucranda indulgentia requiratur versionis fidelitas, nihilominus ut constet de fidelitate versionis, sufficit declaratio s. congregationis vel unius ex ordinariis loci, ubi vulgaris est lingua, in quam vertitur oratio, cuius recitationi primitus indulgentia concessa fuit. *S. C. Ind. 29 dec. 1864.*

Excipiebatur tamen officium parvum B. M. Virginis, quod ad lucrandas indulgentias, sive publice, sive privatim, latine recitandum erat. *S. C. Indulg. 6 maii 1887; 13 sept. 1888.*

Nota tamen, quod consuetudinem recitandi a confratribus officium parvum B M. in lingua vulgari voluit tolerandam esse S. Congregatio Rituum (*S. R. C. in una SS. Concept. de Chile 20 aug. 1870* [*3221*]; *in Mexicana 15 ian. 1897* [*3945*]), et pro dioecesi Buscoducensi declaravit, posse episcopum ordinaria auctoritate approbare translationem huius officii in linguam vernaculam, officiumque ita translatum posse in lucem edi et adhiberi a fidelibus pro recitatione privata. *S. R. C. in Buscoducen. 24 apr. 1896* (*3897*).

Nuper tandem a S. C. Indulg. hoc denuo examinatum est postulatum: « An non obstante decreto *in una Sebenicen. diei 13 septembris 1888*, expediat indulgentias a RR. PP. concessas christifidelibus recitantibus parvum officium B. Mariae Virginis, ut exstat in fine breviarii romani, extendere ad illos, qui idem officium recitaverint in aliam linguam translatum, praevia recognitione et approba-

tione ordinarii loci, ubi vulgaris est lingua? » et responsum est « *Affirmative* pro privata tantum recitatione ». *S. C. Indulg. 28 aug. 1903.*

Ad lucrandas indulgentias nihil officit quod praescriptae preces alternatim recitentur cum socio. *S. C. Indulg. 29 febr. 1820.*

2443 **De confessione et communione requisitis pro indulgentiis lucrandis.** — Quando indulgentia conceditur cum clausula « contritis et confessis », certo requiritur confessio, non obstante statu gratiae; confessio vero (imo communio quoque, si haec est praescripta, ut pro sex dominicis in honorem S. Aloisii Gonzagae etc.), fieri potest etiam in vigilia diei, qua lucranda est indulgentia. *S. C. Indulg. 6 oct. 1870.*

Concessum aliquando etiam est indultum (sic ad preces provincialis Patrum Praedicatorum provinciae Germaniae pro festo sacratissimi rosarii), ut propter paucitatem confessariorum ad lucrandas indulgentias sufficeret confessio peracta tribus diebus ante festum (in casu feria quinta praecedente). *S. C. Indulg. 25 mart. 1897.* Imo nunc generaliter concessum est, ut confessio peragenda ad lucrandam indulgentiam, si haec pluries eadem die sit concessa, tribus diebus immediate praecedentibus, si vero semel in die sit concessa, duobus tantum integris diebus anticipari queat; ita tamen ut, praeter communionem pridie diei cui est annexa indulgentia permissam, in adimplendis ceteris operibus iniunctis regula generalis circa modum et tempus in concessionibus praescriptum servetur. *S. C. Indulg. 11 mart. 1908.*

Quando autem praescribitur confessio, non requiritur tamen absolutio. *S. C. Indulg. 15 dec. 1841, 6 maii 1852.*

Quoad hoc notandum est, fideles semel in hebdomada confiteri assuetos lucrari posse omnes indulgentias plenarias in hebdomada occurrentes. *S. C. Indulg. 9 dec. 1763, 15 nov. 1841, 23 nov. 1878, 16 febr. 1886.*

Illis autem, qui cum recta piaque mente quotidie ad communionem accedere soliti sunt, quamvis semel aut iterum per hebdomadam a communione abstineant, SS. D. N. Pius PP. X concessit, ut omnes valerent lucrari indulgentias etiam sine obligatione hebdomadariae confessionis. *S. C. Indulg. 14 febr. 1906.*

Quum in terris missionum propter carentiam confessariorum missionarii et fideles, non valentes confessionem suorum peccatorum instituere, destituantur possibilitate lucrandi plures indulgentias, Clemens XIV concessit episcopis, vicariis apostolicis et missionariis, in imperio Sinarum nec non in regnis Tunkini, Siami, Cocincinae, Ciampae et Cambodiae commorantibus, facultatem lucrandi indulgentiam plenariam quater in anno in quacumque die, qua peccata sua fuerint confessi, missam celebraverint, vel saltem s. communionem receperint, dummodo tamen eadem die ferventes ad Deum pro sanctae fidei propagatione preces effuderint. Christifidelibus vero utriusque sexus in dictis regnis exsistentibus, eamdem indulgentiam plenariam bis in anno in perpetuum concessit, quatenus et ipsi supradicta opera fideliter

religioseque adimplerent. *S. C. P. F. 24 maii 1772.*

Postea concessum fuit, ut, quoties deesset copia confessarii, sufficeret contritionis actus et confessio in voto. *S. C. P. F. 4 ian. 1801; ad vic. ap. Coreae 31 aug. 1834.*

Communio paschalis sufficit pro communione requisita ad lucrandam aliquam indulgentiam plenariam, dummodo indulgentia lucrifacienda non sit in forma iubilaei, pro qua tantum requiritur specialis confessio et communio. *S. C. Indulg. 10 maii 1844.* Sic peculiariter declaratum est, per confessionem et communionem die Paschatis resurrectionis peractam et indulgentiam plenariam papali benedictioni annexam lucrari, et satis praecepto Paschatis fieri. *S. C. Indulg. 19 mart. 1841.*

Communio, quando praescribitur pro lucrandis indulgentiis concessis exercitiis pietatis totius mensis, vel novem, vel in genere plurium dierum, fieri etiam potest infra octo dies immediate post ultimum diem illorum piorum exercitiorum sequentes. *S. C. Indulg. 8 dec. 1897.* Et si, praeter confessionem et communionem, praescripta est visitatio alicuius ecclesiae etc., haec etiam fieri potest infra illud tempus, et die a die confessionis vel communionis diverso. *S. C. Indulg. 2 iun. 1899.*

2444 **Notanda quoad surdos-mutos.** — Quoad surdos-mutos haec peculiariter pro lucrandis indulgentiis statuta sunt. Si inter opera pro lucranda indulgentia praescripta sit visitatio alicuius ecclesiae, surdo-muti ecclesiam ipsam devote visitare tenentur, licet mentem tantum in Deum elevent et pios affectus. Si inter opera sint publicae preces, surdo-muti possunt lucrari indulgentias iis annexas, corpore quidem coniuncti ceteris fidelibus in eodem loco orantibus, sed pariter mente tantum in Deum elevata et piis cordis affectibus. Si agatur tandem de privatis orationibus, proprii mutorum et surdorum confessarii valent easdem orationes commutare in alia pia opera aliquo modo manifestata, prout in Domino expedire iudicaverint. *S. C. Indulg. 15 mart. 1852.*

Notanda quoad infirmos et senes in communitate viventes. — Infirmi aut senio confecti in communitate et sub regula viventes, qui ecclesias aut oratoria visitare aliave pro indulgentiis praescripta exsequi non possunt, indulgentias nihilominus lucrari valent, adimplendo alia pia opera, confessarii arbitrio describenda. *S. C. Indulg. 16 ian. 1886; cfr. etiam decr. 18 sept. 1862.* 2445

De regularibus exemptis quoad indulgentias. — Regulares exempti lucrantur indulgentias concessas ab episcopo, in cuius territorio sunt. Consequitur id ad regulam 61ᵃᵐ. de reg. iuris in 6°: «Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum»; quare, etsi exempti a iurisdictione episcopi, hunc favorem non amittunt. 2446

De indulgentiis quoad festa translata. — Indulgentiae alicui festo annexae, etsi sint plenariae (*S. C. Indul. gent. 2 iul. 1902*), intelligendae sunt translatae pro ea die, qua festa huiusmodi quoad solemnitatem et externam celebrationem (quamvis non 2447

quoad officium et missam) in aliquibus locis vel ecclesiis publicisque oratoriis, sive in perpetuum, sive aliqua occasione, sive ad tempus, eoque durante, legitime transferuntur: quum vero transfertur tantum officium cum missa, non autem solemnitas et anterior celebratio festi, indulgentiarum nulla fit translatio. *S. C. Indulg. 9 aug. 1852.* Legitima autem translatio tunc haberi videtur, quum fit de consensu episcopi et ex gravi causa.

2448 ***Notandum.*** — Iam prius quando quis obtinebat a *summo Pontifice vivae vocis oraculo* generalem (scilicet pro tota ecclesia) concessionem alicuius indulgentiae, tenebatur sub poena nullitatis gratiae obtentae exemplar earumdem concessionum ad Secretariam S. Congregationis Indulgentiarum deferre. *S. C. Indulg. 19 ian. 1756 decr. appr. a Ben. XIV, 14 apr. 1856 decr. appr. a Pio IX.*

Nunc autem motu proprio Pii PP. X « Cum per apostolicas » (*7 apr. 1910*) haec sunt statuta:

« 1° indulgentias quascumque, sive generales sive particulares, quae non respiciant ipsas personas petentium tantum, a supradicta suprema Sacra Congregatione S. Officii esse recognoscendas;

2° idem dicendum de facultatibus concessis quibusvis sacerdotibus cuiuscumque gradus et dignitatis benedicendi pia obiecta eisque annectendi indulgentias et privilegia pro quocumque vel quibuscumque christifidelibus;

3° concessiones indulgentiarum et facultatum, de quibus supra, vim habere tantum postquam S. Congregatio s. Officii illas authenticas recognoverit;

4° quoad praeteritas, demum, concessiones, eas efficaciam tantum habituras, si intra sex menses, ab huius nostri decreti publicatione eidem sacrae congregationi exhibitae ab eaque recognitae fuerint;

5° idcirco impetrantes posthac huiusmodi concessiones teneri sub poena nullitatis gratiae obtentae, exemplar earumdem dictae supremae sacrae sancti Officii congregationi exhibere, ut rite recognosci ac ratae haberi possint ».

De indulgentiis realibus. — **De rebus, quibus hae indulgentiae annectuntur.** — 2449 Quoad pietatis instrumenta, quibus realis indulgentia annectitur, notandum est, ea generatim esse cruces, crucifixos, coronas mariales seu rosaria, numismata, statuas, sed non omnes huiusmodi res ad indulgentias recipiendas esse aptas.

Nam non solum imagines impressae aut pictae, sed cruces, crucifixi, statuae, numismata plumbea vel stannea aut ex quacumque materia confecta, quae frangitur, aut usu facile consumitur, indulgentiis ditari nequeunt. Béringer *l. c. 2. p. s. 3.* § *1. n. 6.*

Coronae autem mariales, etiam ex stanno vel plumbo confectae, imo ex vitro quoque, dummodo globuli sint ex vitro solido atque compacto, multo magis ex coralio, electro, alabastrite, crystallo, etc. indulgentias possunt recipere. *S. C. Indulg. 29 febr. 1820.*

Statuae confectae ex quadam chartacea compositione solidissima (*cartonmadera*) possunt ditari indulgentiis. *S. C. Indulg. 1 apr. 1887.*

Numismata (saltem ex una parte, *S. C. Indulg. 22 dic. 1710*) et statuae ad hoc, ut indulgentiis ditari valeant, debent sanctum canonizatum aut in approbato martyrologio inscriptum, non autem beatum, repraesentare. *S. R. C. in una Urbis 16 iun. 1674* (*1520*).

In coronis marialibus autem subiectum indulgentiae sunt globuli, non filum seu ligatura, quae, si abrumpatur, suppleri potest alia, quin cesset indulgentia, etsi omnes globuli simul ex ruptura fuissent permixti. *S. C. Indulg. 10 ian. 1839.*

In crucifixis indulgentia annectitur ipsi imagini Christi Domini, non cruci, quae proinde immutari potest, quin indulgentia amittatur. *S. C. Indulg. 11 apr. 1840.*

2450 **De iis, quae requiruntur in eo, qui his rebus utitur.** — Indulgentiae his pietatis instrumentis applicatae valent, ut diximus, pro iis, qui primi sunt in iisdem possidendis simul et utendis cum intentione lucrandi indulgentias. *S. C. Indulg. 12 iul. 1847.*

Verum dominium non postulatur, sed sufficit ius utendi. B. P. *l. c. n. 43.*

Hinc etiam potest quis ante usum has res indulgentiis ditatas alteri donare, qui eis postea utendo indulgentias lucretur. *S. C. Indulg. 16 iul. 1887.*

Si quis aliqua re indulgentiis ditata usus est, non solum non potest eam alteri donare, ita ut donatarius possit ea utens lucrari indulgentias; sed, si eam etiam tantum commodaret, in finem, ut commodatarius lucraretur indulgentias eidem rei annexas, et hic indulgentias non acquireret, et commodans amitteret ius easdem acquirendi, eadem postea re utens. *Decr. Alex. VII. 6 febr. 1657*; Béringer *l. c. 2. p. s. 3. § 1. n. 11. citans plura decreta S. C. Indulg.* (*19 ianuar. 1711, 25 februar. 1711, 4 iun. 1721. etc.*).

De venditione, emptione, immutatione horum instrumentorum pietatis. — Res istae 2451
indulgentiis ditatae nec vendi nec immutari possunt cum aliis rebus etiam piis, quin amittantur indulgentiae. Cfr. *S. C. Indulg. 4 iun. 1721, 14 dec. 1722, 16 iul. 1887.*

Ad quaesitum autem, an is, qui emit cruces, numismata etc., ut ea distribuat, postquam benedicta fuerint cum applicatione indulgentiarum, possit horum petere pretium ab accipientibus sine culpa vel sine periculo indulgentias amittendi, S. Congregatio Indulgentiarum (*12 iul. 1847*). respondit: *negative.* Cfr. etiam decreta S. Congreg. Indulg. *31 ian. 1837, 2 oct. 1840, etc.* Attamen, si inter plures conveniat, ut expensis communibus emantur coronae aliaque huiusmodi, atque eorum benedictio procuretur, is, qui rei curam suscipit, potest absque detrimento indulgentiarum accipere a sociis pecuniam, de qua conventum est, etiam postquam coronae etc. fuerint benedictae. Melata *Manuale de indulg. p. 132.*

Circa hoc memoratu dignae sunt sequentes duae responsiones S. Congr. Indulgentiarum. Scilicet ad quaesita: 1° An amittant indulgentias cruces, coronae etc., si quis eas emens ipsi venditori earum benedictionem nomine suo curandam committat, soluturus pretium expensasque transmis-

sionis in ipso actu, quo res illas iam benedictas sibi tradentur? Et quatenus negative, 2° An amittant indulgentias cruces, coronae etc., si quis praevidens eas iam benedictas postulatum iri certa occasione, puta magni concursus fidelium, in antecessum benedicendas curet pro iis, qui, restituto pretio expensae, petituri sint? S. Congregatio respondit: Ad 1° *Negative;* ad 2° *Affirmative. S. C. Indulg. 10 iul. 1896.*

2452 **De pluribus indulgentiis uni obiecto annectendis.** — Uni eidemque rei, puta uni coronae, possunt applicari indulgengentiae diversae, v. gr. indulgentiae dictae apostolicae et indulgentiae dictae S. Birgittae, et has varias indulgentias cum eadem corona lucrari possunt fideles, dummodo ad eas lucrandas renovent opera iniuncta iterabilia (*S. C. Indulg. 29 febr. 1820*), et prius determinent quamnam indulgentiam lucrari velint; hinc potest quis etiam cum corona S. Birgittae (quae sex decadis constat) lucrari indulgentias apostolicas vel indulgentias, quas vocant, S. Dominici, si ea corona ad has etiam indulgentias lucrandas fuerit benedicta. *S. C. Indulg. 8 maii 1900.* Imo nunc omnes christifideles habentes prae manibus aliquam ex coronis benedictis *tum* a patribus ordinis Praedicatorum *tum* a patribus Crucigeris, vel a sacerdotibus ad id facultate pollentibus, cumulare valent indulgentias, quae utrique benedictioni sunt propriae, in ipsa tamen tantum mariani rosarii recitatione. *S. C. Indulg. 12 iun. 1907.*

2453 **De potestate applicandi indulgentias his obiectis.** — Nemo potest his pietatis instrumentis indulgentias applicare, nisi is, qui habet potestatem ad hoc ordinariam seu delegatam. Qui autem delegatam potestatem habent, debent intra terminos delegationis potestate sua uti. Hinc, si quis habuerit facultatem cum clausula *privatim*, non posset hanc benedictionem impertiri publice in ecclesia vel in oratorio, astantibus fidelibus manu gestantibus, iuxta morem, rem benedicendam. *S. C. Indulg. 7 ian. 1843.* Qui facultatem aliquam benedicendi et indulgentias applicandi a S. Sede habet, ordinarie loquendo, non tenetur ante usum facultatem sibi factam episcopo communicare, una excepta facultate erigendi stationes Viae crucis, vel quum rescriptum id expresse iniungit. *S. Congr. Indulg. 5 febr. 1841.*

Quum nonnulla dubia exorta fuerint circa valorem clausulae « *de consensu ordinarii loci* », quae in his indultis applicandi indulgentias saepe apponitur, s. Congregatio Indulgentiarum specialem circa hoc instructionem confecit, quae est sequens: « 1° Convenit, ut qui facultatem benedicendi coronas, cruces, rosaria, numismata etc. cum applicatione indulgentiarum apostolicarum et S. Birgittae obtinere cupit, si sit e clero seculari litteris commendatitiis proprii ordinarii munitum supplicem libellum exhibeat; si vero sit regularis, superioris sui ordinis vel instituti a S. Sede approbati. 2° Ut valide praefata facultas exerceatur, opus erit, ut sacerdos ad excipiendas sacramentales confessiones, saltem virorum-sit approbatus. 3° Ad eam facultatem licite exercendam requiritur consen,

sus ordinarii loci, in quo quis ea uti velit, firmo manente quoad regulares exemptos decreto huius S. Congr. diei 8 iunii 1888. Hic autem consensus optandum, ut sit expressus; sufficit tamen etiam tacitus vel implicitus, et in aliquo casu, quando practice aliter fieri nequit, sufficit etiam consensus prudenter praesumptus ». *S. C. Indulg. 14 iun. 1901.* Decretum autem 8 iun. 1888, cui alludit s. Congr. Indulgentiarum (quod tamen decretum citatum invenio in Mon. eccl. *vol. IX part. I pag. 54* sub alia data, scilicet sub die 2 ian. 1888) est sequens: « An regularis, qui a Sede Apostolica praedictam facultatem obtinuit (applicandi scilicet indulgentias coronis etc.), ad eam exercendam intra septa tantummodo sui monasterii seu conventus vel etiam domorum residentialium, in quibus hisce temporum adiunctis plures religiosi sub respectivi superioris dependentia una simul commorantur, opus habeat licentia superioris ecclesiastici dioeceseos, in qua suum monasterium seu conventus vel supra enuntiatae domus reperiuntur; an vero sufficiat licentia superioris vera iurisdictione pollentis in suo ordine, ut abbas, provincialis vel generalis totius ordinis? Ad I partem *negative*; ad 2 *affirmative* ».

Si quis habet facultatem subdelegatam ab aliquo superiore ordinis regularis, ordinarie non potest ea uti ex tenore concessionis, nisi in iis locis, in quibus monasteria ordinis non habeantur.

Qui habent facultatem benedicendi etc. possunt etiam pro seipsis benedicere coronas aliasque res huiusmodi, iisque postea uti ad lucrandas indulgentias. *S. C. Indulg. 16 iul. 1887.*

Ad applicandas indulgentias ille, qui habet facultatem, necessario utitur determinata formula si hoc pro aliqua peculiari benedictione praescriptum sit, ut pro rosario pp. Praedicatorum, pro corona Servorum etc.; et in hoc casu ad formulam statutam adhibendam tenentur ii quoque, qui facultatem habuerint immediate a S. Sede. *S. C. Indulg. 29 febr. 1864.*

Si quando applicandae sunt indulgentiae *apostolicae*, vel aliae, pro quibus nulla est praescripta determinata formula, sufficit super rebus benedicendis signum crucis manu producere cum intentione, ut patet, iis applicandi indulgentias; et hoc valet etiam, quum in rescripto dicitur sacerdos uti debere sua potestate: « in forma ecclesiae consueta ». *S. C. Indulg. 11 apr. 1840, 7 ian. 1843, 29 febr. 1864.* Possunt simul et unico crucis signo plures coronae etc. benedici. *S. C. Indulg. 12 mart. 1855.*

De indulgentiis apostolicis. — Quoad 2454
indulgentias *apostolicas,* quae vocantur, eas scilicet, quae a Romano Pontifice sive per se sive per alios instrumentis pietatis annectuntur, notandum est, plures acquiri indulgentias ab iis, qui super se gestantes coronas etc. hac benedictione ditatas certa quaedam pia opera praestant. Catalogum horum operum, pro quibus in casu indulgentia conceditur, videsis apud Béringer *l. c. 2. p. s. 3 § 2.*

Iuverit autem hic referre sequens decretum designans indulgentias, et opera ad eas lucrandas iniuncta, an-

nexas instrumentis pietatis benedictis a Pio X. P. M.

« Ut quis valeat indulgentias lucrari, quas Summus Pontifex Pius X impertitur omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui retinent aliquam ex coronis, crucibus, crucifixis, parvis statuis ac numismatibus ab eadem sanctitate sua benedictis, requiritur:

1° Ut christifideles in propria deferant persona aliquod ex enunciatis obiectis.

2° Quod si id minime fiat, requiritur, ut illud in proprio cubiculo, vel alio decenti loco suae habitationis retineant, et coram eo devote praescriptas preces recitent.

3° Excluduntur ab apostolicae benedictionis concessione imagines typis exaratae, depictae, itemque cruces, crucifixi, parvae statuae et numismata ex stanno, plumbo, aliave ex materia fragili seu consumptibili confecta.

4° Imagines repraesentare debent sanctos, qui vel iam consueta forma canonizati, vel in martyrologiis rite probatis descripti fuerint.

Hisce praehabitis, indulgentiae, quae, ex Summi Pontificis concessione, ab eo acquiri possunt, qui aliquod ex supradictis obiectis retinet, et pia opera, quae ad eas assequendas impleri debent, recensentur.

Quisquis saltem in hebdomada semel recitaverint coronam dominicam eiusve tertiam partem aut divinum officium vel officium parvum eiusdem B. Virginis aut fidelium defunctorum aut septem psalmos poenitentiales aut graduales, vel consueverit catechesim christianam tradere, aut carceribus detentos, vel aegrotos in nosocomiis misericorditer invisere, vel pauperibus opitulari, aut missae interesse, eamve peragere, si fuerit sacerdos: quisquis haec fecerit vere contritus, et peccata sua confessus ad s. synaxim accedet quolibet ex infrascriptis diebus, nempe Nativitatis Dominicae, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostis, itemque diebus festis SS. Trinitatis, Corporis Domini, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis B. V. Mariae, Nativitatis S. Ioannis Bapt., S. Ioseph sponsi eiusdem B. Mariae Virg., SS. Apostolorum Petri et Pauli, Andreae, Iacobi, Ioannis, Thomae, Philippi, Iacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Iudae, Mathiae et omnium Sanctorum: eodemque die devote Deum exoraverit pro haeresum et schismatum exstirpatione, catholicae fidei incremento, pace et concordia inter principes christianos, aliisque s. ecclesiae necessitatibus, quolibet dictorum dierum plenariam indulgentiam lucrabitur.

Quisquis vero, corde saltem contritus, haec omnia peregerit in aliis festis Domini et B. V. Mariae, quolibet dictorum dierum indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum acquiret: quavis dominica vel alio anni festo indulgentiam quinque annorum totidemque quadragenarum lucrabitur: sin autem eadem alio quocumque anni die expleverit, centum dierum indulgentiam acquiret.

Praeterea quisquis consueverit semel saltem in hebdomada recitare aliquam ex coronis aut rosarium vel officium parvum B. Mariae Virginis

vel fidelium defunctorum, aut vesperas, aut nocturnum saltem cum laudibus, aut septem psalmos poenitentiales cum litaniis adiectisque precibus, quoties id peregerit, centum dierum indulgentiam consequetur.

Quisquis in mortis articulo constitutus, animam suam devote Deo commendaverit, atque iuxta instructionem f. r. Bened. XIV in const., quae incipit *Pia Mater* sub die 5 aprilis 1747, paratus sit obsequenti animo a Deo mortem opperiri, vere poenitens, confessus et s. communione refectus, et, si id nequiverit, saltem contritus invocaverit corde, si labiis impeditus fuerit, ssmum Nomen Iesu, plenariam indulgentiam assequetur.

Quisquis praemiserit qualemcumque orationem praeparationi missae, vel sanctae communionis, aut recitationi divini officii parvi B. V. Mariae, toties quinquaginta dierum indulgentiam acquiret.

Quisquis in carcere detentos, aut aegrotantes in nosocomiis inviserit, iisque opitulatus fuerit, vel in ecclesia christianam catechesim tradiderit, aut domi illam suos filios, propinquos et famulos docuerit, toties biscentum dierum indulgentiam lucrabitur.

Quisquis ad aeris campani signum mane vel meridie aut vespere solitas preces, nempe Angelus Domini, aut, eas ignorans, recitaverit Pater noster et Ave Maria, vel pariter sub primam noctis horam, edito pro defunctorum suffragio campanae signo, dixerit psalmum De profundis, aut, illum nesciens, recitaverit Pater noster et Ave Maria, centum dierum indulgentiam acquiret.

Eamdem pariter consequetur indulgentiam, qui feria sexta devote cogitaverit de passione ac morte Domini Nostri Iesu Christi, terque orationem dominicam et salutationem angelicam recitaverit.

Is, qui suam examinaverit conscientiam, et quem sincere poenituerit peccatorum suorum cum proposito illa emendandi, devoteque ter recitaverit Pater noster et Ave Maria in honorem ssmae Trinitatis aut in memoriam quinque vulnerum D. N. Iesu Christi quinquies pronunciaverit Pater noster et Ave Maria, centum dierum indulgentiam acquiret.

Quisquis devote pro fidelibus oraverit, qui sunt in transitu vitae, vel saltem pro iis dixerit Pater noster et Ave Maria, quinquaginta dierum indulgentiam consequetur.

Omnes indulgentiae superius expositae a singulis christifidelibus vel pro seipsis lucrifieri possunt, vel in animarum purgatorii levamen applicari.

Expresse declarari voluit Summus Pontifex supradictarum indulgentiarum concessione, nullatenus derogari indulgentiis a praedecessoribus suis iam concessis pro quibusdam operibus piis superius recensitis: quas quidem indulgentias voluit omnes in suo robore plene manere.

Iubet deinde idem Summus Pontifex indulgentias christifidelibus concessas, qui retinent aliquod ex praedictis obiectis, iuxta decretum sa. me. Alexandri VII editum die 6 februarii 1657 non transire personam illorum, pro quibus benedicta fuerint, vel illorum, quibus ab iis prima vice fuerint distributa: et si fuerit amissum

vel deperditum unum alterumve ex iisdem obiectis, nequire ei subrogari aliud ad libitum, minime obstantibus quibusvis privilegiis et concessionibus in contrarium: nec posse pariter commodari vel precario aliis tradi ad hoc, ut indulgentiam communicent, secus eamdem indulgentiam amittent: itemque recensita obiecta benedicta, vix dum pontificiam benedictionem receperint, nequire venumdari, iuxta decretum s. Congregationis indulgentiis sacrisque reliquiis tuendis praepositae editum die 5 iunii 1721.

Praeterea idem Summus Pontifex confirmat decretum sa: me: Benedicti XIV editum die 19 augusti 1752, quo expresse declaratur, vi benedictionis crucifixis, numismatibus etc., uti supra impertitae, non intelligi privilegio gaudere altaria, ubi huiusmodi obiecta collocata fuerint, neque pariter missas, quas sacerdos eadem secus deferens celebraverit.

Insuper vetat, ne qui morientibus assistunt benedictionem cum indulgentia plenaria in articulo mortis iisdem impertiantur cum huiusmodi crucifixis, absque peculiari facultate in scriptis obtenta, cum satis in id provisum fuerit ab eodem Pontifice Benedicto XIV in praecitata constitutione *Pia Mater*.

Tandem Sanctitas Sua vult et praecipit praesentem elenchum indulgentiarum pro maiori fidelium commodo edi typis posse non solum latina lingua vel italica, sed alio quocumque idiomate, ita tamen ut pro quolibet elencho, qui ubicumque et quovis idiomate edatur, adsit approbatio s. Congregationis indulgentiarum.

Non obstantibus quolibet decreto, constitutione aut dispositione in contrarium, etiam speciali mentione dignis.

Datum Romae ex Secretaria S. C. Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita, die 28 augusti 1903».

De indulgentia plenaria in articulo mortis. — **Quibus. impertienda.** — 2455
Indulgentia plenaria in *articulo mortis* iuxta constitutionem Ben. XIV «Pia Mater» (*5 apr. 1747*) impertienda est etiam pueris, qui defectu aetatis ad primam communionem nondum admissi sunt (*S. R. C. in Gandaven. 16 dec. 1826 ad 4* [*2650*]); dummodo huiusmodi pueri rationis capaces sint. *S. C. Indulg. 9 iul. 1832.*

Benedictio autem haec cunctis petentibus est elargienda (*S. C. Indulg. 23 apr. 1675*), etiam illis, qui culpabiliter non fuerunt ab initio morbi sacramentis refecti, subitoque vergunt ad interitum. *S. C. Indulg. 23 sept. 1775.*

Nota autem plures esse, qui ex variis titulis indulgentiam plenariam in articulo mortis lucrari valent sine ullo interposito sacerdotis ministerio, ut est ex. gr. pro illis qui possident unum ex instrumentis pietatis, quibus annexae sunt indulgentiae apostolicae Quare hi non tenentur ad ea, quae hic dicimus et referuntur ad facultatem benedictinam, vel ad alias, quibus agitur de potestate applicandi indulgentiam, non de indulgentia iam data et applicata pro tempore mortis. Cfr. Beringer *Les indulgences p. II sect. 3. n. 33.*

De iis, qui hanc benedictionem possunt impertiri. — Episcopi semel ac hanc

facultatem petierint et obtinuerint, ea ad vitam potiuntur, ita ut ne mortuo quidem Pontifice concedente, haec facultas desit; imo episcopi iuxta constitutionem Benedictinam « Pia Mater » subdelegare possunt etiam habitualiter ad benedictionem papalem cum applicatione indulgentiae plenariae elargiendam suis dioecesanis in articulo mortis unum vel plures sacerdotes seculares aut regulares, quotquot pro numero animarum necessarios esse prudenter iudicaverint, et in primis parochos, quibus permittere possunt, ut hanc ipsam facultatem subdelegent confessariis. *S. C. Indulg. 20 sept. 1775 : 15 nov. 1878.*

Religiosis mulieribus eam impertiri debet confessarius ordinarius (*S. C. Indulg. 20 sept. 1775*); quamvis etiam episcopus habens hanc facultatem possit hoc facere (qui tamen ad ingrediendam clausuram debet comitari a confessario monalium et ab alio sacerdote, *S. C. C. in Mazarien. 10 maii 1727*); imo quicumque sacerdos ad ministranda morienti moniali extrema sacramenta rite fuerit vocatus. *S. U. I. 1 apr. 1909.* Vid. *Monialis.* Facultas impertiendi hanc indulgentiam non suspenditur tempore iubilaei. Beringer *loc. cit.*

2457 **De conditionibus ad hanc indulgentiam lucrandam.** — Ad lucrandam hanc indulgentiam plenariam in articulo mortis (praeter statum gratiae in ipso mortis articulo, quod nimis clarum est) necessarium omnino est, ut a moriente, saltem quando est compos sui, nomen Iesu sanctissimum mentaliter, vel oraliter, invocetur (*S. C. Indulg. 20 sept. 1775, 22 sept. 1892*); praeterea necessarium quoque est, ut moriens mortem aequo ac libenti animo de manu Domini suscipiat. *Const. Bened. XIV sup. cit.*

De formula adhibenda. — Sacerdos vero 2458
quicumque, qui indulgentiam impertitur, uti debet ad hoc, sub poena nullitatis (*S. C. Indulg. 5 febr. 1841*) pro omnibus indiscriminatim, formula a Benedicto XIV praescripta, quae invenitur in Rituali Romano (*tit. V cap. 6*) quae proinde, quum praeterea sit precatio stricto sensu liturgica, ad validitatem latina lingua recitanda est (*S. R. C. in Tergest. 3 iul. 1904 ad 1*); haec autem valent etiamsi indulgentia ista donetur a sacerdotibus regularibus iis, qui suis tertiis ordinibus, confraternitatibus etc. ascripti sunt. Leo XIII *Brev. 7 iul. 1882; S. C. Indulg. 10 aug. 1899.* — Hinc in impertienda hac benedictione recitari debet *Confiteor,* etsi recitatum iam fuerit pro sacramento poenitentiae, vel viatici, vel extremae unctionis, nisi necessitas urgeat (*S. C. Indulg. 5 febr. 1841*), qua urgente, sacerdos debet statim moribundo benedictionem impertiri (Rit. Rom. *tit. V. c. 6. n. 7*), idest dicat statim : « Indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo in nomine Patris et Filii et Sp. Sancti, Amen ».

Quandonam danda. — Benedictio apo- 2459
stolica cum indulgentia plenaria in articulo mortis dari potest post collata extrema sacramenta, etiam quum periculum quidem mortis adest, non tamen imminens (*S. C. Indulg. 19 dec. 1885*), idest tunc, quum potest conferri extrema unctio. *S. U. I. ann. 1780.*

2460 **De una tantum benedictione impertienda.** — Morientibus fidelibus una tantum benedictio in articulo mortis concedi potest, eodem permanente mortis periculo (*S. C. Indulg. 24 sept. 1838*), nec umquam plures eidem impertiri possunt sive a diversis sacerdotibus hanc potestatem habentibus, sive ex diverso titulo. *S. C. Indulg. 3 feb. 1841; 12 mart. 1855; 12 iun. 1884.* Nec obstat, ut patet ex pluribus responsionibus eiusdem S. C. Indulg., quod infirmitas post primam benedictionem multum perduraverit (*S. C. Indulg. 12 febr. 1842*), aut quod aegrotus vel in peccato mortali illam receperit vel postea in peccatum mortale fuerit relapsus. *S. C. Indulg. 20 iun. 1836.* Et ratio est, quia hanc indulgentiam quis non lucratur tum quum datur, sed ipso momento, quo fidelis de facto moritur.

Patet autem, quod si infirmus convaluerit, ac deinde quacumque de causa in novum mortis periculum incurrat, debet denuo eidem impertiri haec benedictio. *S. C. Indulg. decr. cit. 24 sept. 1838.*

2461 **De indulgentia plenaria in articulo mortis in locis missionum.** — Ne christifidelibus in locis missionum in qualibet orbis parte degentibus et in ultimo vitae discrimine constitutis deesset hoc spirituale auxilium indulgentiae plenariae in articulo mortis, Clemens XIV omnibus et singulis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, vicariis apostolicis, nec non praefectis seu superioribus missionum tam cleri secularis quam regularis, qui in locis missionum sunt, concessit facultatem impertiendi benedictionem cum indulgentia plenaria iisdem fidelibus ad extremum agonem redactis, cum potestate eamdem facultatem sacerdotibus et respective missionariis eorum iurisdictioni subiectis, pro locis tamen suarum dioecesum, vel pro missionum districtibus tantum, communicandi, dummodo in ea impertienda servetur formula praescripta a Benedicto XIV. Imo voluit idem Pontifex, ut hi omnes christifideles, si contingeret, eos ex hac vita migrare, quin ecclesiae sacramentis fuerint muniti et absque sacerdotis cuiuslibet assistentia, plenariam indulgentiam lucrarentur, si contriti nomen Iesu corde saltem invocaverint, et mortem de manu Domini ea, qua decet, christiana animi demissione et spiritus humilitate susceperint, animamque in manus Creatoris sui commendaverint. *S. C. P. F. 5 apr. 1772.*

De novo modo lucrandi indulgentiam plenariam in articulo mortis. 2462 — Inverit circa hoc referre ipsum decretum Congr. indulgentiarum, quod est sequens: « Christifideles iam prope morituros pia mater ecclesia numquam praetermisit opportunis pro rei necessitate solari subsidiis. Saluberrimis autem hisce adiumentis recens aliud iam nunc recenseri potest. Nam plerique e clero, iique potissimum, qui curae animarum incumbunt, ut in dies spirituali hominum bono in supremo vitae discrimine provideatur, SS. D. N. Pio PP. X preces admoverunt, quo christifidelibus sequentem actum adhuc in vita emittentibus: "Domine Deus meus, iam nunc quodcumque mortis genus prout

tibi placuerit cum omnibus suis angoribus, poenis ac doloribus de manu tua aequo ac libenti animo suscipio" plenariam indulgentiam in articulo mortis consequendam elargiri dignaretur. Has vero preces relatas in audientia habita die 9 martii 1904 ab infrascripto Cardinali praefecto s. Congr. indulgentiis sacrisque reliquiis praepositae eadem Sanctitas Sua peramanter excipiens, benigne concessit ut omnes christifideles qui, die ab eisdem eligendo, sacramentali confessione rite expiati sacraque synaxi refecti, cum vero caritatis in Deum affectu, praedictum actum ediderint, plenariam indulgentiam in ipso mortis articulo lucrari valeant. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus ». *S. C. Indulg. 9 mart. 1904.* Sufficit igitur, ad lucrandam indulgentiam plenariam in morte, semel in vita supradictum actum emittere postquam quis accesserit ad sacramenta poenitentiae et eucharistiae. Nihil interest quo in idiomate actus ille edatur.

2463 ***De indulgentiis localibus.*** — Indulgentia localis ea dicitur, quae certo loco adhaeret, et est proinde privilegium, quo aliqua ecclesia gaudet ut eam visitantes aliquam lucrentur indulgentiam. Circa locales has indulgentias notandum est, quod si ecclesia, quae privilegio gaudebat, destructa fuerit et alia in *eodem vel quasi eodem loco* et sub *eodem titulo* aedificetur, privilegium et proinde indulgentiae non cessant. *S. C. Indulg. in Leodien. 9 aug. 1843.*

Huc referuntur sequentes responsiones s. Congr. indulgentiarum, ad infrascripta dubia:

« 1° An qui nomen dedit pluribus confraternitatibus, quae gaudent indulto lucrandi indulgentias, quas stationales appellant, eas lucrari valeat tot vicibus, quot sunt sodalitates quibus est ascriptus.

2° Quando conceditur plenaria indulgentia pro festo alicuius sancti lucranda a christifidelibus in omnibus ecclesiis alicuius ordinis vel dioecesis, haec indulgentia acquirine potest tot vicibus, quot visitentur ecclesiae eiusdem ordinis vel dioecesis?

3° Cum diversi ordines ex. gr. Benedictini, Franciscales etc. pro uno vel altero festo gaudeant plenaria indulgentia tributa christifidelibus visitantibus proprias ecclesias, huiusmodi indulgentia potestne pluries acquiri visitando singulas ecclesias eorumdem ordinum, praesertim si haec indulgentia dictis ordinibus fuerit concessa a distinctis Pontificibus?

4° Quando ad indulgentias lucrandas praescribitur visitatio ecclesiae parochialis, haec debetne esse ecclesia parochialis propria illius, qui vult indulgentias lucrari, an alia quaecumque?

5° An sub nomine ecclesiae parochialis propriae veniat tantummodo illa domicilii vel quasi domicilii aut morae transitoriae, prouti contingit tempore itineris? »

Quibus dubiis responsum est:

« Ad 1^um^ *negative,* iuxta decretum *Delatae saepius* diei 7 martii 1678.

Ad 2^um^ *affirmative,* idest acquiri potest indulgentia una vice tantum, sed in singulis ecclesiis eiusdem ordinis vel dioecesis.

Ad 3^um^ provisum in praecedenti.

Ad 4um *affirmative* quoad primam partem; *negative* quoad secundam.

Ad 5um *negative* quoad primam partem; *affirmative* quoad secundam et tertiam ». *S. C. Indulg. 13 sept. 1906.*

2464 ***De intentione quoad indulgentias.*** — Ad lucrandas indulgentias probabile est iuxta quosdam, non semper requiri intentionem virtualem, sed sufficere interpretativam; negantibus aliis, qui ad hoc semper requirunt intentionem virtualem. G. B. *II. 867.* Illorum sententia verior omnino videtur. Ad hoc enim, ut aliquod debitum, quod erga Deum habeo, ab ecclesia mihi condonetur Dei nomine, necesse non est, ut ego illud ipsum sciam vel intendam; indulgentia autem nihil aliud est, nisi huiusmodi condonatio. Laymann *Th. mor. lib. V. tr. 7. c. 6. n. 5;* Palmieri *de poen. App. de indulgent. § 1 XII;* B. P. *V. 715.*

2465 ***De indulgentiis authenticis vel apocryphis.*** — Ad hoc, ut omnes fideles possent aliquas normas habere, quibus discernerentur indulgentiae verae ab apocryphis, Sacra Congregatio Indulgentiarum sequentes regulas statuit, quas Leo XIII expresse approbavit, scilicet: « 1° Authenticae sunt omnes indulgentiae, quae in novissima collectione a S. Indulgentiarum Congregatione edita continentur. 2° Indulgentiae generales, quae in supradicta collectione non exhibentur, vel quae concessae feruntur post editam collectionem, tunc solummodo habendae erunt ut authenticae, quum earumdem concessionis autographum monumentum recognitum fuerit a S. Indulgentiarum Congregatione, cui sub nullitatis poena, exhibendum erit, antequam publicentur. 3° Authenticae habeantur indulgentiae concessae ordinibus et congregationibus religiosis, archiconfraternitatibus, confraternitatibus, archisodalitiis, sodalitiis, piis unionibus, piis societatibus, nonnullis ecclesiis celebrioribus, locis piis, et obiectis devotionis, quae continentur in summariis recognitis et approbatis a S. Congregatione Indulgentiarum, eiusqne auctoritate vel venia typis editis. 4° Non habeantur ut authenticae indulgentiae sive generales sive particulares, quae continentur in libris, in libellis, in summariis, in foliis, in chartulis, sive etiam in imaginibus, impressis sine approbatione auctoritatis competentis; quae approbatio concedenda erit post diligentem recognitionem, et distincte exprimenda. 5° Apocryphae, vel nunc prorsus revocatae, sunt omnes indulgentiae mille vel plurium millium annorum, quocumque tempore concessae dicantur. 6° Suspectae habeantur indulgentiae plenariae, quae asseruntur concessae recitantibus pauca dumtaxat verba; exceptis indulgentiis in articulo mortis. 7° Reiiciendae sunt ut apocryphae indulgentiae, quae circumferuntur in libellis, foliis seu chartulis impressis vel manuscriptis, in quibus ex levibus aut etiam superstitiosis causis et incertis revelationibus, vel sub illusoriis conditionibus promittuntur indulgentiae et gratiae usum et modum excedentes. 8° Ut commentitia reiicienda sunt folia et libelli, in quibus promittitur fidelibus, unam alteramve precem recitantibus, liberatio unius vel plurium animarum a

Purgatorio; et indulgentiae, quae dictae promissioni adiici solent, ut apocryphae habendae sunt. 9° Apocryphae, vel saltem ut graviter suspectae, habeantur indulgentiae recentioris assertae concessionis, si ad inusitatum numerum annorum vel dierum producuntur ». *S. C. Indulg. 10 aug. 1899.*

2466 ***De poenis, quae ad materiam indulgentiarum referuntur.*** — Omnes, qui quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus (hae in constitutione Pii V ex D'Annibale *Comm. in const. « Ap. Sedis » n. 136* sunt: 1° facultas eligendi sibi sacerdotem, seu simplicem, a quo absolvi; seu confessarium, per quem a reservatis [romano Pontifici vel ordinariis] absolvi possit; 2° missae sacrificium et sepultura tempore interdicti; 3° ciborum prohibitorum usus; 4° assumptio plurium compatrum ad baptisma contra decretum Conc. Tridentini; 5° demum absolutio a reali simonia Sedi apostolicae reservata) excommunicationis censura plectuntur constitutione S. Pii V « Quam plenum » *2 ian. 1569* (ac proinde solummodo inferiores episcopis, cfr. D'Ann. *l. c.*), incurrunt excommunicationem l. s. romano Pontifici simpliciter reservatam. *Const.* « Ap. Sedis » *ser. 2. n. 11.*

Quum autem hic requiratur, ut quis quaestum faciat, necesse est ad incurrendam excommunicationem ut pecuniam quis acceperit. D'Ann. *loc. cit.*

Praeterea ex Tridentino (*sess. XXV decr. de indulg.*) excommunicationem incurrunt nemini reservatam, qui indulgentias vel inutiles dicunt, vel ecclesiae denegant potestatem eas concedendi.

De impressione eorum, quae referuntur ad indulgentias. — 2467 Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia etc., in quibus earum concessiones continentur, non debent publicari absque competentis auctoritatis licentia. *Const.* Leon. XIII « Officiorum ac munerum » *VIII kal. febr. a. 1896.* Auctoritas autem haec competens aliquando est ordinarius, aliquando una tantum Sacra Congregatio (*S. C. Indulg. 7 aug. 1897*) scilicet antiquitus indulgentiarum, nunc autem s. Officii; idest quando quaestio est de novis indulgentiis, vel de novis collectionibus aut summariis indulgentiarum, necesse est exquirere veniam s. Congreg.; quando vero quaestio est de indulgentiis vel collectionibus aut summariis iam a Sacra Congregatione approbatis, ad ea reimprimenda sufficit venia ordinarii; quae venia sufficiens est etiam ad imprimenda summaria nova, quae ab archiconfraternitatibus, ordinibus, etc. societati aggregatae tradantur in eum finem, ut notitia habeatur indulgentiarum et privilegiorum, quae acquiruntur. Cfr. Gennari *Comm. della costituzione « Officiorum » p. 1. c. 6. § 17.*

cc. 4. 14. 15 de poenit. et remiss. X. (V. 38): cc. 1. 3 eiusd. tit. (V. 10) in 6°; c. 2 eiusd. tit. (V. 9) in Clem.; c. 5 eiusd. tit. (V. 9) in Xvag. comm.; Const. Ben. VIII « Antiquorum habet » 22 febr. 1300; Const. Clem. VI « Unigenitus Dei filius » 25 ianuarii 1343; Const. Mart. V « Inter cunctas » 22 febr. 1418; Const. Leon. X « Exsurge Domine » 16 maii 1520; Const. Pii V « Etsi dominici » 8 febr. 1567; Const. Pii V « Ex omnibus afflictionibus » 1 oct. 1567; Const. Pii V

« Quam plenum » 2 ian. 1569; Const. Paul. V « Rom. Pontifex » 23 maii 1606; Const. Innocentii XI « Caelestis pastor » 19 nov. 1687; Const. Ben. XIV « Nuper ad nos » 16 martii 1743; Const. Ben. XIV « Pia mater » 5 apr. 1747; Const. Ben. XIV « Exemplis » 19 mart. 1748; Const. Clem. XIII « Inexhaustum » 3 sept. 1762; Const. Clem. XIII « Decet Romanos » 30 aug. 1763; Const. Pii VI « Auctorem fidei » 28 aug. 1794; Conc. Trid. sess. XXI c. 9 de ref; sess. XXV dacr. de indulgentiis; *Pauliani I. B.* Tract. de iubilaeo et indulgentiis; *Cordubensis A.* Opus de indulgentiis; *Medina M.* Disputationum adversus nostrae tempestatis haereticos... liber unus; *Aypilcuetae M.* De anno iubilaei et indulgentiis; *Laurentii V.* Controversiae de indulgentiis; *Capetii Io.* Tract. de indulgentiis; *Bellarminus R.* De indulgentiis et iubilaeo (controv. tom. II); *Zerola Th.* De iubilaeo et indulgentiis; *Scioppii G.* Apologeticus pro Bellarmini genuino libro de indulgentiis; *Zecchii L.* De indulgentiis et iubilaeo deque eorum origine, praestantia et utilitate etc.; *Sanctarelli A.* De iubilaeo anni magni piacularis et de aliis iubilaeis; *Reyneri L.* Tract. de indulgentiis; *Gobat G.* Quinarius tractatuum theologico-iuridicorum (in IV de indulgentiis); *De Ioriis Potiti* Tract. de suffragiis, indulgentiis et iubilaeo extraordinario; *Passerini* Tract. de indulgentiis; *Lupus Chr.* Diss. de peccator. ac satisf. indulg.; *Amort Eus.* De origine, progressu, valore ac fructu indulgentiarum nec non de dispositionibus ad eas lucrandas requisitis; *Theodorus a Sp. Sancto* Tract. dogm. moralis de indulgentiis; *Suarez* De sacramentis p. II disp. 48-57; *Amort E.* De indulgentiis in genere et in specie, praesertim de iubilaeo; *Collet P.* Traité historique, dogmatique et pratique des indulgences et du jubilé; *Minderer* De indulgentiis in genere et in specie nec non de iubilaeo; *Frank A.* Gesch. u. Bedeutung d. Abl. i. allgem. u. d. Jubiläums insbes.; *Hille A.* Die kath. Lehre v. Ablass; *Bendel A.* Der kirchl. Abl. i. s. hist. Entwickl., dogmat. Auffass u. prakt. Anwendung; *Bouvier* Traité dogm. et prat. des indulgences, des confréries et du jubilé; *Hirscher J. B.* Die kath. Lehre v. Abl.; *Schoofs J. H.* Die Lehre v. kirchl. Abl.; *Falise* S. Congregationis indulgentiarum resolutiones authenticae. Pars prior: *Prinzivalli* Resolutiones seu decreta authentica S. Congregationis indulgentiis sacrisque reliquis praepositae ab anno 1860 ad ann. 1861 accurate collecta; *Gröne V.* Der Ablass., seine Gesch. u. Bedeutung i. d. Heilsökonomie; Decreta authentica S. Congregationis Indulgentiarum edita auctoritate Leonis XIII; Rescripta authentica S. Congr. Indulgentiarum nec non summaria indulgentiarum, quae cum originalibus contulit Iosephus Schneider; *Lainez I.* Disputat. tridentinae, vol. I pag. 305, vol. II pag. 111-136; *Faucieux* Les indulgences devant l'histoire et le droit canon; *Maurel* Die Ablässe, ihr Wesen und ihr Gebr.; *Melata B.* Manuale de indulgentiis; *Lea H. Ch.* A history of auricular confession and indulgency in the latin church; *Weiss C* Sancti Thomae de satisfactione et indulgentia doctrina; *Mocchegiani* Collectio indulgentiarum theologice, canonice ac historice digesta; *Lépicier A.* Le indulgenze, loro origine, natura e svolgimento. Opera tradotta dall'originale inglese dal sac. Luigi Cappelli; *Fredericq* La question des indulgences dans les Pay-Bas au commencement du XVI^e^ siècle; *Kurz* D. kath. Lehre v. Ablass vor u. nach d. Auftreten Luthers; *Bridey* La condition juridique des croisés et le privilège de la croix; *Beringer F.* Die Ablässe, ihr Wesen und Gebranch (von der hl. Ablasskongregation approbierte und als authentisch anerkanute Auflage); *Fredericq* Les comptes d. indulg. en 1488 et en 1571/9 dans le dioc. d'Utrecht; *Köhler W.* Dokumente z. Ablassstreit v. 1517; *Hilgers J.* Die neuest. Ablassbewilligungen; *Sägmüller* Lehr. d. k. KR. § 117; *Paulus N.* Die Anfänge des Ablasses; *Gott-*

Iob A. Kreuzablass und Almosenablass. Eine Studie über die Frühzeit des Ablasswesens; *Koeniger* D. Ursprung d. Ablasses; *Gottlob A.* Ablassentwicklg. u. Ablassinhalt. i. XI Jahrh.; *Baumgarten P. M.* Die Werke v. H. Ch. Lea u. verwandte Bücher; *Paulus N.* Mittelalterliche Absolutionen als angebl. Ablässe; *Beringer F.* Neueste Bewillingungen oder Entscheidungen in Sachen der Ablässe.

2468 **Infamia.** — Infamia duplex, facti et iuris. Infamia iuris est: laesae dignitatis status legibus ac moribus reprobatus. Cfr. *l. 5 de extraord. cogn etc. D.* (*L. 13*); Reiffenstuel *in titul. 37 lib. V. Dec. n. 52.* Infamia facti: existimationis iactura. B. P. *VII. 433.*

Tum infamia facti, tum infamia iuris, exsurgit ex aliquo facto turpi et notorio (*l. 1 de his qui notantur infamia D.* [*III. 2*]), quamvis non fuerit crimen, sed indecorum sit; hinc iure romano in scenam prodeuntes famosi sunt. *l. 2. § 5. tit. cit. D.*

Verum infamia iuris oritur ex turpi facto lege determinato, ut afferente infamiam (*l. 1. cit. D.* [*III. 2*]): infamia facti exsurgit ex turpi facto, quod legibus quidem non est notatum, sed admittere quis nequit, quin apud honestas personas boni nominis imminutionem patiatur, et bonum conscientiae rectae perdat, ut dicitur in capite 17 de temp. ordinat. X. (*I. 11*). Cfr. *l. 13 ex quibus causis infam. irrog. C.* (*II. 11*); Thesaurus *de poenis p. I. c. 33.*

Infamia vero haec facti non incurritur, nisi ex quodam delicto notorio, vel in iudicio probato, aut ex manifesta turpitudine alicuius defectus apud honestos viros notam afferentis et boni nominis existimationem diminuentis. Schmalzgr. *in tit. 37 lib. V Decr. n. 165.* Non admittenda tamen est infamia ex quacumque arbitraria hominum opinione; hinc S. Congr. Concilii (*in Carthagin. 10 maii 1755*) improbavit vicarium generalem, qui alicui dimissorias propterea denegaverat, quod filius et nepos esset obstetricum, quarum ministerium pro tam vili et abiecto haberi dicebat, ut de opprobrio et aversione reliquorum clericorum timendum esset, voluitque s. Congregatio, ut dimissoriae concederentur.

Infamia iuris ab infamia facti in hoc praecipue differt, quod infamia iuris proprie est poena criminis, ac proinde non incurritur ante sententiam iudicis declaratoriam, non autem infamia facti; et quod infamia facti redimi potest per bonam opinionem, quae oritur ex publica et notabili emendatione (cfr. *S. C. C. in Ferrarien. 25 ian. 1851* — quanto tempore haec emendatio durare debeat, non est certum; generatim requirunt triennium [S. Alph. *VII. 364*]; quidam contenti sunt biennio [B. P. *VII. 436 ex cap. 2 de clerico non ordin. etc. X. V. 28*]: alii contenti sunt tempore etiam minus diuturno, si accedant signa extraordinaria poenitentiae [Mon. eccl. *vol. X. p. 2. pag. 16*]), infamia autem iuris per se est perpetua, et non tollitur, nisi auctoritate principis, vel contraria sententia iudicis. Schmalzgrueber *l. c. n. 175. sqq.*

Utraque infamia inducit irregularitatem, quae ex infamia facti, cessante ipsa infamia, cessat sine dispensatione; ex infamia iuris non item,

sed dispensatione opus est romani Pontificis. *c. 23 de sent. et re iudic. X.* (*II. 27*).

Nota etiam, iure praescriptum esse, ut infamibus non pateant portae dignitatum. *c. 87 de reg. iuris* (*V. 12*) *in 6°*. Quod ita intelligendum videtur, ut collatio beneficii, quae fiat infami infamia facti, non sit irrita ipso iure, sed irritanda; collatio, quae fiat infami infamia iuris, sit ipso iure nulla. Cfr. Lacroix *de benef. eccl. n. 787;* Laymann *Th. mor. lib. 1. c. 4. n. 4.*

Addendum praeterea, infames infamia iuris incapaces esse ad actus legitimos ponendos, ut ad electionem etc. *arg. c. 2 de sent. excomm. etc.* (*V. 11*) *in 6°;* Wernz *Ius decr. II. 357.*

2469 Iure canonico infames sunt infamia iuris:

a) omnes, qui sanctae romanae ecclesiae cardinalem fuerint hostiliter insecuti, vel percusserint, aut ceperint, vel socii fuerint facientis, aut fieri mandaverint, vel factum ratum habuerint, aut consilium dederint vel favorem, aut postea receptaverint, vel defensaverint scienter eumdem (*c. 5 de poenis* [*V. 9*] *in 6°*); infamia autem extenditur ad filios et nepotes eorum, qui post parentum crimen nati fuerint (*c. 5 nuper cit.;* Suarez *de censuris disp. XLVIII sect. 3. n. 2*);

b) haeretici iisque credentes, nec non eorum receptatores, defensores et fautores, qui excommunicatione notati satisfacere contempserint intra annum, horumque omnium filii (*c. 13 de haereticis X.* [*V. 7*] § *5.* Vid. *Haereticus*);

c) duellantes eorumque patrini (Conc. Trid. *sess. XXV. c. 19 de ref.; S. C. C. in Wratislav. 9 aug. 1890, in Friburgen. 23 ian. 1904*);

d) illi omnes, qui crimen raptus intra eos limites admiserint, in quibus impedimentum dirimens matrimonii exsurgit ad mentem Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 6. de ref. matr.;* iique, qui illis consilium, auxilium et favorem praebuerint (Conc. Trid. *l. c.*);

e) rei simoniae realis (*c. 1 de simonia* [*V. 1*] *inter Xvag. comm.;* Gasparri *de sacra ordinatione n. 296*);

f) damnati ad triremes, qui de facto navigaverint (Urbanus VIII *decr. 4 ian. 1635;* Gasparri *l. c. 295*);

g) bigami, qui duas simul uxores habent. *c. 3 de bigamis etc. X.* (*I. 21*). Vid. *Fama.*

Pacii I. Ex quibus causis infamia irrogetur; *Freheri M.* Tractatus de aestimatione acquirenda, conservanda et amittenda (ubi etiam de infamia); *Burchardi* De infamia ex disciplina Romanorum; *Selchow* Selecta capita doctrinae de infamia; *Legeay* De l'infamie; *Greenidge* Infamia, its place in roman public aud private law. Reliquam bibliographiam quaere sub *Fama.*

Infans. – Infans alius dicitur na- 2470
tura, alius iure. Iure is est infans, qui nondum septennium explevit (*l. 1* § *2 de admin. et pericul. tutor. etc. D.* [*XXVI. 7*]; *l. 18 de iure deliberandi etc. C.* [*VI. 30*]); natura vero infans ille, qui nondum suae mentis est. Hinc nota, quod in iis, quae pertinent ad legem naturalem, infantia aestimatur ex ratione; in iis vero, quae pertinent ad leges humanas, a septimo aetatis anno. D'Ann. *I. 33* (*2*).

Infantes, etiamsi nati ex fidelibus, si non baptizati decesserint, non

sunt donandi sepultura ecclesiastica. Cfr. Rit. Rom. *tit. VI. c. 2. n. 7;* Engel *in tit. 28 lib. III Decr. n. 17;* Reiffenstuel *in eumdem titulum n. 77.* At fetus, qui in utero defunctae matris obiit, nec inde fuit extractus, cum matre in loco sacro sepeliendus est; censetur enim pars matris.

2471 **Infernus.** — Notandum hic est dubium quoddam S. Poenitentiariae propositum, istiusque responsio. Dubium est: « Poenitens se sistit coram confessario, et inter alia declarat, opinari, quod in inferno ignis non sit realis, sed metaphoricus, scilicet quod inferni poenae, quaecumque illae sint, sunt vocatae ignis aliquo dicendi modo; nam sicut ignis dolorem omnium intensiorem producit, ita ad indicandas atrocissimas inferni poenas, nulla adest imago aptior ad ideam inferni efformandam. Hinc parochus quaerit, an liceat relinquere poenitentes in hac opinione, et an liceat eos absolutione donari. Notat autem parochus, quod non agitur de opinione alicuius individui, sed est opinio generaliter admissa in quodam pago, ubi dici solet: infantes solum persuade, si potes, quod sit ignis in inferno ». Responsum est: «Huiusmodi poenitentes diligenter instruendos esse, et pertinaces non esse absolvendos ». *S. Poen. 30 april. 1890.*

2472 **Infidelis.** — Parti iamdiu infideli, nunc autem conversae ad fidem, in matrimonio cum infideli in infidelitate inito datur facultas separationis et novi coniugii, quum pars infidelis non vult cohabitare pacifice vel sine contumelia Creatoris. Vid. *Privilegium Paulinum.*

Quoad applicationem missae pro infidelibus aut ad eorum intentionem, vid *Sacrificium.* Cfr. etiam *Communicatio in divinis.*

Infidelitas. — Infidelitas dupliciter 2473
potest sumi, generice vel specifice.

Generice sumpta est carentia fidei in quocumque inveniatur, seu, si eam in actu et non in habitu consideremus, est denegatio assensus veritatibus quibuscumque revelatis sufficienter propositis, a quocumque iste assensus denegetur; hinc s. Thomas (*2.2 q. 11. a. 1*) dicit, haeresim esse *speciem infidelitatis* pertinentem ad eos, qui fidem Christi profitentur, sed eius dogmata corrumpunt. Cfr. Billot *de virtutib. infusis Th. XXIII.*

Specifice est carentia fidei in non baptizato. Triplex autem haec est: *positiva*, seu eius, qui fidem respuit; *negativa*, seu eius, qui fidem ignorat; *privativa*, seu eius, qui negligit comparare sibi notitiam fidei, quum potest. Cfr. S. Th. *2.2. q. 10. a. 1.*

Positiva et privativa sunt gravissimum peccatum (S. Th. *l. c. a. 3*); negativa non est peccatum, sed poena peccati. Cfr. *prop. 68am Baii damn. a Pio V Const.* « Ex omnibus afflictionibus » *1 oct. 1567, et a Greg. XIII Const.* « Provisionis nostrae » *29 ian. 1579.*

Ritus infidelium foveri a principe christiano non possunt, possunt tamen ob graves causas tolerari; quod non est idem ac eodem loco eos habere ac veram religionem. Cavagnis *Inst. iur. publ. eccl. lib. I. cap. 5.*

Opera naturaliter honesta infideles agere possunt. Cfr. *prop. 25am Baii a Pio V et a Gregorio XIII const.*

supracit. damn. et prop. 8am damn. ab Alex. VIII decr. diei 7 dec. 1690.

Bibliographiam quaere sub *Fides*.

Infirmitas. — An infirmitas sit causa dandi parocho coadiutorem, vid. *Coadiutor*. An sit iusta causa renunciandi beneficium, vid. *Renuntiatio*. An sit causa dispensandi a ieiunio, vid. *Ieiunium*. An etiam pro canonico absente lucrandi distributiones, vid. *Chorus*. An egrediendi e clausura pro moniali, vid. *Clausura*.

2474 **Informata conscientia.** — **Quaenam sit sententia ex informata conscientia.** — Iure ecclesiastico dicitur sententia *ex informata conscientia*, sententia extraiudicialiter lata, qua praelatus competens ex quacumque causa, propter aliquod delictum occultum, vel subditum arcet ab ascensu ad altiores ordines, vel clericum iam ordinatum et promotum ab ordinibus vel officiis ecclesiasticis suspendit. Cfr. Conc. Trid. *sess. XIV. c. 1 de ref.; prop. 49. 50 Synod. Pistoriensis damn. a Pio VI Constit.* « Auctorem fidei » *28 aug. 1794.*

Ad hanc sententiam ferendam praelatus non solum solemnitates processus ordinarii, sed etiam processus summarii posthabere potest. Bouix *de iudiciis eccl. p. II sect. IV subs. 3. c. 3. p. 8.*

Sed, exclusa probatione criminis, quae ordine iudiciario facta fuerit, non ideo excluditur certitudo criminis patrati in praelato, qui, quamvis eas manifestare non tenetur, huiusmodi tamen debet habere probationes patrati criminis, quae de eo plenam fidem faciant Sacrae Congregationi Concilii vel Sacrae Congregationi de Propaganda Fide, ad quarum alterutram recurrendi ius habet ille, qui poenis praescriptis per sententiam ex informata conscientia mulctatus est. Cfr. *S. C. C. in Vercellen. 21 mart. 1643; S. C. EE. RR. incerti loci 28 aug. 1840.* Imo, si praelatus huiusmodi probationes non haberet, iam ipsa sententia esset nulla; quia in casu praelatus excederet limites suae potestatis, ac proinde invalide ageret. Cfr. *S. C. C. in Oritan. 20 aug. 1735;* Pierantonelli *Prax. fori eccl. tit. 7. n. 3.*

Quinam ferre possunt has sententias. — 2475 Has sententias ferre possunt episcopi, praelati regulares, qui habent iurisdictionem quasi episcopalem (cfr. De Angelis *in tit. 1 lib. V Decr. pag. 50*), imo etiam alii, qui ordinariorum nomine veniunt in iure (cfr. *S. C. C. 14 nov. 1654*), nempe vic. apostolici, praelati *Nullius*, et probabilius vicarii capitulares; non autem vicarii generales, ut patet, saltem sine speciali et expresso mandato episcopi. Cfr. tamen Bargilliat *Prael. iur. can. n. 1516 c.*

De obiecto harum sententiarum. — 2476 Obiectum, circa quod versari possunt hae sententiae, est illud, quod supra innuimus, idest vel prohibere ab ascensu ad ordines, vel ab ordinum susceptorum exercitio (*S. C. C. 24 nov. 1657, 20 aug. 1735*), vel etiam suspendere ab officiis ecclesiasticis, non autem longe probabilius a beneficiis. De Angelis *in tit. 1 lib. V Decr. pag. 84;* Bouix *l. c. c. 4. lim. 6.* Nec ferri possunt huiusmodi sententiae ob delictum publicum (quod ex. gr. in iudicium aut in rumores vulgi dedu-

ctum sit, aut tali numero et qualitati personarum sit cognitum, quod censeri debeat notorium, *Instr. S. C. P. F. 20 oct. 1884*); sed tantum ob delictum occultum (cfr. *Instr. S. C. EE. RR. 11 ian. 1880; Instr. S. C. P. F. 20 oct. 1884*); quod tamen occultum delictum ita intelligendum est, quod vel nequeat omnino probari in foro externo per legitimas probationes iudiciales (licet per extraiudiciales probari possit), vel possit quidem probari per iudiciales probationes, sed ob scandalum vel maius ipsius rei aut ecclesiae detrimentum id facere non conveniat. Hinc anno 1863 S. Sedes interrogata, an sustineretur suspensio ex informata conscientia a quibusdam episcopis lata in plures clericos, qui subscripserant litteris Caroli Passaglia ad Pontificem directis, quibus rogabant, ut romanus Pontifex temporali S. Sedis dominio renuntiaret, ac proinde incurrerant censuras latas a Pio V in const. « Admonet nos » *IV kal. apr. anno 1567*, respondit, eas sustineri. Cfr. Cavagnis *Inst. Iur. publ. eccl. II. c. 3. a. 2. n. 62.*

2477 **Notanda circa modum has sententias ferendi.** — Praeterea in citata instructione a S. C. de Propaganda Fide (*20 oct. 1884*) data n. 5 haec habentur: « Exprimi item debet tempus durationis eiusdem poenae. Abstineant tamen ordinarii ab ea infligenda in perpetuum. Quod, si ordinarius ob graviores causas censuerit eam imponere non ad tempus determinatum, sed ad suum beneplacitum, tunc ipsa habetur pro temporanea, ideoque cessabit cum ipsa iurisdictione ordinarii suspensionem infligentis ».

Hoc praeceptum superioris infligentis suspensionem intimandum est in scriptis, die et mense designatis. Exprimendum etiam est, quod eiusmodi punitio irrogatur in vim Tridentini decreti sess. XIV. c. 1 de ref. vel ex informata conscientia, vel ex causis ipsi ordinario notis. *Instr. cit. S. C. P. F. n. 3.*

Animadvertere etiam iuvat id, quod eadem instructio S. C. P. F. habet sub numero 9, scilicet: « Prudenti arbitrio praelatorum relinquitur, suspensionis causam, seu ipsam culpam, delinquenti aut patefacere aut reticere. Partes alioquin pastoralis sollicitudinis et caritatis eorumdem erunt, ut, si istiusmodi poenam suspenso manifestare censuerint, ipsa ex paternis, quas interponunt, monitionibus, nedum ad expiationem culpae, verum etiam ad emendationem delinquentis, et ad occasionem peccandi eliminandam inserviat ».

Ab hac sententia non datur appellatio. — A sententia lata ex informata conscientia non datur appellatio ulla, neque in suspensivo, neque in devolutivo (Conc. Trid. *l. c.; S. C. C. 21 aprilis 1618, 18 dec. 1730, 8 apr. 1848*); sed tantum recursus ad apostolicam Sedem cum solo effectu devolutivo. Ben. XIV *de Syn. lib. XII. c. 8. n. 4. sq.; S. C. C. in causa cit. Vercell. 21 mart. 1643 et Lucionen. 8 apr. 1848 etc.* Quare clericus, qui, habita notitia suspensionis, exercet solemniter actum ordinis, etiam sub praetextu interpositi recursus ad R. Pontificem, incidit in irregularitatem 2478

cuius dispensatio romano Pontifici reservatur. *S. C. C. 8 apr. 1848.*

Conc. Trid. sess. XIV c. 1 de ref.; prop. 49.-50 Syn. Pist. damn. a Pio VI const. « Auctoreum fidei » 28 aug. 1794; Instr. S. C. P. F. 20 oct. 1884; *Roth F.* Ueber d. sententia ex informata conscientia i. Strafverfahr. gegen Kleriker; *Molitor W.* Ueber d. sententia ex informata conscientia; *Roth F.* Antwort. a. d. Erwiderung d. H. W. Molitor betreffs d. sent. ex inform. conscientia; *Kober* Die Suspension etc.; *Pallottini* Pugna iuris pontificii statuentis suspensiones extraindicialiter seu ex informata conscientia et imperii easdem abrogare molientis; *Droste* Kirchl. Disziplinar- u. Kriminalverfahr. gegen Geistliche; *Braun K.* De susp. ex inform. consc. etc.; *Pierautonelli P* Praxis fori ecclesiastici ad praesentem Ecclesiae conditionem accomodata tit. 7; *Arndt A.* Die susp. ex inform. conscientia im Arch. f. k. KR.; *Arndt A.* Die suspensio ex informata conscientia in Pastor bonus; *Péries* La procédure canon. moderne pag. 156; *Fiorenza G.* Le sospensioni ex informata conscientia; *Bourret F.* Des sentences ecclesiastiques dites « De conscience informée ».

2479 **Ingressus**. — Conditio ingressus in renunciatione beneficii tunc habetur, quum quis renunciat iuri completo beneficii, quod tamen revera nondum possidet. Hoc faceret ille, qui, ante captam possessionem collati sibi beneficii, illud alteri resignaret sub conditione, ut, si resignatarius moreretur, ipse ingrederetur beneficium, quod nunc resignat. Cfr. De Luca Mar. *Prael. iur. can. lib. de personis tit. XIII num. 193.*

Resignatio beneficii sub hac conditione iure communi est prohibita. Conc. Trid. *sess. XXV. c. 7 de ref.* Vid. *Resignatio.*

Quoad ingressum in clausuram monalium, vid. *Clausura.*

Inimicus. — Vid. *Caritas.*

Iniuria. — Iniuria est alieni iuris 2480
violatio. Cfr. *l. 5 ad legem Aquiliam D.* (*IX. 2*); *l. 1 de iniuriis et fam. libell. D.* (*XLVII. 10*). Hinc, quum ius nonnisi personae sit, iniuria etiam uni fit personae (sive physicae sive morali). Multiplex autem est: alia formalis, alia materialis, prout fit scienter et voluntarie, aut absque cognitione et consensu; alia directa, alia indirecta, prout intenditur in se, aut tantum in causa praevidetur et permittitur.

Est peccatum grave ex genere suo. Certo iniuria alteri inferri effective potest actu mere interno v. g. iudicio temerario, etc.

Ad habendam iniuriam requiritur, ut quis sciens laedat ius alterius, eo invito (cfr. *l. 3 de iniuriis et fam. lib. D.* [*XLVII. 10*]), idest contradicente, vel etiam non consentiente. Cfr. *l. 8. § 1 de procur. et defens. D.* (*III. 3*); *l. 45. § 5 de ritu nuptiar. D.* (*XXIII. 2*). Nam scienti et volenti non fit iniuria (cfr. *l. 1. § 5 tit. cit. D.* [*XLVII. 10*]; *c. 27 de reg. iuris* [*V. 12*] *in 6°*); quod tamen probe intelligendum est, quia, quamvis possit semper quis renunciare iuri pro se introducto (*l. 29 de pactis C.* [*II. 3*]), renunciatio tamen haec ex ipsa rei natura est nulla, si ita fiat, ut contra leges sit aut bonos mores (cfr. *l. cit. C.* [*II. 3*]); sic congressus alterius cum coniuge, altero coniuge consentiente, est stricti nominis adulterium, con-

tinens iniuriam in maritum vel uxorem. Cfr. Donellum *in leg. cit. Codicis.*

Iniuria aliquem laedens debet eidem satisfacere, seu illatam iniuriam resarcire. De hoc vide *Satisfactio.*

Carbonis L. Tract. de repacificatione, dilectione inimicorum et iniuriarum remissione; *Binsfeld P.* In titul. iuris can. de iniuria et damno dato; *Guarinonsi Ch.* An deceat civilem hominem ignoscere ei a quo iniuram accepit; *Gilhausen L.* Commentaria in tit. 10 lib. 47 Pandectarum de iniuriis et famosis libellis; *Mezner L.* Disp. de iniuriis et famosis libellis; *Linseman F.* De iniuriis; *Rennemann H.* Tract. de iure retorsionis contra verbales iniurias; *A Siggenhansen Fr.* Disp. de damno iniuria dato; *Ortgiese J. G.* De iniuriis earumque actionibus; *Gotz* De retorsione iniuriarum; *Pfankuch G.* De prohibitis verbalium iniuriarum retorsionibus; *A Litha T. H.* De iniuriis; *Idzert Ekma* Diss. de iniuriis praecipue de illarum poenis; *Gioia M.* Dell'ingiuria, dei danni, del soddisfacimento e relative basi di stima avanti i tribunali civili; *Zimmermann* De iniuriis ex iure romano; *Grellet-Dumazean* Traité de la diffamation, de l'injure et de l'outrage; *Frola P. E.* Delle ingiurie e diffamazioni specialmente in tema di stampa; *Semmola G.* La censura pubblica nei liberi ordinamenti e le repressioni delle ingiurie; *De Cola Proto* L'ingiuria nella scienza e nel fôro; *Worms E.* Les attentats à l'honneur, diffamations, injures, outrages etc.; *Gregorini G.* Della rittattazione delle ingiurie; *Micucci L.* I reati contro l'onore nel duplice aspetto della contumelia e della diffamazione; *Litzt F.* Lehrb. d. Strafrechts.

Iniustitia. — Vid. *Furtum, Damnificator.*

2481 **Innocens.** — Eum directe occidere nec auctoritate privata, nec publica, umquam licet (*Exod. XXIII. 7*; S. Alph. *III. 393*; S. Th. *2. 2. q. 64. a. 6. c.*; Lessius *de iust. et iure l. II. c. 9. d. 7. n. 36*); licet tamen ob gravem causam ponere actionem in se bonam, ex qua praeter intentionem sequatur mors innocentis. Lessius *l. c. n. 37.* Si iuridice habeatur nocens, etiamsi a iudice privata scientia innocens cognoscatur, damnari iuxta quosdam potest. S. Th. *2. 2. q. 64. a. 6. ad 3um, q. 67. a. 2. c.* Confer tamen etiam Lessium (*de iust. et iur. lib. II. c. 29. d. 10. n. 77 sqq.*) et Lugo (*de iust. et iure disp. XXXVII. num. 42 sqq.*), qui veriorem dicunt contrariam sententiam negantem. Vid. *Iudex.*

Innominati. — Innominati contractus ii sunt, qui proprio nomine carent v. gr., do ut des, facio ut facias. G. B. *I. 754.* 2482

In partibus. — Haec demominatio episcoporum *in partibus infidelium,* quae prius dabatur episcopis non dioecesanis, qui habent titulum alicuius antiquioris ecclesiae nunc in regione infidelium exsistentis, abrogata est ex decisione Sacrae Congregationis de Prop. Pide (*27 febr. 1882*) a summo Pontifice approbata. Huiusmodi episcopi nunc dicuntur *episcopi titulares,* ipsisque datur etiam nomen ecclesiae, cuius titulum habent, ex. gr. archiepiscopus Seleuciensis. 2483

Inquisitio. — **Quid sit iuridica inquisitio.** — Inquisitio sensu iuridico est indagatio iudicis ad detegendum crimen eiusque auctorem legitime facta. Cfr. *l. 13 de officio praesidis D.* (*I. 18*). Inquisitio alia est generalis, alia specialis. 2484

De inquisitione generali. — Inqui- 2485

sitio generalis est vigilantia assidua auctoritatis, qua ipsa studet crimina praevenire. Huiusmodi inquisitio, licet ordinarie nonnisi paterne (canonice tamen et legitime) fiat, potest tamen etiam iudicialiter institui ex mero officio iudicis, etsi nulla de delictis vel delinquentibus praecedat infamia, nec alicuius urgeat denunciatio. Lugo *de iust. et iure disp. XXXVII. s. 6. n. 56.*

2486 **De inquisitione speciali.** — Specialis inquisitio ea est, quae fit de certa aliqua persona suspecta de crimine (cfr. *c. 27 (de accusationibus etc. X. [V. 1])*; sive habetur quando iudex, cognito delicto, de certa aliqua persona inquirit, contra quam suspicio gravis praecessit, aut diffamatio, aut alia indicia gravia.

2487 **De obiecto inquisitionis.** — Obiectum inquisitionis iudicialis non est quodlibet delictum leve, quod forte via administrativa vel disciplinari puniri potest, sed sunt graviora delicta, quibus causatur diffamatio; quae diffamatio, ut iudex ecclesiasticus procedere possit ad inquisitionem specialem, essentialiter praerequiritur (*cc. 19. 24 de accusationibus etc. X. [V. 1]*), quod et pro regularibus procedit (Lugo *l. c. n. 67*); secus inquisitio iuridice est nulla et irrita, et iudex graviter peccat. Per dicta autem paucorum diffamatio non habetur (*c. 21 de accusationibus etc. X. [V. 1] § 2*); sed requiritur, ut rumor sit sparsus per maiorem partem communitatis idest civitatis, viciniae vel monasterii. S. Alph. *IV. 201.*

Adverte autem ad inquisitionem non iudicialem sed paternam, quae nempe non ad poenam infligendam, sed ad emendationem rei procurandam fit, facilius posse praelatum ecclesiasticum procedere. Verum ista etiam paterna inquisitio, si non de omnibus fiat, sed de uno vel alio in particulari, fieri non potest, nisi adsit peculiaris aliqua ratio, et debita servetur cautela, ne quis infametur. Bucc. *II. 12.* Secus enim haec inquisitio natura sua iniuriam infert proximo, cuius honori adversatur, et aestimationi, quam de se optimam omnes haberi cupiunt. Diana *Coordin. t. VII. tr. 4. res. 25. n. 3.* Quare et in hoc potest praelatus ecclesiasticus graviter peccare. Cfr. Sanchez *Cons. mor. lib. VI. cap. 3. n. 16 sqq.*

De sententia in processu inquisitorio. — Sententia, etiam in processu per viam inquisitionis instituto, per se et stricto iure iisdem solemnitatibus ferenda esset, ac in processu, qui fit per accusationem. Recepta tamen est praxis ferendi in hoc processu sententiam forma summaria; quare in praxi standum est laudabilibus particularibus consuetudinibus. 2488

Decr. Grat. C. II-VI; tit. de accusation. inquisitionibus et denunciationibus X. (V. 1); idem tit. (V. 1) in 6°; tit. de calumniatoribus X. (V. 2); tit. de collusione deteg. X. (V. 22); tit. de purgatione canonic. X. (V. 34); tit. de purgatione civili X. (V. 35); *Durantis* Speculum iudiciale; *Passerinus* Regulare tribunal; *Farinacius* Praxis criminalis; *Maranta* Speculum aureum; *Diaz de Lugo J. B.* Practica criminal canon.; *Villagut A.* Practica can. criminalis; *De Salsedo A.* Practica criminalis canon.; *De Miranda L.* Liber ord. iudic. et de modo proced. in causis criminal.; *Molinus F.* De brachio saeculari ecclesiae praestando; *Harprecht Jo.* Tractatus

criminalis; *Berti P.* Praxis criminalis regularium saeculariumque omnium absolutissima; *De Pitigianis Fr.* Practica criminalis canonica; *Voltzii V.* Trac. de inquisitione et de sicariis; *Carpzovius B.* Practica rerum criminalium; *Diaz B.* Practica criminalis canonica; *Iani Ch. F.* Tract. iuris de denunciatione evangelica; *Michaelis H.* De inquisitione criminum; *De Caevallos H.* De cognitione per viam violentiae in causis ecclesiast. et inter personas ecclesiasticas; *De Combes* Recueil des precédures criminelles des officialités; *De Ameno A.* Formularium criminale; *Biener F. A.* Beiträge zur Geschichte des Inquisitionsproz. u. d. Geschworenengerichte; *Hildenbrand K.* De purgatio canonica u. vulgaris; *Puchta W. H.* Der Inquisitionsproz.; *Gemeiner* Ueber d. Eideshilfe u. d. Eideshelfer; *Bouix* De iudiciis eccles. tom. II; *Molitor* Ueber canonisches Gerichtsverfahren gegen Cleriker; *Strippelmann* Der Gerichtseid; *Marx* De denunciatione iuris canonici; *Fessler* Der canonische Process in den ersten fünf Jahrhunderten; *Molitor M.* Ueber d. strafrechtl. Procedur b. d. bischöfl. Offizialaten; *Kellner* D. Buss- u. Strafverf. gegen Kleriker in den sechs ersten christl. Jahrhund.; *Brunner H.* Zeugen- und Inquisitionsbeweis der karolingischen Zeit; *Gross K.* Die Beweistheor. im can. Proz.; *Friedberg* Grenzen zwischen Staat und Kirche; *München N.* Das kan. Gerichtsverfahren u. Strafrecht; *Fournier* Le officialités au moyen-âge ... de 1180 au 1328; *Katz E.* Grundriss. d. kan. Strafrechts; *Droste* Kirchl. Disziplinar- u. Criminalverfahr. gegen Geistliche; *Glaser J.* Handl. des Strafprozessrechts; *Pierantonelli R.* Praxis fori ecclesiastici etc.; *Nissl A.* Der Gerichtsstand d. Klerus i. fränk. Reich; *Smith* The new procedure in criminal and disciplinary causes of ecclesiastics in the United States; *Smith* Elements of ecclesiastical law; *Ehrmann F.* Der kan. Proz. u. d. Collectio Dacheriana; *Droste-Messmer* Canonical procedure in disciplinary and criminal causes of clerics. A sistematic commentary of the Instructio S. C. Epp. et Reg. 1880; *Péries G.* La procédure canon. moderne dans les causes disciplin. et criminelles; *Lega M.* Prael. in textum iur. can. de iudiciis ecclesiasticis tom. IV; *Mariotte H.* Le principe inquisitoire. Ses origines, sa nature, son évolution dans le droit franç.; *Sebastianelli G.* De iudiciis ecclesiasticis.

Inquisitionis tribunal. — Vid. *Officii (sancti S. Congregatio).*

Insignia. — Vid. *Ambitiosi clerici, Canonici.*

Insordescentia. — Insordescere dicitur in censura ille, qui toto anno contumaciter, idest obstinato animo (Conc. Trid. *sess. XXV. c. 3 de ref.*), in excommunicatione in ipsum nominatim lata persistit (Croix *Th. mor. VII. 287*); contra hunc militat suspicio haeresis, ipseque habendus est pro convicto et confesso, et privari potest a iudice omnibus beneficiis, si quae possidet. *c. 8 de aet. qual. et ordin. praef. X.* (*I. 14*). Perseverans autem contumaciter per triennium in excommunicatione omnibus beneficiis privandus est omnino. 2489

Instituta religiosa. — Vid. *Congregationes religiosae.*

Institutio canonica. — Institutio canonica generice sumpta nil aliud est, quam collatio officii seu beneficii. Cfr. *c. 1 de reg. iuris in 6°.* 2490

De institutione collativa tituli. — Institutio specifice, quae et institutio collativa tituli dicitur, est necessaria beneficii vacantis concessio canonice facta ad legitimam praesentationem patroni. 2491

Quinam hanc institutionem dare possint. — Ius instituendi clericum in bene- 2492

ficio ecclesiastico ad superiores ecclesiasticos, non ad laicos, pertinet. *cc. 4. 21 de iure patron. X.* (*III. 38*); Conc. Trid. *sess. XIV. c. 13 de ref.*

Superiores autem ecclesiastici, quibus competit dare institutionem, quoad beneficia in dioecesi sita, sunt episcopus dioecesanus (*c. 3 de institut. X.* [*III. 7*]), etsi nondum consecratus (cfr. *c. 9 de electione et elect. pot. X.* [*I. 6*]); vicarius generalis, etiam sine speciali mandato, quia institutio haec est actus iurisdictionis necessariae (*c. 3 tit. cit. X.* [*III. 7*]; Schmalzgrueber *in eumdem titulum n. 9*); capitulum vel vicarius capitularis, eo electo, tempore sedis vacantis (*c. 1 de institut.* [*III. 6*] *in 6.°*); praelatus nullius. Schmalzgrueber *l. c. n. 10.*

Alii inferiores praelati institutionem concedere omnino non possunt, nisi hoc illis competat ex antiqua lege fundationis ante Concilium Tridentinum factae (Cfr. Conc. Trid. *sess. XIV c. 12 de ref.*), vel ex legitima praescriptione (cfr. *c. 18 de praescript. X.* [*II. 26*]), vel ex singulari rom. Pontificis privilegio. Nam ex Concilio Tridentino (*sess. XIV. c. 12 de ref.*) prohibitum est patronis in fundationibus vel donationibus in posterum faciendis reservare institutionem aliis, quam episcopo loci. Cfr. *causam in Pinnen. actam apud S. C. C. 27 febr. 1886.*

2493 **Quid servandum in danda institutione.** — Instituendus in beneficio ecclesiastico debet esse clericus (*c. 2 tit. cit. X.* [*III. 7*]), nec praelatus potest instituere seipsum. *c. 7 tit. cit. X.* (*III. 7*).

Leges in institutione servandae huc redeunt: ut ea conferatur clericis idoneis, et intra legitimum tempus.

Hinc personae instituendae debent esse *actu clerici,* laici enim ab institutione recipienda repelluntur. *c. 2 tit. cit. X.* (*III. 7*); cfr. etiam *c. 5 de transactionibus X.* (*I. 36*).

Praeterea clericus debet esse *idoneus;* haec autem idoneitas constare debet ex testimonio ordinarii, qui clericum praesentatum potest examinare (Conc. Trid. *sess. VII. c. 13*), iis exceptis, qui praesentati, electi, seu nominati fuerint ab universitatibus seu collegiis generalium studiorum (Conc. Trid. *l. c.*), dummodo non agatur de beneficio parochiali, ad quod promovendi omnes tenentur examen subire (Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 18 de ref.*). Instituendos omnes examinare, etsi institutio collativa tituli spectet ad alios, pertinet ad episcopum (Cfr. Pignatelli *Consult. can. VII cons. 8ª num. 68 sqq.*), qui tamen examen praetermittere potest, si aliunde de idoneitate clerici praesentati ipsi constet. Reiffenstuel *in tit. 7 lib. III Decr. nn. 13. 21;* Schmalzgrueber *l. c. num. 47.* Idoneitas autem, quae pro institutione necessaria est, eas etiam dotes requirit, quae exiguntur in specialibus legibus fundationis.

Quoad *tempus,* intra quod dari debet institutio ab episcopo, quamvis in iure non sit definitum, non ideo tamen nimium protrahi potest (Reiffenstuel *loc. cit. n. 73*); et, si nimium protrahatur, poterit patronus vel clericus instituendus recurrere ad superiorem negligentis praelati, qui tempus utile ad institutionem concedendam praefinire potest, quo tempore inutiliter transacto, ipse institutionem concedit. Schmalzgrueber *l. c. n. 25;*

Santi *in tit. 7 lib. III Decr. n. 17.* Si agatur autem de beneficiis parochialibus, debet institutio necessario dari infra bimestre a die factae praesentationis ex constitutione Pii V « In conferendis » *15 apr. 1567.* Antequam episcopus ad institutionem concedendam deveniat, debet (Schmalzgrueber *l. c. n. 33*) praemittere edictum ad valvas ecclesiae affigendum, eoque terminum praefigere, intra quem possint interesse habentes sua iura contra praesentationem factam deducere (cfr. *c. 47 de elect. etc.* [*I. 6*] *in 6°*); haec autem affixio edicti praetermitti potest iis in locis, in quibus contraria invaluit consuetudo. Schmalzgrueber *l. c. n. 36.*

Episcopus ob iustas causas potest denegare institutionem clerico praesentato, sed has ipsas causas patrono manifestare tenetur, qui potest vel appellationem apud superiorem interponere, vel intra legitimum tempus alium praesentare clericum. Cfr. *cc. 5. 29 tit. cit. X.* (*III. 38*). Vid. *Dignus*, *Iuspatronatus.*

2494 **De necessitate huius institutionis.** — Institutio autem haec ad officium ecclesiasticum exercendum omnino necessaria est; quod manifestum est ex Conc. Trid. *sess. XXIII can. 7:* « Si quis dixerit... eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros, a. s. ». Cfr. etiam Conc. Trid. *l. c. cap. 4.*

2495 **De institutione auctorizabili.** — Recensetur in iure etiam institutio *auctorizabilis*, quae recte definiri posse videtur, quamvis non omnes auctores in eius notione determinanda conveniant, approbatio ordinarii qua cura animarum exercenda committitur clerico, ad beneficium curatum dioeceseos ab alio inferiore praelato per institutionem collativam tituli promoto. Cfr. *Const.* Ben. XIV « Apost. ministerium » *30 maii 1753.* Eam, ut patet, concedere potest episcopus exclusive, iique praelati episcopo inferiores, qui potestatem habent quasi episcopalem in clerum et populum sibi subiectum. Vicarius etiam capitularis et generalis (etiam sine speciali mandato, cfr. Gonzales *in c. 4 tit. 23 lib. I Decr.*) eam concedunt, quum sit actus necessitatis, non liberalitatis. Ad eam concedendam praemittere debet episcopus examen promoti. Conc. Trid. *sess. VII. c. 13 de ref., sess. XXIV. c. 18 de ref.*

De institutione corporali. — Alia est species institutionis, institutio, videlicet *corporalis*, quae etiam institutio *realis* et *investitura* dicitur. Ea nihil aliud est, quam immissio clerici, cui iam datus fuerit titulus beneficii cum iure in re, in actualem possessionem beneficii a competente superiore ecclesiastico canonice facta. — Hanc institutionem laici concedere nequeunt; recensetur enim inter res spirituales. *c. 1 tit. cit. X.* (*I. 23*). Sed eam concedit episcopus per se (cfr. *c. 28 de praebendis etc.* [*III. 4*] *in 6°*), vel per suum vicarium generalem (qui ad eam procedere potest etiam sine speciali mandato, *c. 7 tit. cit. X.* [*I. 23*]), vel per quemcumque alium clericum ab ipso delegatum. *S. C. EE. RR. 14 apr. 1890.* Si autem agatur de beneficiis, quae ab ipsa

S. Sede conferuntur, ex stylo curiae committi solet alicui praelato vel vicario generali episcopi, vel canonico antiquiori aut duobus antiquioribus canonicis capituli. Santi *loc. cit. n. 27.* Potest autem quis institutionem corporalem beneficii vel per seipsum sumere, vel per procuratorem etiam laicum, qui habeat speciale mandatum. Cfr. *cap. 17 tit. cit.* (*III. 4*) *in 6°*.

Tempus, intra quod immitti quis debeat in beneficium, non est praescriptum a iure; solummodo resignatarii debent in beneficia immitti intra tres menses a die provisionis sibi factae. *Const.* Greg. XIII « Humano vix » *a. 1587.*

Ritus quoque, quo immissio in beneficium conceditur, non est praescriptus, sed servandae sunt consuetudines locorum. Zallinger *in tit. 7 lib. III Decr.* § *120.*

Nemo autem propria auctoritate possessionem beneficii apprehendere potest, ac si electus id faciat ante confirmationem, eo ipso privatur omni iure per electionem quaesito. *c. 5 tit. cit.* (*III. 4*) *in 6°*. Huc spectat excommunicatio lata in eos, qui, suffragante populo, ad parochi sive vicarii officium electi audeant sive ecclesiae, sive iurium ac bonorum praetensam possessionem arripere, atque obire munia ecclesiastici ministerii; quod factum est per decretum 23 maii 1874 specialiter editum pro provinciis veneta et mediolanensi. — Quoad effectus institutionis corporalis, vid. *Beneficiatus, Possessio.*

Quod spectat ad adeptionem iurisdictionis delegatae, Vid. *Delegatio.*

Bibliographiam quaere sub *Beneficium.*

Instrumenta. — Pro instrumentorum collatione in ordinatione, Vid. *Presbyteratus.* — De indulgentiis applicandis instrumentis pietatis, Vid. *Indulgentia.*

Insula. — Ex alluvione aliquando 2496
fit, ut immutante flumine cursum suum ordinarium, seu hunc cursum in duos rivos scindente, aqua agrum alicuius ingrediens agri partem ex integro agro scindat vel divellat. Tunc patet, insulam in illius proprietate manere, cuius erat et est totus ager. Aliquando autem insula enascitur ex eo, quod flumen siccam relinquit partem sui alvei. Tunc, si insula enascitur in medio flumine, eorum est, qui possident ad utramque ripam, non quidem pro indiviso, sed pro fronte seu pro latitudine frontis cuiusque fundi, quae ad ripam est. Si vero insula enascitur cis aut ultra medium amnem, tunc, si sit contra frontem unius praedii, cui propior est, tota fit domini istius praedii; si vero opposita sit fronti plurium, fit communis eorum omnium, qui secundum eam ripam habent praedium, prouti porrigitur insula. Cfr. Inst. Iust. *de rerum divisione* (*II. 1*) § *22; ll. 29. 30. de acquirendo rerum dom.* § *2 D.* (*XLI. 1*); B. P. *III. 121.* Hae sunt dispositiones etiam iuris nostri, si agatur de flumine aut torrente non navigabili, vel qui apti non sunt ad vehendas merces. *C. C. aa. 458 sqq.* Insulae vero, quae enascuntur in flumine aut torrente navigabili, Statui cedunt, nisi habeatur titulus aut praescriptio in contrarium. *C. C. a. 457.* Vide *Alluvio, Avulsio.*

Integritas confessionis. — Quid et 2497

quotuplex integritas confessionis. — Integritas confessionis alia materialis, alia formalis; formalis consistit in ea peccatorum accusatione, quae, spectatis adiunctis, hic et nunc fieri potest et debet; materialis sita est in accusatione omnium peccatorum mortalium nondum per absolutionem remissorum. B. P. *V. 205.*

2498 **Quaenam integritas ad confessionem sit necessaria.** — Integritas formalis necessaria est ex praecepto divino (Conc. Trid. *sess. XIV de poen. c. 5 et can. 7*); integritas materialis non (Conc. Trid. *l. c. c. 5*), imo aliquando impossibilis (S. Alph. *VI. 479*); ad eam habendam praerequiritur diligens examen de peccatis. S. Alph. *VI. 471.* Vid. *Examen conscientiae.*

Accusandae sunt species etiam infimae peccatorum (cfr. *prop. 24. 25 damn.as ab Alex. VII decr. diei 24 sept. 1665*) et numerus certus, vel certo approximans. Lugo *de poen. disp. XVI num. 78.*

Formula *circiter seu plus minus* addita numero expresso peccatorum, habet maiorem vel minorem latitudinem iuxta proportionem numeri expressi. Cfr. Lugo *de poen. disp. XVI n. 97;* D'Ann. *III. 304.* Si postea numerus certus peccatorum reperiatur, eorumque numerus notabiliter excedat numerum approximative accusatum, excessus accusandus est. S. Alph. *VI. 478;* Lugo *de poen. disp. XVI nn. 78. 81;* B. P. *V. 206.* — Melior est praxis confessariorum exquirentium de lapsibus per dies, hebdomadas, menses etc. B. P. *V. 207.*

Accusandus est etiam actus externus peccati, si adfuit, qui ab actu interno moraliter differt (D'Annibale *III. 303;* G. B. *II. 301*); sed effectus peccati verius non est accusandus, nisi secus non intelligeretur peccatum commissum; iubemur enim peccata, non peccatorum effectus accusare. Lugo *de poen. disp. XIV. n. 440;* B. P. *II. 510. sqq.*; G. B. *II. 302.* Hoc autem est discrimen inter actum externum peccati et effectum peccati, quod ille cum actu interno unum peccatum constituit, iste consequitur totum peccatum interne et externe completum. B. P. *V. 231.*

De peccatis dubiis. — Peccata gra- 2499
via dubie commissa (S. Alph. *VI. 473;* Sanchez *in dec. lib. I. c. 10. n. 76;* Suarez *de poen. disp. XXII. s. 9. n. 6*); vel certo commissa, sed dubie gravia (B. P. *V. 223 sqq.*), non sunt per se necessario accusanda, melius tamen accusantur (B. P. *V. 224*); gravia certo admissa, dubie tamen accusata, accusanda sunt, si dubium est negativum, non vero probabilius in dubio positivo, seu quum positiva et gravis ratio suadet, peccatum fuisse declaratum. S. Alph. *VI. 477;* B. P. *V. 225;* Bucc. *II. 1235.* Cum poenitentibus post diligentes confessiones, multo magis post confessionem generalem, semper dubitantibus num hoc vel illud peccatum declaraverint, confessarius, postquam bis, ter vel quater audierit cum patientia, optime aget, si illis prohibeat, ne de vita anteacta recogitent amplius, nec quidquam addant, nisi certissimi sint et iurare possint, se grave illud peccatum numquam confessos fuisse. Croix *Th. mor. lib. VI. p. 2. n. 612;* B. P. *loc. nuper cit.;* D'Ann. *III. 306.*

Confessus peccatum dubium ut tale, probabilissime et verius non tenetur illud repetere, quando illud ut certum cognoscit. Lugo *de poen. disp. XVI. num. 92;* B. P. *V. 226 sqq.*

De circumstantiis peccatorum, vid. *Circumstantiae.*

Peccata certo gravia, ex oblivione inculpabili omissa, si in memoriam redeunt, accusari debent in prima futura confessione (cfr. *propos. 11am damn. ab Alex. VII decr. diei 24 septemb. 1665*), non vero quamprimum (Bonacina *de sacr. disp. V. q. 5 sect. 2 p. 4. n. 32*), nec ante communionem.

2500 **Practicum notandum.** — Quoad integritatem autem confessionis valde iuvat, confessarium prae oculis habere id, quod sapientissime tradit Lugo *de poenit. disp. XVI. n. 594:* « Notandum... etiam est, quod levius et minus exacte interrogandus est circa singula, qui plura habet peccata, quam qui pauciora. Ratio colligitur ex dictis; quia quum solum requiratur diligentia et examen humanum, hoc autem sit illud, quod non generat ex se fastidium et taedium huius sacramenti, consequens est, ut minus distincta notitia requiratur ab eo, qui propter... peccatorum multitudinem... difficilius posset exactam notitiam reddere. Nam illi, qui confiteri debet peccata totius vitae, quam in omni peccatorum genere expendit, difficillimum esset et aptum ex se ad reddendam illi confessionem odiosam et gravem nimis illud examen, quod alteri facienti confessionem menstruam non esset difficile, sed facile. Et haec est ratio, cur a meretrice et concubinario et similibus minus exacte et distincte petamus numerum peccatorum, quam si per mensem vel hebdomadam solum v. gr. in eo peccato fuissent; quia nimirum diligentia, quae pro peccatis unius hebdomadae distincte confitendis sufficeret, eadem, si pro longo tempore examinando adhiberetur, difficultatem et molestiam ingereret talem, ad quam praeceptum confessionis integrae non obligat, quia redderet praeceptum ipsum et confessionem nimis molestam et gravem ».

De causis excusantibus ab integritate servanda.— Dantur *causae excusantes* ab integritate materiali, quae sunt: infirmitas extrema, defectus loquelae (Salmanticenses *Th. mor. tr. VI. c. 8. n. 115;* B. P. *V. 233 sqq.*) vel temporis (ut puta in casu conflictus vel naufragii [S. Alph. *VI. 486*]; non tamen in casu magni concursus, cfr. *prop. 59am damn. ab Innoc. XI decr. diei 2 martii 1679*), periculum vitae (sive confessarii sive poenitentis, ut si tempore contagii periculum certum sit, ne confessarius inficiatur, vel si timendum sit, ne secus poenitens graviter infirmus deficiat, S. Alph. *VI. 484*), vel famae (ut si deberet audiri valde longa confessio ab infirmo, cui delatum est viaticum, et hoc astantibus admirationi esset, S. Alph. *VI. 260. 484*), vel revelationis (Suarez *de poenitentia disp. XXIII sect. 2. n. 2;* B. P. *V. 247*) vel etiam scandali seu lapsus (B. P. *V. 248*). 2501

Nota tamen, incommodum, quod ab integritate materiali excusat, semper debere esse necessario incommodum aliquod extrinsecum, et non per

se connexum cum natura confessionis; hoc enim incommodum confessioni intrinsecum et per se annexum numquam excusat. B. P. *V. 249.*

Illum, qui nequit mortale confiteri absque manifestatione complicis, teneri generatim, non tamen sub gravi, alium confessarium quaerere docent plerique theologi; si vero id fieri nequeat, an ad peccatum confitendum teneatur, controvertunt. Quoad hoc autem dicendum videtur cum Berardi (*Praxis confessariorum p. 958*), exceptis casibus, in quibus complex propter criminis enormitatem aliasve specialissimas circumstantias modo extraordinario aegre ferat, quod talis vel talis confessarius eius crimen resciat, et sine incommodo gravi (quod haberetur, si secus poenitens cogeretur tempore notabili, forte etiam triduo, in statu peccati mortalis permanere, vel etiam si quando molestum alicui esset conscientiam suam alteri, quam ordinario confessario suo aperire) alius confessarius quaeri posset, practice non adesse obligationem quaerendi confessarium, cui complex sit ignotus, et peccatum integre esse accusandum. Cfr. etiam D'Annib. *III. 305* (*35*). Vid. *Complex,* ubi etiam an possit confessarius petere nomen complicis in confessione. Vide etiam *Interpres.*

2502 **Alia notanda.** — In confessione mentiri mortale est tunc tantum, quum mendacium versatur circa materiam necessariam confessionis sine iusta causa celatam. S. Alph. *Hom. ap. tr. XVI. n. 28.*

Patet autem numquam teneri aliquem confiteri quamprimum ob periculum, ne sibi aliquod peccatum excidat. Lugo *XV. 41.*

Bibliographiam quaere sub *Confessarius, Confessio.*

Intentio. — Intentio est actus vo- 2503
luntatis in aliquem finem tendentis, S. Th. *1. 2. q. 12. a. 1.* Est multiplex; actualis, virtualis, habitualis, interpretativa, absoluta, conditionata etc. Cfr. G. B. *II. 14.*

Actualis intentio ea est, quae secundum suum esse actum, qui ponitur, comitatur.

Virtualis vero intentio in eo, qui nunc quidem non attendit, quia mens ad alia divertit, agit tamen ex antecedente rationali attentione ac proposito.

Habitualis demum intentio in eo est, qui aliquando aliquid voluit nec umquam retractavit, nunc autem neque virtualiter neque actualiter ex eo proposito rationali operatur.

Alii addunt interpretativam, quae nullo modo intentio est, quum habeatur in eo, qui aliquid vellet, quibusdam circumstantiis positis, quae non adsunt, quod proinde non vult. Laymann *Th. mor. tr. I. c. 5. n. 11;* D'Ann. *I. 135.*

Dividunt etiam intentionem in absolutam, conditionatam, directam, indirectam; expressam, tacitam; quae omnes divisiones quo redeant vide sub *Voluntarium.*

Actualis, ut ex dictis patet, recte prorsus dicitur intentio, et vere est principium humani actus; item virtualis, quum actus ab ea initium vere sumat et procedat virtute et impulsu intentionis antea habitae. Habitualis vero relate ad actionem (non vero ad

passionem, quia tunc sufficit voluntas semel habita nec retractata, ut in eo, qui baptizatur amens vel dormiens) ne nomen quidem intentionis meretur. D'Ann. *I. 135.*

Ad satisfaciendum legi positivae oportet habere intentionem faciendi rem praeceptam, non autem praecepto satisfaciendi. S. Th. *1. 2. q. 100. a. 9;* S. Alph. *I. 163;* D'Ann. *1. 116.* Vid. *Lex.*

Ad validam confectionem sacramenti requiritur in ministro intentio saltem virtualis (S. Alph. *VI. 18;* cfr. *prop. 28am damn. ab Alex. VIII decr. diei 7 dec. 1690*) faciendi id, quod facit ecclesia (Conc. Trid. *sess. VII; de sacr. in gen. can. 11*) non necessario romana, sed vera (S. Alphons. *V. 21*), etiamsi ex errore putaret suam heterodoxam veram; imo valide conficit, etiamsi non habeat intentionem explicitam faciendi sacramentum et putet sacramentum nullum habere effectum in anima. S. Th. *3. q. 64. a. 9. ad 1um.* Exinde s. Congr. s. Officii interrogata an dubium esset baptisma ab haereticis collatum, qui expresse monebant baptizandos illud nullum habere effectum in anima, sed esse signum mere externum aggregationis ecclesiae Christi, quamvis formam et materiam rite applicarent, respondit: « Negative, quia non obstante errore quoad effectus baptismi, non excluditur intentio faciendi quod facit ecclesia ». *S. U. I. in una vic. ap. Oceaniae centr. 18 dec. 1872.* Si sacramentum conferatur cum conditione de futuro contingente (excepto matrimonio, quippe contractus est), non valet, quia, quum materia et forma applicantur, deest intentio ministri; quum purificata conditione adesset intentio, deesset applicatio praesens materiae et formae. Suarez *de sacram. in genere disp. XIII sect. 3. n. 7 sqq.*; B. P. *IV. 666.*

Quaenam intentio requiratur ad lucrandas indulgentias vide sub *Indulgentia.*

Interdicti. — Interdicti *civiliter* ii dicuntur, qui iudicis sententia incapaces declarantur actus civiles exercendi. Quare invalide contrahunt. *C. C. a. 335.* Cessat vero interdictio, cessante eius causa, sed declarari debet a iudice. *C. C. a. 338.* Nullitas contractuum ab his initorum non potest opponi ab iis, qui cum illis contraxerunt. *C. C. a. 335.* 2504

Interdictum. — De natura, causa et divisionibus interdicti. — Interdictum ecclesiasticum est prohibitio, qua prohibetur usus (quatenus usus est et omnibus fidelibus communis; Suarez *de censuris disp. XXXII sect. 1. n. 4*) divinorum officiorum, aliquorum sacramentorum, et sepulturae ecclesiasticae. Suarez *l. c. n. 3.*; B. P. *VII. 385.* 2505

Hinc interdictum non removet a communione fidelium, nec adimit iurisdictionem. B. P. *VII. 382.*

Interdictum est multiplex, personale, locale, mixtum.

Personale illud est, quod praedictum usum prohibet certis personis.

Locale illud, quod praedictum usum prohibet quibusdam in locis.

Mixtum vero illud, quod ita personae adhaeret, ut quaecumque loca ea ingrediatur, interdicta maneant. D'Ann. *1. 369.*

Dividitur etiam in generale et speciale.

Generale illud est, quod afficit totam quamdam communitatem (generale personale) aut regionem (generale locale).

Speciale vero illud, quod afficit vel certam quamdam personam (speciale personale) vel certum quemdam locum (speciale locale). Génicot *Th. mor. II. 622.*

Interdictum autem aliquando est censura, aliquando est poena, aliquando est privatio tantum. Interdictum personale speciale et poena et censura est; imo ipsum tantum habet rationem censurae, excepto mixto, quatenus specialem aliquam personam afficit, quod etiam censurae vim habet. B. P. *VII. 383;* D'Ann. *Comm. in const. « Ap. Sedis » n. 213.* Interdictum personale generale et interdicta localia, neque censurae sunt, neque poenae, sed privationes tantum. D'Ann. *l. cit. n. 212.*

Non potest ferri nisi ob gravem culpam (Suarez *de censuris disp. XXXVI. sect. 3. n. 1 sqq.*), quae pro interdicto locali et generali sufficit si sit culpa capitis communitatis vel praecipuorum membrorum eius. *c. 16 tit. cit.* (*V. 11*) *in 6°.* Interdictum, quod sit censura, appellatione non suspenditur (*arg. c. 53 de appellat. X.* [*II. 28*]); interdictum, quod est tantum poena, appellatione suspenditur.

2506 **De ambitu et effectibus interdicti.** — Generale non cadit nisi in personas vel loca designata; latum sine limitatione in aliquod totum, omnes eius partes afficit (cfr. B. P. *VII. 386*); latum in certa loca, afficit etiam suburbia vel aedificia contigua. *c. 17 de sent. excomm. etc.* (*V. 11*) *in 6°.*

Eius effectus sunt: prohibitio a divinis officiis (*c. 43 de sent. excomm. etc. X.* [*V. 39*]); idest a missa, cantu horarum, etc.; ab administrandis et recipiendis sacramentis eucharistiae (excipitur viaticum pro moribundis *c. 11 de poenitent. etc. X.* [*V. 38*]; Schmalzgrueber *in tit. 39 lib. V Decr. n. 354*; B. P. *VII. 392*), ordinis (B. P. *loc. nuper. cit.*) et extremae unctionis (*c. 11 de poen. etc. X.* [*V. 38*], quae tamen verius ministrari potest moribundis, qui confiteri non possunt, B. P. *loc. nuper cit.*; in interdicto, quod contra civitatem Adriensem ad quindecim dies latum est, permissum est infirmis omnia sacramenta conferre, cfr. *decr. S. C. Cons. 30 sept. 1909*); a sepultura ecclesiastica, *c. 11 de poenit. etc. X.* (*V. 38*).

Nota tamen, quod in locis generaliter interdictis « hodie licet clericis quotidie sacrum facere et alia divina officia obire, sicut prius; sed non pulsatis campanis, ianuis clausis, et voce submissa, exclusis excommunicatis et interdictis. In ecclesia vero specialiter interdicta licet semel in hebdomada sacrum facere ad renovandam eucharistiam (intellige, ut puto, si sit parochialis), ne forte desit morituris ». D'Ann. *I. 374.*

Interdicto personali generali et interdictis localibus tenentur innocentes quoque. Cfr. *c. 11 de spons. etc. X.* (*IV. 1*); *c. 16 tit. cit.* (*V. 11*) *in 6°.* Attamen his interdictis stantibus, clericis, qui viventes servaverint interdictum, omnibusque, qui nomine clericorum veniunt in iure, permittitur

dari ecclesiasticam sepulturam, non tamen solemniter, ac proinde absque sonitu campanarum et consuetis divinis officiis. B. P. *VII. 393.*

Nota etiam, quod, si contra legem interdicti, interdictus sepeliatur in loco sacro, non est exhumandus, quia hoc nullibi cavetur in iure, quemadmodum fit pro excommunicatis. B. P. *loc. nuper cit.*

Hoc quoque animadvertendum est, interdicta generatim tum personalia, tum localia, cessare in festivitatibus Natalis Domini, Paschae, Pentecostes, Assumptionis B. M. V. (*c. 24 tit. cit.* [*V. 11*] *in 6°.*, et in solemnitate Corporis Christi ac in eius octava. *Constitutio* Mart. V. «Ineffabile sacramentum» *26 maii 1429;* Reiffenstuel *in tit. 39 lib. V Decr. n. 211.*

Violantes interdictum ordinarie graviter peccant (B. P. *VII. 395*), et, si sint clerici, et non obstante interdicto, quod sit censura, exerceant functiones sacras, vel si eas exerceant in loco interdicto, irregularitatem incurrunt. *c. 20 tit. cit.* (*V. 11*) *in 6°:* B. P. *VII. 395.*

2507 **De interdicto ab ingressu ecclesiae.** — Interdictum *ab ingressu ecclesiae*, prohibet in ecclesia ordinem sacrum exercere, divinis officiis interesse, et ecclesiasticam sepulturam habere; non vero probabilius in ecclesia privatim orare et sacramenta recipere, ac proinde etiam in oratorio privato divina obire, eisque interesse. Schmalzgrueber *l. c. n. 387;* B. P. *VII. 394;* D'Ann. *I. 375.*

S. Antonini De interdicto; *Calderini I.* Tr. de interdicto; *Ugolini B.* Tr. de excomm., suspens., interdicto etc.; *Alterii M.* De censuris; *Bocatius* De interdicto; *Goldschmidt J.* Die charakterist. Unterscheidungsmerkmale d. allg. u. besond. örtl. Interdikts; *Kober* Das Interdict; Fontes et reliquam bibliographiam quaere sub *Censura, Excommunicatio, Poena.*

Interni actus. — Interni actus ii 2508
sunt, qui nec per accidens necessario coniunguntur cum actu externo.

Quoad potestatem ecclesiae circa actus internos in foro externo haec sunt notanda:

a) Ecclesia potest ius divinum, praecipiens aliquando actus aliquos internos (actus fidei, spei etc.), authentice declarare (cfr. *prop 10am et 11am damn. ab Inn. XI decr. diei 2 mart. 1679*);

b) potest etiam ipsa indirecte praecipere actum mere internum, qui sit quodammodo forma exterioris actus, qui cadit sub eius potestate, ut praescribere legitimam intentionem iis, quibus sacramenta administrare iniungit (*cap. 9 de celebr. miss. etc. X.* [*III. 41*]; Suarez *de leg. IV. c. 13. n. 6.*; cfr. *prop. 14am damn. ab Alex. VII decr. diei 24 sept. 1665 et prop. 55am damn. ab Inn. XI decr. diei 2 mart. 1679*);

c) sed actus mere internos in foro externo praecipere nequit, quia actus mere interni societatem christianam, qua societas est, nullo modo attingunt. Cfr. *cap. 34 de simonia X.* (*V. 3*); S. Th. *1. 2. q. 91. a. 4., q. 100. a. 9;* Wernz *Ius Decr. Introd. tit. IV. n. 98.* Dictum est in foro externo, quia in foro interno aliud est, sed in hoc ecclesia procedit iurisdictione vicaria, non propria; est

enim potius forum Dei, quam forum ecclesiae.

Hinc actus mere interni ne poenae quidem ecclesiasticae subduntur, et si quando in iure dicuntur ex. gr. excommunicari credentes haereticis, intelligendum est de illis, qui suam hanc haereticis adhaesionem externe aliquo modo (quamvis occulte) manifestant. Salmanticenses *Th. mor. tr. X cap. 1. n. 136 sqq.*; D'Ann. *l. 200* (*9.*).

2509 **Interpres.** — Interpres adhibitus in confessione peragenda tenetur ad sigillum. S. Alph. *VI. 647*; D'Ann. *III. 361.* Ignari idiomatis loci non tenentur confiteri per interpretem, sed sufficit, ut confiteantur signis generalibus, nisi confessarium sui idiomatis illic invenire possint. B. P. *V. 234.* Circa hoc quaedam sunt responsiones Sacr. Congregationum hic referendae. Scilicet quaesitum est: « Utrum in regionibus longinquis catholicus, multis annis inconfessus, signis dumtaxat ob idiomatis defectum petens absolutionem possit absolvi absque ope interpretis ». Et responsum est: « Non opus esse interprete in casu proposito, sicut etiam posse et debere absolutionem peccatorum impertiri exhibenti signa, quae potest..., dummodo sufficiant ad exprimendum aliquod peccatum in specie. In casu vero, quo quis conatur, quantum potest, exhibere signa peccatorum in specie, nequeant autem omnino intelligi, absolvi posse per solam manifestationem peccatorum in genere ». *S. U. I. 28 febr. 1633.*

Praeterea declaratum est: « Missionarii cum poenitentibus, quorum idioma ignorant, agentes, hortentur illos adhibere interpretem, per quem confiteantur omnia peccata; quod si hoc nollent, saltem confiteantur aliqua per interpretem et reliqua per nutus et signa, quantum possunt; quod si nulla velint per interpretem confiteri, confiteantur per signa omni meliori modo, quo poterunt, sicut fit in mutis. Sed missionarii curent addiscere, de unaquaque lingua inibi usuali, illa pauca verba, quae sunt necessaria ad explicanda praecipua peccata ». *S. U. I, 10 febr. 1668.*

Haec autem edixit Clemens IX *Const.* « In excelsa » *13 sept. 1669,* confirmans praescripta iam ab Alexandro VIII *Const.* « Sacrosancti apostolatus » *18 ian. 1658:* « Ut autem radicitus evellatur abusus, qui in praedictis regionibus (Goae et in adiacentibus insulis), ut praefertur, irreperit, excipiendi confessiones per interpretem, aut lecto poenitenti catalogo peccatorum, ut nutibus innuat, si quae fuerint ab eo commissa, distincte praecipitur vicariis capitularibus (graviter etiam onerando conscientiam ipsorum regularium, et quorumcumque, ad quos pertinet) ut in posterum id nullo modo permittant, sed ab iis tantum audiantur confessiones, qui illius idiomatis sensum sufficienter percipiunt, et ad ipsorum numerum pro rei exigentia augendum, promoveantur omnino sacerdotes seculares eius regionis ad confessiones fidelium patrio idiomate excipiendas. »

Tandem habemus aliud decretum S. Congr. de Prop. Fide scilicet: « Quamvis, docente Concilio Tridentino, nullo sit divino praecepto man-

datum, nec satis consulta lege aliqua humana praecipi possit, ut delicta, praesertim secreta, publica confessione aperiantur, tamen visum est patribus deputatis, eidem sanctae Synodo inhaerentibus, eos, qui volunt sponte per interpretem confiteri, non debere per vicarium apostolicum Constantinopolitanum prohiberi: cui sufficiet praecavere abusus et scandala, et curare, ut interpres admoneatur de obligatione ad observantiam secreti ». *S. C. P. F. 6 sept. 1630, 19 iul. 1838.*

Interpres, qui in confessione sollicitaret poenitentem, non esset denunciandus vi pontificiarum constitutionum sollicitantium denunciationem praescribentium. *S. U. I. 11 febr. 1661.*

2510 **Interpretatio.** — Interpretatio legis est genuina eius explicatio iuxta mentem legislatoris. Cfr. Fagnanum *in c. 13 tit. 2 lib. 1 Decr. n. 19.* - Est multiplex:

Alia authentica, quae fit auctoritate illius, qui potest legem condere (ut unde ius prodit, interpretatio quoque procedat, *c. 31 de sent. excomm. etc.* [*V. 39*]; cfr. *ll. 9. 11 de legibus etc. C.* [*I. 14*]; Suarez *de legibus lib. VI. c. 1. n. 1*), et est instar legis; sed non indiget promulgatione, quum non sit nova lex, et valet retrorsum (cfr. *l. 3 de pactis pign. C.* [*VIII. 35*]; Fagnanum *in cap. 10 tit. 50 lib. III Decr. n. 2*) nisi sit coarctans vel extensiva legis exsistentis. Reiffenstuel *in tit. 2 lib. I Decr. n. 374.*

Alia est doctrinalis, quae fit a viris doctis (Suarez *l. c. n. 5*).

Alia demum usualis, quae ex consuetudine fit, quippe consuetudo est optima legum interpres. Cfr. *c. 8 de consuetudine X.* (*I. 4*) Vide *Consuetudo.*.

Hic quaedam dicenda sunt de doctrinali interpretatione.

Doctrinalis interpretatio vim legis non obtinet, sed non levem habet auctoritatem. Suarez *l. c. n. 5.* Sunt autem quaedam generales regulae interpretationis doctrinalis:

a) Sensus legis ex eius verbis erui debet, quare ubi verba non sunt ambigua non est locus interpretationi (Reiffenstuel *l. c. n. 384*); verba autem generalia generaliter sunt intelligenda (cfr. *c. 24 de privilegiis etc. X.* [*V. 33*]; Reiffenstuel *l. c. n. 398*), nam ubi lex non distinguit nec nos distinguere debemus (*arg. ex l. 8 de publiciana in rem act. D.* [*VI. 2*]; *l. 9 de iuris et facti ignor. D.* [*XXII. 6*]), et hoc tam in favorabilibus quam in odiosis. Cfr. *c. 1 de sent. excommun. etc. X. (V. 39).*

b) Verba autem communi et usitata significatione sumenda sunt. *arg. ex l. 69 de legatis etc. III. D. (XXXII tit. un.)*; Reiffenstuel *l. c. n. 390*; Suarez *l. c. n. 7.*

c) Remanente dubio de sensu verborum, attendendum est ad intentionem legislatoris, seu ad rationem legis (cfr. *c. 11. C. XXII. q. 5.*; *l. 17 de legibus etc. D.* [*I. 3*]); non enim debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni. *Cit. c. 11. C. XXII. q. 5.* Attamen « in re dubia melius est verbis edicti (seu legis) servire ». *l. 1. § 20 de exercitoria actione D.* (*XIV. 1*).

Attendenda etiam est analogia cum aliis iuris dispositionibus circa eam materiam; hinc regulae « ubi eadem ratio, ibi eadem iuris dispositio »

(cfr. Reiffenstuel *l. c. n. 410*), et « de similibus idem est iudicium » (cfr. *c. 3 tit. cit. X.* [*1. 2*]).

Spectanda quoque est cohaerentia cuiusdam specialis legis cum spiritu totius legislationis. Hinc aliae regulae: « exceptio a lege firmat regulam in aliis » (cfr. *Glossam in l. 15 de legibus D.* [*I. 3*]), et « in omnibus causis, potior esse debet ratio aequitatis, quam stricti iuris » (*l. 8 de iudiciis C.* [*III. 1*]; *cfr. reg. 90 iuris D.* [*L. 17*]).

Attendenda vero ante omnia est materia legis, an videlicet lex sit favorabilis vel odiosa; nam « odia restringi, favores convenit ampliari » (*reg. 15 iuris in 6°*), et « in poenis benignior est interpretatio facienda » (*reg. 49 iuris in 6°*).

Notanda etiam est alia regula (*reg. 28 iuris in 6°*): « quae a iure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda ». Cfr. etiam *reg. 74 iuris in 6°*.

d) Demum advertendum est id, quod tradit Zallinger (*in tit. 2 lib. I Decr. n. 194*) in omni nempe interpretatione maxime evitanda haec esse: 1° absurdum seu vitium et peccatum; 2° singulare aliquod praeiudicium tertii; 3° contrarietatem legum; 4° inutilitatem legis, si quis ita legem interpretaretur, ut nullum amplius haberet effectum; nam, ut ipse Zallinger (*l. c.*) ait, acute quis scripsit, nullam adhuc nominatam esse interpretationem annihilativam legis. Cfr. Suarez *de legibus l. VI per octo priora capita*; Reiffenstuel *in tit. 2 lib. I Decr. § XV. XVI. XVII*; Aichner *Comp. iur. eccl. § 209*; Wernz *Ius Decr. Introd. tit. IV. n. 127 sqq*: De Luca Mar. *Prael. iur. can. Introd. sect. V. c. 1. art* D'Ann. *I. 184 sqq.*; Laurentius *Inst. iur. eccl. n. 290.*

Bibliographiam quaere sub *Lex*.

Interrogatio. — Interrogationes facere tenetur confessarius, mediocri cum diligentia, circa speciem et numerum peccatorum, nec non occasiones proximas, quoties prudenter censet, eas non declarari sufficienter. Lugo *de poenit. disp. XVI. n. 589 sqq.* Debent autem esse moderatae, discretae, et opportunae; praesertim in materia luxuriae, in qua servanda est omnino regula, multo melius esse in pluribus ratione integritatis deficere, quam in uno superabundare. Rit. rom. *tit. III. c. 1. n. 16*; Lugo *l. c. n. 595*; B. P. *V. 588*. Confessarius interrogare generatim non potest poenitentem de nomine complicis. Vide *Complex*. 2511

Interruptio. — ***De abruptione et interruptione missae.*** — De abruptione. — Missam abrumpere ita, ut nempe sacrificium incoeptum remaneat imperfectum, numquam licet, nisi in extrema necessitate, idest tunc quum sacerdoti sacrificanti physice aut moraliter impossibile sit sacrificium complere. Cfr. Rubr. gen. miss. *de defect. tit. X.* Huiusmodi esset casus inopinati et gravis morbi in sacerdote, incursus hostium, improvisae alluvionis vel ruinae loci etc. S. Alph. *VI. 252*. 2512

Missam abrumpere ante consecrationem minus gravi de causa licet; ut, si quis recordetur, se non esse ieiunum, vel letali inquinatum aut censura innodatum esse (dummodo exinde non sequatur scandalum, B. P. *IV, 1062*), vel si ecclesiam ingredia-

tur excommunicatus vitandus, qui nequeat expelli. In hoc postremo casu, si nondum canon incoeptus est, missa est omnino abrumpenda; si canon fuerit incoeptus, potest sacerdos missam vel abrumpere, vel usque ad communionem prosequi, solo ministro manente, ceteris abeuntibus. B. P. *VII. 260.*

In casu vero, quo sacerdos morbo correptus missam prosequi non posset, si nondum facta fuerit consecratio, nihil est supplendum (Croix. *Th. mor. lib. VI. n. 547*); secus perficienda est missa ab alio sacerdote, etiam non ieiuno (De Herdt *Sacr. lit. praxis II. 169*), imo et excommunicato, aut irregulari (B. P. *IV. 1062*). si desint alii, et is possit sine gravissimo incommodo.

Sacerdos supplens debet missam inchoare, ubi alter desiit, si hoc ipsum scire potest; et si sacerdos infirmus possit communicare, debet sacerdos supplens hostiam dividere, eiusque partem infirmo praebere, aliam ipse sumere. Rubr. gen. miss. *l. c. n. 3.* Dicunt autem generaliter, sacerdotem, qui missam perficiat, quaerendum esse et exspectandum vel per septem saltem horas (Tamburini *Method. celebr. miss. lib. II. c. 8. § 1. n. 7*), vel per duas horas aut unam tantum (Gobat *Th. exp. tom. 3. n. 806*), aut usque ad meridiem seu ad tempus aptum ad celebrandum (Ben. XIV *de sacr. miss. lib. III. c. 14. n. 8*); quia secus, dicunt, non habetur amplius continuatio unius sacrificii. Quae ratio parum convincit, quia ratio unitatis est a parte rei. B. P. *IV. 1062.*

Omnes autem conveniunt, quod si ipse sacerdos infirmus aliquatenus convalescat, ita ut ipse missam prosequi posset, idipsum facere posset etiam post longum tempus, et etiamsi non esset amplius ieiunus (B. P. *loc. nuper cit.*), idque melius esset, quam suppleri ab alio. S. Alph. *VI. 335.*

De interruptione. — Non solum 2513
abrumpi, sed ne interrumpi quidem missa potest sine causa; et interruptio modica veniale, notabilis (ut esset iuxta Quarti *Lit. p. 2. tit. 3. d. 1* etiam interruptio unius quadrantis) letale peccatum est. De Herdt *l. c. II. 177.*

Plures tamen dantur causae legitimae ad interrumpendam missam, ut ad concionem post evangelium (S. Alph. *VI. 352*); vel ad hoc ut vota religiosa emittantur vel renoventur (*S. R. C. decr. gen. 14 aug. 1894* [*3836*], *5 iun. 1896* [*3912*]; vid. *Renovatio votorum*); vel ad hortandos fideles mox communicaturos, praesertim adolescentes prima vice ad s. synaxim accedentes (*S. R. C. in una ord. Min. 16 apr. 1853 ad 4* [*3009*]), sed semel tantum post sumptionem sacerdotis (*S. R. C. in Taurinen. 23 mart. 1881* [*3529*]); vel ad exonerationem necessariam (De Herdt *loc. nuper. cit.*), etc.; et praesertim ob gravem necessitatem proximi, ut si moribundus esset baptizandus vel absolvendus (S. Alph. *VI. 354;* De Herdt *loc. nuper cit.*); ad alia vero sacramenta non ita necessaria conferenda non decet missam interrumpere inter consecrationem et sumptionem, nisi moriturus esset in propinquo, nec opus esset sacras vestes exuere aut ex ecclesia egredi, vel nisi

moriturus non posset sacramentum poenitentiae suscipere ad conferendam extremam unctionem. S. Alph. *loc. nuper cit.*

Missam interrumpere, ut alicubi mos erat, ad infundendam post sumptas ablutiones et ante postcommunionem aquam in calice, quam fideles devotionis gratia domum afferant, non licet. *S. R. C. in una vic. ap. Bombayen. 4 iul. 1879* (*3501*).

Eodem modo non licet missam interrumpere ad habendas alias conciones praeter superius dictas ad explanationem evangelii et ante communionem (*S. R. C. decr. cit. 23 mart. 1881*); vel ad preces fundendas etiam pro publica necessitate (*S. R. C. in Hispalen. 16 ian. 1677 ad 9* [*1588*]; vel ad processionem agendam (Gasparri *loc. cit.*); vel ad alia huiusmodi.

De aliis interruptionis speciebus (*remissive*). — De interruptione actus voluntatis et de consequenti numerica peccatorum distinctione, vid. *Peccatum.*

— De interruptione quoad refectionem in die ieiunii, vid *Ieiunium.*

De interruptione praescriptionis, vid. *Praescriptio.*

De interruptione in horis recitandis vid. *Horae canonicae.*

Bibliographiam quaere sub *Eucharistia, Sacrificium*, etc.

2514 **Interstitia.** — Interstitia sunt intervallum temporis, quod de iure debet intercedere inter susceptionem unius ordinis et susceptionem alterius. Gasparri *de sacra ordinatione I. 500.*

Ordines minores conferendos esse per temporum interstitia docet Concilium Tridentinum (*sess. XXIII. c. 11 de ref.*); sed haec interstitia determinata non sunt. Cfr. Gasparri *l. c. n. 502.*

Quoad ordines maiores haec interstitia servanda sunt: inter postremum e minoribus susceptum et subdiaconatum (Concil. Trident. *sess. XXIII. c. 11 de ref.*), inter subdiaconatum et diaconatum (Concil. Trid. *sess. XXIII. c. 13 de ref.*), inter diaconatum et presbyteratum (Conc. Trid. *sess. XXIII. c. 14 de ref.*) unus annus (non civilis, sed ecclesiasticus, ex. gr. a Paschate ad Pascha, *S. C. C. 3 febr. 1595*) intercedere debet, nisi episcopus aliter statuat. Conc. Trid. *l. cit.* Graviter autem peccat, qui eadem die, praeter quatuor vel etiam duos minores, etiam subdiaconatum susciperet (*S. C. C. in Boven. 7 maii 1767 apud Richter Conc. Trid. pag. 200 n. 1;* cfr. etiam eamdem S. Congr. *in Calaritana 25 febr. 1728*), nisi excusaret legitima consuetudo. Fagn. *in c. 3. tit. 11. l. I. Decr. n. 41.* Absolute autem prohibetur, ne duo sacri ordines eadem die etiam regularibus conferantur. Cfr. *c. 15 de temp. ordinationis etc. X.* (*I. 11*); Conc. Trid. *loc. cit. cap. 13.*

Nota etiam quoad regulares, nisi singulare aliquod habeant privilegium, iudicium remittendi temporum interstitia non ad generales aut provinciales ordinum, sed ad episcopum tantum ordinantem pertinere, qui tamen hac in re debet quoad causas deferre iudicio et attestationi superioris regularis ordinandi. *S. C. C. 17 maii 1593, 12 sept. 1609, 24 aug.*

1686. Cfr. Conc. Trid. *ed. Richter l. c.*

Quare episcopus (et vicarius capitularis [*S. C. C. 21 apr. 1591*], imo et vicarius generalis, si habeat mandatum generale [*S. C. C. 3 apr. 1593, 7 nov. 1596*]), tum quoad clericos seculares, tum quoad regulares dispensare potest in lege interstitiorum ex iusta causa ad eius arbitrium (Gasparri *l. c. n. 505*); quae causa, si agatur de interstitiis inter acolytatum et subdiaconatum, et inter diaconatum et presbyteratum, in Concilio Tridentino (*sess. XXIII. c. 11 et 14 de ref.*) taxative determinata est, idest restricta est ad utilitatem ac (quod verbum non copulative, sed disiunctive sumendum est, *S. C. C. 3 maii 1620*) necessitatem ecclesiae (idest dioecesis). Gasparri *l. c. n. 504*. Necessitas autem ecclesiae tunc habetur, quum ecclesiae, idest dioecesi, ministri desunt; utilitas, quum in aliqua ecclesia seu dioecesi parum idonei ministri habentur, vel alia de causa ordinandus peculiarem quamdam utilitatem suae ecclasiae praebere potest. Benedict. XIV *Inst. eccl. LVIII.*

Aliquando conceditur indultum, ut quis possit recipere ordines, etiam maiores, non servatis interstitiis (quo indulto plures ordines regulares fruuntur), sed *tribus* ex. gr. *diebus festis continuis*. Quaeri potest quid intelligendum sit pro diebus festis: utrum scilicet intelligendi sint dies festi, quando nempe fit officium alicuius sancti duplex aut etiam semiduplex; an potius intelligendi sint tantum illi dies festi, qui a populo de praecepto coluntur, aut saltem colebantur ante reductionem festorum factam ab Urbano VIII. Porro huic quaestioni facilis et evidens est responsio. Semper, quando quaestio est de sacris ordinibus, locutio haec *dies festi* sumitur pro diebus, qui a populo coluntur. Et certe ex. gr. Gasparri (*de sacra ordinatione I. 52*) loquens de diebus, quibus potest quis ordinibus minoribus initiari iuxta praescriptum Pontificalis Romani, expresse dicit: diem festum non intelligi diem, qui simpliciter sub ritu duplici ab ecclesia celebratur, sed diem, qui a populo servatur, saltem ex parte, vel qui antiquitus servabatur et modo apostolica auctoritate suppressus est a catalogo dierum festorum aut in aliam diem translatus. Quod, addit ipse, probatur ex pluribus Sedis apostolicae declarationibus, et adducit Fagnanum (*in c. 3 de temp. ordin. n. 42*) citantem quamdam responsionem Sacrae Congregationis Concilii, et ipse citat responsionem Sacrae Congregationis Rituum diei 24 maii 1835 ad 4 (lege iuxta nuperrimam editionem S. R. C. in Claramonten. 16 mart. 1833 [2705]), quae in nuperrima editione ita refertur: « Quum diversae opiniones circumferantur in Concilio Claramontensi circa haec verba Pontificalis romani: " minores ordines possunt conferri in dominicis et festis duplicibus " dum alii contendunt per festa duplicia ea tantum intelligi, quae a populo feriantur, alii autem sustinent intelligi omnia duplicia sive a populo feriantur, sive non, asserentes, non distinguendum ubi lex non distinguit: ad certam in re legem stabiliendam, S. R. C. humillime datae sunt preces,

ut suam sententiam edicere dignaretur. - S. R. Congregatio... respondendum censuit: Minores ordines conferri possunt in festis de praecepto vel in festis duplicibus, quae erant de praecepto ante reductionem ». - Ex quibus patet, verba illa indulti « *tribus diebus festis continuis* » de diebus a populo feriandis et non aliter intelligenda esse, quemadmodum facile patebit cuicumque vix e limine studia iuris canonici salutavit.

Episcopus gaudens indulto conferendi ordines extra tempora (et hoc valet etiam pro interstitiis) eo uti potest etiam erga alienos subditos suorum ordinariorum dimissorias habentes. *S. C. de sacr. 15 aug. 1909.*

c. 1. D. XLVIII; cc. 1. 2. D. LIX; c. 10. D. LX; cc. 2. 3. 9. D. LXXVII; Const. Inn. XII « Speculatores » 4 nov. 1694; Conc. Trid. sess. XXIII cc. 11. 13. 14 de ref.; *Allatius L.* De aetate et interstitiis in collatione ordinum etiam apud Graecos servandis; *Pleyer* De legitima ecclesiasticorum ordinum susceptione; *Many S.* Praelect. de sacra ordinat. n. 107; *Wernz* Ius decr. II. 69 sqq. Reliquam bibliographiam quaere sub *Ordo*.

2515 **Invadentes.** — Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios civitates, terras, loca aut iura ad ecclesiam romanam pertinentia, vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iurisdictionem in eis, nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes, excommunicationem incurrunt latae sententiae R. P. specialiter reservatam. *Const.* « Apost. Sedis » *ser. 1. n. 12.*

Circa hanc excommunicationem quaedam habet clarus D'Annibale (*Comm. in const.* « *Ap. Sedis* » *n. 101*), quae multum faciunt ad praxim, scilicet: « Accessorie coercentur, qui ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebent. Et de his, qui haec praebent invadentibus, destruentibus, perturbantibus, expedita res est; de his, qui detinentibus, salebrosa. Dicam plane quod sentio; quam recte, viderint sapientes. Itaque horum duplex genus constituendum est; unum eorum, qui aliquod publicum munus exercent. Munera autem publica vel ad civium necessitates, seu utilitates, vel ad regimen tuendum pertinent, vel ad utrumque. Illa suscipere innoxium est, ceteris paribus, quia societas necare seipsam non potest: ista non item; sed quoad censuras oportet animadvertere, num quis possit his abstinere sine incommodo gravi. Demum haec sponte suscipere, vel retinere, culpa non caret, quia bonum ex integra causa; atque heic recidunt, qui cuivis militiae, civicae quoque, conscribuntur; verum quum hi parere necesse habeant, ab excommunicatione excusantur, exceptis his, qui sese dederint, quique, confectis stipendiis, sine gravi incommodo, eam deserere potuissent. Ceterum quae initio novissimae invasionis circa munera publica cauta fuerunt a SS. Urbis Congregationibus, eo spectabant, ne invasores consistere possent. Hodie igitur, usurpatione constituta, quasi rebus mutatis, accipienda erunt cum grano salis, ne, remotis ab huiusmodi muneribus publicis integris vitae fideique viris, ea occupent flagitiosissimi quique in necem religionis et civitatis, quod sa-

pienter, more suo, animadvertit cl. Ballerini (*ad Gury II. 972*). Alterum genus eorum est, qui nullum publicum munus obeunt. Hi favere intelliguntur, si retinentibus proximam, ut in possessione remaneant, operam praestent, utputa pecunia, delationibus, consiliis, scriptis, etc.; si remotam non item; veluti si eis praebeant victualia, aedes locent, inserviant, etc. At qui ab eis stant (adhaerentes) heic nullatenus pertinent, quippe hos praeterit constitutio nostra; licet eorum compitalia, male feriati, frequentent ».

Inventio. — Vid. *Thesaurus*, *Res amissae*, *Res derelictae*, *Res iactae*.

2516 **Inventores.** — Eadem ac circa ius auctorum in opera sui ingenii, circa inventorum quoque ius exstat apud doctores controversia. Inventores hic eos voco, qui ingenio suo aliquid novi excogitarunt ad meliorem seu faciliorem et commodiorem applicationem principiorum alicuius artis vel scientiae. Scilicet agitur hic de inventis artium et scientiarum, et quaeritur utrum fas sit imitari alterius inventum aut eo uti, inscio et invito auctore seu inventore. Casus esset de aliqua machina, de remedio quodam novo et de aliis huiusmodi. Porro breviter de hoc idem putamus dicendum quod de iure auctorum supra diximus (Vid. *Auctores*), proportione tamen servata. Circa quod accurate perpendenda sunt verba cl. Vermeersch (*Quaest. de iustitia n. 250*): « Ultra quam statuunt leges nequit urgeri, saltem ex iustitia, aliqua prohibitio sive vertendi librum in alterum sermonem, sive illum denuo edendi, sive imitandi quodpiam inventum. *Sal-tem ex iustitia*, inquam; nam artes istae saepe iustam dant scriptori aut inventori causam moeroris ac tristitiae ita ut graviter offendi possit caritas, v. gr. si quis ideo rationabili spe lucri deiiciatur, si ob aliam causam graviter ferat opus, contionem etc. mandari typis. — Satis convenit inter theologos, per leges positivas verum ius tribui auctoribus, ita ut qui contra eas fecerit damnandus sit iniuriae, et non exspectata iudicis sententia sarcire debeat detrimentum sua illatum fraude. Neque in animo nobis est eorum refragari auctoritati. — Id tamen praecipue statuunt de iure scriptorum. Non pauci enim silentio praetereunt diplomata (*brevets*) inventoribus concessa. Nec scriptor qui ita anteponit causam scriptorum nobis videtur mere esse *Cicero pro domo*; sed re quidem vera, maior de aliis privilegiis suboritur difficultas. Solent enim inventores isti, privilegio freti, valde, immo nimis, augere rei pretium naturale cum maximo multorum incommodo; etiamque duriores, ut verisimile est, imponerent condiciones, nisi imitationibus vel harum timore cogerentur aliquem servare modum. Quare, in ipsa Hollandia, supressa sunt, per aliquod saltem tempus, post legem anni 1869, haec privilegia. Quae cum ita sint, difficilius existimamus demonstrari posse verum huiusmodi privilegio constitui ius proprietatis; nec pauci fortasse excusabunt imitandi conatum, quia ratio sit se tuendi a nimiis exigentiis. Quocirca de his in sua quisque regione consulat communem legis interpretationem praximque piorum. — Illud certum est,

quae palam veneunt, libri, instrumenta, liquores, etc., etsi fortasse contra legem monopolii sint confecta, a privatis sine scrupulo comparari posse. Saepe enim emptio illa non est lege interdicta. Et nimium onus foret privatis, si de istis inquirere deberent et abstinere cooperatione, cui ille, qui ius suum neglegit, videtur silentio suo tacite assentiri. Et si quis praeterea usus temperaverit legis rigorem, is etiam poterit tuta conscientia retineri ».

2517 **Invidia.** — Invidia est tristitia de bono alterius, qua malum aut saltem minus bonum proprium est (G. B. *I. 177*); licet tamen mihi tristari de bono temporali alterius, quod in iniustam mei perniciem cedat. S. Th. *2. 2. q. 36. a. 2.* Ad invidiam revocatur gaudium de malo alterius. Est gravis ex genere suo. S. Th. *2. 2. q. 36. a. 3.*

2518 **Ira.** — Ira est excandescentia animi, motusque inordinatus in aliquem, vel in aliquid. G. B. *I. 178.* Si importat inordinatum appetitum vindictae, est mortalis ex genere suo; secus venialis. S. Th. *2. 2. q. 158 a. 3.* Passio irae (non vitium), a ratione gubernata, non solum laudabilis esse potest, sed et praecepta aliquando. Confer S. Th. *2. 2. q. 158. a. 1.*

2519 **Irregularitas.** — **Quid et quotuplex irregularitas.** — Irregularitas est impedimentum canonicum prohibens ne quis clero ascribatur, vel ad ordinem superiorem ascendat, vel functiones ordinis suscepti exerceat. Hoc exercitium ordinum susceptorum prohibet irregularitas indirecte tantummodo et per consequens (Suarez *de censur. disp. XL sect. 1. n. 2;* B. P. *VII. 402;* D'Ann. *I. 399*); directe et per se hoc praestat suspensio. Suarez *l. c. n. 5.*

Multiplex: ex defectu, ex delicto (*c. 14 de purg. can. X.* [*V. 34*]); totalis, partialis. Gasparri *de sacra ordinat. I. 171.*

Irregularitates *ex defectu* octo numerantur; ex defectu nempe:

1° animi (vid. *Animus*);

2° corporis (vide infra);

3° natalium (vid. *Illegitimitas*);

4° aetatis (cfr. Wernz *Ius Decr. II n. 111*; nonnulli tamen hunc defectum impedimentum potius dicunt, quam veram irregularitatem, Gasparri *l. c. n. 183;* vid. *Aetas*);

5° libertatis (de qua idem anno tandum est ac de aetate nuper diximus; — de hac irregularitate loquemur infra);

6° sacramenti, idest ex bigamia (quae irregularitas aliquando ex delicto etiam est, vid. *Bigamia*);

7° lenitatis (vid. *Lenitas*);

8° famae (vid. *Infamia*).

Ex delicto, sunt quinque:

1° baptismi iteratio atque mala susceptio (vid. *Baptismus*);

2° ordinum usurpatio aut illicita susceptio (vid. *Ordo*);

3° violatio censurae (vid. *Censura*);

4° crimina enormia, seu haeresis et apostasia a fide (vid. *Haeresis, Apostasia*);

5° homicidium et mutilatio (vid. *Homicidium, Mutilatio*).

De requisitis ad incurrendam irregularitatem. — 2520 Numquam incurritur, nisi in iure fuerit expressa (*c. 18 de sent. excomm. etc.* [*V. 11*] *in 6°*), in iure,

inquam, idest communi. Quare subiectum activum irregularitatis non est nisi rom. Pontifex et concilium oecumenicum. Ben. XIV *de Syn. lib. XII. c. 3. n. 7;* Suarez *loc. cit. sect. 4. n. 11;* D'Ann. *I. 404 (2);* Gasparri *l. c. n. 159.*

Ex defectu vero semper incurritur, stante defectu; *ex delicto,* nonnisi ex culpa voluntaria, etiamsi prorsus occulta (Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 6 de ref.*), vere gravi actu tum interno tum externo (D'Ann. *I. 409*), et consummata (*cap. un. de homic.* [*V. 4*] *in Clem.*) et omnino certa; nisi forte agatur de homicidio, de quo dubitas utrum actione tua causatum fuerit, necne. Vid. *Homicidium.*

Ad irregularitatem ex delicto requiritur etiam iuxta quosdam (cfr. S. Alph. *VII. 351*) scientia seu notitia ipsius irregularitatis ut poenae, aliis hoc negantibus (Suarez *l. c. sect. 5. n. 9;* Laymann *Th. mor. lib. I. tr. IV. c. 20. n. 6;* Gasparri *l. c. n. 204;* Wernz *Ius Decr. II. n. 101*); sed certe priorum sententia probabilis est. D'Ann. *I. 409.* Nulla tamen est irregularitas, quae sententiam vel tantum declaratoriam exigat, ut incurratur.

2521 **De subiecto passivo irregularitatis.** — Subiectum irregularitatis sunt viri baptizati tantum (Suarez *l. c. sect. 7. n. 6;* Laymann *loc. cit. lib. I. tr. V. p. V. c. 1. n. 1*), omnes prorsus sive laici sive clerici, episcopi quoque (*c. 10 de renunciat. X.* [*I. 9*] § *1. 6*; *arg. cap. 1 de sent. excomm. etc.* [*V. 11*] *in 6°*) et cardinales (D'Annib. *I. 405;* Gasparri *l. c. n. 199*), licet in iure non exprimantur. Suarez *l. c. sect. 7. n. 6;* Salmanticenses *loc. cit. tr. X cap. 7. n. 10.* Et unus plures potest incurrere irregularitates. Suarez *l. c. disp. XXXIII sect. 3. n. 12;* Gasparri *l. c. n. 197*; D'Ann. *I. 405.*

Praeterea an multiplicantur repetitis actibus? et si agatur de irregularitatibus ex defectu, non multiplicari verior sententia est (Gasparri *loc. nuper cit.*); si de irregularitatibus ex delicto, verissima videtur sententia D'Annibale (*I. 405*), eas non multiplicari ex repetitis in eodem subiecto, ut si quis suspensus sacerdos pluries missam celebraverit; multiplicari autem ex repetitis in alio subiecto, ut si quis plures rebaptizaverit.

Ratione aetatis ab irregularitatibus ex delicto excusantur certo infantes (*c. un. de homicid. etc.* [*V. 4*] *in Clem.*); an et impuberes excusentur, controvertitur (Gasparri *l. c. n. 202*); sed probabilior videtur sententia affirmans. Cfr. *S. C. C. in Messanensi 5 iul. 1738, 17 dec. 1740, et in Trid. 13 mart. 1784.*

De cessatione irregularitatis. — 2522
Quomodo cessat. — Irregularitates auferuntur per dispensationem, quae ab uno R. P. iure proprio concedi potest, quum omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvatur, *reg. 1 iur. X.* (*V. 41*); cfr. De Luca Mar. *Prael. iur. can. I tit. 2. n. 19;* D'Ann. *I. 406.*

Cessant etiam per cessationem causae, si nempe sermo sit de irregularitatibus late dictis, ut de aetate nondum apta etc., vel si quis per miraculum sanaretur a vitio corporis perpetuo, et de se irregularitatem inducente. Gasparri *l. c. n. 209.*

Irregularitas ex defectu natalium etiam per professionem religiosam cessat (*c. 1 de filiis presb. etc. X.* [*I. 17*]), sed in ordine tantum ad ordines suscipiendos. At haec professio debet esse professio votorum solemnium; hinc non sufficeret professio in recentioribus congregationibus religiosis, vel etiam in veris ordinibus regularibus professio tantum votorum simplicium (*S. C. EE. RR. 25 ian. 1860*), nis speciale haberetur privilegium.

2523 **De modo impetrandi dispensationem a S. Sede.** — Ut quis autem a S. Sede dispensationem impetret super aliqua irregularitate, libellum supplicem mittere debet sive ad Poenitentiariam, sive ad S. Congregationem Concilii (cui exclusive est facultas dispensandi ab irregularitatibus, *S. C. Cons. 27 febr. 1909*), prout irregularitas est occulta vel publica; qui supplex libellus pro casibus occultis quacumque lingua, pro casibus publicis latina vel italica conscribendus est.

2524 **De potestate dispensandi in episcopis.** — Episcopi possunt dispensare super irregularitatibus ex defectu natalium ad effectum suscipiendi tonsuram, ordines minores et beneficium simplex (*c. 1 de filiis presbyt. etc.* [*I. 11*] *in 6°*); super irregularitate ex bigamia similitudinaria cum illo, qui post peractam poenitentiam laudabiliter vixerit (*c. 4 de cleric. coniug. X.* [*III. 3*]; *cc. 1. 2 qui clerici vel vovent. etc. X.* [*IV. 6*]); super irregularitatibus omnibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario (Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 6 de ref.* — probabiliter tantum directe voluntario, S. Alph. *VII. 393 sqq.*), et exceptis aliis ad forum contentiosum deductis. Conc. Trid. *loc. cit.*; *S. C. C. 23 sept. 1673.* Cfr. etiam Conc. Trid. ed. Richter *p. 381. n. 14*.

Sede vacante, facultas haec episcopis concessa transit in capitulum et vicarium capitularem. *S. C. C. 28 ian. 1708, 18 iun. 1796.*

Vicarius generalis absque speciali mandato in his irregularitatibus dispensare non potest. Conc. Trid. *loc. cit.*; Gasparri *loc. cit. n. 217 sqq.*

De dispensatione aliquando a confessario danda in casu violatae censurae. 2525 — In casibus vere urgentioribus, in quibus absolutio differri nequit absque periculo gravis damni vel infamiae (super quo confessariorum conscientia oneratur) concessa est decreto s. Officii (*23 iun. 1886*) cuicumque confessario facultas absolvendi a censuris etiam speciali modo Rom. Pontifici reservatis, iniunctis de iure iniungendis et sub poena reincidentiae in easdem censuras nisi saltem infra mensem per epistolam aut per confessarium absolutus recurrat ad S. Sedem. Nunc autem concessum est ut in his casibus quisque confessarius dispensare possit super irregularitate occulta, quae ipsas censuras secuta sit. *S. U. I. 6 sept. 1909.*

De irregularitate ex defectu corporis. 2526 — Quum de aliis omnibus irregularitatibus in specie alibi dixerimus, exceptis irregularitatibus ex defectu corporis et libertatis, de his duabus tantum hic est aliquid in particulari dicendum.

Ex defectu igitur *corporis* irregulares sunt corpore vitiati (*c. 19 dist.*

50), quique nonnulla corporis parte imminuti sunt (*can. 1 dist. 36*). Hi autem iuxta praesentem disciplinam sunt ii omnes et soli, qui aliquem habent corporis defectum, quo missam vel omnino celebrare non possunt, vel saltem celebrare nequeunt secure, decenter et rite, scilicet secluso omni timore futuri periculi irreverentiae, scandali, fidelium offensionis, ac gravis et necessariae rubricarum omissionis (cfr. *c. 2 de cler. aegrot. etc. X.* [*III. 6*]). Gasparri *l. c. n. 252.*

Qui autem sic irregularis est, ad omnes omnino ordines est irregularis, si ordines nondum suscepit (Gasparri *l. c. n. 253;* Wernz *l. c. n. 110* [*a*] contra D'Ann. *I. 414*); si vero ordines sine defectu vel saltem bona fide iam suscepit, irregularis est relate ad illos, quos exercere nequit, saltem secure, decenter et rite. Cfr. Ball. Palm. *VII. 474 sqq.*

2527 Ad magis particularia descendendo irregulares sunt:

epileptici seu caduco morbo laborantes, quibus raro conceditur dispensatio, imo ordinarie denegatur (*S. C. C. in una Venetiarum 12 sept. 1896; in Lugdunen. 26 aug. 1905*); quamvis aliquando concessa est, stante attestatione medici, et sub aliquibus conditionibus vel ad ipsum presbyteratum (*S. C. C. in Bononien. 23 febr. 1907*) vel ad diaconatum tantum (*S. C. C. in Bisinianen. 24 nov. 1906*). — (Vid. *Epileptici*).

caeci (vid. *Caecus*);

surdi (qui nempe utraque aure omnino surdi sunt, Salmanticenses *Th. mor. tr. X. c. IX. n. 67;* Suarez *de censuris disp. LI sect. 2. n. 13;* Gasparri *l. c. n. 259*; Wernz *l. c. n. 110* [*b*]);

muti (B. P. *VII. 477*, non autem blaesi, S. Alph. *VII. 406*, nisi enormiter blaesi sint, *S. C. C. 14 apr. 1852*);

claudi, qui sine baculo ad altare ire aut stare nequeunt (*c. 57 dist. 1. de cons.*) vel ii, qui, etsi baculo non indigent, nimium claudicant, ita ut missae ceremonias rite exsequi nequeant (*S. C. C. 17 dec. 1859*; Gasparri *l. c. n. 265;* non vero illi, qui nec baculo indigent, nec impediuntur exsequi missae ceremonias, *can. 18 dist. 55*);

carentes pede (*S. C. C. 22 sept. 1822*); vel manu (*c. 6 de corpore vitiat. ord. etc. X.* [*I. 20*]), vel medietate palmae (*c. 2 de cler. aegrot. etc. X.* [*III. 6*]), aut indice, seu pollice, sive etiam alterutrius parte (*cc. 1. 7 tit. cit. X.* [*I. 20*]; *S. C. C. 21 mart. 1863, 23 ian. 1864*);

et generatim notabiliter deformes (*c. 2 tit. cit. X.* [*I. 20*]).

Attamen haud raro dispensationes ab irregularitate ex his defectibus proveniente concessae sunt.

Sic dispensatus est clericus, qui fortuito manus dexterae indicis usum perdiderat, cum clausula: adhibito medio, loco indicis (*S. C. C. 28 ian. 1865*);

clericus, cui in dextera manu deerat phalanx pollicis et duae phalanges indicis (*S. C. C. 27 iun. 1891*);

clericus, qui manum sinistram eiusque digitos habebat minores manu dextera, et qui in manu sinistra quatuor digitos habebat inter se membrana cinctos (*S. C. C. 25 maii 1895*);

clericus, qui in manu dextera perdiderat phalangem pollicis et medii et duas phalanges indicis (*S. C. C. in Utinen. 28 mart. 1896*);

clericus, qui non poterat super infimo altaris gradu genuflectere, quin assistentis humero inniteretur (*S. C. C. in Cathacen. 17 dec. 1859*);

clericus, qui laborans anchilosi in dextero genu, nequibat illud flectere, nisi dimidiate (*S. C. C. in Comaclen. 27 febr. 1864*);

clericus, qui, eadem anchilosi laborans, genu sinistrum nullo modo flectere poterat, etsi cum dextero aliquam genuflexionis speciem facere posset (*S. C. C. in Veronen. 7 apr. 1900*);

clericus, qui sinistrum crus quindecim centimetris brevius dextero habebat, etsi hoc illi non prohiberet, quominus genuflectere et ad multa millia passuum ire posset (*S. C. C. in Basileen. 23 iun. 1900*);

clericus, cui sinistrum crus fuerat amputatum (*S. C. C. 14 apr. 1868*); vel dexterum (*S. C. C. 26 aug. 1905*);

clericus, qui detortis pedibus natus unum praeterea gerebat ad modum equini pedis. *S. C. C. 27 mai 1899.*

Multos alios huiusmodi casus videre est apud Lingen et Reuss *Causae selectae etc. a n. 11 ad 68.*

Recenter etiam episcopus Ceriniolensis timens, ne quidam clericus suae dioeceseos laborans *strambismo* et *neurastenia* irregularis censendus esset, recursum habuit ad S. C. Concilii, omnes simul exponens casus circumstantias. S. Congregatio (*20 dec. 1902*) respondit: « Dummodo adsit ecclesiae necessitas, nullus habeatur irreverentiae timor in sacro faciendo, neque scandali neque admirationis occasio esse possit oratoris promotio, arbitrio et conscientiae episcopi ».

Ante ordinationem in casu dubii, num defectus vel deformitas sint huiusmodi, ut impediant receptionem ordinum, episcopi proprii est iudicare, seu ferre super hoc sententiam declaratoriam (*cap. 2 tit. cit. X.* [*I. 20*]), non tamen veram dispensationem concedere (Wernz *loc. cit. n. 110* [*c*]). Hoc iudicium ad episcopum (ordinantem) pertinet, etiamsi ageretur de regulari promovendo; si autem agitur de exercitio ordinum pro regulari iam promoto, hoc videtur pertinere ad praelatum regularem. Cfr. Gasparri *l. c. n. 254.*

Nota autem, facilius dispensari cum sacerdote, qui in irregularitatem incidit post ordines susceptos, quam cum eo, qui ad ordines adhuc ascendere debet. Hinc sacerdoti, qui apoplexia in brachio et crure dextero correptus fuerat, etsi non omnes missae ceremonias peragere posset, concessa est dispensatio ab irregularitate. *S. C. C. in Salernitana 11 ian. 1868; in Goritien. 17 ian. 1872; in Gandaven. 27 maii 1899.* Quae dispensatio concessa quoque fuit sacerdoti, qui omnes manus digitos perdiderat, uno pollice excepto (*S. C. C. in. Samogitien. 15 mart. 1738;* cfr. etiam *S. C. C. in Comen. 8 apr. 1775; in Cameracen. 20 ian. 1821; in Catanien. 8 aug. 1829*); sacerdoti cui amputatum fuerat brachium sinistrum, cuius loco brachium fictitium gerebat cum conditione celebrandi in oratorio privato digitalibus aureis vel argenteis, quae ex-

pleto sacrificio reverenter reponerentur (*S. C. C. in Panormitana 20 apr. 1850*); et recentius etiam sacerdoti, cui amputatum fuerat brachium dexterum, dummodo privatim celebraret cum assistentia alterius sacerdotis superpelliceo induti et celebrare posset debita cum reverentia. *S. R. C. 8 apr. 1908*; *S. C. C. in Ruremonden. 22 maii 1909.*

252 **De irregularitate ex defectu libertatis.** — Ex defectu *libertatis* arcentur ab ordinibus:

servi, qui nempe in vera servitute sunt constituti (*cc. 1. 5 de servis non ordin. etc. X.* [*I. 18*]), nisi plene fuerint manumissi (*cc. 1. 6. tit. cit. X.* [*I. 18*]);

coniugati, nisi religionem intrare velint, aut ad sacros ordines iuxta canones (vid. *Uxoratus*) promoveri (*c. 4. de tempor. ordin. etc.* [*I. 9*] *in 6°*);

obligati ad ratiocinia, seu ad reddendas rationes de administratione saltem bonorum publicorum aut publica auctoritate commissorum, ut sunt procuratores, actores seu pupillorum curatores, nisi antea dimiserint officia et plenam liberationem seu absolutionem ab omni obligatione ex administratione proveniente obtinuerint. *c. un. de obligat. ad ratioc. etc. X* (*I. 19*). Diximus saltem bonorum publicorum etc., quia alii irregularitatem extendunt, et forte non immerito, etiam ad eos, qui rationem reddere debent administrationis cuiusdam etiam privatae. Cfr. Wernz *Ius Decr. II. 125;* Gasparri *de sacra ordinatione I. 553;* etc.

Decr. Grat. DD. 23, 25-27, 33-34, 48-51, 53-59, 77-78, 81; C. VII. q. 2, C. XXIII, C. XXVII, q. 3; tit. de temp. ord. et qualit. ordin. X. (I. 11); idem tit. (I. 9) in 6°; tit. de ordinatis ab episcopo, qui renunciavit episcopatui X. (I. 13); tit. de aetate, qualitate et ordine praefic. X. (I. 14); idem tit. (I. 6) in Clem.; tit. de filiis presbyterorum ordinandis vel non X. (I. 17); idem tit. (I. 11) in 6°; tit. de servis non ordinandis etc. X. (I. 18); tit. de obligatis ad ratiocinia ordinandis vel non X. (I. 19); tit. de corpore vitiatis ordinandis vel non X. (I. 20); tit. de bigamis non ordinandis X. (I. 21); idem tit. (I. 12) in 6°; tit. de apostatis et reiterantibus baptisma X. (V. 9); tit. de homicidio etc. X. (V. 12); idem tit. (V. 4) in 6°; idem tit. (V. 4) in Clem.; tit. de clericis pugnantibus in duello X. (V. 14); tit. de clerico percussore X. (V. 25); tit. de clerico excomm. etc. ministrante X. (V. 27); tit. de clerico non ordinato ministrante X. (V. 28); tit. de clerico per saltum promoto X. (V. 29); tit. de eo qui furtive ordinem suscepit X. (V. 30); tit. de purgatione canonica X. (V. 34); tit. de poenis X. (V. 37); tit. de poenitentiis et remissionibus X. (V. 38); Const. Pii II « Cum ex sacrorum » a. 1461; Const. Clem. VII « Ad canonum » a. 1530; Const. Pii V « Dignum » a. 1566; Const. Sixti V « Sanctum » a. 1589; Const. Clem. VIII « Romani » a. 1595; Conc. Trid. sess. XXIII cc. 4. 17 de ref.; sess. XXIV c. 12 de ref.; sess. XXV. c. 15 de ref.; *Marianus* Tract. de irregularitatibus; *Borgasi P.* Tract. de irregularitatibus et impedimentis ordinum, officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum et censuris eccl. et dispensationibus super eis; *Maioli S.* De irregularitatibus et aliis canonicis impedimentis; *Feliciani* Euchiridion de censuris, irregularitate et privilegiis; *Ugolini Bart.* Tract. de irregularitatibus; *Gibalini I.* De irregularitatibus; *Meyer I.* De sacerdote androgyno seu de quaestione num androgynus salva conscientia possit fungi ministerio ecclesiastico; *Thomassin* p. II. l. 1. c. 56-91; *Bönninghausen E.* Tract. de irregularitatibus; *Scherer R.* Die Irregularitas ex delicto homicidii; *A Sexten H.* Tract. de cen-

suris eccl. cum app. de irregularitate; *Richert C.* Die Anfänge der Irregularitäten bis zum ersten allgem. Konzil v. Nicaea; *Wylie J. H.* Dispensation by John XXIII for a Son of Henry IV (den 12 järh. Edmund Leboorde) propter defectum natalium, 15 ian. 1412; *Besson J.* Dispense d'irrégularité occulte dans les cas urgents.

2529 **Irreligiositas.** — Irreligiositas est irreverentia specialis, quae Deo, vel mediate, vel immediate irrogatur. G. B. *I. 283.* Praecipuae eius species sunt: tentatio Dei, sacrilegium, simonia, blasphemia et periurium. Vid. *singula suis locis.*

2530 **Irrisio.** — Irrisio est species contumeliae, et habetur, quum quis alterius praesentis honorem laedit ore, cachinnis, etc.; per se levis est, sed fieri aliquando gravis potest ex circumstantiis. G. B. *I. 462.*

2531 **Irritatio legis.** — Ea tunc habetur, quum lex ab inferiore statuta irritatur seu rescinditur et nullius valoris efficitur auctoritate superioris, ut si lex ab episcopo lata a summo pontifice declaretur nullius valoris. Non immerito tamen eam *abrogationem* legis diceres.

2532 **Irritatio voti.** — Irritatio voti est eius annullatio, vel suspensio, facta ab eo, cuius potestati subest voluntas voventis, aut materia voti. B. P. *II. 663 sqq.*

Illa, ea nempe, quae fit ab eo, cuius potestati subest voluntas voventis, est directa, et infert voti annihilationem; haec, ea nempe, quae fit ab eo, cuius potestati non ipsa voluntas voventis, sed voti materia subest, dicitur indirecta, et voti suspensionem per se affert. B. P. *II. 665.*

Valide, non licite (sed hoc veniale 2533
non excedit, S. Alph. *III. 228;* D'Ann. *III. 204*) absque ulla causa omnis superior, potestate dominativa praeditus in voventem, eius vota potest irritare. B. P. *II. 666.* Hinc potest pater (imo probabiliter etiam mater, praesente quoque patre, sed non contradicente, S. Alph. *III. 230*) irritare vota (quaevis, tum realia, tum personalia, etiam rom. Pontifici reservata, S. Alph. *III. 229*) filiorum impuberum.

Pariter praelatus regularis (quicumque, dummodo vere praelatus sit; hinc non tantum superior generalis, sed et provincialis, rector, guardianus etc., B. P. *II. 673*) vota suorum religiosorum (intellige omnia, ait B. P. *II. 672.* licet nullam mutationem res subeat et licet votum sit de materia, quae nullum praeiudicium facit, et quae prohiberi non potest; atque adeo licet vota illa in illa religione impleri possent et alioquin deberent, v. gr. de operibus supererogatoriis regulae consentaneis, exceptis votis sive solemnibus sive simplicibus, quae professionem religiosam constituunt, vel eam iuxta constitutiones quorumdam ordinum comitantur [Génicot *Th. mor. I. 315*], aut voto transeundi ad religionem strictiorem, *arg. c. 18 de regular. etc. X.* [*III. 31*]) potest irritare; imo probabilius etiam abbatissae quoad subditas. Sanchez *in dec. lib. IV. c. 33 num. 19;* D'Ann. *III. 306.*

Hoc tamen videtur valere (si nempe de directa irritatione agitur, ut hic) de solis praelatis ordinum vere regularium et circa suos subditos votorum solemnium, non autem quando agitur de religiosis votorum simplicium etsi

hi ad regularem ordinem pertineant. Ratio autem est, quia votum solemne obedientiae «subiicit voluntatem voventis praelato ut sine illius consensu inefficax sit ad omnem civilem vel naturalem obligationem per contractum vel quocumque alio modo contrahendam» (Suarez *de relig. lib. II. c. 13 n. 4*), quare talis religiosus nec velle nec nolle habere dicitur; e contra votum simplex obedientiae «talem effectum non habet ex vi solius obligationis suae naturalis, quia solum inducit simplicem obligationem promissionis parendi praelato, quae non est sufficiens ad irritandam voluntatem se obligandi alteri in materia non contraria priori voto aut suae regulae vel iuri acquisito religioni seu praelato eius, quia ubi non est naturalis repugnantia, non est cur unum ex sola rei natura aliud destruat. Adde quod votum obedientiae per se non obligat ad nullam promissionem faciendam de re honesta et alias nec per regulam nec a praelato prohibitam» (Suarez *loc. cit. n. 5*). Hinc superiores religiosi possunt quidem indirecte irritare vota suorum subditorum votorum simplicium, non autem directe. Mon. eccl. *vol. XVI pag. 367 sqq.* contra Lehmkuhl *Th. mor. I. 489 sqq.*

Dominus vero quilibet, ex iusta causa, potest indirecte irritare vel suspendere (si habeant tractum successivum) vota subditorum in iis, in quibus laeditur suum ius. Laymann *Th. mor. lib. IV. tr. 4. c. 8. n. 19.*; Salmanticenses *Th. mor. tr. XVII. c. 3. n. 60.* — Hinc maritus vota uxoris, pater vota puberum etc., indirecte irritare valet. S. Alph. *III. 242.* Probabilius vir etiam directe irritare potest vota uxoris; ita expresse docet S. Thomas (*2. 2. q. 88. a 8. ad 3um*), quod intelligendum est de votis emissis durante matrimonio; quae enim ante matrimonium emissa sunt, vir irritat indirecte. D'Annibale *III. 206.*

Ille, qui erat superior alicuius, quum is votum emisit, potest eius votum irritare, quum ab eius potestate iam discessit, dummodo eius potestas in ipsum non omnino extincta aut suspensa sit, sed quoad aliquid maneat, et votum, transacto subiectionis tempore, non fuerit confirmatum. Sanchez *in dec. lib. IV. c. 30. n. 7 sqq.* — Hinc pater potest irritare vota filii puberis et emancipati, quae impubes fecit, et postea non confirmavit. Sanchez *in dec. lib. IV. c. 30 n. 13.*

Potest autem superior irritare etiam 2534
vota a se ratihabita. Suarez *de voto lib. VI. c. 8. n. 4;* Salmanticenses *Th. mor. tr. XVII. c. 3. n. 66.* — Hinc, etsi coniuges mutuo consensu castitatem voverint, possunt verius ab obligatione voti liberari, si nempe vir directe irriret votum uxoris, uxor indirecte votum mariti. B. P. *II. 689 sq.*

Vota semel irritata directe postea 2535
non convalidari per contrariam superioris voluntatem, patet; quia per irritationem voti votum cessavit omnino, nec unquam quis potest, nisi ex sua tantum voluntate, obligatione voti ad aliquid teneri. Cfr. B. P. *II. 677.*

Ite missa est. — Sacerdos in missa solemni non debet dicere submisse «Ite, missa est», dum illud canitur a diacono; sed, canente diacono «Be-

nedicamus Domino » et « Requiescant in pace », quando a rubrica praescribuntur, sacerdos ea submissa voce dicere debet. *S. R. C. in Tuden. 7 septembr. 1816 ad 22 (2572).*

Servari autem potest consuetudo, si adsit, respondendi sacerdoti dicenti « Ite, missa est », sonitu tantum organi. *S. R. C. in Angelopolitana 11 sept. 1847 ad 5 (2951).*

2536 **Iteratio.** — Iteratio confessionis, moraliter certo invalidae, quoad omnia peccata mortalia necessaria est omnino. G. B. *II. 323.*

Eidem confessario adhuc memori, imo probabilius in confuso adhuc recordanti, vel quomodocumque notitiam habenti status poenitentis, non sunt necessario iterum peccata omnia aperienda, sed sufficit repetitio generalis. S. Alph. *VI. 502.*

Confessio mere historica per se non sufficit, quia non est sacramentalis; sed, ea peracta, sufficit dicere: de his omnibus me accuso. Suarez *de poen. disp. XXII. sect. 6 num. 5.*

Iubens. — Vid. *Cooperatio.*

2537 **Iubilaeum.** — Iubilaeum est indulgentia plenaria solemnis, quam R. P. aliquando concedit omnibus fidelibus cum obligatione certa pia opera peragendi, tribuens simul confessariis specialem potestatem a peccatis censurisque reservatis absolvendi ac pleraque vota commutandi. G. B. *II. 874.* Quare non differt ab ordinaria indulgentia plenaria, nisi accidentaliter. Bucc. *II. 1366.* Ad iubilaeum generale, sive maius sive minus, haec ordinarie requiruntur: visitatio ecclesiarum, confessio sincera, communio non sacrilega; et pro iubilaeis extraordinariis ieiunium et eleemosyna. Beringer *Les indulgences vol. I pag. 483. n. 19.* Peccata reservata, in confessione oblita tempore iubilaei, possunt postea a quocumque confessario remitti. S. Alphons. *VI. 537*; Beringer *l. c. p. 497. n. 69.* Imo etiam per confessionem invalidam in iubilaeo tolluntur censurae et reservatio peccatorum, dummodo ipsa peccata reservata sacrilego silentio non fuerint omissa. Lugo *de poen. disp. XX. n. 110;* G. B. *II. 885;* Bucc. *II. 1374;* Beringer *loc. cit. n. 68.* Hoc tempore confessarii habent facultatem absolvendi a quibuslibet peccatis et censuris (exceptis tantum absolutione complicis in peccato turpi et calumniosa denunciatione sollicitationis, D'Ann. *I. 348*), nisi aliter et expresse declaretur (Bucc. *loc. nuper cit.*); et quilibet, etiam regularis sine ulla venia suorum superiorum, potest quemlibet ex approbatis confessarium sibi eligere, qui eum absolvat a quibusvis peccatis etiam in suo ordine reservatis. *Const.* Ben. XIV « Inter praeteritos » *3 dec. 1749*; *S. Poen. 30 ian. 1886.* Potest autem quis toties absolvi a reservatis, quoties confessionem peragit, quousque omnia opera imposita ad lucrandum iubilaeum impleverit (D'Ann. *c. 348*); non item si post lucratum iubilaeum denuo inciderit in reservata, nisi hoc ipsum in bulla concessionis expresse concessum sit. *S. Poenit. 1 iun. 1869.* Ad hoc, ut quis his gratiis frui possit, debet habere intentionem lucrandi iubilaeum per impletionem operum praescriptorum. *Const. cit. Ben. XIV.*

In iubilaeo suspenduntur aliae in-

dulgentiae, paucis quibusdam exceptis, quas vide apud B. P. *V. 810.* Pariter a Benedicto XIV inductum est, ut extra urbem cessent omnes aliae facultates absolvendi a reservatis, dispensandi, etc., quibus quis esset instructus; quod tamen non verificatur in urbe, quum anno iubilaeum in urbe insequenti conceditur iubilaeum extra urbem lucrandum. B. P. *V. 811.*

cc. 1. 2. 4 de pocait. et remiss. (V. 9) in Xwag. comm.; diversae constitutiones Rom. Pontificum indicentium annum sanctum; *de Lutzembnrg B.* Quodlibetum de iubilaeo anno sáeculari in Universitate Lovaniensi determinatum occasione iubilaei ab Alexandro VI concessi et Antuerpiae summa pietate celebrati; *Paullianus I. B.* De iubilaeo et indulgentiis; *Arpilcuetae M.* De anno iubilaei et de indulgentiis; *Graziani G.* Del giubileo dell'anno santo; *Benzonius R.* De anno s. iubilaei; *Boufadini B.* Narrazione dell'origine come fu istituito il santo giubileo nella legge mosaica e da' sommi Pontefici romani, con la dichiarazione delle chiese che si visitano; *Frauchi C.* De anno iubilaeo; *Zerola Th.* De iubilaeo et indulgentiis; *Bonfadini B.* Le cerimonie ehe usano i sommi Pontefici ad aprire la porta santa della basitica di S. Pietro; *Fabrini S.* Dichiarazioni del giubileo dell'anno santo; *Santorio P.* Discorso sopra il giubileo universale dell'anno santo MDC, nel quale si intende come fu ordinato l'anno santo del santissimo giubileo e quello che il sommo Pontefice celebra e solennizza nell'aprire le porte sante insieme con le cerimonie fatte dagl'illustriss. reverend. Cardin. nella detta soleunità; *Rodriguez F.* Tratado del Jubileo del Año Santo; *Zecehius L.* De indulgentiis et iubilaeo, deque eorum origine praestantia et utilitate; *Culens* Collatio iubilaei veteris Hebraeorum et novi Christianorum; *Santarelli A.* Trattato del giubileo ovvero dell'anno santo e dell' altri giubilei *Lavorius J.* De iubilaeo et indulgentiis; *Rycquius J.* Syntogma de anno saeculari iubilaeo ad Urbanum VIII; *Vittorelli A.* L' istoria de' giubilei pontificj da Bonifacio VIII sino a Clemente VIII; *Prost P.* Spicilegium theologicum de iubilaeo anni magni piacularis etc.; *Polaceus G.* Illustrattones et commentaria ad bullam Urbani VIII pro sacro iubilaeo anni MDCXXV; *Quarti P. M.* Trattato del giubileo dell'anno santo e del modo di guadagnarlo con la risolutione di tutti i dubbj che possono occorrere; *Maillard C.* Tract. de iubilaeo; *Bossius Io. A.* De triplici iubilaei privilegio; *Phoebeus F. M.* De origine et progressu celebritatis anni iubilaei; *Ricci O.* De' giubilei universali celebrati negli anni santi incominciando da Bonifacio VIII fino al presente discorso; *Pientiuus A.* De sacro iubilaeo; *Calixtus* De iubilaeis rom.-pontificum; *Baldassarri A.* Il cristiano pellegrinante a Roma fatto pratico nel santo giubileo; *Tinti P.* Series sacrorum rituum in aperitione portae patriarchalis S. Pauli; *Alfani T. M.* Istoria degli anni santi; *Battellus Io. Ch.* Brevis enarratio sacrorum rituum in aperiendo et claudendo portam sanctam patriarchalis basilicae liberianae S. Mariae Maioris continuata ab Ant. Dom. Norcia S. Laurentii in Damaso canonico; *Mencken* De eo, quod iuris est, circa iubilaeum; *Rodotà P. P.* In epistolam encyclicam a ss. D. N. Benedicto P. XIV datam ad omnes episcopos ditionis ecclesiasticae die 19 febr. a. 1749 commentarius, in quo agitur de anno iubilaeo etc.; *A Spiritu Sancto Theod.* Tract. historico-theologicus de iubilaeo praesertim anni sancti; *Viva* De iubilaeo praes- anni sancti; *Manni D. M.* Istoria degli anni santi dal loro principio sino al presente del MDCCL; *de Lamarche Io. F.* Instructions dogmatiques, historiques et morales sur les indulgences et sur le jubilé; *Collet* Traité htstorique, dogmatique et pratique des indulgences et du jnbilé; *Zaccaria F. A.* Dell'anno santo, opera di-

visa in quattro libri, storico l'uno, l'altro ceremoniale, il terzo morale, l'ultimo polemico; *Frank* Geschichte und Bedeutung des Ablasses und des Jubiläums insbes.; *Hirscher* Ansichten von dem Jubiläum; *Fessler* Ueber den Ablass insbes. den Jubiläumsablass; *Mühlbauer* Thes. resolut. S. C. C. v. « Annus sanctus »; *Prinzivalli V.* Gli anni santi; *Arizzoli T.* Constitutiones Leonis XIII super iubilaeo universali anni 1900 collectas edidit, quibusdam adnotationibus additis in commodum praesertim confessariorum; *Quattrocchi D.* L'auno santo del 1300; *Carboni C.* Il giubileo di Bonifazio VIII; *Boudinhon A.* Le jubilé; *Thurston N.* The holy year of jubilee; *Arudt A.* Der Jubiläumsbeichtvater; *Bastien D. P.* Tractatus de iubilaeo anni sancti aliisque iubilaeis; *Arudt A.* Das Jubiläum. Reliquam bibliographiam quaere sab *Indulgeutia.*

2588 **ubilatio.** — Indultum iubilationis est facultas, quae datur canonico, qui 40 annorum spatio continuum et laudabile servitium praestitit, ut exemptus sit ab obligatione chori et residentiae, quin tamen amittat fructus sui beneficii vel distributiones etiam quotidianas. Lucidi *de visit. sacr. lim. cap. 3. n. 93 sqq.* Haec omnia constant ex praxi et responsionibus sacrae Congregationis Concilii, quamvis in iure scripto nihil habeatur, ex quo ea possint deduci. Sane non solum huiusmodi indulta passim conceduntur, sed ut refert Santi (*in tit. 4. lib. III Decr. n. 78*), clausula, quae iis apponi solet, haec est: « ut quamvis in posterum non inserviat, nihilominus fructus omnes et distributiones quotidianas sui canonicatus percipere valeat perinde ac si choro et officiis divinis personaliter interesset ». Indultum autem iubilationis per se non conceditur nisi illis, qui uni ecclesiae quocumque titulo, sive partim ut beneficiati, partim ut canonici, imo sive partim ut coadiutores, partim ut titulares, quadraginta annos continuo et laudabiliter servierint (minor numerus annorum generatim non admittitur, cfr. *S. C. C. Barcinonen. 27 feb. 1909*); nec possent huiusmodi indultum sperare illi, qui quadraginta annos non uni, sed pluribus ecclesiis inservierunt. *S. C. C. 24 sept. et 17 decembr. 1718.* Attamen hodie consuevit S. Congregatio hoc indultum concedere etiam iis, qui variis in ecclesiis eiusdem civitatis aut diocesis servitium 40 annorum praestiterint. *S. C. C. in Verulana 17 sept. 1842;* De Angelis *in tit. 4. l. III Decr. n. 17.* Et hic mos servatur cum illis, qui variis ecclesiis in urbe servierunt ut testis est Santi *l. c. n. 79.* Imo aliquando etiam illis qui diversis in dioecesibus servitium 40 annorum praestiterunt iubilatio concessa est. Cfr. Acta s. Sedis *vol. VI. p. 430.*

Multo magis ad iubilationem computatur servitium praestitum in eadem ecclesia, etsi quis in ea ecclesia non idem semper beneficium, sed plura successive obtinuit. *S. C. C. in Urgellen. 31 maii 1902;* cfr. etiam *S. C. C. 17 dec. 1718.*

Servitium autem praestitum debet esse continuum (cfr. *S. C. C. in Burgen. 19 aug. 1899*), quam continuitatem tamen non tolleret indultum habitum abessendi ab ecclesia ratione infirmitatis, vel ratione servitii ipsius ecclesiae, vel si indultum quis habuerit pro diebus et horis. At indultum abessendi ex causa studiorum, vel

absolute, durante officio, hanc requisitam continuitatem tolleret. *S. C. C. 24 sept. et 17 dec. 1718 ad 1um.* Nec ad iubilationem obtinendam obest generatim statutum capitulare contrarium, quod S. Congr. Concilii generaliter nihili fecit et neglexit. Cfr. *S. C. C. in una Montisfalisci 31 ian. 1852, in Firmana 9 apr. 1859, in Compostellana 18 nov. 1905.*

2539 Indultum iubilationis ita conceditur, ut bonum privatum non afferat damnum bono communi, idest sub conditione, quod in ecclesia debitus cultus a reliquis canonicis et beneficiatis possit praestari; quare si divinus cultus, immutatis circumstantiis, detrimentum pateretur, iubilatus cogi posset ad inserviendum. *S. C. C. 27 sept. 1659 ad 3um; 2 oct. 1717; 24 sept. 17 dic. 1718, ad 4um; 30 mart. 1833*; etc.

Ad cognoscendum, an ex concessa iubilatione damnum obveniat divino cultui, ante concessionem interrogatur circa hoc episcopus et capitulum, non autem ut eorum suffragium habeatur, sed ad hoc ut rerum status melius cognoscatur. Imo haud raro S. Congregatio concessit indultum iubilationis, dissentiente capitulo. Cfr. *S. C. C. in una Civit. Pleb. 24 nov. 1782; in una Civit. Castellanae 15 iul. 1820; in Firmana 9 apr. 1859; in Anagnina 28 feb. 1903; in Viterb. 19 dec. 1903; in Signina 27 iun. 1908.*

2540 Ob indultum iubilationis non solum canonicus absens percipit fructus sui beneficii, sed distributiones etiam quotidianas, ut superius dictum est; etiamsi hae post indultum essent auctae, quia participat de augmento (*S. C. C. 16 maii 1685, 16 iun. 1696, 20 apr. 1697*); imo participat etiam emolumentis anniversariorum fixorum (non vero incertorum et extraordinariorum, *S. C. C. 30 sept. 1684*), dummodo testatorum voluntas non obstet (*S. C. C. 5 mar. 1678, 17 iul. 1688, 20 iun. 1705, 1 apr. 1719*); vel processionum, etsi illis non interfuerit (*S. C. C. in Romana 24 mart. 1703*); emolumentis autem associationum cadaverum non participat, si non interest. *S. C. C in Terracinen. 1 apr. 1719, 30 ian. 1858 ad 3um.* Praeterea canonicus iubilatus vigore indulti participare debet de punctaturis seu fallentiis, dummodo non obstent constitutiones particulares et consuetudo ecclesiae (*S. C. C. 1 apr. 1719*); nec episcopus potest decernere, quod, canonicis iubilatis non debeantur distributiones extraordinariae, quae vel ob absentiam vel vacationem canonicorum interessentibus accrescunt. *S. C. C. 5 maii 1703, 19 apr. 1704.* Cfr. Ferraris *Prompta bibl. v. « Canonicatus » a. 9 nn. 104. 111.* Indultum iubilationis eximit etiam, ut diximus, canonicum ab obligatione residendi. *S. C. C. 15 apr. 1690, 9 iun. 1714, 24 sept. et 17 dec. 1718.* Cfr. Ben. XIV *de Syn. lib. XIII. c. 9, n. 15.* Nec obligatur talis canonicus ad missas conventuales per turnum canendas, sive per se sive per alium. *S. C. C. in Nepesina 11 apr. 1818; in Calaritana 7 sept. 1831, 21 1835; 25 maii 1893, et praesertim nov. 30 ian. 1858 in Lucana apud Lucidi de visit. ss. liminum vol. III doc. XXV pag. 193 sqq., nec non in Gallipolitana 29 ian. 1898.*

2541 Attamen si quae sunt onera, praeter servitium chorale, suo beneficio annexa, his satisfacere debet canonicus iubilatus, ut essent ex. gr. missae celebrandae. *S. C. C. in Constantien. 4 maii 1737; in una Montis Falisci 10 sept. 1853.*

2542 Canonico, qui habet coadiutorem cum futura successione, non datur indultum iubilationis. *S. C. C. 2 maii 1733.*

2543 Iubilatio autem non conceditur nisi illis, qui tamquam *veri beneficiati* 40 annos inservierunt, non illis proinde qui tamquam ex. gr. cappellani *ad nutum* servitium praestiterunt, quamvis his, si infirma laborent valetudine, S. Congregatio consulat per indultum dispensationis a servitio chorali. Cfr. *S. C. C. in Isernien. 20 ian. 1906.*

Bibliographiam quaere sub *Canonici*.

Iudaei. — Vid. **Communicatio in divinis.**

2544 **Iudex.** — Iudex est persona publica per legitimam auctoritatem constituta, ut secundum leges iustitiam vindicet, et in delinquentes debitas poenas decernat. B. P. *IV. 547*; G. B. *I. 951.* Tenetur ex quasi contractu cum societate ad munus rite adimplendum; secus violat iustitiam legalem et commutativam. G. B. *l. c.* — Iudex debet iudicare ex actis et probatis. *l. 6 de officio praes. D.* (*I. 18*). In causa criminali dubia, reo favendum; in civili, si agatur de dubio proprietatis, in pari causa, standum est pro possessore. B. P. *IV. 577.* Iudex, quem reum privata scientia cognoscit, debet absolvere, si non constat de eius reitate. S. Th. *2. 2. q. 67. a. 2.* An possit damnare quem scit innocentem, sed iuridice nocens convincitur, controvertitur. Affirmat S. Thomas *loc. nuper cit. et 2. 2. q. 64. a. 6. ad 3um*, quem alii multi sequuntur.

Alii espresse negant et contrariam sententiam tuentur. Hos vide apud Lugo *de iust. et iure disp. XXXVII sect. 4. n. 42.* Alii mediam ineunt viam, et forte veriorem, dicentes, in causis criminalibus, in quibus agitur de poena vitae vel mutilationis, non licere iudici condemnare innocentem (quia circa vitam, integritatem membrorum, libertatem sociorum innocentium respublica non habet ius, quare innocentem in his damnare non potest); in causis vero civilibus, vel ubi agitur de poena pecuniaria aut exsilii vel privationis officii, licere (quia respublica in bonis subditorum ratione boni communis ius habet). Lugo *l. c. n. 42 sqq.*

Haec tertia sententia gravissimis et recentioribus placet, videturque praeferenda. B. P. *IV. 573 sqq.*; D'Ann. *II. 590* (*29*). Iudex, qui dixit sententiam iniquam tenetur damni: at si mulctam, quae fisco debebatur vel privatis, ipsis non adiudicaverit, non tenetur eam ipsis ex suis bonis solvere, ut communiter docent auctores. S. Alph. *IV. 196*; D'Ann. *II. 590* (*29*). Iudex pro ferenda sententia prohibetur, ne munera (excipiuntur esculenta, quae exigua sint et libere dentur) acceptet (*l. 18 tit. cit. D.* [*I. 18*]; *l. 6. §. 3. de off. proconsulis etc. D.* [*I. 16*]; *Auth. « Novo iure » de poena iudicis etc. C.* [*VII. 49*]; *c. 11 de rescriptis §. 4* [*I. 3*]; *in 6'*); quae tamen si acceptaverit, restituere non tenetur (ante sententiam iudicis sal-

tem criminis declaratoriam), quia non peccavit contra iustitiam. Lugo *loc. cit. n. 134.*

De iure italico iudex, accipiens retributionem indebitam, punitur carcere et mulcta, atque id, quod in retributionem datum est, addicitur fisco. *C. Poen. aa. 171.-174.*

An iudex, seu officialis civilis ad hoc deputatus, possit tuta conscientia pronuntiare sententiam divortii etc. vide sub *Syndicus.*

Decr. Grat. C. II. q. 1-8; C. III. IV. V. VI; C. XIV qq. 1. 2; C. XV. q. 7; C. XVI qq. 5. 8; C. XXX. q. 5; tit. de officio et potestate iud. delegati X. (I. 29) idem tit. (I. 14) in 6°; idem tit. (I. 8) in Clem.; idem tit. (I. 6) in Xvag. comm.; tit. de officio legati X. (I. 30); tit. de officio iud. ord. X. (I. 31); idem tit. (I. 16) in 6°; idem tit. (I. 9) in Clem.; tit. de officio iudicis X. (I. 32); tit. de iudiciis X (II. 1); id. tit. (II. 1) in 6°; idem (tit. II. 1) in Clem.; idem tit. (II. 1) in Xvag. comm.; Const. Leon. X « Supernae » 5 maii 1514; Const. Pii IV « De salute gregis » 4 sept. 1560; Const. Pauli V « Religiosorum » 24 aug. 1607; Con. Trid. sess. VII c. 14 de ref., sess. XIII c. 2-8 de ref., sess. XXIV cc. 5. 20 de ref., sess. XXV cc. 3. 10. 14 de ref.; Instr. S. C. EE. RR. 11 iun. 1880; *Durantis G.* Speculum iuduciale; *De Urbach Io.* Processus iudiciarius; *Canophili B.* Tract. qualiter sit iudicandum in foro fori et qualiter in foro poli; *Fabri L.* Tract. de veneranda magistratus dignitate et de iustitia exercenda; *Ferrari Io.* Tract. de iudiciis; *Merli R.* De omnibus iudicis potestatibus; *Lopez L.* De iudicibus; *Matthaei P.* Lectio de iudicum in ferendis sententiis vero et necessario officio et interpretatione fidelissima 75 cap. « Quamvis », qui situs est XI C. q. 3 decreti Gratiani et l. 3 § 1 ff. de officio Praesidis; *Segura Io.* Directorium iudicum ecclesiastici fori; *Busi P.* Tract. de officio iudicis; *Laurentii Io.* Tract. de iudice suspecto; *Cardoso de Amaral A.* Summa seu praxis iudicum et advocatorum; *Harprecht Io.* Tract. de processu iudiciario; *Leonis Io. B.* Theoaurus fori ecclesiastici; *Chenu Io.* Praxis civilis universa canonica fori ecclesiastici gallici; *Genuensis M. A.* Practica ecclesiastica; *Stephani M.* De iudice et officio iudicis; *Laymann P.* De iurisdictione et iudicis ordinarii potestate; *Danza E.* De pugna doctorum, praelio iudicum et victoria advocatorum; *Zypaei I.* Iudex, magistratus et senator; *De Vega F.* Resolutiones can. in secundum decretalium librum; *Xamer I. P.* Tract. de officio iudicis et advocati; *Ciarlini* Controversiarum forensium iudiciorum; *Rambeck A.* Bivium fori contentiosi; *Auboux I.* La véritable pratique civile et criminelle des cours ecclésiastiques; *Sperelli A.* Decisiones fori ecclesiastici; *Tibaldeschi C.* Manuale iudicum seu de modo procedendi et iudicandi in causis forensibus; *De Thoro I. B.* Tractatus de magistratibus et aliis iusdicentibus etc.; *Müntzer G.* Fructus iur. can. de iudic.; *Coselii H.* Ad l. un. Cod. ne quis in sua causa vindicet vel sibi ius dicat; *De Magistris Fr.* Sylva et praxis ecclesiastica; *Ventriglia I. B.* Praxis notabilium rerum fori ecclesiastici; *Guazzini P. P.* Tract. mor. ad defensam animarum advocatorum, iudicum, reorum: *Barbosa P.* Comm. ad interpr. tit. de iud.; *Iones Th. W.* Prolusiones academ. in tit. de iudiciis etc.; *Suarez de Paz* Praxis ecclesiastica et saecularis; *Tabarelli D.* Tract. de iudiciis; *Alvurez de Valasco A.* Tract. de iudice perfecto; *Glaesseri E.* Disp. de iudice; *De Ptolomaeis I.* De iudicandi facultate; *Bouricius I.* Tract. de officio iudicis et advocati; *Bajo Gomesii* Praxis ecclesiastica et saecularis; *Ziegler C.* De iudicum officio et delictis; *Ricci A.* Praxis rerum quotidianarum ecclesiastici fori seu resolutiones forenses materiarum ecclesiasticarum ex decretis curiarum ecclesiasticarum collecta; *Endter Io. M.* De iudicis suspecti recusatione; *Pa-*

nimolla Fori eccl. decisiones civiles, morales et criminales; *Schambogen J. Ch.* Diss. iurid. - can. - polit. de iurisd. iudic. et appell.; *Albitius Card.* De inconstantia in iudiciis; *Ricci L.* Praxis formularii civilis; *Thomassin* P. II. lib. 3. c. 101 sqq.; *Horry C.* Pratique civile des officialités ordinaires, foraines et privilégiées et autres cours et juridictions ecclésiastiques; *De Combes* Recueil de procédures civiles des officialités; *Du Casse M.* Pratique de la juridiction ecclésiastique gracieuse et contentieuse; *Friderich* Forum competens seu tractatus canonico-civilis; *Voetter* De iudiciis causarum civilium sive tract. canon.-legalis ad iudicem; *Söll A.* De iudiciis causarum civilium etc.; *Lobethan F.* Versuch z. e. syst. Entwickl. d. ganz. Lehre v. d. Gerichtsbarkeit; *Burnouf E.* De re iudicata et rei iudiciariae apud romanos disciplina; *Felsecker* Delineatio eorum, quae in processu civili romano per decretales mutata sunt; *Jungk* De originibus et progressu episcopalis iudicii in causis civilibus laicorum usque ad Iustinianum; *Bachofen I. F.* De romanorum iudiciis civilibus, de legis actionibus, de formulis, de condictione; *Bouix* Tract. de iudiciis ecclesiasticis: *Keller* Der römische Zivilprozess; *Rothe H.* Historia exceptionum litis ingressum imped. ex iure canonico descripta; *Fessler* Der canonische Process nach seinen positiven Grundlagen und seiner ältesten historischen Entwickelung in der vorjustinianischen Periode; *Maas* Ueber die Competenzfrage der geistlichen Gerichte; *Bethmann-Hollweg* Der Zivilprozess d. gem. Rs.; *Bayer* Vorträge über den gemeinen deutschen Civilprocess; *Muther Th.* Zur Geschichte des römisch-canonischen Processes in Deutschland während des 14 und zu Anfang des 15 Jabrhunderts; *Karlova* Der röm. Civilprozess zur Zeit der Legisactionen; *Wetzell* System des ordentlichen Civilprocesses; *Fournier P.* Les officialités au moyen-âge... de 1180 à 1328; *Demurtas Zichina P.* La giustizia amministrativa in Italia; *Cardon R.* La giustizia e l'amministrazione; studio; *Padelletti G.* I giudici nel processo civile romano; *Sorel G.* La psychologie du juge; *Nissl A.* Der Gerichtsstand d. Klerus im fränk. Reich; *Endemann* Das Zivilprozessverfahren nach kanonistischer Lehre; *Wahrmund L.* Actor et reus; *Leo F.* Erklärung des cap. 12 in VI de appellationibus II. 15. Ein Beitrag zur Entwickelungsgeschichte des canonischen Civilprozesses; *Stocquart Em.* L'administration de la justice au moyen-âge et sous l'ancien régime; *Lega M.* Prael. in text. iur. can. de iudiciis eccl.; *Wahrmund* Quellen z. Geschichte d. röm.-kan. Prozesses im Ma.; *Sebastianelli G.* De iudiciis eccl. Reliquam bibliographiam quaere sub *Inquisitio, Iurisdictio.*

Iudices synodales. — « A Concilio 2545
Tridentino (*sess. XXV. c. 10*) statutum fuit, in singulis synodis dioecesanis aliquot personas aptas ab episcopo esse designandas, quibus causae ecclesiasticae ac spirituales, atque ad forum ecclesiasticum pertinentes, in partibus delegandae committerentur, ita ut quaeque dioecesis quatuor saltem ac etiam plures habeat probatas personas, quibus huiusmodi causae delegari possint. Quam Tridentinam dispositionem latius explicat ac illustrat Benedictus XIV in suis apostolicis litteris, quarum initium « Quamvis » (*26 aug. 1741*), ac etiam in suo aureo opere de Synodo *lib. IV. c. 5...* Haec emi Patres huius S. Congregationis matura deliberatione perpendentes, in eam per praesens decretum venerunt sententiam, ut cohibeatur numerus iudicum et examinatorum synodalium, ita tamen ut, hoc auctorante sacro ordine, ii tantummodo habeantur, ac tales sint, qui sequuntur,

nimirum iudices synodales novem, examinatores synodales viginti ». *S. C. C. 15 sept. 1874.*

Si aliquis ex designatis, antequam nova synodus celebretur, mori contigerit, substituere debet ordinarius loci cum consilio capituli alium in eius locum usque ad futuram provincialem aut dioecesanam synodum, ita ut habeat quaeque dioecesis quatuor aut plures probatas personas et qualificatas, quibus causae ecclesiasticae a Sede apostolica committantur. Alioquin post designationem factam, quam statim episcopi ad rom. Pontificem transmittere debent, delegationes quaecumque aliorum iudicum, aliis, quam his, factae subreptitiae censeri debent. Conc. Trid. *loc. cit.* Ut diximus, personae huiusmodi debent esse qualificatae. Hinc, quum episcopus Regiensis elegisset in iudices prosynodales tam canonicos cathedralis, quam canonicos alicuius collegiatae, quorum aliquot nulla dignitate aut personatu erant distincti, S. Congregatio Conciliice nsuit electionem sustinendam esse tantum quoad canonicos ecclesiae cathedralis ac dignitates et personatus in aliis ecclesiis. *S. C. C. in Regien. 9. sept. 1843.*

2546 **Iudicium temerarium.** — Iudicium temerarium est firmus assensus ex levibus indiciis conceptus de peccato proximi. G. B. *I. 465.* Ex genere suo est mortale contra iustitiam, saepius autem veniale ob parvitatem materiae aut imperfectionem actus. Lessius *de iust. et iur. lib. II cap. 29. n. 11;* S. Alph. *III. 962;* G. B. *I. 446.* Ad eius gravitatem plures requiruntur conditiones; ut nempe sit firmum, plene deliberatum, in re gravi, de persona determinata, levibus indiciis innixum. S. Alph. *l. cit.;* D'Ann. *II. 265.* Nota tandem cum Lessio (*l. c. n. 42*), quod in casu dubii de bonitate vel malitia proximi, quando agitur de vitando aliquo damno vel de adhibendo remedio, dubia sunt in deteriorem partem accipienda, non quidem iudicando proximum esse improbum, vel habendum pro tali; sed iudicando ita exterius cavendum, et sibi illique consulendum, ac si dubia esset eius probitas.

Iuramentum. — **De natura et divi-** 2547
sionibus iuramenti. — Iuramentum est invocatio Dei in testimonium. S. Th. *2. 2. q. 89. a. 1. c.* Dividitur in *assertorium,* quo praesentia vel praeterita affirmantur vel negantur; et *promissorium,* quo promissio (etiam Deo facta, et tunc habetur votum iuratum) vel pactum confirmatur. Dividitur praeterea in solemne, quod fit forma a iure requisita solemnibusque ceremoniis, et simplex, quod iis seclusis et privatim fit: his accedit *imprecatorium,* quo Deus invocatur simul in testem et in vindicem periurii. G. B. *I. 306.*

Duo ad eius essentiam requiruntur: intentio iurandi et formula iuratoria. D'Ann. *II. 23.*

Quaenam autem sint formulae iuratoriae, quaenam non, desumendum est, si agatur de formulis, ut ita dicam, realibus (idest de signis, ut tangendo evangelium iurare), ex legibus vel moribus; si de formulis mere verbalibus, ex significatione vocum usitata ibi, ubi eae proferuntur. D'Annibale *II. 24.*

2548 **De liceitate iuramenti et de iis, quae ad liceitatem requiruntur.** — Debitis vestitum conditionibus iuramentum est honestum et licitum. S. Th. *2. 2. q. 89. a. 2. c.*

Qui sine intentione iurandi formulam ponit iuramenti, per se peccat (cfr. *prop. 25am damn. ab Inn. XI decr. diei 2 mart. 1679*), sed tantum venialiter. S. Alph. *III. 172.*

Ad liceitatem iuramenti requiritur: veritas (scilicet illius, quod iuratur, seu circa quod iuramentum versatur), iudicium (scilicet discretionis, nempe ut quis non leviter, sed ex necessaria causa et discrete iuret), iustitia (scilicet ut iuramentum non sit de re iniqua vel illicita). S. Th. *2. 2. q. 89. a. 3. c.* Ex dictis patet, veritatem proprie in assertorio, iustitiam in promissorio iuramento attendi. B. P. *II. 549.*

Quaecumque causa honesta alicuius ponderis sufficit ad iurandum. G. B. *I. 310.*

Iurare sine veritate certo est mortale (cfr. *prop. 24am damn. ab Inn. XI decr. diei 2 mart. 1679*; S. Alph. *III. 147*; D'Ann. *II. 26*).

Iurare sine iudicio est veniale (Sanchez *in dec. lib. III cap. 4 num. 35*; S. Alph. *III. 145*; Suarez *de iur. lib. III. c. 12. n. 3*; B. P. *II. 550*).

Iurare sine iustitia in materia gravi, certo semper est mortale (G. B. *I. 311*), in materia levi probabilius et forte verius etiam mortale (S. Alph *III. 146. 5*; B. P. *II. 558*), si agatur de iuramento promissorio; veniale autem tantum videtur, si agatur de iuramento assertorio. Struggl *Th. un. tr. 5. q. 3. a. 1. n. 9*; B. P. *II. 554 sqq.*

Quare periurii reus est tum ille, qui sub iuramento affirmat quod falsum, aut negat quod verum erronee putat (Salmanticenses *Th. mor. t. XVII. c. 2. n. 42*); tum ille, qui quasi certum asserit id, de quo dubitat, vel contra. Sanchez *in dec. lib. III. cap. 4. n. 8*; Suarez *de iur. lib. III cap. 4. num. 7.* Non exigitur tamen certitudo huiusmodi, quae nullam admittat dubitationem, sed moralis sufficit (Sanchez. *l. c. n. 10*), ut si quis audierit rem a persona fide digna (S. Alph. *III. 148*); nisi iuramentum *de scientia* delatum fuerit, ut regulariter in iudiciis. D'Annibale *II 26 (22).*

Iurare cum restrictione pure mentali non licet (cfr. *prop. 26. 27. 28 damn. ab Inn. XI*); sed ex iusta causa (cfr. Lugo *de fide disp. IV. n. 6*) uti aequivocatione, et eam iuramento firmare licet. S. Alph. *III. 151.*

De iuramento promissorio. — Iu- 2549
ramentum promissorium specialem inducit obligationem religionis (S. Th. *2. 2. q. 89. a. 7. c.*; B. P. *II. 571. 587*; D'Ann. *II. 25*); sed si fuerit de re illicita (*c. 22. C. XXII. q. 4*; S. Th. *loc. nuper cit. ad 2*), vel plane inutili (G. B. *I. 312*), nullum est.

Eius *obligatio* stricte interpretanda est iuxta conditiones etiam tacitas in eo subintellectas (S. Alph. *III. 180*); sequitur autem naturam actus, cui adiicitur. Suarez *de iur. lib. II. c. 12. num. 11*); Salmanticenses *Th. mor. tr. XVII. c. 1. n. 149*; S. Alph. *III. 180*; cfr. *l. 7. § 16 de pactis D. (II. 14).*

In transgressione iuramenti promissorii probabilius et verius parvitas materiae datur. S. Alph. *Hom. ap. tr. V. c. 2. n. 13*; B. P. *II. 576. sqq.*

Emissus errore et dolo, si dolus causam dederit iuramento, certe (Lessius *de iust. et iure lib. II. c. 42. n. 34*) non tenet; metu gravi extortum verius tenet. Vid. *Metus*.

2550 **De iuramento erga gubernium civile.** — Quoad quaestionem, an liceat emittere iuramentum erga gubernium aliquod civile, responderi potest, si gubernium illud sit in concordia cum ecclesia, iuramentum fidelitatis, etiam sine ullis clausulis, facile licere (et hoc, etiamsi in eo statu leges vigeant contrariae legibus divinis et ecclesiasticis, ut lex divortii; tunc enim iuramentum a catholico viro praestitum communi sensu ita datum intelligitur circa observantiam legum, ut salvum semper sit ius Dei et ecclesiae); si vero inter ecclesiam et gubernium sit dissidium, semper iurari potest cum clausula: « Salvis legibus Dei et ecclesiae »; quae clausula in aliquibus casibus praesumi etiam potest.

Sed spectandum est tempus et circumstantiae; quare iudicium ecclesiae quoad hoc in praxi exquirendum est. Hinc ad quaesitum: « an liceat iuramentum ab intruso gubernio propositum hisce vel similibus verbis, quibus illimitata obedientia continetur: Iuro fidelitatem et obedientiam V. E. Italiae regi eiusque successoribus; iuro, me statutum omnemque aliam Status legem pro inseparabili et regis et patriae bono observaturum » S. Poenitentiaria *10 decembris 1860*. respondit: « Iuramentum, ut exponitur, non licere: tolerari autem posse iuramentum obedientiae mere passivae in iis omnibus, quae legibus divinis et ecclesiasticis non adversantur iuxta formam a s. m. Pio VII approbatam et his verbis expressam, scilicet: Promitto et iuro, me cuiuslibet generis coniurationi, sive conventui, sive seditioni contra actuale gubernium operam numquam daturum, itemque eidem me subiectum fore atque obtemperaturum in iis omnibus, quae nec Dei nec ecclesiae legibus adversentur ».

De cessatione obligationis iura- 2551
menti. — Iuramentum *cessat* obligare ob notabilem materiae mutationem (S. Alph. *III. 187;* B. P. *II. 594*), ob cessationem causae finalis (B. P. *l. c.*, ut si quis promisit alicui eleemosynam, quia pauper erat, et postea fit dives), irritatione, commutatione, dispensatione. G. B. *I. 314*.

De his relate ad iuramentum fere idem dicendum ac relate ad votum. Vid. *Commutatio, Dispensatio, Irritatio*.

Attamen quoad dispensationem nota hic ea, quae habet Ballerini-Palmieri (*I. 417*) scilicet in iuramentis nullam proprie dictam dispensationem intercedere. « Nam vel obligatio iuramento firmata remittitur a creditore, sive ab eo, in cuius bonum cedit promissio iam acceptata, et sic non dicitur dispensatio, sed condonatio aut relaxatio. Vel sine consensu creditoris remittitur obligatio ab eo, qui habet potestatem dominativam in promittentem, et tunc erit irritatio. Dispensatio ergo locum habebit in iuramentis, quae per modum voti soli Deo absolute fiunt; sed et istam potius remissionem quamdam debiti nomine Dei factam quam dispensationem dicit Suarez *De iur. lib. II. c. 38. n. 2 et c. 40. n. 1* ».

Habens potestatem delegatam dispensandi in votis potest et in iuramentis dispensare, quando votum ipsum iuramento firmatum est, idest dispensare etiam potest in votis iuratis. S. Alph. *III. 189.* An etiam dispensare possit in iuramentis independenter a voto, aut sine ullo voto emissis, alii affirmant, alii negant. S. Alphonso utraque sententia visa est probabilis, sed negantem putat ipse omnino tenendam, quia possidet voti obligatio. Aliis et gravissimis hoc certum non videtur. Cfr. D'Ann. *II. 431 (36)*; G. B. *I. 314 (23).*

Attamen notanda est responsio sequens S. Congr. de Prop. Fide: « Facultas dispensandi a votis facultatem dispensandi a iureiurando per se non includit ». *S. C. P. F. 19 maii 1845.*

Relaxari iuramentum etiam potest, ab eo, in cuius favorem promissio facta est.

2552 **De iuramento contractibus apposito.** — Iuramentum appositum contractui, praeter obligationem ex iustitia, inducit obligationem ex religione, quae tamen obstringit immediate iurantem ac proinde ad heredes non transit. B. P. *II. 588*; G. B. *I, 790.* Ceterum probe animadvertendum est cum Sanchez (*in dec. lib. III, c. 12. n. 3*) et Suarez (*de iur. lib. 2. cap. 30 num. 23*), quos refert Ballerini-Palmieri (*loc. cit.*), confirmationem, quae ex iuramento contractibus accedit, non esse repetendam ab ipsa vi iuramenti, quod nil aliud facit, nisi aliquam obligationem ex virtute religionis iuranti imponere, sed ex dispositione iuris positivi, quod excludit quosdam contractus iuramento firmatos a beneficio irritationis ver irritabilitatis, quod aliis similibus contractibus iuramento non firmatis concedit. Cfr. Lugo *de iust. et iure disp. XXII. n. 199.*

Contractus quoscumque iure irritos iuramentum non firmat. B. P. *l. c.*

Contractus rescindibiles, iuramento munitos, valide rescindi affirmant nonnulli, quando rescindibilitas inducta est intuitu boni publici, non autem, si inducta fuerit in privatam commoditatem contrahentis. G. B. *I. 792.* Melius autem diceres, posito principio statuto, huiusmodi contractus numquam rescindi posse, sed peti posse relaxationem iuramenti, quo impediebatur effectus rescindibilitatis. Ceterum moderna iura hanc vim iuramento non tribuunt. Vid. *Metus.*

Varia notanda. — Circa eos, qui iu- 2553
randi habent consuetudinem, haec sapienter, et utiliter quoad praxim tradit Ballerini-Palmieri, (*II. 552*): « Qui habet iurandi consuetudinem, quin tamen mendax et iniustus sit, ut proinde solum sine necessitate soleat iurare, non est in statu peccati mortalis, etiamsi non conetur evellere illam consuetudinem; quia actus est culpa levis. Contra, qui habet animum iurandi simul et mentiendi, peccat letaliter, si non studeat evellere consuetudinem; toties autem censetur peccare, quoties advertit obligationem et, opportuna exsistente occasione, non adhibet remedia idonea; quippe qui est in proxima occasione peccandi et falsa iuramenta evadunt voluntaria in voluntaria consuetudinis perseverantia. - Potest quis se liberare a statu peccati, si eum doleat, isque proponat tum abstinere ab hu-

iusmodi iuramentis, tum evellere consuetudinem. Et si haec adsint, potest absolvi; quia non est haec occasio extrinseca, quae possit et debeat mere tolli, sed intrinseca, non secus ac ceteri pravi habitus. - Posito hoc efficaci proposito, sequentia iuramenta actu involuntaria non imputantur ad peccatum, quia seiuncta a causa, propter quam censebantur voluntaria. Id ex communi doctrina ».

Iuramentum praestare coram ministro schismatico catholicis licet, si minister schismaticus assistat iuramento catholicorum praesentia mere passiva et politica, sine stola aliisque signis ministerii, seu tamquam non addictus sacris. *S. U. I. 1. apr. 1857.*

Quaesitum etiam est, an liceret catholicis iurare super biblia a protestantibus corrupta et a gubernio protestantico exhibita. Et responsum est, ut vicarii apostolici curarent obtinere a gubernio facultatem pro catholicis iurandi super S. Scripturam ab ecclesia catholica receptam; quoadusque autem a gubernio hoc non obtinuerint, eos tacere debere, si viderint fideles super biblia haereticorum iuramentum praestare, dummodo de licito iureiurando ageretur. *S. C. P. F. ad vic. ap. Ind. 8 sept. 1869.*

Quoad iuramentum suppletorium ad probandum statum liberum, vide *Status liber.*

Quoad iuramentum suppletorium loco testimonialium pro clericis, qui militiae operam dederunt, vide *Testimoniales.*

Decr. Grat. C. II. q. 5; tit. de iureiurando X. (II. 24); idem tit. (II. 11) in 6°; idem tit. (II. 9) in Clem.; *Soto D.* De cavendo iuramentorum abusu; *Phanucci Ph.* De iureiunando in litem; *Eberti I.* Historia iuramentorum; *Borcholten J.* De iureiurando voluntario, necessario et iudiciali; *Carocci V.* Tract. de iuramento decisorio; *Mancini V.* Tract. de iuramento eiusque vi et effectibus; *Suarez F.* Tract. de iuramento et voto; *Hansenius J. B.* Commentaria de iureiurando veterum; *De Seraphinis S.* Tract. de privilegiis iuramentorum; *Henichius J.* Diss. de iuramentis et votis; *Dicastillo J.* Tract. de iuramento, periurio etc.; *Werner G.* De iuramentis; *Lauterbach W. A.* Tract. de iuramentis; *Michaelis N.* Tract. de relaxatione a iuramento praestito; *Del Bene Th.* Tract. de iuramento; *Heidegger J. H.* De iuramento; *Setserus I.* Tract. de iuramentis; *Göschel* Der Eid nach scinem Prinzipe, Begriffe und Gebrauche; *Krummel* Der Eid; *Marx* Der Eid und die Eidespraxis; *Strippelmann* Der christliche Eid nach Entstehung, Entwicklung u. s. w.; *Göpfert* Der Eid; *Hirzel R.* Der Eid.

Iura stolae. — Iura stolae dicitur ius, 2554
quod parochus habet aliquid exigendi pro baptismo, proclamationibus et assistentia matrimonii, sepultura, nec non pro testimoniis e libris parochialibus excerpendis et a parocho fidelibus dandis, etc. Phillips *Comp. iur. eccl.* § *169.* Dicuntur autem iura stolae ex eo, quod huiusmodi praestationes tunc generatim solvuntur, quum parochus in alicuius fidelis favorem stola utitur. Aichner *Comp. iur. eccl.* § *230. n. 2.* Spectant ad solos parochos vel ad eorum vicarios, qui nempe constituuntur in ecclesiis filialibus, non vero ad eorum cooperatores seu vice-parochos, nisi ex parochorum concessione, vel ex consuetudine, aut statuto episcopi aliud cautum sit. Aichner *l. c.* Quando et in quanam

quantitate a fidelibus sint parocho praestanda, eruendum est ex locorum consuetudine et legibus particularibus. *c. 42 de simonia X.* (*V. 3*). Si quae autem sunt incerta in hac materia, decet, ut ab episcopo exactius ordinentur. Parochus pro missa nuptiali vel exsequiali, quam alii celebrandam committat, ordinariam tantum eleemosynam dare potest, retento pinguiori stipendio, quod pro iisdem missis datur, modo ratione officii parochialis et propter officia parochiali beneficio inhaerentia eleemosyna pinguior, et ius stolae concedatur. *S. C. C. 11 maii 1888.*

2555 **Iurati.** — Sunt viri selecti ex civium primoribus ad partem aliquam iudicum propriam obeundam. B. P. *IV. 590.*

His nullimode licet votum dare contra accusatum iuridice de crimine convictum, quem ipsi sciunt privata scientia innocentem. B. P. *IV. 592;* Génicot *Th. mor. II. 9. 2°.* Imo iurati numquam possunt culpam, quae certo et evidenter sibi non constet, affirmare. B. P. *IV. 591.*

Quaeri potest, quid facere debeat iuratus, si quando de persona ecclesiastica iudicandum sit. Et praescindendo a locis, in quibus iudicium agere de clerico laicis licet vel ex concordatis vel ex contraria consuetudine, in aliis locis, in quibus viget ius commune, iurati, si possunt sine difficultate se subducere, id certo facere tenentur; si hoc non possunt sine gravi incommodo, tunc petere debent licentiam suum munus exercendi ab auctoritate ecclesiastica, qua habita, poterunt etiam pro delicto stare contra reum, si de delicto constat. Si autem ecclesiastica auctoritas adiri nequit, praesumi potest eius consensus, saltem si iuratus pro reo respondere velit, quod in casu fieri semper potest, quum numquam de delicto *iuridice,* idest, servato ordine iuris (quod in casu violatur), possit constare. B. P. *IV. 591.*

Iurisdictio. — **De natura et divi-** 2556
sionibus iurisdictionis. — Iurisdictio, si spectes vim nominis, est potestas dicendi ius; iure tamen nostro accipitur latiori sensu et definitur: potestas publica circa aliorum regimen et gubernationem. Reiffenstuel *in tit. 29 lib. I Decr. n. 3;* Laymann *Th. mor. lib. I. tr. 4. c. 5. n. 1;* Molina *de iust. et iure tr. 5 disp. 2;* D'Ann. *I. 71.* Iurisdictio igitur iure nostro completur potestate legifera, iudiciaria, coactiva.

Dividitur autem iurisdictio:

ratione *fori* in iurisdictionem fori interni, quae respicit privatam fidelium utilitatem (ut est facultas praedicandi evangelium, absolvendi a peccatis, etc.), et fori externi, quae respicit publicam utilitatem fidelium (ut est facultas concedendi potestatem praedicandi evangelium, absolvendi a peccatis, etc.);

ratione *obiecti* in contentiosam, quae exercetur inter eos, qui in iudicio contendunt, et voluntariam, quae non sic exercetur, quamvis etiam in invitum exerceri possit (ut esset irrogatio censurarum per modum praecepti); at probe nota, iurisdictionem voluntariam non comprehendere omnes actus, qui non cadunt sub contentiosa, sed speciales quosdam tan-

tum, qui neque ad potestatem legislativam neque ad iudiciariam, sed ad exsecutivam seu imperii pertinent; scilicet voluntaria iurisdictio est species potestatis exsecutivae, et versatur circa negotia non contentiosa, tribuens vel certa habens privatis nonnulla iura, quae contradictioni obnoxia non sunt; ex quibus patet, voluntariam iurisdictionem in contentiosam transire, interveniente iusto contradictore (Lega *de iudiciis I. 42*); voluntaria iurisdictione etiam extra suum territorium potest quis uti, contentiosa nonnisi in territorio (D'Ann. *I. 72;* B. P. *VII. 35* [6]);

ratione *extensionis* in universalem, quae nullo arctatur limite, nec quoad personas, nec quoad loca, nec quoad materias potestati ecclesiasticae subiectas; et particularem, quae restringitur vel ad certas personas, vel ad certum locum, vel ad certas materias;

ratione *tituli* in ordinariam, quae alicui iure proprio, seu ratione officii aut dignitatis ex lege vel consuetudine competit; et in delegatam, quam quis habet solum ex commissione alterius, cuius vice fungitur.

2557 **De deficiente iurisdictione, quae iure suppletur.** — Iurisdictio suppletur a iure, si iura potuissent eam dare:

a) quando aliquis iurisdictionem non habens, eam exercet cum titulo colorato et errore communi, imo iuxta quosdam etiam cum solo errore communi sine titulo colorato (hinc valide iuxta hos absolvit confessarius post elapsum mandati tempus, quamdiu hoc ignoratur, B. P. *V. 402;* D'Ann. *I. 79* [*74*]); non vero cum solo titulo colorato sine errore communi; vid. *Titulus;*

b) in re dubia, modo dubium sit non mere negativum, sed positivum, et vere probabile, sive iuris sit sive facti. D'Ann. *I. 80* (*78*). Hinc si simplex confessarius in tali dubio reservationis absolverit a reservatis, absolvit valide.

De discrimine inter potestatem iurisdictionis et ordinis. — In iure canonico alia est potestas iurisdictionis, alia potestas ordinis. Cfr. Palmieri *de Rom. Pont. Proleg.* §§ *XII. VII;* Wernz *Ius decr. II. 3.* Haec praesertim ad animarum sanctificationem, illa ad regendam societatem fidelium pertinet. Reiffenstuel *in tit. 23. l. I. Decr. n. 3*; Laymann *Th. mor. lib. 1. tr. 4. c. 5. num. 1.* Quare prima sacerdotes benedicunt et consecrant, altera superiores ecclesiastici gubernant et regunt; ista acquiritur per missionem seu iniunctionem, qua subditi alicui assignantur (S. Th. *2. 2. q. 39. a. 3;* Aichner *Comp. iur. eccl.* § *24*), illa per sacram ordinationem. Modus vero acquirendi iurisdictionem, seu habendi hanc missionem est nstitutio seu collatio officii ecclesiastici (Vid. *Collatio, Institutio*), vel delegatio a superiore habita. Vid. *Delegatio.* 2558

De poenis contra eos, qui in ecclesiasticam iurisdictionem peccant. — De excommunicatione in usurpantes (*remissive*). — Excommunicationem latae sententiae Romanao Pontifici specialiter reservatam incurrunt usurpantes aut sequestrantes iurisdictionem, bona, reditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum 2559

aut beneficiorum pertinentes. *Const.* « Apost. Sedis » *ser. 1. n. 11.*

De hac excommunicatione vide *Usurpantes.*

De excommunicatione in impedientes. — Eamdem excommunicationem incurrunt impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae, sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum seculare, eiusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium vel favorem praestantes. *Const.* « Ap. Sedis » *ser. 1. n. 6.*

Excommunicationem hanc igitur incurrunt ii omnes, qui quoquo modo impediunt exercitium ecclesiasticae iurisdictionis, non autem ordinis, aut eorum, ait D'Annibale (*Comm. in const.* « *Ap. Sedis* » *n. 57*), quae sunt magis iuris, officii et libertatis naturalis. Explicat autem ibidem (*n. 56*), quae ipse habet pro iis, quae magis sunt iuris, officii et libertatis naturalis. Scilicet magis iuris et officii sunt ex. gr. docere, praedicare, publicas supplicationes obire, privative quoad alios, et generaliter ea, quae competunt parochis in foro externo, in quo translatitium est, eos nullam iurisdictionem habere; libertatis vero naturalis sunt ex. gr. acquirere bona temporalia, ea alienare, contractus inire. Attamen alii dubitant quoad docere et praedicare. Nam, ut ait Ballerini-Palmieri (*VII. 281. a*): « Episcopus docens ex peculiari suo officio pastoris obligationem, etsi non peremptoriam, imponit ovibus suis suscipiendi cum reverentia quae docet iisque morem gerendi; sunt enim episcopi in ecclesia doctores, licet non supremi; quoties vero aliqua obligatio imponitur ex publica auctoritate, iurisdictio aliqua exercetur ».

Quaestio est, an incurrant excommunicationem impedientes collationem beneficii ecclesiastici; et doctores in diversam abeunt sententiam; at sententia affirmans videtur verissima. Conferre enim beneficium ecclesiasticum videtur exercitium praecipuum iurisdictionis, praesertim si agatur de beneficiis cum cura animarum; nam, quomodo magis exerceatur iurisdictio, quam praeficiendo rectores gregi christiano?

Exercitio autem iurisdictionis opponuntur actiones omnes, quibus impeditur *a*) ne fiant ea, quae propriae iurisdictionis sunt, sive impediatur quis ne iurisdictione sua uti incipiat, sive ne ea uti pergat; *b*) ne facta executioni mandentur, ut si quis apud auctoritatem civilem appellationem interponeret *ab abusu; c*) ut quae exsecutioni mandata fuerint, revocentur, ut ecce si quis cogat episcopum revocare mandatum, quo aliquid sub poena excommunicationis prohibuit. Quare hanc excommunicationem non incurreret ille, qui cogit episcopum absolvere eum, quem excommunicavit, aut qui episcopum vexat pro lata excommunicatione. D'Ann. *l. c. n. 58*; B. P. *VII. 281.*

Excommunicantur autem impedientes, scilicet facientes, ut praelatus ecclesiasticus ab agendo cesset invitus; hinc non illi, qui hoc obtinere nituntur precibus, blanditiis, fallaciis, consiliis.

Excommunicantur praeterea recurrentes in hunc finem ad forum secu-

lare eiusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem praestantes. — Porro putat D'Annibale (*loc. cit. n. 61*) ad incurrendam excommunicationem necesse esse, ut quis recurrat *et* mandata procuret, idque etiam tenet Ballerini-Palmieri (*l. c.*); quod, quum in odiosis versemur, admittendum videtur. Omnes autem putant impedientes, etiamsi nec recurrant, nec mandata procurent etc., excommunicatione teneri. Et quamvis verba legis sint: « impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae... *et* ad hoc recurrentes etc. », putant tamen illud *et* accipiendum esse pro *vel*, quia hoc in iure inusitatum non est. Quod utique est verum; sed curnam hic istud *et* pro *vel* accipi *debet?* Quia iura posteriora ad priora trahenda sunt? Sed versamur in odiosis, quae utique magis convenit restringi, quam ampliari. Et nonne constitutio « Apostolicae Sedis » aliquos aliquando praeterivit, quos bulla « Coenae » puniebat? Curnam non potuit hic excommunicationem coercere ad eos tantummodo, qui iurisdictionis exercitium hoc modo impediunt, recurrentes scilicet ad forum seculare, eiusque mandata procurantes, etc., quum praesertim iste sit modus praecipuus, quo uti possit, qui hoc facere vellet, et lex ordinarie contingentia respiciat?

Postremo adnota, effectu nondum secuto, nec impedientes, nec mandata edentes, nec recurrentes, nec auxilium aut favorem praestantes excommunicationem contrahere iuxta plerosque. D'Ann. *loc. cit.*; B. P. *l. c. Comm. in const. « Apost. Sedis » n. 19.*

De iurisdictione pro confessionibus (*remissive*). — Vid. *Confessarius.*

Lorioti Tract. de iurisdictione; *Caimi M. A.* Tract. in aliquot titulos de iurisdictione; *De Matthaeis A.* Tract. de iudiciis et iurisdictionis prorogatione etc.; *Gillotti Io.* Tract. de iurisdictione et imperio; *Musconi H.* Tract. de iurisdictione et imperio; *Lescurii Io. A.* De iurisdictione; *Longovalli Io.* Tract. de iurisdictione; *De Claperiis F.* De imperio et iurisdictione; *Quintanadueñas A.* De iurisdictione et imperio; *Mureti M. A.* Tract. de iurisdictione delegata et imperio; *Pincieri C.* Tract. de iurisdictione et imperio; *Mansi A.* De ecclesiasticis magistratibus eorumque antiquitate; *Boceri H.* Tract. de iurisdictione; *Molina L.* Tract. de iurisdictione; *Gentilis S.* Tractatus de iurisdictione; *Mohr E.* Disp. de iurisdictione; *Putschii E.* Controversiae de iurisdictione; *Hunnius H.* Tract. de iurisdictione; *Achillini Ph.* De iurisdictione regia et sacerdotali; *Menochii Io.* De imperio et iurisdictione commentarii posthumi; *Osterman A.* De iurisdictione imperii Romano-Germanici; *Oppermann C. H* Diss. de iurisdictione imperii Romano-Germanici; *Laymann P.* Conclus. canon. de iurisdictione et foro compet.; *Riemeri V.* Tract. de iurisdictione; *Lasson P.* De iurisdictione et imperio; *Ansaldi F.* De iurisdictione tractatus; *Balthaxaris* Tract. de iurisdictione; *Vinnii A.* Tract. de iurisdictione et imperio; *Maieri G. A.* Tract. de veterum magistratuum et hodiernorum iurisdictione; *Zypaeus F.* De iurisdictione eccl. et civili; *Del Bene Th.* De immunitate et iurisdictione eccl.; *Gollii W. H.* Disp. de iurisdictionis praeventione; *Gibalinns I.* Disquisitiones canon. et theologicae de sacra iurisdictione; *Ferri M.* De differentiis utriusque fori; *Lauterbach W. A.* Tract. de voluntaria iurisdictione; *Freyberg A. A.* De iuris-

dictione eiusque turbatione et foro; *Suthold B.* Tract. de iurisdictione; *Frances M. A.* De competentia iurisdictionis inter curiam ecclesiasticam et saecularem; *Obrecht G.* Tract. de iurisdictione et imperio; *Bartheld Io. Ch.* De iurisdictione eiusque turbatione; *Stryckii S.* De iurisdictione circumsepta; *Cocceius H.* De iurisdictione ecclesiastica; *Florent F.* Ad Gratian. C. XI q. 1. tract. de iurisd. eccl.; *Scambogen I. Ch.* Dissert. iurid.-canon.-polit. de iurisdict. iud. et appell.; *Menochius* De iurisdictione ecclesiastica et saeculari; *Cirinus Fr.* Nexus rerum ecclesiasticarum iurisdictionalium; *Dahlmann V.* Disp. iurid. de potest. cler. in saecul.; *Thomassin* P. II lib. 3. c. 101 sqq.; *De Alteserra A. D.* Ecclesiasticae iurisdictionis vindiciae; *De Oliva* Tract. de foro ecclesiae etc.; *Stryck I. S.* De origine et usu iurisdict. eccl.; *De Prosperis Io.* Tract. de territorio separato cum qualitate nullius seu de iurisdictione locali in spiritualibus; *Marta P.* Tract. de iurisdictione; *Hebenstreit* Historia iurisdictionis ecclesiasticae ex legibus utriusque codicis illustrata; *Curalt R.* Genuina totius iurisprudentiae sacrae principia; *Schilling* De origine iurisdictionis ecclesiasticae in causis civilibus; *Turk* De iurisdictionis civilis per medium aevum cum ecclesiastica coniunctae origine; *Dove* De iurisdictionis ecclesiasiasticae apud Germanos Gallosque progressu; *Friedberg* De finibus int. eccl. et civit. reg. iurisd.; *Salvioli* Giurisdizioni speciali nella storia del diritto italiano; *Siciliano-Villanueva L.* Studi sulle vicende del foro ecclesiastico; *Siciliano-Villanueva L.* Studi sulle vicende della giurisdizione eccl. nelle cause dei laici ecc.; *Siciliano-Villanueva L.* Studi sulle vicende del foro ecclesiastico nelle cause dei chierici; *Arndt A.* Können die schismatischen Geistlichen gültig absolviren?; *Lehmkuhl A.* Beichtjurisdiktion.

2560 **Ius.** — Ius multiplici significatione sumitur; quas significationes vide apud iuristas. Hic indicare sufficiat, ius significare, tum id, quod alteri debetur, tum titulum, quem iustitia respicit ex parte alterius. Praecipue dividitur in ius in re, seu in ius, quod, quis habet in re iam sibi obligata, et in ius ad rem, seu ius, quod quis habet rem sibi obligandi.

Scilicet ius ad rem est ius, quo persona tantum nobis est obligata ad dandum, faciendum, praestandum, restituendum, sumpto nomine rei pro omni eo, quod est obiectum obligationum. Ius autem in re est ius, quo res nostra est aut nobis devincta; et distinguitur praecipue in ius dominii, possessionis, servitutis, pignoris, hereditatis. Cfr. Voet *in Pandectas lib. V. tit. 2. n. 1.*

Soto D. De iustitia et iure; *Bañez D.* De iure et iustitia; *Petra P. A.* Tract. de iure quaesito per principem non tollendo; *Molina L.* De iust. et iure; *Aegidius* De iustitia et iure; *Lessius L.* De iustitia et iure actionum humanarum; *Dicastillo Io.* De iustitia et iure; *Petiti S.* De iure ecclesiae quaesito per principum edicto; *De Lugo I.* De iustitia et iure; *Born J.* Diss. de iure in re; *Hahn H.* Diss. de iure rerum et iuris in re speciebus; *Richter Ch. A.* Disp. de iure et facto; *A S. Gregorio Steph.* De iure et iustitia; *Waechtler* Diss de iure in re; *Le Coq Florent* De iustitia et iure ac eorum annexis; *Wiggeri Io.* Comm. de iure et iustitia; *Nettelbladt D.* Diss. de iure in re, quae est res nullius; *Rappolt I. F.* Diss. de numero specierum iuris in re; *du Roy* Observationes de iure in re; *Carrière* De iustitia et iure; *Meyer Th.* Die Grundsätze d. Sittlichkeit u. d. Rechts; *Haring I.* Der Rechts- und Gesetzesbegriff in d. kath. Ethik und mod. Jurisprudenz; *Ihering R.* Der Zweck im Recht;

Hölder Ueber object. u. subjeckt. Recht; *Hertling G.* Recht, Staat u. Gesellschaft; *Hirzel R.* Themis, Dike u. Verwandtes.; *Führich M.* Rechtssubjekt und Kirchenrecht.

2561 **Ius patronatus.** — ***De natura iuris patronatus.*** — Iuspatronatus est potestas nominandi seu praesentandi clericum ad beneficium vacans. Zallinger *in tit. 38 lib. III Decr. n. 431.* (Ex speciali gratia aliquando concessum est ut praesentaretur nondum clericus, qui tamen in via erat ad ordines, operam dans theologiae in aliquo seminario. *S. C. C. in Taurinen. 31 ian. 1903*).

Non est ius in se spirituale, sed spirituali annexum, scilicet antecedenter. *c. 16 de iure patr. X.* (*III. 38*).

2562 ***De divisionibus iuris patronatus.*** — Dividitur in personale, quod personae patroni independenter a re aliqua vel loco cohaeret, et reale quod alicui rei vel loco cohaeret ex. gr. praedio, quare ad eius possessores, quicumque ii sint, transit. Reiffenstuel *in tit. 28 lib. III Decr. n. 46.*

Praecipue vero dividitur in *ecclesiasticum, laicale* et *mixtum*. Cf. *c. 28 tit. cit. X.* (*III. 38*). — Differentia desumitur non ex personis, sed ex titulo, quo hoc iure patronus fruitur (B. P. *IV. 253*); si enim quis hoc ius habeat ratione officii ecclesiastici, vel fundationis factae ex bonis ecclesiasticis, habetur ius patronatus ecclesiasticum; — si ratione successionis e. g. hereditatis, vel fundationis ex bonis laicalibus, sive etiam ecclesiasticis, de quibus data ipsi fuerit potestas plene disponendi, habetur ius patronatus laicale; — si tandem ex titulo partim ecclesiastico, partim laicali, iuspatronatus dicitur mixtum. Zallinger *loc. cit.*; Schmalz grueber *in tit. 38 lib. III Decr. n. 6. sq.*

Ius patronatus laicale subdividitur in hereditarium, familiare, gentilitium et mixtum.

Hereditarium illud dicitur, quod heredibus relinquitur sive testatis sive intestatis. Quare ad illud obtinendum necesse est verificari in acquirente qualitatem heredis, et quum ille heres non sit, qui hereditatem repudiat, filius, qui patriam hereditatum repudiaverit, patronum iuspatronatus hereditarium non acquirit.

Familiare illud dicitur, quod ex voluntate illius, qui illud primus acquisivit, transit in familiam, quae descendit ab ipso fundatore vel a primo patrono instituto. In hoc iure patronatus, que madmodum in gentilitio, de quo mox, attenditur unice vinculum sanguinis non autem haereditas. Iuspatronatus familiare habetur ex gr. tunc quum testator diceret: relinquo ius patronatus omnibus masculis descendentibus ex masculis meis. Cf. *S. C. C. in Urbevetana 2 mart. 1861.*

Gentilitium illud dixerunt pragmatici, quod comprehendit etiam collaterales institutoris patronatus vel illius, cui primo ius patronatus relictum est. Quare tale erit ius patronatus, quum testator dixerit: in iure patronatus succedant omnes de domo mea et eorum successores.

Mixtum illud est, quod de hereditario et de familiari participans tunc habetur, quum transit in successores et heredes ita ut utraque qualitas requiratur, consanguinei scilicet et heredis. Tale esset, quod ita instituere-

tur: relinquo ius patronatus Petro eiusque heredibus et successoribus.

In dubio, an ius patronatus sit potius hereditarium quam familiare seu gentilitium, praesumitur hereditarium (card. De Luca *de iure patronat. summa* § *26*; Ferraris *Prompta bibl. v.* « *Ius patronatus* » *art. 1. n. 8*), nisi fortior quaedam facti praesumptio hanc iuris praesumptionem elidat. Schmalzgueber *loc. cit. n. 14.*

2563 **De differentiis inter ius patronatus ecclesiasticum et laicale.** — Praecipua discrimina inter iuspatronatus ecclesiasticum et laicale sunt haec: patronus ecclesiasticus (imo etiam ille, qui habet iuspatronatus mixtum) ad praesentandum sex menses (*c. 22 tit. cit. X,* [*III. 38*]; *cap. un. de iurepatr.* [*III. 19*] *in 6°*), laicus quatuor (*cc. 3. 27 tit. cit. X* [*III. 38*]; *cap. un. tit. cit.* [*III. 19*] *in 6°*) habet; - iste potest praesentare plures tum simul tum successive, quamvis non possit prius praesentatum excludere; ille nonnisi unum vel plures simul, non vero successive, praesentare potest (*cap. 24 tit. cit. X.* [*III. 38*]); - in patronatu laicali ad ecclesias parochiales locum non habet concursus (Conc. Trid. *sess. XXIV cap. 18 de ref.*), qui contra in ecclesiastico locum habet, nisi aliud ferat consuetudo. Conc. Trid. *loc. cit.*

2564 ***De iure praesentationis.*** — **De modo praesentandi.** — Aliquando praesentatio pertinet ad plures, et tunc vel ita pertinet, ut universi per modum unius corporis, vel iure collegii aut capituli, debeant praesentare, et in hoc casu invalida est praesentatio, si vel unicum talis communitatis membrum fuerit praeteritum et non vocatum, modo vocari potuisset et voluisset adesse; si vero pertinet ad plures ut singulos, singuli, etiam non vocatis vel monitis reliquis, valide praesentant, neque per hoc censentur excludere alios, qui etiam suo iure uti possunt.

Quare praesentantes per modum collegii et capituli debent praesentare simul et omnes collegialiter congregati, et praesentatio non tenet, nisi absolute maior pars talis corporis conspiret in unum; praesentantes vero ut singuli successive et seorsim praesentare possunt, et sufficit, si respective maior pars conspiret in unum, ita ut instituendus sit, qui plura suffragia respectu aliorum simul praesentatorum tulit, licet non ultra medietatem omnium praesentantium tulerit. Aichner *Comp. iur. eccl. 89.* § *d.*

De ipsa personae praesentatione. 2565 — Invalide praesentatur indignus, seu carens qualitatibus ad beneficium requisitis (Concil. Trid. *sess. XXV. c. 9 de ref.; c. 18 tit. cit. X.* [*III. 28*]), quas qualitates habere debet praesentatus tunc, quum praesentatur; in beneficiis enim attenditur capacitas tempore praesentationis, quum per eam statim acquiratur ius ad rem (Reiffestuel *in tit. 38 lib. III Decr. n. 71; S. C. C. in una Montisfalisci 13 iun. 1896*); illicite vero minus dignus relicto digniore, si beneficium sit curatum, et hoc secundum quosdam sub gravi, quamvis alii a gravi excusent patronum praesentantem simpliciter dignum. Vid. *Dignus.*

De necessitate praesentationis. — 2566 In beneficio patronato praesentatio

facta a patrono adeo necessaria est, ut collatio huiusmodi beneficii, quam faceret episcopus, ignorante vel contradicente patrono, esset nulla (Schmalzgrueber *loc. cit. n. 118; S. R. R. coram Sebastianelli in Alexandrina 15 mart. 1909*); quamvis, si patronus de hoc conscius debito tempore non reclamaret, sanaretur nullitas, quia censeretur patronus tacite collationem approbasse. Schmalzgr. *l. c. n. 120.* Cfr. *causam in Romana agitatam apud S. C. C. 7 aug., 28 aug., 25 sept. 1847.*

Episcopus potest institutionem concedere statim primo clerico digno sibi praesentato, nec debet exspectare finem quatuor mensium, ut patronus laicus variare possit, si velit; institutione autem ab episcopo concessa, patronus variare amplius non potest. Patronus seipsum praesentare nequit (*c. 26 tit. cit. X.* [*III. 38*]); potest tamen acceptare beneficium vel sponte oblatum, vel, si compatronus habeat collatum ad praesentationem compatronorum. Cfr. Giraldi *Expos. iuris pont. part. 1 sect. 581.*

2567 **De tempore praesentationis faciendae.** — Tempus utile ad praesentandum non currit a die vacationis beneficii, sed a die habitae notitiae eiusdem vacationis (*arg. ex c. 5 de conc. praeb. etc. X.* [*III. 8*]), et est continuum, sed legitime impedito non currit (*arg. ex cit. c. 5. X.* [*III. 8*]). Si patronus, sive laicus, sive ecclesiasticus, intra tempus legitimum non praesentaverit vel irritam fecerit praesentationem, pro illa vice excidit iure suo, et episcopus potest libere beneficium conferre. Santi *in tit. 38 lib. III Decr. n. 35;* cfr. *cc. 22. 27 tit. cit. X.* (*III. 38*). Cfr. *causam agitatam apud S. C. C. in Treien. 29 febr. 1908.*

De acquisitione iurispatronatus. 2568 — **De modis acquisitionis.** — Iuspatronatus acquiritur:

a) **modis originalibus:**

fundatione ecclesiae (*cc. 26. 32. C. XVI. q. 7*),

constructione ecclesiae (*cc. 31. 33. C. XVI. q. 7*),

dotatione ecclesiae (*c. 3. C. XVI. q. 7*).

Haec requiruntur disiunctive tantum, non copulative (cfr. *Glossam in c. 26. C. XVI. q. 7;* Conc. Trid. *sess. XXV. c. 9 de ref.*).

Acquiri etiam potest concessione Pontificis (Reiffenstuel *loc. cit. n. 12*).

b) **modis translatitiis:**

hereditaria successione (cfr. *Glossam ad c. 13 tit. cit. X.* [*III. 38*]);

donatione (*cc. 8. 14 tit. cit. X.* [*III. 38*]); cfr. Berardi *Comm. tom. II. p. 150*);

permutatione (*arg. c. 5 de rerum permut. X.* [*III. 19*], cfr. tamen causam Pampilonensem actam apud S. C. C. *a. 1723 apud Richter Conc. Trid. p. 454. n. 10*);

venditione, non quidem ipsius iurispatronatus, quae esset simonia (*cc. 6. 16 tit. cit. X.* [*III. 38*]; Conc. Trid. *sess. XXV. c. 9 de ref.; S. C. C. in Maceratensi 18 iul. 1789, apud Richter Conc. Trid. p. 452. n. 8;* cfr. etiam *S. C. C. in Compostellana 22 dec. 1906*), sed rei, cui annexum est (*arg. ex cc. 7. 13 tit. cit. X.* [*III. 38*]), cuius tamen pretium ex annexione iuris patronatus augeri omnino non

potest; quare ius patronatus personale absolute excluditur ab emptione et venditione; (nota quaestionem esse an si de facto simoniaca venditio iuris patronatus qua talis a patrono fieret, haec valida dicenda esset an irrita; circa quod standum omnino videtur communiori sententiae, quae eam irritam dicit; cfr. Krimer *in lib. III. Decr. n. 3175 sqq.*);

praescriptione, quae, si iuspatronatus fuerit reale, tunc habetur, quum praescribitur ipse fundus, cui iuspatronatus inhaeret; si vero fuerit iuspatronatus personale laicale, debet esse praescriptio decem annorum inter praesentes et viginti inter absentes, si habeatur titulus, et sine titulo triginta annorum; si vero fuerit iuspatronatus ecclesiasticum, requiritur praescriptio quadraginta annorum cum titulo, vel immemorialis sine titulo. Cfr. Berardi *loc. cit. p. 151. etc.*

2569 Aedificare (*c. 25 tit. cit. X.* [*III. 38*]), vel donare (Schmalz. *l. c. n. 36*). ecclesiam debet quis *de consensu ordinarii* ad hoc, ut iuspatronatus acquirat; sufficit tamen, ut iste consensus adveniat ex postfacto; sicut, si templum sine consensu episcopi, aedificatum, is postea acceptet, et consecrari iubeat.

Dotatio ad hoc, ut quis acquirat iuspatronatus, debet esse sufficiens pro necessariis usibus ecclesiae et sustentatione ministrorum; secus potius esset quis benefactor, quam dotator ecclesiae. Schmalzgr. *loc. cit. nn. 35. 37.*

Si quis in fundo alieno, inscio aut invito domino, exstruit ecclesiam, iuspatronatus acquiritur aedificanti, non domino fundi, qui tamen potest ecclesiam in suo fundo, se inscio vel invito, aedificatam propria auctoritate destruere vel occupare, si nondum consecrata sit (Schmalzgr. *l. c. n. 63*). construentis expensis (*arg. cc. 1. 2 de novi operis nunciat. X.* [*V. 31*]); at, si fuerit consecrata, non potest a domino fundi occupari, vel demoliri, verum aestimatio fundi a construente solvenda est domino.

In iure patronatus hereditario pro- 2570
ceditur per stirpes et non per capita, quia plures ab uno ex patronis ecclesiae relicti heredes. vocem dumtaxat unius habent in praesentatione beneficiati. *c. 2 de iure patron.* (*III. 12*) *in Clem.*

Hinc si plures sunt heredes unius patroni, succedunt omnes aequali iure, etsi in partibus inaequalibus sint instituti; at si unius patroni haeredes aliqui, vi iuris, in bonis succederent in capita, uti liberi, alii in stirpem, uti nepotes, tunc in ius patronatus eodem modo, consequenter non aequaliter, succederent.

Quare si Titius tres relinquat filios heredes, Caium, Titium et Sempronii praemortui filios Petrum, Paulum et Ioannem, tribus votis res conficietur, quorum unum ad Caium, alterum ad Titium, tertium ad filios Sempronii spectabit. Filii enim Sempronii ius habent ad votum ut repraesentantes personam patris, qui non potuit plus iuris in heredes suos transmittere quam quod ipse habebat, scilicet ius unius vocis.

Si autem heredes patroni mortui sint, heredes heredum succedunt tamen in stirpes et non in capita, adeo

ut si duo fuerint heredes, quorum unus unum, alter vero decem reliquerit heredes, hi decem unum tantum votum habebunt propter rationem superius allatam.

Si vero plures sint heredes diversorum patronorum originalium, succedunt etiam omnes, non tamen in capita sed in stirpes; ita ut, si Titius v. gr. dotavit ecclesiam, Caius vero eamdem construxit, et hic relinquat unum heredem, ille vero quatuor, hi quatuor unam tantum habeant vocem seu votum praesentandi, et unum aequale votum alter unicus heres. Reiffenstuel *loc. cit. n. 19;* Ferraris *loc. cit. a. II. n. 7;* cfr. *S. C. C. in Pharen. 16 aug. 1902, 28 februarii 1903.*

In casu autem, quo plures clerici eumdem a variis patronis retulerint numerum votorum, episcopus potest beneficium cui vult ex praesentatis conferre, statim, si agatur de iurepatronatus ecclesiastico in quo variatio non admittitur, post quadrimestre in iurepatronatus laicali, quum post quatuor menses etiam patronus laicus variare amplius non possit.

2571 Quoad translationem vero iurispatronatus personalis ex donatione, legato aut permutatione, nota eam aliquando fieri non posse sine consensu episcopi. Scilicet si transferatur de laico in ecclesiam aut locum pium aut officium ecclesiasticum, nullius consensus requiritur; semper enim consensus ecclesiasticae auctoritatis adesse praesumitur in iis quae natura sua tendunt in favorem ecclesiae. Si autem iuspatronatus transferri velit de laico in laicum, consensus episcopi requiritur; hic enim non potest in translatione praesumi favor ecclesiae, imo saepe posset ecclesiae damnum ex translatione contingere, ut si de laico pio et timorato transiret in alium ecclesiae infensum etc. Castropalao *tit. XIV disp. 2 sect. 3 n. 17.*

Patet autem sine licentia Rom. Pontificis iuspatronatus ecclesiasticum donari non posse laico, imo neque alteri ecclesiae vel officio ecclesiastico, quia in hoc habetur prohibita rerum ecclesiasticarum alienatio. Krimer *in tit. cit. X. (III. 38) n. 3167.*

Potest autem patronus compatrono suo iuspatronatus libere cedere et donare, episcopo non requisito, quia hoc tendit in favorem ecclesiae; quae in meliori conditione censetur esse, si unum tantum, quam si duos habent patronos. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 148.*

Ius patronatus gentilitium, extincta 2572
familia, evanescit, et ecclesia redditur liberae collationis, si fundator voluit ut ipsum exclusive ad familiam suam pertineret, veluti si in tabulis testamenti dixerit taxative se illud relinquere iis *tantum,* qui de familia sua erunt; secus, si nempe hoc testator expresse non dixit, sed etsi dixerit illud transferendum esse in eos, qui de familia sua erunt, non addidit tamen particulam *tantum*, ius patronatus, extincta familia, ex benignitate iuris fit hereditarium seu transit ad heredes etiam extraneos. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 131 sqq.*

Compatroni possunt inter se con- 2573
stituere turnum ad praesentationem faciendam (*c. 2 de iure patr.* [*III.*

12) *in Clem.*) paciscendo ex. gr. ut unus mensibus paribus, alter impari-bus praesentet, vel unus ad hanc ecclesiam alter ad alteram.

2574 **De subiecto activo iurispatronatus.** — Subiectum iurispatronatus activum est omnis fidelis (non autem infidelis, *S. U. I. 31 maii et 21 dec. 1873*; Reiffenstuel *l. c. n. 43*), qui expresse non repellitur a iure (*c. 16 de concess. praeb. etc. X.* [*III. 8*]; *c. 7 tit. cit. X.* [*III. 38*]; Schmalz. *l. c. n. 65*), ut excommunicatus (Reiffenstuel *l. c. n. 44*), infamis, etc.

Hinc etiam haereticus excluditur. Verum notatu digna est responsio S. Congr. S. Officii ad epum Cracoviensem, qui instructionem petebat quomodo se gereret quum ex hereditate iuspatronatus ad haereticos devenerat. Responsio haec fuit:

« Respondendum esse episcopo postulanti iuxta mentem: videlicet, quod ad vitanda mala, quae prudenter timere posset, toleret episcopus et dissimulet patronos haereticos, ad quos devoluta sunt bona quibus annexum est iuspatronatus, nominare ad beneficia eidem iuri obnoxia, dummodo nominent personas idoneas et non aliter; et in hoc diligenter invigilet et constanter resistat, si forte personas indignas contingat nominari. Praeterea caveat episcopus ne, quando huiusmodi nominatis institutionem dare debebit, ullam faciat mentionem praesentationis ab haeretico factae, sed personam ab illo praesentatam proprio ordinario iure eligat atque instituat. » *S. U. I. 11 dec. 1776.*

Patronus infans seu pupillus, qui impeditus sit ab exercendo iurepatronatus, quia rationis ex gr. expers est. etc., praesentat per suum tutorem vel curatorem: si autem impeditus non est, per seipsum exercet, etiamsi sub tutore sit, quia pupillus in spiritualibus tutori non subest.

Maritus generatim non praesentat valide pro uxore sua, tum si uxor habeat ius patronatus personale, tum si habeat reale, excepto casu, quo ratione contractus matrimonialis bona uxoris transierint in dominium mariti. Krimer *in lib. III Decr. n. 3202 sqq.*

De obiecto iurispatronatus. — Obie- 2755
ctum iurispatronatus est officium ecclesiasticum solum et quodcumque, nisi iure vel consuetudine a iurepatronatus fuerit subductum; hinc non sunt obiectum iurispatronatus pavimentum, sepulcrum, coemeterium, altare, etc.

Excluduntur a iurepatronatus cardinalatus, episcopatus (*c. 25 tit. cit. X.* (*III. 38*); *S. C. C. in Savonen. 29 feb. 1744*), primae dignitates in cathedralibus, collegiatis et ecclesiis conventualibus (hae saltem a laicali eximuntur). *Const.* Inn. VIII « Quum ab Apost. Sede » *23 aug. 1485*; *c. 25 tit cit. X.* (*III. 38.*). Merito autem advertit Wernz (*Ius Decr. II. 410*): « Non pauca *officia* ecclesiastica, quae beneficia non sunt, velut officium vicarii generalis, decani ruralis, iudicum curiae episcopalis, promotoris fiscalis, defensoris matrimonii aliaque similia munera, ex disciplina vigente et probata in ecclesia iuripatronatus obnoxia esse non solent. Quare episcopi, quum nequeant recedere a praxi probata ecclesiae, certe iam ob hanc solam rationem in haec

officia iuspatronatus cum gravi damno liberae administrationis dioecesis ex potestate sibi propria et sine interventione sedis Apostolicae extendere non possunt ».

Quoad altaria etc. nota aliquando fundatoribus seu aedificatoribus concedi ius apponendi in cappella seu altari a se in aliqua ecclesia erecto stemma suum gentilitium. Sed praeter hoc alia iura ipsis non competunt, nec proinde possunt hi iure se immiscere in iis, quae pertinent ad officia ecclesiastica in eo altari exercenda, aut impedire refectiones seu instaurationes in eodem altari faciendas. *S. C. C. 14 dec. 1878.* Imo tales dimidiati, ut ita dicam, patroni tenentur cappellae seu altari etc. providere de necessariis ex. gr. de utensilibus sacris etc. nisi velint suis iuribus renuntiare. *S. C. C. in Romana 28 maii 1864.*

2576 **De iis, quae requiruntur ad acquirendum iuspatronatus.** — Solemnitates ad acquirendum iuspatronatus requiruntur nullae praeter consensum episcopi, vel vicarii capitularis (Schmalzgrueber *l. c. n. 37*), vel etiam vicarii generalis, si habet speciale mandatum. Schmalz. *l. c. n. 38.* Nec necesse est, ut quis sibi disertis verbis reservationem iurispatronatus in fundatione faciat (Schmalz. *l. c. n. 42*), sed requiritur intentio fundandi, dotandi, etc., nec sufficit animus benefaciendi ecclesiae. Schmalz. *l. c. n. 34.*

2577 ***De aliis iuribus et de obligationibus patroni.*** — **De iuribus.** — Patronus praeter honorificum et reale ius praesentationis, acquirit etiam iurepatronatus alia quaedam iura honorifica. Sunt autem:

dignior sedes in ecclesia, quamvis non possit poni intra chorum (*S. C. C. 21 aug. 1587*), nec ei superimponi possit baldachinus (*S. C. C. 22 apr. 1690*);

ius publicarum precum pro ipso nominatim persolvendarum (Pont. Rom. *Alloc. episcopi ad fundatores*);

ius, ut aqua benedicta eidem ad portam ecclesiae, sed non cum aspersorio, offeratur, et a clero ecclesiae ibidem ingressurus ecclesiam recipiatur (Aichner *Comp. iur. eccl.* § *89. 2*), si tamen iuxta plerosque sit supremus princeps regni;

honor turificationis, saltem si sit masculus (et, iuxta quosdam, persona regnans, cfr. Aichner *l. c. not. 18.*), et simplici non triplici ductu, neque a sacerdote pluviali induto;

osculum pacis in missa solemni, sed cum instrumento, et a ministro cotta induto, non a beneficiato, et postquam omnibus de choro pax data est (Reiffenstuel *l. c. n. 110*);

ius processionis, idest praecedentiae prae aliis laicis in publicis processionibus (*c. 25 tit. cit. X.* [*III. 38*]);

ius listrae, seu ius ponendi insignia seu stemma familiae et nomen in ecclesia patronata (Phillips *Comp. iur. eccl.* § *143*);

ius sepulturae in ecclesia patronata, etiam exclusive, si in limine fundationis hoc sibi reservaverit (Phillips *l. c.*);

ius oblationis palmarum, candelarum, etc. suo tempore. Schmalzgr. *l. c. n. 94.*

Patronus habet etiam ius alimento-

rum, idest, si ad egestatem devenerit, ita ut iuxta suum statum vivere amplius nequeat, ius habet ad se suosque sustentandos recipiendi id, quod necessarium est, ex *superfluis* ecclesiae, si sint. *c. 25 tit. cit. X.* (*III. 38*) Cfr. *S. C. C. in Fesulana 6 sept, 1902, 28 feb. 1903.* — Ad hoc tamen debet probare, a se vel maioribus suis fundatam, dotatam vel constructam fuisse ecclesiam illam, ipsum autem vere esse egenum. Schmalzgrueber *l. c. n. 107. sq.*

Quoad bona autem et reditus ecclesiae nihil potest, ne ipsam quidem administrationem bonorum exigere (Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 3 de ref.*; cfr. etiam *sess. XXV. c. 9 de ref.*); nisi hoc ipsum expresse sibi reservaverit in limine fundationis, in quo etiam potest sibi reservare annuam pensionem. *c. 18 de sent. et re iud. X.* (*II. 27*); *c. 23. tit. cit. X.* (*III. 38*); *c. 16. de censibus etc. X.* (*III. 39*).

Patronus enim in limine fundationis potest beneficio apponere eas omnes conditiones, etiam contra ius, quae ipsi placuerint. Attamen, ut valeant, debet episcopus eas approbare, quam approbationem episcopus sine legitima causa denegare nequit; et si deneget, datur recursus ad S. Sedem. Cfr. Barbosa *de episc. p. III. all. 71. n. 39. S. C. C. in Senogallien. 6 maii 1848, in Arboren. 16 iul. 1835.* Reiicere autem potest episcopus conditiones, quae vel natura impossibiles sunt, vel contra substantiam beneficii, vel denique contra perpetuam legum prohibitionem illas improbantium. *S. C. C. in Romana 31 maii 1613, apud Barbosa loc. cit. n. 40.*

De obligationibus patroni. — Habet praeterea patronus iura quaedam onerosa, seu potius obligationes quasdam; praesertim illi est obligatio reparandi, vel etiam reaedificandi ecclesiam patronatam, forte fatiscentem vel collapsam. Attamen haec obligatio est tantum conditionalis, idest, si velit iuspatronatus retinere; quare in casu posset episcopus patrono praefigere tempus, intra quod vel ecclesiam reparet, aut reparare spondeat, illudque onus in se suscipiat, aut iuripatronatus renuntiet; quo tempore inutiliter elapso, ipso iure a suo privilegio excidit. *S. C. EE. RR. 15 iun. 1855*; Benedict. XIV *Inst. 100. n. 14*; *S. C. C. 3 aug. 1686, apud Richter Concil. Trid. pag. 121. n 4.* 2578

De cessatione iurispatronatus. — Iuspatronatus cessare aliquando potest quoad exercitium, aliquando quoad ipsam substantiam. 2579

De cessatione quoad exercitium. — Cessat quidem quoad exercitium non solum in casu particulari, si patronus ecclesiasticus scienter praesentaverit indignum, vel quicumque patronus tempus utile ad praesentandum transire permiserit, quin suo iure usus fuerit (cfr. *S. C. C. in Taurinen. 11. dec. 1903*), sed etiam per quoddam maius vel minus tempus, si patronus fuerit amens, impubes, infans, vel excommunicatus maiore excommunicatione, quousque ea tenebitur. 2580

De cessatione quoad substantiam. — Cessat autem quoad ipsam substantiam vel ex delicto, vel sine delicto. Schmalzgr. *loc. cit. num. 260.* 2581

Cessante iurepatronatus ecclesia seu beneficium libertatem consequi-

tur et libere ab ordinario confertur. Cfr. *S. C. C. in Aquilana 17 febr. 1906.*

2582 **Sine delicto:**

a) ex natura rei, idest morte patroni, si iuspatronatus patronus sibi exclusive reservaverit; extinctione familiae patroni, si fuerit gentilitium; suppressione monasterii, capituli etc., cui competebat; omnimoda destructione rei temporalis, cui erat coniunctum, si fuerit reale, Schmalzgrueber *l. c. n. 261;*

b) per liberam resignationem factam episcopo vel ecclesiae, ita ut haec libera evadat. *c. un. tit. cit.* (*III. 19*) *in 6°*. Attamen nemo potest renunciare iuri etiam descendentium, si nempe iuspatronatus fuerit gentilitium: *S. C. C. 23 ian. 1838, apud Richter Conc. Trid. p. 454. n. 12;* Santi *in tit. 38. l. III Decr. n. 44.* Resignare etiam censetur patronus suum iuspatronatus, quando consentit, ut beneficium iuris patronatus incorporetur alteri ecclesiae, vel beneficio liberae collationis, vel monasterio, quin ullam fecerit iurispatronatus reservationem (cfr. *cap. 8 de constit. X.* [*I. 2*]); vel si permiserit, ecclesiam patronatam, in qua ius habet praesentandi rectorem, fieri conventualem etc. *arg. cap. 25 tit. cit. X.* (*III. 38*). Renunciatio autem haec voluntaria sine consensu episcopi (qui tamen in praeiudicium ecclesiae consentire nequit) fieri non potest a patrono, si ipse circa ecclesiam certas habeat obligationes ex. gr. fabricae etc. Phillips *l. c.* § *140;*

c) per praescriptionem, quum nempe non usui ex parte patroni accedit praescriptio acquisitiva tertiae cuiusdam personae, aut usucapio libertatis ex parte ordinarii;

d) per directam suppressionem iurispatronatus factam a romano Pontifice. Cfr. Conc. Trident. *sess. XXV. c. 9 de ref.*

Ex delicto: 2583

a) per caedem vel mutilationem rectoris, aut alterius clerici ecclesiae patronatae, per se, vel per alium a patrono factam, *c. 12 de poenis X.* (*V. 37*);

b) per simoniacam venditionem iuris patronatus, *c. 6 tit. cit. X.* (*III. 38*);

c) per illicitam perceptionem fructuum beneficii aut temerariam usurpationem bonorum eius, Conc. Trid. *sess. XXV. c. 9 de ref.; sess. XXII. c. 11 de ref.;* De Luca Mar. *Prael. iur. can. lib. de personis tit. XII. n. 180;*

d) per haeresim, schisma, crimen laesae maiestatis (Schmalzgr. *loc. cit. n. 262*); brevi per ea omnia delicta quae iuri veteri bonorum confiscationem inducebant. Phillips *l. c.* § *146.*

An et quando beneficia iuris patronatus subiecta sit regulis affectionum et reservationum vide sub *Affectio.*

De probatione iuris patronatus. — 2584 « Ut igitur debita in omnibus ratio observetur, decernit s. Synodus (Tridentina) ut titulus iuris patronatus sit ex fundatione vel dotatione, qui ex authentico documento et aliis iure requisitis ostendatur; sive etiam ex multiplicatis praesentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat aliasve secundum iuris dispositionem. In iis vero personis seu communitatibus vel

Universitatibus, in quibus id ius plerumque ex usurpatione potius quaesitum praesumi solet, plenior et exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur; nec immemorabilis temporis probatio aliter eis suffragetur, quam si, praeter reliqua ad eam necessaria, praesentationes etiam continuatae, non minori saltem quam quinquaginta annorum spatio, quae omnes effectum sortitae sint, authenticis scripturis probentur ». Conc. Trid. *sess. XXV. c. 9 de ref.*

Ex quibus Concilii Tridentini verbis patet, quando agitur de privatis personis, ius patronatus probandum esse vel per authenticum documentum, idest per authenticam scripturam publicam, quae sive in suo originali, ut dicitur, praesentetur, sive in authentico exemplari seu transsumpto; vel per praesentationes multiplicatas per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, quae praesentationes verius tres (Castropalao *l. c. p. 3. n. 4*) saltem debent esse; vel alio quovis modo, quo alias a iure conceditur et permittitur probatio tituli, proinde vel per famam concurrente longissima quasi possessione, vel per praescriptionem quadragenariam cum titulo colorato, vel per inscriptionem in lapide publice posito, vel per litteras expeditas ab ordinario in beneficii institutione, vel aliis modis huiusmodi. Castropalao *loco nuper cit. n. 6*; Krimer *l. c. 3332 sqq.*

Pro communitatibus et iis personis, in quibus iuspatronatus ex usurpatione potius quaesitum praesumi solet, plenior et exactior probatio requirenda est, ita ut non sufficiat sola probatio temporis immemorialis, sed praeter alia ad eam requisita authenticis scripturis probandae etiam sint praesentationes continuatae (nec prima et ultima tantum, sed intermediae quoque omnes) non minori quam quinquaginta annorum spatio et quae omnes effectum sortitae sint, de quo etiam per authenticas scripturas constare debet. Anni autem quinquaginta, de quibus in decreto tridentino, numerandi sunt a prima praesentatione, quae effectum sortita est. Nota tamen hanc rigorosam probationem requiri ad probandum iuspatronatus contra ecclesiam, quae secus libera esset, non autem contra alium, qui et ipse iuspatronatus in ecclesiam praetendit. Krimer *l. c. n. 3335 sqq.*

Haec, quae hucusque diximus, referuntur ad iuspatronatus activum, cui soli competit vera notio et definitio iurispatronatus. Verum distinguunt etiam doctores iuspatronatus passivum, quod est ius competens aliquibus de familia vel loco, quod, si idonei sint, exclusis extraneis, per patronum necessario debeant praesentari. Reiffenstuel *l. c. n. 45.* Patet hoc stricte dimetiendum ex voluntate fundatoris.

Circa iuspatronatus confer sequentes causas agitatas in S. C. Concilii, scilicet *in Pedana 9 iul. 1842; in Melevitana 22 febr. 30 aug. 1845, 14 febr. 1846, 23 febr. 1850, 30 aug. 1851; in una Montis Alti 5 sept. 1846; in Placentina 28 mart. 1857; in Melevitana 21 iun. 1879; in Cathacen. 19 ian. 1889; in Drepanen. 14 dec. 1889; in Melevitana 9 aug. 1890; in*

Collen. 5 apr. 1895; in Parmen. 5 sept. 1903, 19 nov. 1904.

Decr. Grat. C. XVI. q. 5. 7; tit. de iurepatronatus X. (III. 38); idem tit. (III. 19) in 6°; idem tit. (III. 12) in Clem.; tit. de institutionibus X. (III. 7); Conc. Trid. sess. VII. c. 13 de ref.; sess. XIV. cc. 12. 13 de ref.; sess. XXV. c. 9 de ref.; Const. Benedicti XIV « Redditae nobis » 9 apr. 1746; *De Curte R.* Tractatus de iure patronatus; *Lambertini C.* Tract. de iure patronatus; *Nicolai Io.* Tract. de iure patronatus; *Delphinatis Io. N.* De iure patronatus; *Tutii C.* Quaestiones 18 in materia iuris patronatus ecclesiastici; *Dalneri A.* Tract. de iure patronatus; *Martini F.* Diss. de iure patronatus in 13 decades distincta; *Zuchowiski* De iure patronatus; *Corbin J.* Des droits de patronage honorifiques et autres en dépendants; *Hermanni* Z. Disp. de iurepatronatus; *Finckelthaus S.* Tract. de iure patronatus eccl.; *Weber Chr.* Tract. de iure patronatus; *Viviani I.* Praxis iurispatronatus acquirendi conservandique illud ac amittendi modos breviter continens; *Lentzins Ch.* De iure patronatus; *Fontanella I. P.* De iure patronatus; *De Roye F.* De iure patronatus et de iuribus honorificis in ecclesia; *De Luca I. B.* De iurepatronatus; *Stephanus M.* Tract. de iurepatronatus; *Finckelthaus S.* De iure patronatus ecclesiastico; *De Ferrières Cl.* Traité des droits de patronage, de présentation aux bénéfices de préséance des patrons et des droits honorifiques dans les églises; *Maréchal M.* Traité des droits honorifiques des seigneurs ès églises; *De Fargna Fr.* Commentaria in singulos canones de iurepatronatus; *Pitonius Fr.* De controversiis patronorum nec non ab eis praesentatorum ad beneficia et cappellanias quascumque et alia relicta pia; *Gregel I. Ph.* Das landesherrl. Patronatsrecht n. d. veränd-Verhältn, usw; *Reibel* Diözesanverhältnisse kath. Bischöfe in Ansehung kath. Untertanen u. Einwohner prot. Länder; *Montag E.* Abhandlungen üb. d. alte u. neue Patronatsrecht; *Oesterley F. H. L.* Dissert. de iuris patron. notione ex decret. Greg. IX hausta; *Lippert H. L.* Versuche e. hist. dogm. Entwicklung d. Lehre v. Patronate; *Branowitzer* Ueber d. Begriff u. d. ursprüngl. Erwerbsarten d. Patronatsrechts n. d. KR.; *Kaim J.* Das Kirchenpatronatsr.; *Gagliardi* Comm. de iurepatronatus cum animadv. et additam. Ios. Romani; *Schilling. B.* Der kirchl. Patronat n. kanon. Recht; *Hiuschius* De iure patronatus regio; *Hiuschius* Das landesherrl. Patronatsrecht gegenüber d. kath. Kirche; *Mittelstädt O.* De iuris patronatus, quod reale dicitur, origine; *Michels L.* Quaestiones controversae de iurepatron.; *Rosshirt K. E. F.* Ueber d. Patronatsr. mit besonder. Rücksicht auf d. fälschl. sog. dingliche Patr.; *Schulte* Patronatsrechte säkul. Bistümer, Stifter, Abteien usw; *Schlayer G. A.* Beiträge z. Lehre v. Patronatsr.; *Schulte* Die Rechtsnachfolge d. freien Stadt Frankfurt in d. Patronatsrechte d. säkul. Bartholomäusstiftes usw; *De Czapski I.* De iure patronatus, quod vocant regium; *Zhishman J.* Das Stifterrecht i. d. morgenländ. Kirche; *Geffken C.* Die Krone. u. d. niedere deutsche Kirchengut unt. Kaiser Friedr. II; *Wahrmund L.* Das Kirchenpatronatrecht u. seine Entwicklung in Oesterreich; *Wahrmund* Die Eigenkirche; *Stutz U.* Gesch. d. kirchl. Benefizialwesens usw; *Kaltner B.* Das landes fürstl. Patronat in Kronlande Salzburg: *Imbart de la Tour P.* Les paroisses rurales du IV^e^ au XI^e^ siècle; *V. Doemming* D. Rechtsstellung des Kirchenpatrons im Geltungsgebiet des allgemeinen Landrechts; *Bayer W.* Kann e. Bischof Patronat bezw. Präsentationsrechte auf e. Benefizium erwerben? Z. Erklärung von c. 18 X. de iure patr. III. 38; *Gönner (Richard) Sester (Josef).* Das Kirchenpatronatsrecht im Grossherzogtum Baden; *Bisoukides P.* D. Erwerbstitel d. Patronatsrecht u. d. Konzil v. Trient; *Galante A.* La condizione giuridica delle cose

sacre; *Galante A.* Il diritto di patronato e i documenti longorbardi; *Mayer F. G.* Die Patronatsverhältnisse in d. Schweiz; *Thomas P.* Le droit de propriété des laïques sur les églises et le patronage laïque au moyen-âge; *Lambertus* Das sog. landesherrl. Patronatsrecht; *Lingen-Reuss* Causae selectae etc. pag. 475-485.

2585 **Iustitia.** — Iustitia est virtus moralis constanter inclinans voluntatem ad ius suum alteri reddendum. Quadruplex: legalis, quae ordinat omnes virtutes ad bonum commune; distributiva, quae versatur circa munera publica et praemia ab eo, qui praeest reipublicae, civibus decernenda; vindicativa, quae circa poenas versatur; commutativa, quae pertinet, ad ea, quae cuique stricto iure debentur, idest circa meum et tuum. D'Annibale *II. 98.* Harum omnes obligant sub gravi, commutativa vero, iuxta omnes, una cum onere restitutionis.

Bibliographiam quaere sub *Ius.*

L

2586 **Labor. — De natura et illiceitate laboris servilis.** — Labor, servilis dictus, dominicis et festis diebus prohibetur. *c. 3 de feriis X.* (*II. 9*).

Ratio operis servilis, relate ad hanc prohibitionem, nec ab intentione desumenda est, nec a lucro percepto neque a sola corporis defatigatione, et per se desumenda foret ab ipsa servilitate operis, quod nempe est proprium servorum; sed quia difficile est haec singillatim definire, et quia nonnulla ex operibus servilibus reapse permittuntur, hinc satius est regulam colligere ex consuetudine, seu ex communi usu ab ecclesia approbato. Cfr. B. P. *II. 717;* Lehmkul *Th. mor. I. 548.*

2587 **De venditione et emptione diebus festis.** — Quaeri potest, an vendere et emere diebus festis sit prohibitum. Et certe vendere et emere privatim ubicumque licet. Sed an licet publice emere et vendere, scilicet in officinis ad hoc destinatis? Et ante omnia evidens est, hoc redolere aliquam indecentiam et aliquem despectum erga leges ecclesiae; quare omni studio est vitandum. Sed, quum nulla sit aperta lex ecclesiae, quae hoc prohibeat, quumque vendere et emere non sit accensendum inter opera servilia, non damnarem statim de gravi peccato eum, qui officinam suam his diebus apertam relinqueret ad vendendum, nisi ex consuetudine loci vel ex scandalo, quod ex hoc sumunt fideles, aliter esset dicendum.

De spatio temporis. — Tres circiter 2588
horae laboris servilis requiruntur ad mortale peccatum. S. Alph. *III. 305;* Lehmkuhl *l. c. n. 550;* Génicot *Th. mor. I. 325. VI.*

De causis excusantibus ab obbliga- 2589
tione abstinendi a servilibus. — Causae a lege excusantes sunt *necessitas* (suipsius vel familiae; sic mater pauper, quae per hebdomadam sibi et

filiis victum quaeritare debet, potest diebus festis vestes suas vel filiorum reparare etc.; imo etiam ad lucrum faciendum laborare, ut sibi et suis provideat, S. Alph. *III. 297*), *caritas* (sic iuxta antiquos mores potest quis calceare equos itinerantium, Croix *Th. mor. III. I. 590,* reficere vomeres eorum, qui aliter postridie laborare nequirent, S. Alph. *III. 300* etc.), *pietas* (sic possunt ornari altaria, templa, viae pro processione, etc. S. Alph. *III. 292*). Vide *Opera.*

2590 **De dispensatione ab hac lege.** — Dispensare autem possunt ab obligatione hac abstinendi a servilibus omnes, qui habent potestatem episcopalem vel quasi episcopalem. Imo etiam parochi, uti ex generalibus principiis non ignoratur, dispensare possunt, quando subditus nequit adire episcopum, sed tantum ad tempus et pro particularibus casibus; imo super hac lege dispensare possunt parochi ex consuetudine, etiam praesente episcopo. — Urgente autem necessitate sufficit etiam dispensatio praesumpta, si adiri non possit is, qui potestatem dispensandi habet. S. Alph. *III. 288.*

Bartel N. De stato die veterum christianorum; *Abicht I. B.* De sabbato christianorum; *Arnoldt D. N.* De antiquitate diei dominici; *Albert I. B.* De celebratione sabbati et diei dominici inter veteres et recentiores; *Eisenschmidt G. B.* Geschichte der christl. Sonn- und Festtage; *Franke G. C. L.* De diei dominici apud veteres christianos celebratione; *Winkler I.* Der Sonntag oder Schrift- u. Kirchenlehre über d. dritte Gebot Gottes; *Hengstenberg E. W.* Ueber d. Tag d. Herrn; *Andrews I. N.* Hist. of the sabbat; *Uhlhorn G.* Ueber d. Sonntagsfrage in ihrer sozialen Bedeutung; *Wetzel E.* Ueber den Ursprung der christl. Sonntagsfeier; *Niemeyer P.* Die Sonntagsruhe vom Standpunkte d. Gesundheitslehre; *Zahn T.* Geschichte des Sonntags, vornehmlich in der alten Kirche; *Haupt E.* Der Sonntag. u. d. Bibel; *Crafts W. F.* The sabbath for Man. A study of the origin, obligation, history and present state of the sabbath observance; *Henke* Zur Geschichte d. Lehre von d. Sonntagsfeier; *Nickel M. A.* Die hl. Zeiten u. Feste nach ihrer Geschichte u. Feier i. d. kath. Kirche; *Sohm* Ueber die Sonntagsruhe; *Lewis* A critical history of Sunday legislation from A. D. 321-1888; *Thomas L.* Le jour du Seigneur; *Engelbert R.* Der Sonntag eine unschätzbare Wohltat f. d. ganze Menscheit; *Müller P.* Sabbat u. Sonntag; *Zahn Th.* Skizzen aus d. Leben d. alten Kirche; *Engelmann P.* Le repos du dimanche dans l'industrie; *Barth P.* Schlaf u. Sonntag; *Milne I. R.* Primitive Christianity and Sunday observance; *Bomfleur P.* Sonntag u. Gottesdienst; *Barry A.* Christian sunday, its history its sacredness and its blessing; *Noguer N.* Después el descanso dominical; *Jammet E.* A propos du précepte dominical: refus d'absolution et monition; *Duchesne* Les origines du culte chrétien.

Laedentes. — Vid. *S. Officium.* 2591

Laici. — His, quatenus in coetu fidelium clericis contraponuntur, sua quoque sunt iura, quorum quaedam habent ex ipso iure divino.

Horum praecipuum est, ut sacramenta sibi, debite et opportune petentibus, concedenda omnino sint. Etiam iure ecclesiastico quaedam habent, et sic aliquando possunt praesentare ad beneficia, partem habere in administrando peculio ecclesiastico, etc. Cfr. Wernz *Ius Decretalium II. 9. III.*

A nonnullis tamen expresse prohi-

bentur. Sic laici, etiam docti, non possunt cum haereticis veram aliquam agere de mysteriis fidei disputationem, etiam ad defendendum dogma catholicum (vid. *Disputatio*); prohibentur etiam a tangendis vasis sacris et ab iisdem abluendis (B. P. *IV. 1094*); a sumenda eucharistia per se ipsos et non ministerio sacerdotum (S. Alph. *VI. 230*); a consistendo tempore divinorum intra presbyterium, debent enim extra presbyterium locis distinctis a clericis manere (*c. 29 dist. 2 de cons.; c. 1 de vita et hon. cler. X.* [*III. 1*]); etc.

Praeterae incapaces sunt iurisdictionis ecclesiasticae (Palmieri *de Rom. Pont. Prolegomenon* § *XII*), nisi ex speciali R. P. commissione aliquando haec eis delegetur (Schmalzgrueber *in tit. 29 lib. I Decr. n. 14*).

Non possunt eligere ad beneficia ecclesiastica (*c. 56 de elect. X.* [*I. 6*]), nec ea conferre, etiamsi patroni sint beneficii conferendi (*c. 4 de iurepatr. X.* [*III. 38*]), etc.: imo nec beneficiis ecclesiasticis investiri (cfr. *cap. 2 de institutionibus X* [*III. 8*]) etc.

Laici quoque possunt a sua dioecesi excardinari et in aliam incardinari, ut exinde ab episcopo incardinationis ad tonsuram et ordines promoveantur. *S. C. C. 24 nov. 1906.* In hac excardinatione et consequenti incardinatione facienda servandae sunt regulae pro clericis praescriptae decreto S. C. C. *11 dec. 1903*, inter quas etiam praestatio iuramenti ad normam constit. « *Speculatores*, » quod in casu ante receptionem tonsurae praestandum est; quum autem obligatio permanendi in dioecesi non propria eique in perpetuum serviendi, quae eo iuramento assumenda est, ante maiorem aetatem sine difficultatibus et periculis suscipi non possit, episcopi non debent ad tonsuram admittere ex hoc titulo, qui maiores non sunt. *S. C. C. decr. cit. a. 1906.*

Lampas. — Vid. *Lumen.*

Latria. — Cultus latriae seu adoratio soli Deo exhibetur. G. B. *I. 257.* 2592

Lauretana S. Congregatio. — Haec congregatio suum habet auctorem Innocentium XII, qui constitutione sua « Sacrosancta Redemptoris » 9 aug. 1698 eidem commisit sanctuarium Lauretanum, quamvis cura celeberrimi istius sanctuarii iam inde a Sixto IV reservata esset exclusive s. Sedi; quod confirmatum postea fuit a pluribus Pontificibus, praesertim vero a Iulio II et a Paulo V const. « Divina disponente clementia » 14 iul. 1620. Ea manet etiam post novam constitutionem « Sapienti consilio » et quidem tamquam specialis congregatio » quemadmodum cavetur expresse in eadem constitutione, adiuncta tamen et unita Congregationi Concilii. 2593

Congregatio haec constabat hucusque pluribus cardinalibus, quibus tamquam praefectus praesidebat semper cardinalis a secretis Status pro tempore, ex dispositione Gregorii XVI a. 1833. Habebat etiam proprium secretarium, qui generatim fuit subdatarius pro tempore et non raro etiam subsecretarium. Subsecretarius, qui, si adest, munus quoque gerit custodis archivii, aliquando laicus etiam fuit. Erant quoque alii officiales, praesertim iuris peritus et architectus.

Nunc officiales omnes peculiares

disparuere. Praefectus Congregationis non est amplius secretarius Status, sed ipse praefectus Congr. Concilii, cuius officiales explent munera etiam officialium congregationis Lauretanae.

Antiquitus, usque scilicet ad annum 1860, quo s. Sedi ablatum est exercitium iurisdictionis civilis in Picaeno, haec Congregatio non solum curam et administrationem Lauretanae domus eiusque bonorum creditam sibi habuit, sed etiam iurisdictionem obtinuit civilem et criminalem quoad causas et controversias emergentes circa bona et iura ipsius sanctuarii, nec non super reos, qui aliquod crimen in ipsa s. aede patrassent; quae tamen iurisdictio aliquam imminutionem passa fuerat ex const. Pii VII « Post diuturnas » tertio kal. nov. 1800, qui imo eam penitus sustulit motu proprio diei 6 iul. 1816. Leo tamen XII eam postea restituit Congregationi intra terminos constitutionis « Post diuturnas ». Hinc, ait Haine loc. cit. n. 89): « Accedunt duodecim romanae curiae praelati, iique in quatuor tribunalia dividuntur, quorumsin gulis aequali numero ternario ascribuntur. His adduntur praesules assessor, secretarius, auditor criminalis pro causis criminalibus, si quae forte crimina in aede sacra committantur ».

In praesenti competentia huius Congregationis, ratione circumstantiarum, valde imminuta est, nec eam determinat constitutio « Sapienti consilio ».

Quoad formam procedendi ex constitutione piana etiam circa res, quae spectant ad aedem Lauretanam, Congregatio Concilii sequi debet modum procedendi, quem servat pro aliis quoque causis.

Laxismus. — Laxismus est systema 2594
statuens, semper fas esse sequi opiniones vel tenuiter probabiles, ut quis se a lege eximat.

Damnatus est ab Innocentio XI. (cfr. *prop. tertiam damn. ab eodem Pont. decr. diei 2 mart. 1679*). Laxistarum antesignanus fuit Ioannes Caramuel de Lobkowicz cisterciensis, et episcopus prius Campaniensis, postea Vigevanensis, qui scientiae et probitatis laude clarus obiit a. 1682.

Laxistae et rigoristae in extremo cornu militant. Horum systema, quorum antesignanus fuit Ioannes Sinnigh, qui a. 1666. obiit a ianseniana labe non immunis, damnatum est ab Alexandro VIII, declarante saltem erroneum fundamentum huius systematis (cfr. *propositionem tertiam damnatam ab eodem pontifice decr. diei 7 dec. 1699*), statuens illicitum esse sequi opinionem vel inter probabiles humanae libertati faventes probabilissimam.

Bibliographiam quaere sub *Conscientia.*

Lectio librorum prohibitorum. — Vid. *Legentes, Libri prohibiti.*

Lectiones ad matutinum. — A sa- 2595
cra rituum Congregatione prodierunt in lucem nonnullae breviarii romani et proprii sanctorum summor. Pontificum lectiones historicae ex integro vel ex parte reformatae. Ne ulli aequivocationi hac in re pateret aditus, sacra rituum Congregatio (*14 dec. 1883*) opportunum censuit declarare, huiusmodi modificationes a se appro-

batas atque editas fuisse ad hoc tantummodo, ut in novis breviarii et proprii praedicti editionibus rite perficiendis inseri deberent; minime vero ut ad eas assumendas ii obligarentur, qui horas canonicas recitant iuxta editiones iam exsistentes.

Attamen nota, decretum hoc non inveniri in nova collectione decretorum S. Congr. Rituum.

Lectiones ad matutinum in choro legi vel cantari per se debent a canonicis incipiendo a iunioribus (ratione possessionis) ad seniores (Cer. ep. *lib. II. c. 6. n. 13*); quando vero non adsunt tot canonici, primas legunt alii clerici in choro exsistentes. Cfr. *S. C. C. in Granaten. 14 dec. 1894* (*3840*) *ad 2.*

Circa lectiones primi nocturni attendendum est etiam sequens decretum S. Congr. Rituum, scilicet: « Praesentibus rerum adiunctis inspectis, lectiones primi nocturni proprias vel de communi sanctorum esse in posterum adhibendas tantum pro duplicibus primae vel secundae classis; illis tamen lectionibus exceptis, quae approbatae iam fuerint vel in breviario habentur pro duplicibus seu maioribus seu etiam minoribus; vel aliis, quas pro specialibus rationibus vel adiunctis sacra rituum Congreg. approbare deinceps censuit. » *S. R. C. in una plurium dioecesium 30 iun. 1896* (*3923*).

2596 **Lectoratus.** — Lectoratus est ordo, quo confertur alicui specialis potestas legendi in ecclesia libros veteris et novi testamenti, praesertim intra psalmodiam liturgicam. — Lectoris etiam est benedicere panem et omnes fructus novos.

Materia huius ordinis est traditio libri scripturarum vel sacrarum lectionum (idest sive missale, sive breviarium, sive volumen sacrae scripturae, *S. R. C. in Erien. 27 sept. 1873 ad 5* [*3315*]); forma vero : Accipite et estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter et utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum iis, qui verbum Dei bene administraverunt ab initio. Pont. rom. *p. 1 de ordinat. lectorum.*

In cohortatione pontificis pro ordinatione lectorum, episcopus dicere potest pro lubitu, sive: « Lectorem siquidem oportet legere ea, quae praedicat »; sive: « lectorem siquidem oportet legere ei, qui praedicat ». *S. R. C. decr. cit. 27 sept. 1873 ad 6.*

Lectum. — Vid. *Clausulae.*

Legatum. — Quid legatum. — Legatum est donatio quaedam cuipiam directe a defuncto relicta, et ab herede praestanda. Inst. Iust. *de legatis* (*II. 20*) § *1.* 2597

De materia legati. — Legare quis semper potest res suas (Inst. Iust. *tit. cit.* § *4*), numquam res legatarii (*l. 13 de legatis C.* [*VI. 37*]), aliquando res tertii (Inst. Iust. *tit. cit.* § *4; l. 10 tit. cit. C.* [*VI. 37*]); quando autem legatum est de re aliena, tenetur heres eam redimere et praestare, vel, si non potest redimere, aestimationem eius dare, nisi talis res fuerit, cuius non est commercium, ut si quis legaret templa, vel alia, quae publico cultui sunt destinata; tunc enim legatum nullius momenti est. Inst. Iust. *loc. nuper cit.* 2598

De iure italico quoad legata. — Iure nostro tunc valet legatum rei alienae, 2599

quum vel ex testamento appareat, testatorem non ignorasse rem esse alienam; vel res testatoris iam facta fuerit, quum testator moritur, etsi sua non esset, quum testamentum scripsit. *C. C. a 837.* (At codex gallicus *a. 1021* legatum rei alienae in utraque hypothesi habet nullum).

Si quis rem alicuius generis seu speciei indeterminatam legaverit, quae in suo patrimonio, nec tempore testamenti, nec tempore mortis fuerit, eaque sit immobilis, ut domus etc., legatum est nullum; si vero haec sit mobilis, ut oleum, vinum, valet legatum. *C. C. a. 840.*

In legato rei mobilis alicuius generis seu speciei optio datur heredi; hic autem nec debet optimae, nec potest infimae qualitatis rem dare (*C. C. a. 870*); idem dicendum, si optio legatario relicta fuerit, et res in patrimonio testatoris non sit; nam, si plures huiusmodi res adsunt, legatarius potest optimam eligere. *C. C. a. 873.*

In legato alternativo electio heredi relicta praesumitur. *C. C. a. 874.*

Electio quaecumque quoad legata, semel facta, non potest revocari. *C. C. a. 875.*

Conditiones impossibiles, vel inhonestae, in testamentis vel legatis appositae, habentur pro non scriptis. *C. C. a. 849.* Sic pro non scripta habetur conditio, quae prohibet primas vel ulteriores nuptias; si quid autem alicui relictum fuerit vel in usum (ut usus alicuius domus), vel periodice praestandum (ut pensio), *donec* coelebs vel viduus permanserit, ad haec uxoratus ius amplius non habet; sic etiam valet conditio a coniuge coniugi imposita: si in viduitate permanserit. *C. C. a. 850.*

De legatis ad causas pias (*remissive*). — Quaestio hic fieri potest, an valeant legata ad causas pias, si testamentum destitutum sit formis legalibus ad essentiam testamenti requisitis. Quoad hoc vide *Testamentum.* 2800

Quando de causis piis agitur, R. P. potest legata et alias ultimas testatorum voluntates commutare; non vero episcopus, quibusdam casibus exceptis. Quoad hoc etiam vide *Testamentum.*

Quoad legata pro missis celebrandis vid. *Cappellania, Stipendium.*

Crispi P. Repet. in rubr. ff. de legatis I; *Martini F.* De legatis et fideicommissis; *Ricciardi P.* Tract. de bonorum possessionibus, de legatis etc.; *Matthaeacius A.* Epithome legatorum et fideicommissorum methodo ac ratione digesta; *Turamini A.* Interpretationes in titulos digestorum de legibus, de legatis etc.; *Pichardi A.* De legatis; *Harprecht Jo.* Comm. de legatis, item de lege falcidia etc.; *Ranucii F.* Tract. de legatis; *Massini Ph.* Tract. de legatis et ad leg. falcidiam; *Noalis N.* Tract. de transmissione fideicommissorum, legatorum etc.; *Barbosa P.* Tract. posthumus de legatis ad rubr. et leges ff. de legatis I; *Gockelius E.* De piis donationibus, legatis etc.; *De Luca J. B.* De legatis; *A Mostazo Fr.* De causis piis; *de Nigris A. M.* Tract. de nominatione ad haereditates, fideicommissa, legata, subsidia dotalia etc.; *Heisler* De iure accrescendi in legatis; *Martin G.* Lanx satura discriminum inter legatorum fideicommissorumque species quasdam obtinentium; *von de Wynpersse* Diss. iur. ad locum iuris rom. qui est de

fideicomm. seu de fideicommiss. roman. historia; *Felbecker* De exaequatione legatorum et fideicommiss.; *Holtius A. C.* Analyse historique du droit d'accroissement entre légataires d'après le droit romain, les lois de Justinien et les principales législations modernes de l'Europe; *Rosshirt* Lehre von den Vermächtnissen nach römischen Recht; *van Buchholtz* Lehre von den Prälegaten; *Glasson* Du droit d'accroissement; *Vanni A.* Di un effetto della regola catoniana sul legato di cosa del legatario; *Ascoli A.* Il legato dell'università dei beni mobili nel diritto civile italiano; *Rinaldi A.* Del carattere remunerativo e condizionale di un lascito per celebrazione di messe e dell'autorizzazione per l'accettazione di legati a corpi morali; *Ferrini C.* Di una falsa applicazione del diritto rom. a proposito del legato che produce frutti; *Ferrini C.* Teoria gen. dei legati e dei fedecommessi secondo il diritto rom. con riguardo all'attuale giurisprudenza; *Bonfante P.* Il prelegato nel diritto civile italiano; *Cogliolo P.* Se i legati annui perpetui e successivi contengono un vincolo fedecommissario: *Gabba C. F.* Della condizione risolutiva nelle disposizioni testamentarie a titolo universale e nei legati; *Lambert* De l'exhérédation et des legs etc.; *Coviello* Della successione nei debiti a titolo part.; *Rignano* Sui legati vitalizi e sulle relative azioni. Reliquam bibliographiam quaere sub *Testamentum*.

2601 **Legatus apostolicus.** — Legatus apostolicus ille dicitur, qui a romano Pontifice in certam provinciam mittitur cum potestate quadam ordinaria administrandi negotia ecclesiastica. Wernz *Ius decr. II. 681.*

Dividuntur legati apostolici in legatos a latere, qui ex cardinalibus assumuntur ad expedienda graviora quaedam et extraordinaria negotia; in legatos missos, vel nuntios apostolicos, qui a praelatis assumpti mittuntur ad gravia quaedam, sed magis ordinaria, negotia in certam aliquam rempublicam, ut ibi vel transeunter resideant ad negotium usque expletum (tunc usu nunc recepto potius dicuntur legati missi), vel stabili residentia maneant, usque dum revocentur (et tunc usus invaluit, ut appellarentur potius nuntii); in legatos natos, quibus scilicet ratione suarum sedium seu ecclesiarum in certam provinciam ecclesiasticam officium competit pontificiae legationis. Wernz *loc. cit.*

Quum munus nostrum praetergrediatur definire hic quaenam sint iura legatorum pro varia specie legationis, qua funguntur, ea praetermittimus hic describere, remittentes lectorem ad Wernz *l. c. et sqq.* Vid. *Nuntius apostolicus.*

Tit. de officio legati X. (I. 30); idem tit. (I. 15) in 6°; SS. DD. NN. Pii Papae VI responsio ad metropolit. Moguntinum, Trevirensem, Coloniensem et Salisburgensem super nuntiaturis apostolicis; *Boerii N.* Tract. celebris de officio et potestate D. Georgii de Ambasia card. legati circa derogationem regularum apostolicae cancellariae; *Barbatia A.* Tract. de cardinalibus legatis a latere; *Brunelli Jo.* Tract. de dignitate et potestate legati nec non de primaria origine cardinalium et legatorum; *Chandonii R.* Responsum quod, mortuo romano Pontifice, adhuc duret potestas legati Franciae; *Bayardi Cl. M.* Tract. compendiarius de legato cardinali de latere misso; *De Falconibus de Magliano A.* De reservationibus Papae et legatorum a latere; *Brunus C.* De legationibus; *Anon.* Tract. de legato Papae; *Magii O.* Tract. de le-

gato; *Gambari P. A.* Tractatus de officio atque auctoritate legati de latere; *Cyllenii R.* De legato pontificio; *Savaron L.* Du pouvoir des légats de notre Saint-Père le Pape et de la forme qui se doit garder quand ils entrent en France; *Kirchner N.* Legatus eiusque iura, dignitas et officium; *A Chokier* Tract. de legato; *De la Torre Th.* De auctoritate, gradu ac terminis legatorum a latere; *A Corona M.* Tract. de potestate et dignitate cardinalium, nuntiorum, legatorum apostolicorum et inquisitorum fidei; *Wagenseil G.* Diss. de legato a latere; *Kockii* De legationibus ecclesiasticis; *Maseri P.* De legatis et nunciis apostolicis; *Schott Jo.* Diss. de legatis natis; *An.* Historisch - kanonische Abhandlung eines Ungenannten von den Legaten, Nuntien der Päpste, von ihren Schicksalen und ihrer Gewalt; *Seld A.* Abhandlung über das päpstliche Gesandtschaftsrecht und die offenbare Eingriffe des röm. Hofes; *von Moser F. C.* Geschichte der päpstlichen Nuntiaturen in Deutschland; *Rudolph* De legatis et nunciis pontificiis; *Luxardo* Das päpstliche Vordecretalen - Gesandtschaftsrecht; *Mews* Zur Legation d. Bisch. Hugo v. Die unter Gregor. VII; *Lühe W.* Hugo v. St-Die u. Lyon; *Frommel C.* Die päpstl. Legatengewalt im deutsch. Reich während d. 10. 11. u. 12 Jahrhdts; *Grosse A.* Der Romanus legatus u. d. Auffassung Gregors VII; *Sägmüller I. B.* Dispens päpstl. Legaten z. Verehlichung eines 7 jähr m. e. 3 jährigen i. J. 1160; *Hrabar W.* De legatis et legationibus tractatus varii: Bernardi de Rosergio Ambaxiatorum brevilogus - Hermolai Barbari De officio legati - Martini Garrati Laudensis De legatis maxime principum - Ex aliis excerpta qui eadem de re usque ad annum MDCXXV scripserunt; *Maffino J.* Gregor VII im Verhältn. z. s. Legaten.

2602 **Legentes.** — Legentes sine auctoritate mediata vel immediata Sedis apostolicae libros (non ephemerides, *S. U. I. 21 apr. 1880;* sed nomine librorum hic veniunt etiam publicationes periodicae in fasciculos ligatae, *S. U. I. 13 ian. 1892;* ephemerides etiam in unum volumen ligatae hac prohibitione comprehendi non videntur, Vermeersch *Comm. in const.* « *Officiorum* » *ed. alt. n. 9. not. 9*) apostatarum et haereticorum (nempe ex secta vel ob haeresim damnatorum, D'Ann. *Comm. in const.* « *Apost. Sedis* » *n. 40*) haeresim propugnantes, et non tantum continentes, imo nec defendentes obiter et paucis (D'Ann. *loc. nuper cit.*), nec non libros cuiusvis auctoris per apostolicas litteras nominatim prohibitos, excommunicationem latae sententiae speciali modo R. P. reservatam incurrunt. *Constitut.* Leon. XIII « Officiorum ac munerum », *VIII kal. febr. 1896;* cfr. *Constit.* Pii IX « Ap. Sedis » *IV id. oct. 1869 ser. 1. n. 2.*

Quare legentes libros iure naturali sive ecclesiastico simpliciter prohibitos, ut hi, qui in *Indicem* sunt relati, graviter peccant, sed excommunicationem hanc non incurrunt. Ad hoc enim requiritur, ut liber sit apostatae, etc., ut supra diximus, vel nominatim per litteras apostolicas (idest per litteras datas nomine R. Pontificis, non per romanas Congregationes sive etiam per concilium oecumenicum, D'Ann. *l. c. n. 40* [*34*]; B. P. *VII. 277;* Vermeersch *l. c. n. 32. 6. a.*) prohibitus, idest expresso operis titulo (D'Ann., B. P., Vermeersch *loc. nuper cit.;* Bucceroni *Comm. in const.* « *Apost. Sedis* » *n. 13*), et sub poena excommunicationis (D' Annibale *l. c.;* Vermeersch *l. c. 32. 6. c.*).

2603 **Legislator.** — Edentes leges vel decreta contra libertatem aut iura ecclesiae excommunicationem incurrunt latae sententiae romano Pontifici specialiter reservatam. *Const.* « Ap. Sedis » *ser. 1. n. 7.*

Puniuntur igitur edentes leges vel decreta, scilicet aut supremi legislatores, qui soli possunt leges condere in modernis societatibus, aut legislatores inferiores, ut sunt praefecti urbium, municipia, etc., qui decreta edere possunt.

Decreta autem intelliguntur, quae universaliter feruntur, non ea, quae eduntur in singulas personas aut in singulos casus. D'Ann. *Comm. in const.* « *Ap. Sedis* » *n. 68.*

Leges autem et decreta debent esse contra libertatem ac iura ecclesiae, ecclesiae, inquam, universalis.

Sed quaecumque libertati ac iuribus ecclesiae adversantur, hic comprehenduntur. Nam : « haec verba patent latissime, et omne prorsus feriunt legum vel decretorum genus, quibus nedum exercitium potestatis ecclesiasticae, sive iurisdictionis, sive ordinis, sed quodvis aliud ius intercipitur, restringitur, deprimitur, perturbatur, utputa ius docendi, promovendi ad ordines, publicas supplicationes extra templa vel noctu obeundi, ecclesias, beneficia, pia sodalitia excitandi, beneficia conferendi sine ullo interventu potestatis laicae. Imo et iura, quae ecclesiae, non uti ecclesiae, sed uti societati, competunt, velut ius acquirendi actibus seu ultimae voluntatis seu inter vivos, alienandi, elocandi bona sua ultra novennium, etc., quippe sine his societas, atque ideo ecclesia, brevi interiret ». D'Ann. *loc. cit.* Quare huc spectat lex de regio placet et de regio exsequatur. B. P. *VIII. 283.*

Ad incurrendam vero excommunicationem necesse est, ut quis ediderit leges, decreta, auctoritate laica. Quod si, ut inter nos accidit, ea edantur suffragio deputatorum, senatorum, etc., excommunicationem incurrunt quotquot ex ipsis pro lege ferenda suffragium tulerunt, statim ac leges, decreta, promulgatae fuerint. D'Ann. *loc. cit.*; B. P. *loc. cit.*

Sed iudices, qui ex his legis latis ius dicunt, praecones qui eas evulgant etc., excommunicationem non incurrunt; non enim sunt edentes. Etiam auxilium, consilium, favorem edentibus praestantes ab excommunicatione sunt immunes : de his enim in constitutione piana non est sermo. D'Ann. *loc. cit.*

Legitimatio. — **De natura legitimationis.** — 2604 Legitimatio est remedium ab ipso iure invectum, quo consuleretur filiis illegitimis, qui, quamvis innocentes, maculam contrahunt parentum turpitudinis.

Non est confundenda legitimatio cum agnitione. Possunt enim filii illegitimi vel simpliciter a parentibus recognosci, vel etiam legitimari.

Legitimatio facit, ut filii illegitimi evadant iusti legitimi. *C. It. a. 194.* Agnitio ad hoc non se porrigit, quosdam tamen effectus filio favorabiles et ipsa producit.

Agnitio parentum confessione fit, quae in iure canonico etiam sine authentico actu confirmata admittitur (*c. 10 de probat. X.* [*II. 19*]), in civili

non item. *C. It. a. 181; C. G. a. 334.*

Legitimatio locum habet etiam in favorem descendentium a filiis praemortuis, ex. gr. relate ad iura successionis, etc. *C. It. a. 196.*

2605 **De modis legitimandi prolem.** — Legitimatio pluribus modis fit, tum iure canonico, tum civili, videlicet per subsequens matrimonium et per rescriptum Papae seu Principis. *cc. 1. 6. tit. cit. X.* (*IV. 17*); *C. It. a. 194.*

2606 **De legitimatione per subsequens matrimonium.** — Quare iure canonico filii illegitimi positivo iure ecclesiae, non vi intrinseca matrimonii, per parentum matrimonium subsequens verum (sive putativum iuxta quosdam, cfr. Schmalzgrueber *in tit. 17 lib. IV Decr. n. 57* citant. Suarez *de irregul. d. 50 sect. 1. n. 11;* Sanchez *de matr. lib. III. d. 42 num. 2*; *etc.* D'Ann. *l. 50* [*29*]; contra alios negantes, cfr. Reiffenstuel *in tit. 17 lib. IV Decr. num. 56;* Molina *de iust. et iure tr. 2. d. 172 num. 11*); etiam in articulo mortis initum (Molina *l. c. n. 13;* Sanchez *de matr. l. VII d. 105. n. 5 sqq.*; Schmalzgrueber *l. c. n. 51*), etiamsi ratum tantum manserit (Schmalzgrueber *l. c. n. 50*, Reiffenstuel *l. c. n. 31*, Pirhing *in tit. 17 lib. IV Decr. n. 36*), ita legitimantur, ut ommia et singula acquirant iura, quae secundum ius ecclesiasticum nativitas legitima secumfert, nisi de contrario specialiter cautum sit. Et de facto exceptio habetur, sed unica, in iure canonico; nam illegitimi sic legitimati inhabiles sunt ad dignitatem cardinalitiam. *Const.* Sixti V « Postquam » *3 dec. 1586.*

Hoc beneficium legitimationis per subsequens matrimonium tum iure canonico (*c. 6 tit. cit. X.* [*IV. 17*]; *Const.* Bened. XIV « Redditae nobis » *5 dec. 1744*), tum iure civili (*C. It. a. 195*; *C. G. aa. 331, 334*), solis naturalibus, non spuriis, competit. Cfr. *resp. S. Poen. ad emin. card. Colocensem 21 apr. 1908.*

Hinc S. Congregatio de sacramentis ad dubium: « An iuxta tenorem formularum sacrae Congregationis de disciplina sacramentorum in concessione dispensationum ab impedimentis matrimonialibus ex causis inhonestis intelligi debeat tacite concessa ordinario etiam facultas declarandi legitimam prolem susceptam ante exsecutionem dispensationis et celebrationem matrimonii ». respondit: « Negative, sed requiri ut prolis legitimatio ab oratoribus petatur eaque in rescripto concedatur. « *S. C. S. 29 ian. 1909.*

Notandum tamen est, a nonnullis doctoribus ad hoc, ut habeatur haec legitimatio per subsequens matrimonium iure canonico requiri habilitatem in parentibus ad matrimonium inter se contrahendum tempore conceptionis filii (Suarez *de censuris d. 50. n. 3*); at sententia, quae tenet sufficere habilitatem ad matrimonium tempore nativitatis, vel post conceptionem, sed ante nativitatem, videtur valde probabilis. Schmalzgrueber *l. c. n. 65 sqq.*

Iure civili necesse est ad hoc, ut filii per matrimonium parentum subsequens legitimentur, ut huiusmodi sint, qui a parentibus possint agnosci (*C. It. art. 195*); tales autem non sunt ii, qui ex alterutro parente cum alia persona matrimonio ligato nati sunt, vel

qui procreati sunt ab iis, inter quos ratione consanguinitatis vel affinitatis in linea recta in infinitum, vel in linea collaterali usque ad secundum gradum inclusive, non poterat consistere matrimonium (*C. It. a. 180*).

2607 **De legitimatione per rescriptum Principis.** — Romanus Pontifex ad omnes effectus canonicos quoslibet omnino in tota ecclesia potest legitimare, etiam spurios (*c. 13 tit. cit. X.* [*IV.17*]); ad effectus civiles in suo territorio idem potest, quod et alii principes civiles in suo, sed in territorio alieno id ordinarie et directe facere non potest; posset tantum in casu extraordinario propter bonum religionis vi suae potestatis indirectae id facere. Cfr. *c. 13 nuper cit.*

Sunt doctores, qui putant, R. Pontificem de facto uti hac sua extraordinaria potestate legitimandi ad effectus etiam civiles, quando sanat aliquod matrimonium in radice. Cfr. Sanchez *de matr. lib. VIII. d. 7. n. 3.* At quamvis extra dubium sit, decere quam maxime, ut princeps civilis admittat hanc dispensationem quoad omnes quoque civiles effectus, tum propter reverentiam debitam romano Pontifici, tum ne eadem proles habeatur in foro ecclesiastico legitima, in foro civili illegittima, quod grave foret inconveniens, hanc tamen obligationem in principe civili adesse, non videtur cogentibus argumentis probatum; multo minus autem videtur probatum, hos effectus ab ipsa revalidatione matrimonii a rom. Pontifice facta repeti posse. Cfr. Palmieri *de matr. th. XXXV. n. VIII.*

2608 Etiam princeps civilis ad effectus civiles potest illegitimos legitimare, sed iure italico non spurios. *C. It. a. 195.*

Legitimatio autem, quae regio decreto obtinetur, eosdem parit effectus, quos legitimatio per subsequens matrimonium parentum, in ordine tamen ad eum solummodo genitorem, qui illam petiit (*C. It. a. 201*); possunt enim vel uterque, vel unus tantum e parentibus, eam petere, dummodo is, qui petit, alios non habeat filios, sive legitimos sive per subsequens matrimonium legitimatos, neque descendentes ex ipsis. *C. It. a. 198.* Et haec petitio alterutrius saltem parentis necessaria est ad hoc, ut rex possit legitimationem concedere, quemadmodum etiam necessarium est, genitorem petentem in impossibilitate esse legitimandi filium per subsequens matrimonium, eumque sui coniugis consensum quoad hoc habere, si matrimonio fuerit liga tus. *C. It. art. cit.*

Legitimati quoad successiones iure 2609
civili eodem censu habentur ac legitimi (*C. It. a. 806*); non item agniti, qui, si patri testanti alii filii seu ascendentes legitimi sint, ius habent al dimidium eorum, quae ad ipsos spectassent, si essent legitimi. *C. It. a. 815.* Si vero patri nec descendentes sint, nec ascendentes legitimi, agniti ius habent ad duas tertias partes eorum, quae ad ipsos spectassent, si essent legitimi. *C. It. a. 816.*

De partiali legitimatione per professionem religiosam. — Iure canonico praeter perfectam et omnimodam legitimationem, quae obtinet, vel per subsequens matrimonium, vel per rescriptum romani Pontificis (ex quo 2610

tamen deducendum est, utrum absolute, vel ad quosdam tantum certos effectus, voluerit R. P. illegitimum legitimare), stabili privilegio habetur partialis quaedam legitimatio per professionem religiosam in ordine ad sacros ordines recipiendos (*c. 1 dist. 56; c. 1 de filiis presbyter. ordinan. vel. non X.* [*I. 17*]), non vero ad praelaturas in ordine. *c. 1 nuper cit. X.* (*I. 17*); *S. U. I. 3 febr. 1898.* Vid. *illegitimitas.*

Tit. qui filii sint legitimi X. (IV. 17); Comm. Decret. it tit. qui filii sint legitimi; Const. Pii IV « Quamvis a sede » 1 ian. 1562; Const. Sixti V « Postquam » 3 dec. 1586; Const. Ben. XIV « Redditae Nobis » 5 dec. 1745; *Ridolfi R.* Oratio pro filio notho legitimo facto; *Fabrotus* De iusto partu; *Classeni P.* De iure legitimationis; *Ottonis J.* Hypotyposis legitimationis illegitimorum; *Thomasius* De usu practico doctrinae de legitimatione; *Böhmer J. N.* De legitimatione ex damnato coitu natorum; *Piera* De legitimatione secundum ius romanum et hodiernum; *Schweikart* De matr. vi in liberis adulterinis legitimandis non deficiente; *du Cloux* De legitimatione; *Dieck C. F.* Beiträge z. Lehre v. d. Legitimation durch nachfolgende Ehe; *Daehne* De iure aureorum anulorum et natalium restitutione; *Wolf* Die legitimatio per subsequens matrimonium nach Justinianischen Recht; *Tonnellier* De la légitimation; *Coviello L.* Legitimazione per susseguente matrimonio; impugnazione posteriore per parte di uno dei genitori; interesse di altri congiunti; *Hinrichsen R.* Die Legitimation durch nachfolgende Ehe i. internat. Privatrecht mit besond. Rücksicht a. d. heut. gem. röm. Recht; *Vogels P.* Zur gemeinrechtl. Lehre v. d. Legitimation durch nachfolg. Ehe; *Koch K.* Legitimatio per subsequens matrimonium; *Kuckhoven* Die röm. rechtl. Grundsätze d. legitim. per subsequens matrimonium und ihre Unanwendbark. im heut. gem. R. und im B G B.; *Pitzorno* La legittimazione nella storia della istituz. famil. del medio evo; *Kogler F.* Beiträge zur Geschichte der Reception und der Symbolik der legitimatio per subsequens matrimonium; *Kwodynski* Legitimation; *Kogler D.* Die legitimatio per rescriptum von Justinian bis z. Tode Karls IV; *Génestal* Histoire de la légitimation des enfants naturels en droit canonique; *Wild* Legitimation unehelicher Kinder; *Raymond* De la légitimation des enfants incest. ou adult.; *Wendt* Zwei gesch. Beitr. z. Lehre v. d. Legitim.

Lenitas. — Ex defectu lenitatis irregularitatem contrahunt quicumque, voluntarie, active, efficaciter et proxime ad necem vel mutilationem alicuius, licet iustam, concurrunt per actionem natura sua ad id ordinatam. G. B. *II. 840;* De Luca Mar. *Prael. iur. can. lib. de personis n. 39.* 2611

Principes vero seculares, vel praelati ecclesiastici, qui gaudent iurisdictione temporali, causas sanguinis vicario cuidam committentes, aut condonationem poenae capitalis denegantes, aut leges ferentes sub coactione poenae capitalis incurrendae, irregulares non sunt. Cfr. *c. 4 ne cler. etc.* (*III. 24*) *in 6°*; Wernz *Ius. Decr. II. 123.*

Irregulares etiam communiter habentur clerici in sacris ordinibus constituti et regulares, qui exercent cum adustione et incisione artem medicam vel chirurgicam, si ex eorum opera, etiam casualiter et sine delicto, mors secuta sit. At si quando sublata esset in casu prohibitio ecclesiae, sive ex indulto apostolico, sive ex necessitate casus, tunc, etsi mors sequeretur, hi

irregularitatem non incurrerent. *S. C. C. advic. ap. Tunkini 9 febr. 1669;* Wernz *loc. cit.*

Non sunt tamen irregulares medici et chirurgi membra abscindentes etc.; qui aggressorem occidunt in iusta defensione; milites in bello iusto defensivo, imo vel offensivo, nisi propria manu occiderint etc. Vid. plura sub *Homicidium.*

Ab hac irregularitate, etiamsi occulta sit, solus R. P. potest dispensare, quippe quae ex defectu, non ex delicto, est. Vid. *Irregularitas.*

Attamen nota in instructione S. Congr. Inquisitionis, quae respicit clericos ad militiam ineundam astrictos, sub n. 15, haec haberi: « In casibus supra indicatis poterunt rmi episcopi dispensare a lege residentiae parochos aliosque beneficiatos, qui ea ratione sui muneris astringerentur; poterunt etiam dispensare ab irregularitate clericos aut sacerdotes, qui eam forte incurrerint tempore militarium exercitationum (*durante le fazioni militari*) *S. U. I. 16 apr. 1875.*

2612 **Lex.** — ***De natura legis.*** — Lex est regula externa et remota actuum humanorum. Quare de ea optime Chrysippus: « Lex est omnium divinarum et humanarum rerum regina. Oportet autem, eam esse praesidem et bonis et malis, et principem et ducem esse; et secundum hoc regulam esse iustorum et iniustorum et eorum, quae natura civilia sunt, animantium, praeceptricem quidem faciendorum, prohibitricem autem non faciendorum » *l. 2 de legibus etc. D.* (*I. 3*).

Definitur ex S. Thoma (*1. 2. q. 90. a. 4*): « Ordinatio rationis in bonum ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata », scilicet imperium legitime promulgatum, quo superior subiectam sibi communitatem obligat ad aliquid faciendum vel omittendum in bonum ipsius communitatis.

Quomodo lex a praecepto differat. 2613 — Differt lex a praecepto, tum quia lex fertur in communitatem, praeceptum in personam privatam; tum quia finis legis est bonum commune, praecepti est bonum privatum tantum. Suarez *de legibus lib. I. c. 6. n. 16.*

Praeterea lex territorio finitur, praeceptum ossibus haeret, idest personae cohaeret; ita ut, si potestas praecipientis ex pacto sit (ut potestas episcopi in sacerdotem subditum, D'Ann. *I. 249* [*3*]), vel nulli territorio axscripta (ut potestas superioris regularis in suos, D'Ann. *l. c.* [*4*]) praeceptum sequatur personam ubique locorum; si vero potestas praecipientis profluit ex iure civili seu canonico, eaque territorio finitur, non conveniunt doctores, utrum praeceptum sequatur personam ubique locorum, necne. Alii affirmant (Suarez *de censuris disp. V. sect. 5. n. 18;* Laymann *Th. mor. lib. I. tr. V. p. 1. cap. 4. n. 6;* S. Alph. *VII. 23*); alii negant (Diana *tom. V. tr. 1. res. 99. n. 4;* etc.); et s. Alphonsus (*l. c.*) negantium quoque sententiam probabilem dicit, quam D'Annibale (*I. 249.*) veriorem habet.

Praeceptum insuper perit, pereunte iure praecipientis, re quoque non integra (Suarez *de legibus lib. I cap. 10. n. 9*); lex autem non ita.

Pereunte vero praecepto, et poena perit vel censura, si quae conditionate praecepto annexa fuerat, non autem

si quis iam eam incurrerit. *l. 43 de poenis D.* (*XLVIII. 19*); Suarez *de censuris disp. III sect. 4. n. 2*; D'Ann. *l. c.*

2614 **De dotibus in lege requisitis.** — Lex humana debet esse:

possibilis, nec solum physice, sed etiam moraliter (B. P. *I. 237*); nam impossibilium nulla obligatio est (*l. 185 de diversis regulis iuris antiqui D.* [*L. 17*]);

honesta (Suarez *l. c. cap. 9. n. 7*); ad inhonesta enim Deus legislatoribus humanis potestatem non dedit (B. P. *l. c.*); et si quando lex tuetur facta quaedam illicita, lex ideo stat, quia per illud deteriora cavet (D'Annibale *I. 161* [*9*]; hinc in iure habetur: « non omne, quod licet, honestum est » *l. 144 tit. cit. D.* [*L. 17*]);

utilis, quia imponere onus inutile communitati iniquum esset (Suarez *de leg. l. VIII. c. 30. n. 20*);

iusta, idest ex norma iustitiae distributivae lata, quam normam violaret legislator aequalia onera omnibus imponens, nulla habita ratione virium et facultatum (Suarez *de leg. lib. I. c. 9. n. 16*);

permanens, idest quae lata sit in perpetuum (cfr. Gloss. *in cap. 1 de sent. excomm. X.*; Suarez *l. c. c. 10. n. 5.*

et *promulgata*. Vid. *Promulgatio.*

2615 **De subiecto potestatis legislativae — De subiecto activo quoad leges universales.** — Auctor legis, seu eius subiectum activum, est superior, sed non omnis superior; verum ille, qui est supremus princeps in societate, iique, quibus ex iure constitutivo societatis hoc ius est.

Hinc in civitate leges condit pro eius regiminis forma princeps, vel populus, vel uterque simul. D'Ann. *I. 199.*

In ecclesia ius habet condendi leges pro universa ecclesia romanus Pontifex (cui hoc ius eo sensu exclusive competit, quod nemo alius illud habet in ecclesia, nisi ipso mediante. Matth. *XVI. 18. sqq.*; Io. *XXI. 15. sq.*) et concilium oecumenicum (Matth. *XVIII. 18.*; *Act. XX. 28*); oecumenicum, inquam, idest concilium episcoporum cum ipso romano Pontifice (Suarez *loc. cit. lib. IV. c. 6. n. 3*). — Quare, vacante Sede apostolica, nec collegium cardinalium (*c. 5 de elect. etc.* [*I. 3*] *in Clem.*; Suarez *loc. cit. n. 5 sqq.*), nec concilium generale (quod etiam de tempore schismatis vel Papae dubii dicendum esset, Suarez *loc. cit. n. 4*) possunt leges ferre pro universa ecclesia; iurisdictio enim suprema, pereunte Pontifice, perit, nec transit, sicut iurisdictio episcopi dioecesani defuncti in capitulum, in collegium cardinalium, vel in concilium generale, si quod tunc temporis esset convocatum.

De subiecto activo quoad leges particulares. — Leges particulares condere possunt in ecclesia legati a latere pro sua provincia, eorumque leges, etiam finita legatione, durant (*c. 10 de off. leg. X.* [*I. 30*]; Suarez *loc. cit. c. 5. n. 4*); quas leges ferre possunt legati a latere etiam mortuo Pontifice (quum per eius mortem eorum officium non exspiret, *c. 2 de off. leg.* [*I. 15*] *in 6°*), et non auditis episcopis suae provinciae. Wernz *Ius. Decr. I. 93.* 2616

Cardinales, ne in suis titulis qui-

dem, potestatem habere leges ferendi, pleres hucusque docuerunt, putantes eam, quam prius in clericum et populum tituli iurisdictionem habebant (*c. 11 de maior. et obed. X.* [*I. 33*]; Suarez *loc. cit. c. 5. n. 4*), redactam postea esse ad potestatem quamdam mere oeconomicam (ex *Const.* Innocentii XII. «Romanus Pontifex» *17 sept. 1692*); verum in contraria veriori sententia contrarium quoque est affirmandum.

Concilia particularia, sive nationalia, sive plenaria, sive provincialia ius habent condendi leges pro natione vel provincia (Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 2 de ref.*; Suarez *loc. cit. lib. IV. c. 6. n. 8 sqq.*); haec vero potestas est penes corpus morale, adeo ut lex conficiatur per pluralitatem votorum, etiam contra votum patriarchae vel metropolitae.

Patriarcae, primates, metropolitae, simplices episcopi pro sua tantum dioecesi leges ferre possunt (*c. 2 de maior. et obed. X.* [*I. 33*]; *c. 2 de const.* [*I. 2*] *in 6°*; Suarez *loc. cit. lib. IV. c. 4. n. 2 sq.*); nec metropolita ex. gr. leges ferre potest pro universa provincia (*c. 7. C. IX. q. 3*).

Episcopus quisque potestatem suam legislativam exercere potest, etiam ante consecrationem, non tamen ante confirmationem, et antequam praesentaverit bullas suae promotionis capitulo ecclesiae cathedralis (*c. 1 de electione* [*I. 3*] *in Xvag. comm.*; *Const.* «Ap. Sedis» *susp. sub. n. 1*); cardinales autem, si ad aliquem episcopatum promoverentur, possent iurisdictionem exercere, etsi non praesentaverint bullas promotionis. Ferraris *Promta bibl. v.* «*Cardinales*» *a. 4. n. 15.*

Leges vero, quas episcopus fert extra synodum, etsi nonnisi unum subditorum coetum respiciant, veri nominis leges sunt, nec verum est, id, quod Scavini (*Th. mor. tr. 2. cap. 1. q. 2. in not.*) citatus a G. B. (*I. 85* [*3*]) dicit (*sed in edit. a. 1890, idipsum Scavini correxit*), eas esse tantummodo praecepta, non veras leges. Cfr. D'Ann. *I. 200* (*4*).

Capitulum ecclesiae cathedralis, sede vacante, quum succedat in iurisdictionem ordinariam episcopi, quousque ad deputationem vicarii capitularis devenerit, potest leges pro sua dioecesi ferre (cfr. *c. 14 de maior. et obed. X.* [*I. 33*]; *cap. un. eiusd. tit.* [*I. 17*] *in 6°*), quod et de vicario capitulari dici debet, postquam is fuerit renuntiatus. Wernz *loc. cit. n. 94. II.*

Vicarius generalis absque speciali mandato leges dare nequit, etiam de iis rebus, quae sibi per generale mandatum commissae sunt. Cfr. *resp. S. C. C. 4 dec. 1655* (in Conc. Trid. ed. Richter *pag. 328*); Bened. XIV *de Syn. lib. II cap. 8. n. 3*; Wernz *loc. cit. not. 30.*

Capitula generalia ordinum regularium virorum, qui sint approbati et exempti, potestatem legiferam habent (cfr. *c. 7 de statu monach. etc. X.* [*III. 35*]; Suarez *loc. cit. l. IV. c. 6. n. 21*); qua potestate non semper gaudent, imo plerumque destituuntur omnes ordinum praelati, etiam generales. Suarez *loc. nuper cit.*; Wernz *loc. nuper cit.*

De requisitis ad ferendam legem valide. 2617 — Ad hoc autem, ut superior legi-

timus leges ferat, quae obligent, debet eas ferre in proprium subditum et quoad suum territorium. Quare ferenti leges alienis subditis, vel extra proprium territorium valituras, vel supra aut praeter suam iurisdictionem, non paretur impune. *l. 20 de iurisd. D.* (*II. 1*).

At in dubio utrum legislator suam iurisdictionem excesserit, necne, semper pro lege standum est. Lugo *de iust. et iure disp. XXXVI. n. 90;* D'Ann. *I. 161.*

2618 **De subiecto passivo legis. — De subiecto passivo generatim.** — Subiectum passivum legis, seu ii, qui legibus latis ligantur, generatim, si de lege naturali sermo sit, est omnis homo; si de lege humana, sunt ii omnes et soli, qui ut subditi ad eam communitatem pertinent, in cuius utilitatem lex fertur. Cfr. S. Th. *1. 2. q. 96. a. 5;* Suarez *l. c. lib. IV. c. 20. n. 1.*

Hinc ipse legislator suis legibus per se non ligatur (*l. c. de receptis qui etc. D.* [*IV. 8*]; Wernz *loc. cit. n. 106*); idest vi coactiva suarum legum nullo modo tenetur (Suarez *l. c. lib. III. c. 35. n. 15*), vi autem directiva indirecte tantum ex aequitate naturali et ratione ordinis ad vitandum scandalum (*c. 2. dist. 9;* D'Ann. *I. 204.* [*30*]); et est obligatio levis. S. Alph. *I. 154.*

Hinc etiam leges ecclesiasticae nonnisi in solos baptizatos ferri possunt (Suarez (*loc. cit. n. 2*); iique omnes, non solum catholici sed et schismatici vel haeretici (Suarez *l. nuper cit.*), non solum volentes, sed et inviti (Conc. Trid. *sess. VII can. 8 de bapt.*) et quin eas leges acceptent (Suarez *loc. cit. c. 16. n. 2*), dummodo sint ratione utentes, legibus ecclesiasticis pro ipsis speciatim, vel pro omnibus ecclesiae subditis generaliter latis omnino subduntur. Cfr. *c. 1 de maior. et obed.* [*I. 8.*] *in Xvag. comm.;* Conc. Trid. *sess. XXV. c. 18 de ref.;* Billot *de eccl. sacr. I. th. 27. 28.*

Hoc generaliter: magis in particulari notanda sunt sequentia.

De subiecto passivo legum ecclesiasticarum communium. — Legibus ecclesiae communibus omnes adulti baptizati tenentur ubique locorum. *c. 1 de const. X.* (*I. 2*). — Adulti inquam, idest septennium praeterlapsi; ex consuetudine enim qui septennium praeterlapsi non sunt, etsi usum rationis habeant, legibus ecclesiasticis non ligantur. Vid. *Aetas.* 2619

Patet autem, eos quoque legibus etiam universalibus non teneri, qui ab ipsis eximuntur, ut est, quoad leges ecclesiasticas disciplinares, de graecis catholicis qui nisi expresse nominentur, aut pro materia legis implicite comprehendantur (ut est in iis quae pertinent ad fidem et doctrinam catholicam, aut in iis legibus, quae sunt potius explicationes et determinationes iuris divini et naturalis — hinc episcopi etiam orientales tenentur ad applicationem missae pro populo iuxta constitutionem Leonis XIII « In suprema », *S. C. P. F. ad del. ap. pro Oriente 8 nov. 1882*), iis non ligantur. Cfr. *Const.* Ben. XIV « Allatae sunt » *26 iul. 1755;* Papp-Szilagyi *Ench. iuris eccl. orient. cath. Proleg.* § *55;* Wernz *l. cit. n. 104.*

De conlegislatoribus. — Conlegislatores, idest ii, qui efformant aliquod collegium legislativum, cuius colle- 2620

gii nomine leges ferantur, legibus sic latis et ipsi tenentur; singuli enim relate ad collegium sunt vere subditi.

Hoc dicendum est de episcopis relate ad leges concilii provincialis (vid. *Concilium provinciale*); non autem relate ad leges, quae ferrentur a pluribus episcopis unitis in aliquo *Congressu*, ut aetate nostra aliquando factum est; illud enim non est collegium legislativum, eiusque ordinationes in tantum habent vim legis, in quantum procedunt ab episcopis ut singulis. Romanus Pontifex non est subditus concilii oecumenici, sed superior; ab ipso enim auctoritatem habet concilium (Palmieri *de Rom. Pont. part. II. th. XIII)*; hinc legibus concilii oecumenici non subditur, nisi eo modo, quo supra diximus.

2621 **De requisitis ad obligationem ex lege particulari.** — Quoad leges latas pro aliquo territorio in particulari notandum est, quod, ut quis his legibus ligetur, requiruntur duo, et quidem copulative. Aichner *Comp. iuris eccl.* § *203. n. 2.*

Sunt autem: *a*) quod sit de territorio legis, idest subditus. Hinc regulares exempti per se, idest exceptis casibus a iure expressis (cfr. Conc. Trid. *sess. XXV. cc. 12. 13 de reg.*) non ligantur legibus ecclesiasticis episcopalibus, quamvis aliquando propter scandalum vitandum, vel propter bonum commune, per accidens his quoque teneantur;

b) quod sit in territorio legis, quia « extra territorium ius dicenti non paretur impune » *c. 2 de constit.* (*I. 2*) *in 6°.*

De peregrinis et vagis (*remissive*). — Ad quid teneantur peregrini quoad leges sui territorii, vel quoad leges locorum, per quae transeunt vid. *Peregrinus*; ad quid teneantur vagi vid. *Vagus.*

De obiecto legis. — **Quodnam** 2622 sit. — Obiectum legis generatim est omne id, quod ad bonum commune conducit (Cfr. S. Th. *1. 2. q. 90. a. 2*); etiam actus per se indifferens (G. B. *I. 88*); non item heroicus, si agitur de lege humana (V. *Heroici actus*); nec internus, si de lege civili (*l. 18 de poenis D.* [*XLVIII. 19*]; Suarez *loc. cit. lib. III. c. 13. n. 2*), et verius etiam ecclesiastica (S. Th. *1. 2. q. 91. a. 4, q. 100. a. 9;* Suarez *loc. cit. lib. IV. c. 12. n. 4 sqq.*; vid. *Interni actus*). Verum actus mixtus et externus occultus cadit sub lege humana (Lessius *de iust. et iure lib. II. c. 37. n. 66*; D'Ann. *l. 200;* Wernz *l. cit. n. 98*); sic ecclesia praecipit devotam attentionem in celebratione missae.

De requisitis ad obligationem ex 2628 **parte obiecti.** — Praeterea obiectum legis debet esse *honestum* (Suarez *loc. cit. lib. III. c. 12. n. 4 sqq.*); *iustum; possibile,* relative nempe ad vires communes sociorum (Suarez *l. c. lib. I. c. 9. n. 16. 17*); et *recto ordini non contrarium.* Suarez *loc. cit. lib. I. c. 9. n. 7*

An actus praeteriti possint esse materia legis vid. *Praeteriti actus.*

De promulgatione legis. — **De** 2624 **promulgatione in genere.** — Lex debet promulgari, secus non obligat (*can. 3. dist. 4*; S. Th. *1. 2. q. 90. n. 4*); ne privatim quidem nota (*c. 1 de postul. praelat. X.* [*I. 5*]; Suarez *loc. cit. I. c.*

11. n. 6), nec dubie promulgata (G. B. *I. 96*).

Nullus tamen modus promulgationis per se requiritur ad hoc, ut lex obliget, sed hoc in arbitrio legislatoris positum est. Suarez *loc. cit. lib. I. c. 11. n. 5.*

Sufficienter autem lex est promulgata, quando est certa quoad eius exsistentiam, et manifesta quoad eius sententiam, seu quoad id, quod praecipit vel prohibet; secus lex incerta non potest certam inducere obligationem, et lex dubia non obligat. B. P. *I. 244 seq.*

2625 **De promulgatione quoad leges pontificias.** — Leges pontificiae promulgabantur hucusque per affixionem earum in quibusdam consuetis locis Romae, nempe ad valvas basilicae s. Petri, basilicae Lateranensis, etc. Reiffenstuel *in tit. 2 lib. I. Decr. n. 118.* Sufficienter autem sic promulgari leges pontificias satis etiam prius constabat (cfr. *c. 1 de postul. prael. X.* [*I. 5*]; *c. 1 de concess. praeb. etc.* [*III. 7*] *in 6°;* Reiffenstuel *loc. cit. n. 119 sqq., n. 134*), recentius autem indubitatum hoc fuit ex responsionibus S. Poenitentiariae (*8 nov. 1821*) quoad constitutionem « Ecclesiae » Pii VII et (*15 iun. 1870*) quoad constitutionem « Apost. Sedis » Pii IX, quibus declaratum est, has constitutiones obligare postridie eius publicationis Romae factae. D'Ann. *I. 202.*

Recenter vero a Pio X modus promulgandi leges pontificias immutatus est et novus statutus hodiernis moribus magis congruens. Promulgavit autem illum Pontifex sequenti apostolica costitutione:

« Promulgandi pontificias constitutiones ac leges non idem semper decursu temporis in ecclesia catholica fuit modus; a pluribus tamen saeculis consuetudo invaluit, ut earum exemplaria publice proponerentur frequentioribus quibusdam urbis affixa locis, praesertim ad Vaticanae ac Lateranensis basilicae valvas. Quae autem Romae, tamquam in christianae reipublicae centro et communi patria fidelium, promulgarentur, ea ubique gentium promulgata censebantur, vimque legis plenissimam obtinebant. Verum, quum promulgandae legis ratio et modus a legislatoris voluntate pendeat, cui integrum est constitutas innovare ac moderari formas, aliasque pro temporum ac locorum opportunitate sufficere; idcirco factum est, ut, vel anteactis temporibus, non omnes apostolicae Sedis leges ac constitutiones, memorata forma, hoc est consuetis urbis affixae locis promulgarentur. Recentius, sacrarum praesertim Congregationum opera, quibus romani Pontifices, ad leges iam latas declarandas aut ad novas constituendas, utebantur, id fere in consuetudinem venit, ut acta sanctae Sedis eiusque decreta, in officio a secretis a quo edita essent legitima auctoritate vulgata, hoc ipso promulgata haberentur. Publici sic iuris effecta, dubitari quidem nequit, quin acta ipsa rata firmaque essent, tum quod plerumque munita clausulis, contrariis quibusvis derogantibus, tum quod id genus promulgatio esset vel expresse vel tacite approbata a Pontifice maximo. Huic tamen promulgandi rationi etsi plena vis esset

solemnitas illa deerat, quam par est supremae auctoritatis actis accedere. Ea de causa complures episcopi, non modo a nobis, sed a nostris etiam decessoribus, quum saepe alias, tum novissime in postulatis circa ius canonicum in codicem redigendum, flagitarunt, ut a suprema ecclesiae auctoritate commentarium proponeretur, in quo novae promulgarentur ecclesiasticae leges, et apostolicae Sedis acta vulgarentur.

« Re igitur mature perpensa, adhibitisque in consilium aliquot S. R. E. Cardinalibus, antistitum, quos diximus, excipienda vota rati, auctoritate nostra apostolica, harum litterarum vi, edicimus, ut, ineunte proximo anno MCMIX, commentarium officiale de apostolicae Sedis actis edatur Vaticanis typis. Volumus autem constitutiones pontificias, leges, decreta, aliaque tum romanorum Pontificum tum sacrarum Congregationum et Officiorum scita, in eo commentario de mandato praelati a secretis, aut maioris administri eius Congregationis vel officii, a quo illa dimanent, inserta et in vulgus edita, hac una, eaque unica, ratione legitime promulgata haberi, quoties promulgatione sit opus, nec aliter fuerit a sancta Sede provisum. Volumus praeterea in idem Commentarium cetera sanctae Sedis acta referri, quae ad communem cognitionem videantur utilia, quantum certe ipsorum natura sinat; eique rei perficiendae sacrarum congregationum, tribunalium et aliorum officiorum moderatores opportune consulere.

Haec edicimus, declaramus, sancimus, decernentes has litteras nostras firmas, validas et efficaces semper esse ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri atque obtinere, contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae apud s. Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo octavo, III kalendas octobres, pontificatus nostri sexto ».

De promulgatione quoad leges episcopales. — Leges ab episcopis latae promulgantur vel earum lectione in ecclesia cathedrali, vel affixioni edicti ad valvas ecclesiae cathedralis, aut in alio loco designato. Statuta synodalia pro clero sufficienter promulgantur in ipsa synodo. 2626

De initio obligationis. — Quando autem lex, ex quo rite promulgata fuit, incipiat obligare, quoad leges civiles repetendum est ex peculiari iure, ad quod pertinent; quoad leges ecclesiasticas verius ex postridie. 2627

Notandum. — Promulgatio vero sine notitia legis ad obligandum in foro externo sufficit, non autem in interno. G. B. *I. 96.* Vid. *Promulgatio.* 2628

De vi obligandi in lege. — Non solum lex divina (Suarez *loc. cit. lib. II. c. 9. n. 2 sqq.*), sed etiam lex humana (Suarez *loc. cit. lib. I. c. 14. n. 1 sqq.*), sive canonica (Suarez *loc cit. lib. IV. c. 17 n. 2 sqq.*), sive civilis (S. Th. *1. 2. q. 96. a. 4.*; Suarez *loc. cit. lib. III. c. 21. n. 5 sqq.*) obligat subditos in conscientia. 2629

Vis obligandi est legi essentialis, secus esset consilium; nec obstat dari leges quoque permittentes et poenales, nam et hae vi obligandi non carent. Quae enim lex relate ad aliquem est permissiva, habet admixtum praeceptum, quod alios obligat; ut si

qua lex permitteret, aliquos ex. gr. digito mutilatos (cfr. *Gloss. in c. 6. dist. 55*) fieri clericos, ea praelatos obligaret, ne homines huiusmodi a clericatus honore ob eam causam repellerent. Suarez *l. c. lib. I. c. 14. n. 5.; c. 15 n. 9 sqq.*

Lex vero poenalis obligat vel ad ponendum aut non ponendum actum, vel ad solvendam aut saltem sustinendam poenam. Suarez *loc. cit. lib. I. c. 14. n. 7.*

2630 **An vis obligandi pendeat ex acceptatione populi.** — Quoad vim obligandi lex non pendet ab acceptatione populi; nec solum lex canonica (cfr. *prop. 28 damn. ab Alex. VII. 24 sept. 1665*; Suarez *loc. cit. lib. IV. c. 16*), sed etiam lex civilis (Suarez *l. cit. l. III. c. 19*); nisi tacite vel expresse consenserit superior. Suarez *loc. nuper cit. n. 8.*

2631 **De vario gradu obligationis.** — Obligat vero lex sub levi vel sub gravi iuxta diversitatem materiae (Suarez *l. c. lib. III c. 25. n. 2.*) et voluntatis legislatoris. Suarez *l. c. lib. III. c. 27 n. 7.* Ad gravem enim legis obligationem necessaria est gravitas materiae praecepti, nec potest humanus legislator obligare sub gravi in materia levi, etsi maxime id velit et intendat; potest autem legislator in re gravi sub levi obligare, quia tota ratio obligandi in lege pendet a voluntate legislatoris. Navarrus *Manual. cap. XXIII. n. 48 sqq.*

Gravitas autem vel levitas materiae desumenda est ex verbis legis, ex eius obiecto, fine et circumstantiis; si autem non satis apparet, utrum materia legis sit gravis an levis, vis obligandi in lege sub gravi vel sub levi desumenda est ex gravitate poenae inflictae, ex verbis, quibus fertur (ut, si in lege ecclesiastica diceretur: *in virtute s. obedientiae, sub interminatione mortis aeternae, sub interminatione divini iudicii, stricte praecipimus*, etc., evidens esset illam legem obligare sub gravi, Suarez *l. c. lib. IV. c. 18. n. 3*), ex interpretatione consuetudinis. D'Ann. *I. 175.*

De extensione obligationis quoad tempus. — Praeterea lex negativa obligat semper et pro semper; affirmativa semper, sed non pro semper. D'Ann. *I. 165.* 2632

De requisitis ad satisfaciendum obligationi legis. — Ad satisfaciendum legi positivae oportet habere intentionem faciendi rem praeceptam, non autem praecepto satisfaciendi; quia lex iubet fieri id, quod praecipitur; fieri, quia praecipitur, lex non iubet. S. Alph. *I. 163;* D'Ann. *I. 166.* 2633

Haec faciendo quis satisfacit, etiamsi nolit legi satisfacere, quia id, quod lex iubet, vere facit. Aliud tamen dicendum est in his obligationibus, quae ex voluntate nostra initium aut statum capiunt (S. Alph. *Hom. ap. VI. 27*), ut puta, si, quum quis debeat audire missam ex poenitentia sacramentali, vel ex voto, nolit ea missa poenitentiae, vel voto, satisfacere. D'Ann. *I. 166. (31).*

De modo satisfaciendi obligationi legis. — Diversa praecepta unico actu (excepta materia iustitiae) impleri possunt (B. P. *I. 378 sqq.;* sic esset in casu de ieiunio vigiliae, quae occurrit simul cum ieiunio quatuor temporum), et diversis quoque actibus si- 2634

mul, si alter actus alterum non impediat, ut esset in subdiacono, qui horas recitaret, dum audit missam de praecepto. B. P. *I. 380.*

Qui partem praestare potest, non totum, ad partem tenetur, si res praecepta divisionem recipiat, et pars ista non fuerit minima (B. P. *I. 386 sqq.*; cfr. *prop. 54am damn. ab Innoc. XI decr. diei 2 mart. 1679*), idest quae non pertingat ad materiam gravem. D'Ann. *I. 168 (43).*

Licet semper apponere causas eximentes, verius etiam directe et proxime (G. B. *I. 110*); impedientes non licet directe apponere, licet vero generatim indirecte, absque motivo si remote tantum, cum motivo proportionate gravi si proxime impediant. Bucc. *I. 220 sqq.*

2635 **De dubia adimpletione legis.** — In dubio an legem quis impleverit, si quaestio est de dubio iuris, idest, si dubium est, an recte quis fecerit, etsi dubium sit positivum et grave, nec agatur de damno alterius vel aeternae suae salutis, omne factum praesumitur recte factum (cfr. S. Alph. *VI. 505*; D'Ann. *I. 169*). Si quaestio est de dubio facti, si dubitet quis ex. gr. an recitaverit horas canonicas, si dubium non sit mere negativum, etiam tunc obligatio cessat. G. B. *I. 80*; D'Ann. *loc. nuper cit.* Quae est sententia certe tuta, et extendi potest ad promissiones quoque gratuitas, quae ex voluntate nostra initium capiunt, ex. gr. donationes, vota. Lugo *de poenit. disp. XVI. n. 69*; D'Annib. *loc. nuper cit.*

2636 **De incommodo gravi.** — Obligatio legis cum incommodo gravi, quamvis tantum probabili (cfr. S. Alph. *III. 325, IV. 154*), nulla est; nisi agatur de lege divina, quae aliquid praecipit, quod natura sua praestari nequit citra incommodum grave, vel quod necessarium est ad aeternam salutem necessitate medii, aut nisi agatur de lege naturali prohibente, vel de iis, quae in eam recidunt (ut est lex vetans sacerdotibus vel medicis necessariis recedere tempore pestis). Suarez *loc. cit. lib. III. c. 30. n. 5 sqq.*

Notandum. — Contra legis obligationem facit ille quoque, qui in fraudem legis agit. Vid. *Fraus.* 2637

De lege poenali. — Lex poenalis ea dicitur, quae poenam irrogat transgressoribus; quare duobus semper constat, re nempe aliqua facienda vel omittenda, et poena. Suarez *loc. cit. lib. V. c. 4. n. 2 sqq.* 2638

Si utrumque cadit sub lege, dicitur lex mixta poenalis; si alterutrum tantum, et hoc in nostra electione est positum, dicitur pure poenalis. Suarez *loc. nuper cit.*

Dantur de facto huiusmodi leges pure poenales, ut sunt generatim leges de vectigalibus (vid. *Fraudatio*), quae nempe, vel ad legem implendam, vel ad poenam subeundam obligant; cognoscuntur autem ex communi sensu doctorum et praxi subditorum timoratorum.

De lege irritante. — Lex irritans ea est, quae statuit, aliquem actum vel esse statim a principio invalidum et nullum, vel postea per iudicis sententiam esse invalidandum, et ut nullum habendum. B. P. *I. 314.* In hoc altero casu actus per se stat, sed est rescindibilis per ministerium legiti- 2639

mae auctoritatis, et validus subsistit, quousque de facto non rescindatur. B. P. *loc. cit. n. 314.*

Tum societas civilis, tum ecclesia potestatem habent ferendi leges irritantes, et utraque sua potestate usa est. Cfr. *c. 42 de elect. X.* (*I. 6*); Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 1 de ref. matr.; l. 54 de legatis I. D.* (*XXX*).

Irritatio actus in proprio conceptu non includit, quod sit poena, et saepius non est poena (cfr. Conc. Trid. *loc. nuper cit.; c. 42 de elect. X. etc.*), quamvis interdum poena sit. Suarez *loc. cit. lib. V. c. 19. n. 4.*

Lex irritans aliquando fertur positive, ita ut directe constituat formam actus, et idcirco nullum reddat actum aliter factum; aliquando fertur negative, prohibens actum, ita tamen ut etiam actus sit nullus, ut ex. gr. in impedimento consanguinitatis (Suarez *loc. nuper cit. n. 4*); in hoc altero casu, quum nempe prohibetur directe actus, lex irritans obligat in conscientia ad actum vitandum. Suarez *l. c. lib. V. c. 20. n. 5;* B. P. *I. 314.*

Irritatio actus afficit etiam ignorantes, si lex irritans non sit poenalis (Suarez *l. c. lib. V. c. 22. n. 7*), et stat, non obstante etiam incommodo valde gravi; nec lex irritans admittit epikeiam, iuxta communiorem sententiam. Attamen notanda sunt ea, quae habet Palmieri in opere theologico morali P. Ballerini post plura, quae super hoc idem Ballerini annotaverat: « Iamvero, si haec rite disputata sunt, sequitur, quod et in lege quoque irritante epikeiae locus sit: cui locus certe est, quoties lex evadat vel nociva vel intolerabilis, ut merito censeri possit in iis casibus nolle vel non debere legislatorem legem suam urgere. Et sane ex doctrina S. Thomae (*1. 2. q. 180*) non certae alicui humanae legi, sed cuilibet legi epikeia convenit, propter rationem, quae in omni lege humana valet: quia nempe nequeunt leges comprehendere omnes casus, qui variari possunt sine fine; quia nequit lex condi, quae in nullo casu deficiat. Non ergo admodum rationalis est distinctio inter leges irritantes et alias, ut hae recipiant epikeiam, non illae ». B. P. *I. 321.*

Metus gravis non impedit effectum legis irritantis. B. P. *I. 315.*

Si lex irritans est lex poenalis, idest in poenam tantum imposita est, per ignorantiam vel aliam similem causam, quae a culpa excusat, eius effectus impeditur. Suarez *loc. cit. lib. V. c. 22 num. 3.*

De interpretatione legis (*remissive*). — Interpretatio legis multiplex est. Inter regulas interpretationis praecipua est, legem poenalem et odiosam stricte, favorabilem large interpretandam esse. Vid. *Interpretatio.*

Benigna et aequa legis interpretatio, qua lex ad casum particularem, quamvis in verbis legis non exceptum, extendi non censetur, dicitur epikeia. Vide *Epikeia.*

De dispensatione legis (*remissive*). — Dispensatio legis est eius relaxatio in casu particulari: multiplex est. Vid. *Dispensatio.*

De cessatione legis (*remissive*). — Lex cessat per abrogationem (Vid. *Abrogatio*), per cessationem causae

motivae adaequatae (Vid. *Cessatio*), per desuetudinem (Vid. *Consuetudo*).

De aliis quoad leges (*remissive*). — De lege favorabili vid. *Privilegium*. De lege non scripta vid. *Consuetudo*. De vacatione legis vid *Vacatio*. De confirmatione legis vid. *Confirmatio*.

Tit. de constitutionibus X. (I. 2); idem tit. (I. 2) in 6°; Conc. Trid. sess. XXV cc. 2. 18 da ref.; Const. Pii IV « Benedictus Deus » 25 ian. 1564; Const. Urb. VIII « Quum sicut » 5 nov. 1631; Const. Pii X « Promulgandi » 3 kal. oct. 1908; *Ab Exea A.* In titulum de constitutionibus commentaria; *Omphali J.* Tract. de usurpatione legum et de eorum studiis, qui sibi iurisprudentiae professionem sumunt; *Bolognetti A.* Tract. de lege, iure et aequitate; *De Federicis S.* Tract. de interpretatione legum; *A Castro A.* De potestate legis poenalis; *Entzlini M.* Disp. de legis publicae violatione; *Typotii I.* Liber de iusto sive de legibus; *Di Gambacorta R.* Foro cristiano, nel quale si tratta come devono osservarsi le humane leggi conforme alle divine; *Mureti M. A.* Comm. in ff. de origine iuris et de legibus etc.; *Carnini C.* Tract. de vi et potestate legum humanarum; *Benincasius C.* Ad tit. de constitutionibus; *Parei D.* Oratio de quaestione utrum leges magistratus obligent in conscientia; *De Salas Io.* Tract. de legibus; *Forster V. G.* Interpres sive de interpretationibus iuris; *Anguiani C.* Tract. de legibus et constitutionibus principum eorumque iurisdictione et imperio; *Bezoldi C.* Commentaria in aliquot titulos primi libri pandectarum, videlicet de iustitia et iure, de legibus et senatus consultis et longa consuetudine, de constitutionibus principum, et de iis, qui sunt sui vel alieni iuris; *Suarez F.* Tract. de legibus; *Galli I.* Apices legum; *Steinbergius Io.* Disp. de interpretatione et fictione iuris; *Florens* De dispensationibus ecclesiasticis; *Chesii B.* Interpretationum iuris liber primus et secundus; *Hahn H.* Diss. de interpretatione legum; *Venediger Io. W.* Disp. de legum abrogatione; *Pacemuti N.* Tract. de iurisconsulto perfecto in genere liber unus veras interpretandi regulas demonstrans; *Haberkornius H. P.* Princeps legislator seu de constitutionibus principum; *Medici S.* De legibus statutis et consuetudine, item de compensationibus; *Corradus P.* Praxis dispensationum apostolicarum; *Boehmer J.* Exercitatio XIII ad l. 1 Pand. tit. 3 de sublimi principum ac statuum evangelico dispensandi iure in causis et negotiis tam sacris quam profanis; *van Espen* De dispensationibus praesertim matrimonialibus; *Gottschlich C.* Disputatio in lege et leges disputationum; *Collet* Traité des dispenses; *Jung. Io.* Facta dispensationum episc. hist. ex tribus primis saeculis; *Kübel M.* Ueber die Geschichte bischöfl Dispensen; *Vering* De principiis dispensationum; *Fiebag* De indole ac virtute dispensationum; *Wirthmüller* Ueber das Sittengesetz; *Brandh uber v. Etschfeld* Ueber Dispensation und Dispensationsrecht nach kath. KR.; *Schmid B.* Die Gewissensverpflichtung d. menschlichen Gesetze; *Biederlack J.* Zur Lehre von d. Pönalgesetzen; *Koch A.* Zu der Lehre von den sog. Pönalgesetzen; *Steinits* Dispensationsbegr. u. Dispensationsgewalt a. d. Geb. d. Deutsch. Staatsr.

Liberalismus. — Est propositio in Syllabo damnata sub n. 80: « Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civitate sese reconciliare et componere ». Attamen nota sequentem responsionem S. Congr. Inquisitionis: « Ecclesia damnans liberalismum non intendit ferire singulas politicas factiones, quae forte liberales vocantur, quum ecclesiae decisionec respiciant errores quosdam catholicae doctrinae 2640

aversantes, non certam quamdam politicam factionem ». *S. U. I. ad episcopos Canadenses 29 aug. 1877.*

Praeterea nota, liberalismum iis propositionibus contineri, quae damnantur in bulla dogmatica Pii IX « Quanta cura » *8 dec. 1864.*

2641 **Libertas.** — Contra libertatem aut iura ecclesiae leges vel decreta edentes incurrunt excommunicationem latae sententiae Rom. Pontif. specialiter reservatam. *Const.* « Apost. Sedis » *serie 1. n. 7.* Quoad hanc excommunicationem vid. *Legislator.*

Eamdem excommunicationem incurrunt impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum seculare, eiusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem praestantes. *Const.* « Apost. Sedis » *ser. 1. n. 6.* Quoad hanc excommunicationem vid. *Iurisdictio.*

2642 **Liberum.** — Liberum latius patet quam voluntarium, et est illud, quod procedit a voluntate seipsam determinante cum potestate ad oppositum. Hinc libertas est facultas, quae, positis omnibus ad agendum requisitis, potest velle, potest nolle, potest velle aut nolle hoc vel illud. G. B. *I. 11;* cfr. S. Th. *in 2 dist. 25. q. 1. a. 2.* Practice, promiscue dicitur liberum et voluntarium.

2643 **Libri.** — Quoad approbationem librorum quando sit necessaria etc. vide *Approbatio.*

Quoad denuntiationem pravorum librorum, vide *Denuntiatio.*

2644 **Libri parochiales.** — Parochi tenentur accurate libros parochiales conscribere et custodire in parochiali archivo.

Libri autem parochiales in primis iussu concilii Tridentini sunt liber baptizatorum (Conc. Trid. *sess. XXIV de ref. matr. c. 2*), et matrimonio copulatorum (Conc. Trid. *sess. XXIV de ref. matr. c. 1*), quibus ex praescripto ritualis romani (*tit. X. c. 2*) accesserunt liber confirmatorum, liber status animarum et liber defunctorum.

In Rituali romano (*tit. X. c. 3*) habentur formulae in his libris a parocho scribendae. Vid. *Archivium.*

Omnium horum librorum dominium apud ecclesiam est, eorumque directio atque ordinatio ad potestatem ecclesiasticam spectat. Phillips *Comp. iur. eccl. § 169. u. 18.*

Propter speciales circumstantias et exsurgentes exinde difficultates quoad emigrantes ex America redeuntes concessum est episcopo Platiensi ut registrari iuberet a parochis suae dioecesis in libro speciali et distincto attestationes parochorum Americanorum de baptismo aut aliis sacramentis susceptis, et eisdem parochis suis permittere ut ex dicto libro speciali particulas authenticas transcribant et fidelibus petentibus tradant, percepta solita taxa; hac tamen cautela adhibita ut praedictae attestationes parochorum Americanorum non registrentur in libro speciali nisi munitae fuerint authentica recognitione ordinarii Americani et accedat mandatum ordinarii Platiensis aut eius delegati pro insertione facienda, qui prius, assistente promotore fiscali, debebit earum authenticitatem recognoscere et postea iubere ut in episco-

pali curia asserventur. Seidl R. *Matrikenführung.*

2645 **Libri pravi.** — Libri pravi sunt pestis omnium dira et immanis. Eos typis edere generatim grave est (Sporer *Theol. sacr. p. IV. c. 3. sect. 4. n. 695*; G. B, *I. 241*; Lehmkuhl *Th. mor. I. 666*); item vendere indiscriminatim, vel etiam donare aut locare. Génicot *Theol. mor. I. 240.*

Attamen potest aliquando quis excusari. Hinc Congr. de Propaganda Fide interrogata respondit; « Officialem, de quo in casu (cuius officium scilicet erat praesse, quando merces sub hasta vendebantur), non teneri investigare, an inter merces, quae sub hasta venduntur, reperiantur libri haeticorum aut alii obscena continentes. Quod si casu id agnoverit, possitque impedire, ne pravi libri obveniant licitatoribus, qui ipsis sint abusuri, id quidem praestet quum quisque debeat proximi peccatum impedire, quando id commode potest, aut sine suo gravi damno ». *S. C. P. F. ad vic. ap. Siam 26 iun. 1820.*

Libros pravos domino non reddere, si absque gravi incommodo fieri potest, melius saltem est. Libros turpes ex curiositate legere sine turpi delectatione, vel eius proximo periculo, de se est tantum veniale. S. Alph. *III. 426.* Ob causam legitimam aliquid huiusmodi legere nullum est peccatum. B. P. *II. 992.*

2646 **Libri prohibiti.** — **Quinam dicantur.** — Libri prohibiti intelliguntur illi, a quibus ecclesia prohibet fideles, addita etiam pro quibusdam poena excommunicationis R. Pont. specialiter reservatae. Vid. *Legentes.*

Quinam generatim sint. — Generali regula praeter libros apostatarum, haereticorum, schismaticorum et quorumcumque scriptorum haeresim vel schisma propugnantes, aut ipsa religionis fundamenta utcumque evertentes, prohibentur libri in quibus Deo, aut beatae Virgini Mariae, vel sanctis, aut catholicae ecclesiae eiusque cultui, vel sacramentis, aut apostolicae Sedi detrahitur. 2647

Eidem reprobationis iudicio subiacent ea opera, in quibus inspirationis s. Scripturae conceptus pervertitur, aut eius extensio nimis coarctatur.

Prohibentur quoque libri, qui data opera ecclesiasticam hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum, probris afficiunt.

Nefas est libros edere, legere aut retinere, in quibus sortilegia, divinatio, magia, evocatio spirituum, aliaeque huius generis superstitiones docentur vel commendantur.

Libri aut scripta, quae narrant novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula, vel quae novas inducunt devotiones, etiam sub praetextu, quod sint privatae, si publicentur absque legitima superiorum ecclesiae licentia, proscribuntur.

Prohibentur pariter libri, qui duellum, suicidium vel divortium licita statuunt; qui de sectis massonicis, vel aliis eiusdem generis societatibus, agunt, easque utiles, et non perniciosas, ecclesiae et civili societati esse contendunt; et qui errores ab apostolica Sede proscriptos tuentur (hinc opera omnia, quae tuentur aut propugnant errores in Syllabo damnatos, sunt prohibita, *S. C. I. 23 maii 1898*).

Prohibentur etiam novae editiones missalis, breviarii, ritualis, ceremonialis episcoporum, pontificalis romani, aliorumque librorum liturgicorum a sancta Sede approbatorum, in quibus aliqua ab editionibus authenticis immutatio facta fuerit.

Prohibiti etiam habendi sunt libri aut libelli precum, devotionis, vel doctrinae institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae, aliosque huiusmodi, quamvis ad fovendam populi christiani pietatem conducere videantur, si publicati fuerint praeter legitimae auctoritatis licentiam, nempe si de iis agatur, qui post publicationem Const. « Officiorum ac munerum » publicati sunt; nam ii, qui prius fuerant publicati, non cadunt sub hac prohibitione, quum constitutio praedicta ea verba adhibeat, quae futurum tantum respiciunt, scilicet: « Libros... nemo praeter legitimae auctoritatis licentiam *publicet;* secus prohibiti habeantur ». Mon. eccles. *vol. XIV. pag. 282.*

Quoad versiones s. Scripturae, vid. *Sacra Scriptura;* quoad libros obscenos, vid. *Obscena*; quoad diaria; folia etc. vid. *Diaria.*

2648 **De denegata licentia edendi librum.** — Episcopus, qui peracto examine alicuius libri, praeviae ipsius censurae submissi, licentiam denegat eum publicandi, tenetur auctori rationes denegatae licentiae indicare, si liber videatur correctionis seu expurgationis capax. *S. C. Ind. 3 sept. 1898.*

2649 **De facultate legendi libros prohibitos.** — Facultas legendi libros prohibitos obtineri potest vel a sacra Congr. Indicis, vel a s. Congr. s. Officii aut etiam Propagandae Fidei pro regionibus suo regimini subiectis (etiam episcopis tamen aliquando hoc munus delegatur); ab iis, qui Romae degunt, potest haec facultas obtineri etiam a magistro s. Palatii apostolici; sed haec facultas non comprehendit libros aut ephemerides ab episcopis pro sua dioecesi damnatas (*S. C. Ind. 6. dec. 1895*), nisi expresse concedatur facultas legendi libros a quibuscumque damnatos.

Qui hanc facultatem obtinuerunt, gravi praecepto tenentur huiusmodi libros ita custodire, ut ad aliorum manus non perveniant.

Dum alicui haec facultas fit, subinde clausula additur, ut in ea re iudicium et consilium confessarii adhibeat.

Poenae. — Omnes et singuli scienter legentes sine auctoritate Sedis apostolicae libros apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per apostolicas litteras nominatim prohibitos eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes, excommunicationem ipso facto incurrunt, romano Pontifici speciali modo reservatam. *Const.* Leonis XIII. « Officiorum ac munerum » *VIII. kal. Febr. a. 1891.* Quoad hanc excommunicationem vide *Legentes.* — Libros alios prohibitos retinentes, legentes, etc. episcopus pro rei gravitate punire potest, et coercere etiam, canonicis poenis. *Const.* Leonis XIII. « Officiorum ac munerum » *VIII, Kal. febr. 1896*, qua constitutione abolitae sunt omnes praecedentes leges quoad prohibitionem librorum; quaeque vim obligatoriam habet etiam 2650

pro regionibus britannici idiomatis, quas tacita dispensatione frui quidam arbitrabantur. *S. C. Ind. 23 maii 1898.*

Decr. Grat, c. 3. D. XV; c. 2 de summa Trinitate etc. X. (I. 1); Const. Leonis X « Inter multiplices » 4 maii 1515 (in Conc. Lat. V); Conc. Trid. sess. IV decr. de edit. et usu sacr. libr.; sess. XVIII decr. de libror. delectu; sess. XXV decr. de indice librorum etc. (in fine sess.); Const. Pii IV « Dominici gregis » 24 mart. 1564; Const. Pii IV « Quum pro munere » a. 1564; Const Ben. XIV « Sollicita » VII id. iul. 1753; Const. Pii IX « Apostol. Sedis » 12 oct. 1869; Const. Leonis XIII « Officiorum ac munerum » 25 ian. 1897; *Cohellius* Not. Card., Congr. X, pro indice librorum prohibitorum; *Gretser Iac.* De iure et more prohibendi, expurgandi et abolendi libros haereticos et noxios; *Raynaudus Theoph.* Erotemata de malis ac bonis libris deque iusta aut iniusta eorum confixione; *Lunadoro* Rel. della Corte di Roma cap. IX, Della Congr. dell'indice e del segr. della medesima; *De Luca*, Rel. rom. Curiae for., disc. 19; *Francus Daniel.* Disquisitio academica de papistarum indicibus librorum prohibendorum et expurgandorum; *Ortlob* Diss. phil. de Ephesiorum libris curiosis combustis; *Boehmer Just.* Dissert. iurid. de iure circa libros improbatae lectionis; *Schöttgen Chr.* De indicibus librorum prohibit. et expurg. eorumque naevis; *Ruele C. Mariano* Saggio dell'istoria dell'indice romano; *Catalani P.* De secretario S. Congregationis Indicis; *Schneidt* Ius et obligatio prohibendi libros; *Fritsch Bern.* Dissertationes de censura librorum et propositionum in negotiis religionis; *Zaccaria* Storia polemica della proibizione dei libri; *Peignot G.* Dictionnaire critique, littéraire et bibliographique des principaux livres condamnés au feu, supprimés ou censurés; *Mendham Ios.* The literary policy of the Church of Rom exhibited in an account of her damnatory Catalogues or indices; *Ernesti I.* Ueber das Recht bes. der Hierarchie auf Censur und Bücherverbote; *Moroni*, Dizion., Congregazione dell'indice dei libri proibiti; *Hoffmann F. L.* Des Index prohibitifs et expurgatoires; *Heymans* De ecclesiastica librorum aliorumque scriptorum in Belgio prohibitione; *Fessler* Das kirchliche Bücherverbot; Die römische Indexcongregation und ihr Wirken; *Ballès* La S. Congrégation de l'Index mieux connue et vengée; *Simor* De S. Congregatione Indicis; *Sachse* Die Anfänge der Büchercensur in Deutschland; *Zigliara* Il dimittatur e la spiegazione datane dalla S. Congr. dell' Indice 21 giugno 1880; *Passaglia* La Congregazione dell'Indice ed il cardinal Zigliara; *Reusch H.* Der Index d. verbotenen Bücher; *Poulain* L'index, son origine, son but et sa valeur; *Petit* L'index: son histoire, ses lois, sa force obligatoire; *Péries G.* Du droit de l'Eglise de prohiber les livres dangéreux; *Arndt Augustin.* De libris prohibitis commentarii; *Dilgskron* De revisione et approbatione librorum typis describendorum; *Hollweck I.* Das kirchliche Bücherverbot; *Planchard* L'Index; *Desjardins* La nouvelle constitution apostolique sur l'Index; *Pennacchi Ios.* In const. ap. « Officiorum ac munerum » de prohibitione et censura librorum a Leone d. pr. Pp. XIII latam brevis commentatio; *Péries G.* L'Index, comment de la constitution apostolique « Officiorum »; *Moureau* La nouvelle législation de l'Index; *Boudinhon* La nouvelle législation de l'index; *Hilgers J.* Zur kirchlich. Gesetzgebung über verbot. Bücher; *Schneider* Die neuen Büchergesetze der katholischen Kirche; *Arndt A.* Die Vorschriften über das Verbot und die Censur der Bücher; *Hilgenreiner* D. kirchl. Vorzensur und d. Partikularrecht; *Schneider* D. neue Index; *Hilgenreiner K.* Der Index der verbotenen Bücher; *Sleutjes* De prohibitione et censura librorum; *Hilgers J.* Der Index der verbotenen Bücher in seiner neuen Fassung dargelegt und rechtlich historisch gewürdigt; *Gennari C.* La

costituzione « Officiorum » brevemente commentata; *Ciolli* Comm. breve della costituzione leonina riguardo ai libri proibiti; *Veemeersch A.* De prohitione et censura librorum dissertatio canonico-moralis; *Hilgers J.* Die Bücherverbote in Papstbriefen; *Arendt Guill.* De quibusdam dubiis, quae occurrunt in doctrinali interpretatione Leonianae constitutionis de prohibitione librorum, brevis disceptatio; *Hurley* Comment. on the present index legislat.; *Betten Francis S.* The Roman Index of forbidden Books.

2651 **Licitatio.** — Quoad licitationem rerum ecclesiasticarum haec nota. Ea fieri nequit sine publicis praemissis edictis de facultate S. Congregationis, nisi eadem S. Congregatio ab iis praemittendis dispensaverit. Hoc valet etiam pro casu, quo licitandum sit fundum pro indiviso possessum ab ecclesia et persona laica. Nullus est terminus praefixus pro primis edictis, qui tamen generatim ad 20 vel 30 dies protenditur. Affixio edictorum pro vigesima ac sexta nec essentialis est nec praeceptiva, attamen non omittenda pro maiori ecclesiae utilitate. Quando duae vel plures oblationes sint inter se pares, S. Congregationi omnes sunt remittendae, quae omnibus pensatis meliorem ipsa eliget. Ut autem oblationes suum sortiantur effectum quaedam requiruntur conditiones, et 1° ut sint *legitimae*, factae scilicet loco et tempore in edictis praestituto; 2° ut sint *certae* seu factae in summa certa et explicita; quare reiciuntur oblationes captiosae, incertae, conditionatae; 3° ut sint *evidenter utiles*, quales non censentur eae, quae fiunt *pro persona nominanda*, nisi illico et in continenti declaretur, quaenam sit ea persona; cognitio enim personae necessaria est ad determinandum an contractum cum ea inire utile sit ecclesiae; pariter non censentur utiles oblationes quae continent aliquam summam titulo ingressus (*di prima entratura*), nisi ea summa favore ecclesiae ipsius investiatur; 4° ut sint *idoneae* ab iis nempe exhibitae, qui sint solvendo pares, vel qui necessarias saltem praebeant cautiones. Trombetta *Praxis regulae circa contractus rerum ecclesiasticarum rite ineundos*; Lucidi *de vis. ss. lim. II in cap. 7. appendix ad n. 295*, ubi operis a Trombetta editi accuratam tradit synopsim. Quoad licitationem vero in genere vid. *Venditio.*

Postius L. De subhastatione; *Mausionius F.* De causis executivis tractatus; *Mangili Jo. A.* Tract. absolutissimus de subhastationibus et licitationibus; *Schneider H.* Disp. de licitationibus sub hasta; *Demurtas Zichina P.* Della spropriazione contro il debitore; *Cesareo Consolo G.* Trattato della espropriazione contro il debitore; reliquam bibliographiam quaere sub *Emptio - Venditio.*

Ligamen. — Ligamen dicitur vinculum matrimonii, quo coniuges, quamdiu vivunt, inter se constricti sunt. 2652

Est impedimentum dirimens alterius matrimonii ex iure divino. Matth. *XIX. 9; I. Cor. VII. 4. 10. 11;* Conc. Trid. *sess. XXIV de sacr. matr. can. 2;* Const. Ben. XIV « Inter omnigenas » *2 febr. 1744.* — Hinc ad novum matrimonium ineundum morali certitudine constare debet de morte prioris coniugis, nec sufficit probabilis

coniectura. *c. 19 de sponsal. et matr. X. (IV. 1); c. 2 de secundis nuptiis X. (IV. 21).* Quoad haec vide *Status liber.*

2653 **Limina apostolorum.** — **De obligatione visitandi limina.** — Limina apostolorum visitare tenentur episcopi omnes (*c. 4. de iureiur. X [II. 24]; Const.* Sixti V. « Rom. Pontifex » *20 dec. 1585; Const.* Bened. XIV. « Quod sancta » *23 nov. 1740; S. C. P. F. 1 iun. 1877; S. C. Cons. 31 dec. 1909*), titularibus exceptis. *decr. cit. S. C. Cons.;* Ben. XIV *de Syn. lib. II. c. 7. n. 2* (quamvis eodem opere *lib. XIII. c. 6. n. 5* contrarium dicat); Lucidi *de vis. ss. lim. p. 1. c. 3. n. 61.*

Hac obligatione tenentur etiam abbates aliique inferiores praelati iurisdictionem quasi episcopalem ac territorium separatum habentes (iique, si ex Italia essent vel ex italicis insulis, quovis triennio, secus quovis quinquennio tenebantur; quod spatium ex inducta praxi computabatur a die 23 nov. a. 1740). *Const. cit.* Ben. XIV. « Quod sancta » *23 nov. 1740.*

Ad hanc obligationem servandam tenentur episcopi etiam iuramento, quod (in manibus cardinalis diaconi decani, si fuerint Romae, vel in manibus alicuius episcopi ad id a s. Sede delegati, si fuerint extra urbem, *Const. cit. Sixti V.* § *4*), antequam munus consecrationis suscipiant, emittere debent. Pont. rom. *tit. de consecr. electi in episcopum.* — Hoc ipsum iuramentum iterum emittere debent episcopi, qui ad aliam sedem transferuntur, antequam novae ecclesiae administrationi se ingerant, et antequam eis (si sint archiepiscopi) pallium tradatur, si iam sint consecrati. *Constit. cit. Sixti V* § *4.*

Quibus constet visitatio liminum. 2654 — Haec autem visitatio complectitur materialem visitationem basilicarum ss. Petri et Pauli (cuius visitationis peractae testimonium episcopi tum a capituli Vaticani canonico, cui hoc munus demandatum est, tum a vicario Cassinensium, quibus sacrae s. Pauli aedis custodia tradita est, recipere debent, et in officio s. Congregationis [antea Concilii, nunc autem, post constitutionem *Sapienti consilio*, Consistorialis] deponere, Lucidi, *l. c. n. 69*), praestationem obedientiae romano Pontifici cui se sistere debent, relationem denique Sacrae Congregationi Consistoriali faciendam de statu materiali et spirituali dioeceseos. Fagnanus *in tit. 24 lib. II Decr. n. 61;* Lucidi *l. c. n. 60.*

Nunc novo decreto S. C. Consistorialis res meliori modo definita est. Statutum scilicet est ut, manente obligatione visitandi basilicas ss. Petri et Pauli et se sistendi Rom. Pontifici, omnes locorum ordinarii, quibus dioecesani regiminis onus imcumbit, obligatione teneantur referendi ad Summum Pontificem de statu sibi commissae dioecesis iuxta normam ab ipsa s. Congregatione propositam. Haec autem constat pluribus et distinctis quaesitis, quibus singulis in prima relatione, quam ordinarii facient iuxta praescriptiones novi decreti, distincte respondere debent; dum in relationibus, quae primam sequentur, sufficit ut ad unumquodque quaesitum dicant an novi aliquid habeatur

necne. Adiicere autem debent quomodo et quo fructu ad effectum perduxerint monita et mandata, quae s. Congregatio in sua responsione ad relationem significaverit.

Relatio latina lingua est conficienda, eique subscribere debet ordinarius et unus ex convisitatoribus, qui circa ea, quae ex relatione noverunt, gravi secreti lege astringuntur.

2655 **De tempore implendae huius obligationis.** — Quoad tempus, quo haec visitatio facienda est, constitutum erat triennium pro episcopis Italiae et insularum adiacentium, Dalmatiae, et Graeciae; quadriennium pro episcopis Galliae, Germaniae, Hispaniae, Portugalliae, Belgii, Austriae-Hungariae, Angliae et Scotiae; quinquennium pro ceteris episcopis Europae (etiam Hiberniae a tempore Pii IX, Aichner *Comp. iur. eccl.* § *103. n.4*), Africae septentrionalis et insularum citra Americam sitarum; decennium pro omnibus reliquis totius orbis episcopis. *Const. cit. Sixti V.* § *7.*

Spatia haec computari debebant a die 20 dec. 1585, quo nempe die lata est constitutio Sixti V «Rom. Pontifex» (*S. C. C. 16 nov. 1673, 19 feb. 1718; S. C. P. F. 1 iun. 1877*), ita ut tempus transactum pro antecessore tamquam transactum habendum esset etiam pro successore. *S. C. C. in Burgensi 12 aug. 1628; S. C. P. F. 1 iun. 1877.* — Ab eadem die tempus visitationis computandum erat etiam pro sedibus noviter erectis. *Instr. S. C. P. F. 3. maii 1875 a Pio IX approb.*

Visitatio autem haec fieri debebat ultimo anno triennii, quadriennii etc. *S. C. super residentia episcoporum 17 iul. 1657.*

Novo decreto S. Congr. Consistorialis tempus ad faciendam relationem status dioecesis et visitationem basilicarum ss. Petri et Pauli, quae simul fieri hucusque debebant, aliquo modo immutatum est. Et distinctio introducta est inter obligationem referendi super statu dioecesis et alias duas obligationes supra recensitas.

Ad relationem faciendam quinquennium pro omnibus omnino ordinariis statutum est, et quinquennia haec fixa erunt et communia et incipient a die prima mensis ianuarii anni 1911.

Attamen non omnes ordinarii eodem quinquennii anno relationem exhibere debebunt, sed diversis annis hoc modo:

a) in primo quinquennio ordinarii Italiae et insularum Corsicae, Sardiniae, Siciliae, Melitae aliarumque minorum adiacentium;

b) in altero ordinarii Hispaniae, Lusitaniae, Galliae, Belgii, Hollandiae, Angliae, Scotiae et Hiberniae cum insulis adiacentibus;

c) in tertio ordinarii imperii Austro-Hungarici, Germanici et reliquae Europae cum insulis adiacentibus;

d) in quarto ordinarii totius Americae et insularum adiacentium;

e) in quinto ordinarii Africae, Asiae, Australiae et insularum his orbis partibus adiacentium.

Quo anno ordinarii relationem facere debent, eodem et aliis duabus obligationibus visitandi basilicas ss. Petri et Pauli et sistendi se romano Pontifici satisfacere debent. Verum ordinariis, qui extra Europam sunt,

permissum est ut alternis tantum quinquenniis, idest singulis decenniis, urbem petant.

Notandum etiam est, quod, si annus exhibendae relationi assignatus incidat ex toto vel ex parte in primum biennium ab inito dioecesis regimine, ordinarius pro ea vice abstinere potest tum a relatione exhibenda tum a visitatione ipsa sacrorum liminum.

2656 **An obligatio sit personalis.** — Antiquo iure si episcopus iusta aliqua causa impediebatur, quominus ad sacra limina ipse veniret, exhibitis Sacrae Congregationi Concilii vel Sacrae Congregationi de Propaganda Fide legitimis probationibus de veritate impedimenti, poterat ab eadem Sacra Congregatione veniam petere, ut per procuratorem munus suum expleret (*Const. cit. Sixti V.* § 7); quae venia liminum visitationem faciendi per procuratorem, etiam Romae degentem, ut ex. gr. per ordinarium negotiorum gestorem, aut agentem de rebus ecclesiae et dioecesis probe instructum, dummodo ecclesiastico charactere esset insignitus, passim benigne concedebatur, ut testatur Benedictus XIV *de Syn. lib. XIII. c. 6. n. 3.* Cfr. etiam *S. C. P. F. 28 iun. 1626; pro Sin. 11 iul. 1668.* Si vero coadiutorem a s. Sede datum haberet, obligationi episcopus satisfaciebat, si per suum coadiutorem limina visitabat. Sic responderat Clemens VIII *25 febr. 1592.* Cfr. Ben. XIV *de Syn. lib. XIII. c. 6. n. 5.*

Nunc ex novo decreto S. C. Consistorialis statutum est ut obligationi visitandi limina ordinarius possit vel ipse per se, vel per coadiutorem aut auxiliarem episcopum, si quem habeat, satisfacere; vel etiam, iustis de causis a s. Sede probandis, per idoneum sacerdotem qui in eadem ordinarii dioecesi stabilem habeat commorationem.

Cuinam tradenda relatio status ecclesiae. — Relatio status dioecesis tradenda est sacrae Congregationi de Propaganda Fide ab episcopis illorum locorum, qui huic s. Congregationi subduntur; s. Congregationi Consistoriali ab aliis. 2657

Ubinam dicantur esse limina. — Quum praecipuus scopus huius visitationis sit obedientiam R. Pontifici praestare, eique relationem facere de statu ecclesiae unicuique episcopo concreditae, limina Apostolorum ib esse dicuntur, ubi est Papa. Fagnanus *l. c. n. 69;* Ferraris *Prompta bibl v. « Limina Apostolorum Romae ». n. 29.* 2658

De privilegiis visitantium limina. — Episcopis, qui ad s. limina apostolorum statutis temporibus visitanda personaliter accedunt, Urbanus VIII indulsit, ut, si regunt dioeceses citra montes et citra mare positas, abesse ea occasione possint a suis sedibus per quatuor menses: si vero regunt dioeceses positas ultra montes et ultra mare, per septem menses pariter abesse a sedibus possint. Bargilliat *Prael. iur. can. I. n. 621. c.* 2659

Canonicus, qui Romam accedit pro servitio episcopi ad apostolorum limina venientis, etiamsi post episcopum veniat et non simul, lucratur distributiones quotidianas. *S. C. C. 9 sept. 1623.*

2660 **De poenis contra transgressores huius legis.** — Episcopi, archiepiscopi, primates et patriarchae, etiamsi cardinalatus honore praefulgentes, si, seclusis impedimentis legitimis, per se, vel per certos nuntios, aut specialiter deputatos procuratores, statutis ac supra assignatis temporibus limina apostolorum non visitassent ab ingressu ecclesiae ac etiam ab administratione tam spiritualium quam temporalium, nec non a perceptione fructuum suarum ecclesiarum, a capitulis earum interim libere exigendorum, et in opus fabricae seu ornamentorum ecclesiae emptionem, prout maior exigerit necessitas, insumendorum, ipso facto, elapso respective triennio, quadriennio, quinquennio, tamdiu erant suspensi, donec a contumacia resipiscentes relaxationem suspensionis a Sede apostolica meruissent obtinere. *Const. cit. Sixti V* § *9*. De hac poena silet novum decretum.

Ex poenis contra transgressores iam inflictis patet, hanc obligationem visitandi limina apostolorum urgere episcopos sub gravi, quod etiam clare constat ex verbis gravissimis, quibus in imponenda tali obligatione Sixtus V et Benedictus XIV usi sunt. Cfr. *Const. cit. Sixti V.* § *8; Const. cit. Ben. XIV.* § *5. 10;* Bouix *de episcopo p. V. c. 3. a. 2. prop. 2.*

2661 **Notandum.** — In citato decreto S. Congr. Consistorialis canone 6° haec, quae natura sua sunt transitoria, fuerunt statuta; scilicet proximo anno 1910 ordinarii, qui relationis et visitationis obligatione tenebantur, exempti sunt ab hoc onere; annis autem 1911 et 1912 permissum est ut e relatione et visitatione abstineant ordinarii Italiae, insularum Corsicae, Sardiniae, Siciliae, Melitae aliarumque minorum adiacentium nec non Hispaniae, Lusitaniae, Galliae, Belgii, Hollandiae, Angliae, Scotiae et Hiberniae cum insulis adiacentibus, qui anno 1909 iuxta ceterum temporum periodum legi satisfecerunt.

Linteamina sacra. — Vid. *Palla, Purificatorium,* etc.

Litaniae. — Litaniae sanctorum die- 2662
bus s. Marci et rogationum probabilissime sub gravi recitari debent ab iis, qui ad horas obligantur; et anticipari nequeunt. Vid. *Horae canonicae.*

Nullo specialis devotionis titulo sanctorum litaniis aliquem versiculum addere, vel novas litanias componere licet, de quarum approbatione ordinario non constet, easque in ecclesia canere vel recitare. (Hinc litaniis lauretanis non licet in fine addere: *Christe, audi nos,* etc., ut in litaniis sanctorum, *S. R. C. in Brunen. 7 dec. 1900*). Sed ordinarii tenentur omnes formulas litaniarum seu impressas seu manuscriptas, de quarum approbatione non constat, colligere et vetare. *S. R. C. 31 mart. 1821, decr. gen. appr. a Pio VII. 3 apr. eiusdem anni ad 7* (*2613*).

Imo ne addere quidem licet nomen ullum sanctorum, etiamsi hi sint patroni dioeceseos (*S. R. C. in Lauden. 27 sept. 1873* [*3313*]; *in Massilien. 7 sept. 1850 ad 6* [*2983*], nisi quoad hoc habeatur consuetudo immemorialis, *S. R. C. in Urgellen. 22 febr. 1888* [*3689*]), aut sanctorum proprii ordinis (*S. R. C. in Cusentina 20 iun.*

1654 ad 1 [*957*]; *in una Urbis 11 febr. 1702* [*2093*]), petentibus vero indultum hoc ex invecto more perficiendi, denegatum est. *S. R. C. in Squillacen. 17 iun. 1890* (*3733*).

Litaniae omnes, praeter antiquissimas et communes, quae in breviariis missalibus ac ritualibus continentur, et praeter litanias de B. V., quae in sacra aede lauretana decantari solent, et litanias sanctissimi nominis Iesu a S. Sede approbatas (et nunc litanias etiam ss. Cordis Iesu approbatas a Leone XIII. *27 iun. 1898* [*3996*], *2 apr. 1899* [*4017*] et litanias S. Ioseph approbatas a Pio X. *18 mart. 1909*) edi nequeunt sine revisione et approbatione ordinarii. *Const.* Leonis XIII. « Officiorum ac munerum » *VIII kal. febr. 1896.*

Ordinarii autem tenentur novas litanias examinare, et, si expedire iudicaverint, approbare; at nonnisi pro privata et non liturgica recitatione. *S. R. C. in Argentinen. 29 aug. 1882* (*3555*).

Litaniae quaecumque, nisi exstent in breviario aut in recentioribus editionibus ritualis romani ab apostolica Sede approbatis, ne extra functiones quidem stricte liturgicas, in ecclesiis vel oratoriis publicis recitari aut cantari possunt (*S. R. C. 6 mart. 1894 ad 1* [*3820*]); et haec prohibitio complectitur quamlibet harum litaniarum recitationem a pluribus coniunctim in ecclesiis vel oratoriis publicis, etiam absque ministri ecclesiae, qua talis, interventu factam. *S. R. C. in una Montis Albani 20 iun. 1896* (*3916*), *11 febr. 1898 ad 3* (*3981*). – Imo haec recitatio non licet, etiamsi fieret ianuis clausis et ex consuetudine a confratribus alicuius confraternitatis seu congregationis (*S. R. C. in Bisuntina 20 iun. 1896* [*3917*]; *in una Congr. SS. Red. 11 febr. 1898* [*3980*]), vel a monialibus aut religiosis institutis in choro vel oratorio publico, vel ab ipsis christifidelibus communiter canentibus in ecclesia, sed licet singulis eas privatim recitare. *S. R. C. decr. cit. 11 febr. 1898 ad 1* (*3981*). Neque ullo modo recitari possunt publice in lingua vulgari, etiam stante consuetudine. *S. R. C. in Utinen. 1 iul. 1904.*

Post litanias lauretanas ante orationem non potest addi *Dominus vobiscum,* sed statim post versiculos *Ora pro nobis,* etc. cantatur oratio. *S. R. C. in Bobien. 20 nov. 1891* (*3751*); *in Vincentina. 20 aug. 1901.* Nec cantari possunt aut recitari publice vulgari lingua, etsi exstet consuetudo *S. R. C. in Utinen. 1 iul. 1904.*

Quarti P. M. Biga aetherea seu tract. duplex de process. eccl. et de litaniis sanctorum; *Francisci G. G.* Diss. de litaniis; *Pfaff Ch. M.* De litaniis ecclesiae romanae.

Litterae. — De aperitione litterarum alienarum vid. *Secretum.*

Litterae apostolicae. — Litterae 2668
apostolicae ratione formae distinguuntur in *bullas* et *brevia* (vid. *Bullae, Brevia*); ratione materiae distinguuntur in *constitutiones,* quae respiciunt vel universam ecclesiam, vel aliquam, seu aliquas provincias ecclesiasticas particulares: in *rescripta,* quae respiciunt tantum personas privatas.

Constitutiones dicuntur etiam *de-*

creta (*motus proprii*), quae motu proprio; *litterae decretales,* quae ex aliorum relatione, vel ad aliorum consultationem eduntur (*responsa*); *encyclicae,* quatenus diriguntur ad omnes episcopos, vel totius orbis, vel alicuius regionis.

Recurrentes ad laicam potestatem (scilicet ad eos, qui aliquam in cives potestatem seu iurisdictionem exercent, ut sunt iudices, praesides, praefecti urbium, non verius ad eos omnes, qui quodvis publicum munus exercent, ut quaestores, syndici, etc., D'Ann. *Comm. in const.* « *Ap. Sedis* » *n. 72*) ad impediendas litteras, vel acta quaelibet a Sede apostolica, vel ab eiusdem legatis aut delegatis quibuscumque (igitur sive ab homine delegati fuerint, sive a iure, D'Ann. *loc. cit. n. 71*) profecta, eorumque promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohibentes (an omnes? an magistratus dumtaxat? res dubia est, D'Ann. *loc. cit. n. 74*), aut eorum causa, sive ipsas partes, sive alios laedentes vel perterrefacientes (scilicet gravi laesione, et metu, nedum gravi, sed oppido gravi, D'Ann. *loc. cit. n. 73*) incurrunt excommunicationem l. s. R. P. specialiter reservatam. *Const.* « Ap. Sedis » *ser. 1. n. 8.* - Nota per acta a s. Sede profecta designari non solum acta, quae immediate a R. Pontifice prodeunt, sed ea quoque, quae a SS. RR. Congregationibus emanant. *S. U. I. 16 ian. 1892.*

Praeterea ad incurrendam excommunicationem necesse est recurrere ad eos, qui civilem iurisdictionem habent, ut tales, seu quatenus ea potestate gaudent, non vero quasi ad potentiores seu amicos. D'Ann. *loc. cit. n. 72.* An recurrentes et prohibentes incurrunt statim excommunicationem post recursum, post prohibitionem factam, etiam ante effectum secutum? Non concordant doctores; facilius admittunt pro prohibentibus, difficilius pro recurrentibus; quippe, ait D'Annibale (*loc. cit. n. 76*), recurrentes rei sunt accessorii, et recursus instar conatus est, quem, antequam delictum principale, coercere, incivile est et inconsultum.

De falsificatione litterarum apostolicarum vide *Falsarius.*

Litteris apostolicis falsis scienter utentes vel crimini in ea re cooperantes excommunicationem l. s. episcopo reservatam incurrunt. *Const.* « Ap. Sedis » *ser. 3. n. 3.* Vid. *Falsarius.*

Litterae dimissoriae. — Vid. *Dimissoriae.*

Litterae testimoniales. — Vid. *Testimoniales.*

Liturgia. — Solius romani Pontifi- 2564
cis est ordinare liturgiam missae et divinum officium. Wernz *Ius Decr. II 593.* Alii omnes tenentur eam liturgiam servare, quam ipse approbavit, et pro singulis praescripsit; nec potest quis, ipso inconsulto, a sua liturgia ad aliam, etsi approbatam, transire; quod non solum ligat latinos, ne ad orientales liturgias transeant, sed et orientales, ne transeant ad latinam. Imo ipsi episcopi non sunt iudices ad declaranda dubia super sacra liturgia exorta, sed debet recurri ad S. Sedem. *S. R. C. in Visen. 11 iun. 1605* (*179*).

Ad ius liturgicum ecclesiae etiam ex parte spectat canonizatio et beatificatio servorum Dei, quae etiam nunc Romano Pontifici reservantur. Vid. *Canonizatio.*

Institutio et abrogatio dierum festorum, quae etiam reservantur nunc romano Pontifici, spectant ius liturgicum ecclesiae. Vid. *Festa.*

« In authenticis editionibus (seu in iis libris, quorum authentica editio habetur) missalis, breviarii, ritualis, ceremonialis episcoporum, pontificalis, romani, aliorumque librorum liturgicorum a s. Sede apostolica approbatorum nemo quidquam immutare praesumat: si secus factum fuerit hae novae editiones prohibentur ». *Const.* Leonis XIII « Officiorum ac munerum » § *18.* Quare ex recenti disciplina, quae tota nunc regitur ex hac constitutione, omnes editiones, quae conformes sunt exemplari typico, etiamsi non, ut prius requirebatur, approbatae sint a S. Congregatione Rituum (pro editionibus, quae fierent in urbe), vel ab inquisitore (pro editionibus, quae fierent extra urbem) aut ab ordinario (pro editionibus pariter, quae fierent extra urbem in locis, in quibus non aderat inquisitor), non sunt prohibitae. Gennari *Della nuova disciplina sulla proibizione, ecc. comm. all'art. 18;* Vermeersch *de prohibit. et censura libr. n. 14. III.*

Decr. Grat. d. XI. XII; d. I sqq. de cons.; tit. de celebr. miss. et sacr. euch. et divinis officiis X. (III. 41); idem tit. (III. 14) in Clem.; Conc. Trid. plurib. in locis; Const. Alex. VII « Piae sollecitudinis » 23 apr. 1657; Const. Ben. XIV « Quemadmodem preces » 23 mart. 1743; Decreta authentica Congr. SS. Rituum ex actis eiusdem collecta eiusque auctoritate promulgata: *Amalarius* de ecclesiast. officiis (M. P. L. t. CV. col. 985 sqq); *Hildebert de Tours* Versus de mysterio missae (M. P. L. t. CLXXI, col. 1177 sqq.); *Honrius d'Autun* Gemma animae, de antiquo ritu minorum (M. P. L. t. CLXXII, col. 541 sqq.); *Rupert de Tuy* De divinis officiis per anni circulum (M. P. L. t. CLXX col. 1 sqq.); *Inn. III* De sacro altaris mysterio (M. P. L. t. CCXVII col. 763 sqq.); *Durantus Io. B.* De ritibus ecclesiae catholicae; *Hittorpius* De catholicae ecclesiae divinis officiis ac ministris; *Epon B.* Syntagma antiquitatum ecclesiasticarum; *Caracciolo A.* Synopsis veterum religiosorum rituum; *Raguccio A.* Vas ecclesiasticae disciplinae; *Novarinus* Schediasmata sacro-profana; *Novarinus* Electa sacra; *Casali* De veteribus sacris christianorum ritibus sive apud occidentales sive apud orientales catholica in ecclesia probatis; *Goar* Euchologium sive rituale Graecorum; *Carrière Fr.* De ritibus ecclesiae catholicae; *du Molin* Pratique des cérémonies de l'Eglise; *Arcudius* De concordia ecclesiae occidentalis et orientalis in septem sacramentorum administratione; *Mabillon* De liturgia gallicana; *Martène Ed.* De antiquis ecclesiae ritibus; *A Portu I. B.* De cultu Dei et hominum, opus liturgico-morale; *Fleury C.* Des mœurs des chrétiens; *Bauldry M.* Manuale sacrarum caeremoniarum iuxta ritum S. Rom. Ecclesiae; *Buongiovanni* Sacrar. caeremoniarum sylva ex variis auctorib. et caeremonial. collecta et compil. iuxta ritum S. R. E.; *Bingham* Origines sive antiquitates ecclesiasticae; *Assemani* Codex liturgicus ecclesiae universae; *Gerbert M.* Principia theologiae liturgicae quoad divinum officium, Dei cultum et sanctorum; *Copeti P.* Discorsi di liturgia recitati alla presenza di Benedetto XIV P. M. nella sala apostolica del Quirinale con due dissertazioni fatte altrove; *Selvaggi I. L.* Antiquitatum chri

stianarum institutiones; *Zaccaria* Bibliotheca ritualis; *Assemani* Calendaria Ecclesiae universae; *Gavanto* Thesaurus sacrorum rituum; *dom Guéranger* Institutions liturgiques; *Fornici* Institutiones liturgiques, traduites par Boissonnet; *Denzinger* Ritus orientalium ecclesiarum; *Marchesi* La liturgie gallicane dans les huit premiers siècles de l'église; *Probst* Sakramenten und Sakramentalien; *Bouix* De iure liturgico; *Krieg* Die liturgischen Bestrebungen im karoling. Zeitalter; *Buchwald* De liturgia gallicana dissertatio; *Mönchemeier* Amalar von Metz: ein Beitrag zur Gesch. der latein. Liturgie; *dom Cabrol* Les églises de Jérusalem, la discipline et la liturgie an IV siècle; *Stiglmayr* Die Lehre von den Sacramenten und der Kirche nach Ps. Dionysius; *Achelis* Lehrbuch der prakt. Theologie; *dom Cabrol* Le livre de la prière antique; *Duchesne* Origines du culte chrétien; *Desloge T.* Etudes sur la signification des choses liturgiques.

2667 **Loca exempta.** — Praeter exemptionem personalem, de qua locuti sumus in superioribus (vid. *Exemptio*), datur etiam exemptio localis, de qua heic sermo faciendus est.

Porro localis exemptio est privilegium, quo locus aliquis subtrahitur iurisdictioni inferioris ordinarii ut superiori praelato ecclesiastico immediate subiiciatur.

Duplex autem in iure distinguenda est localis exemptio: altera ea est, quae simplex a canonistis dicta est; altera, quae *nullius* fuit appellata. Illa non facit territorium extraneum et distinctum a dioecesi, in qua est; ista hoc facit. Etenim locus *nullius* neque est in dioecesi, neque de dioecesi; at locus simplicitur exemptus, etsi non sit de dioecesi, est tamen in dioecesi. Quod probatur ex definitione territorii, quam praebet ius romanum (*l. 239 de verb. sign. D. — L. 16*) dicens: « Territorium est *universitas agrorum intra fines cuiusque civitatis;* quod ab eo dictum quidam aviunt, quod magistratus eius loci intra eos fines terrendi idest summovendi ius habet ». Quam definitionum non bene, meo iudicio, immutavit D'Annibale (*I, 70*) deficiens territorium » universitas agrorum, in qua quis muneris alicuius publici obeundi potestatem habet ». Secundum enim definitionem datam a D'Annibale elementum iurisdictionis ingreditur naturam et constitutionem territorii; secundum definitionem iuris non item. Ea enim, quae in citata lege videntur innuere iurisdictionem relationem habentem cum territorio, historice tantum dicuntur et iuxta quosdam; ipsa autem definitio a lege data a iurisdictione praescindit omnino.

Ceterum non eximitur nisi illud, quod sine privilegio subiectum esset. Curnam autem loca exempta subiecta essent, secluso privilegio, parocho seu ordinari oloci, nisi quia sunt in territorio parochiae seu dioecesis? Quod etiam ex eo firmatur, quod sine ullo novo actu superioris, sublato privilegio, parochus vel episcopus exercere possunt iurisdictionem in loco, quod eousque fuerat exemptum. Cfr. Passerinum *in cap. 7 de off. ordin. in 6° n. 64 sqq.* Quare simplex exemptio subtrahit a iurisdictione, non avellit a territorio; exemptio autem *nullius*, quae dicitur, utrumque facit.

Hinc sequitur magistratum illius territorii, in quo situs est locus exem-

ptus, in eodem loco exempto nullum posse ponere iurisdictionis actum (nisi ex iuris dispositione aliquid ei circa hoc positive concedatur); posse tamen eos actus non iurisdictionales ponere, ad quos ponendos a iure forte praescribitur, ut ad eos non deveniat, nisi intra limites sui territorii.

Quare iure optimo S. Congr. de sacramentis ad dubium: « Utrum ecclesiae regulares exemptae ad tenorem decreti (Ne temere) existimari possint et valeant tamquam territorium parochi seu ordinarii, in quorum territoriali districtu sunt sitae, ad effectum assistentiae matrimonii » respondit: « Affirmative ». *S. C. Sacr. 13 mart. 1910.*

2666 **Loca pia.** — **Quaenam sint.** — Loca pia generice sunt loca cultui divino vel aliis piis usibus destinata, sive auctoritate episcopi sint erecta, sive non.

Specifice dicuntur loca pia ea loca, quae cultui divino vel aliis piis usibus destinata sunt, sed auctoritate episcopi non sunt erecta, ut oratoria domestica, hospitalia mere laicalia, etc.

Nam loca cultui divino destinata, et episcopali consecratione vel sacerdotali benedictione dedicata, specifice vocantur loca sacra, seu domus sacrae; loca vero, in quibus misericordiae et pietatis opera exercentur, et auctoritate episcopi seu praelati ecsiastici sunt erecta, specifice dicuntur loca religiosa, seu religiosae domus (cfr. *tit. de religiosis domibus etc. X.* [*III. 36*]), ut monasteria, domus regularium, xenodochia, orphanotrophia, confraternitates, et alia collegia pia. Schmalzgrueber *in tit. cit. X.* (*III. 36*) *n. 1. sqq.*

Cuinam subdantur. — Loca sacra 2667 vel religiosa de iure episcopo loci subiiciuntur, qui in omnibus fundatam in iure habet intentionem (*arg. cap. 3 tit. cit. X.* [*III. 36*]; *c. 7 de off. ord.* [*I. 16*] *in 6°*), nisi probentur exempta. *c. 7 tit. cit. X.* (*III. 36*); Reiffenstuel *in eumd. tit. n. 4.*

Potest autem episcopus in his locis non solum iurisdictionem exercere fori contentiosi, et ab iis exigere iura episcopalia (vid. *Census*), sed etiam potest ea visitare (Conc. Trid. *sess. XXII. c. 8 de ref.*; vid. *Visitatio*) et ab eorum administratoribus singulis annis rationem administrationis exigere. Conc. Trid. *sess. XXII. c. 9 de ref.* (Vid. *Administratio*).

Haec autem loca, etsi exempta sint (Conc. Trid. *sess. XXII. c. 8 de ref.*), exceptis domibus regiarium visitare potest episcopus; dummodo sub immediata regum protectione non fuerint, quia tunc de ipsorum tantum licentia hoc posset (Conc. Trid. *loc. nuper cit.*); vel ad ordines militares aut religiosos pertineant (*cap. 2 de religiosis domibus* [*III. 2*] *in Clem.*; Schmalzgrueber *loc. citat. n. 20*; Reiffenstuel *loc. citat. n. 7*); vel etiam in limine fundationis apposita fuerit clausula, ut episcopo non subsint (*c. 2 de religiosis domibus etc.* [*III. 1*] *in Clem.*; Conc. Trid. *sess. XXII. c. 9 de ref.*), quas conditiones fundationi appositas non improbant sacri canones, sed aperte approbant. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 19.*

Loca simpliciter pia auctoritati episcopi generatim non subduntur (Fagnanus *in cap. 4 tit. cit. X.* [*III. 36*] *num. 51*; Reiffenstuel *l. c. n. 8*); et

fundator potest, quamdiu vivit, pro lubitu ea mutare, et ad alias etiam profanas causas destinare. *arg. c. 8 tit. cit. X. (III. 36)*; Fagnanus *l. c. n. 53*; Reiffenstuel *l. c. n. 8*. Cfr. etiam S. *C. C. in Meten. 24 mart. 1906*. — Hinc non potest episcopus ea visitare, nisi in casibus a iure expressis (*S. C. C. 12 nov. 1633*; Fagnanus *l. c. n. 54*), idest fundatore mortuo, ob negligentiam vel ob dilapidationem bonorum, et ut testatoris voluntas servetur (Ferraris *Prompta bibl. v. « Hospitale » n. 40*); statuit enim ius commune (*c. 17 de testamentis X.* [*III. 26*]), quod in omnibus piis voluntatibus sit per locorum episcopos providendum, ut secundum defuncti voluntatem cuncta procedant. Reiffenstuel *l. c. n. 9*.

Potest praeterea episcopus ab administratoribus locorum piorum quotannis rationem administrationis exigere. Conc. Trid. *sess. XXII. c. 9 de ref.*; *S. C. C. 12 nov. 1633*; Fagnanus *l. c. n. 57*; Reffeinstuel *l. c. n. 9*.

Hoc autem procedit etiam in casu, quo ex consuetudine, aut privilegio, aut ex constitutione aliqua loci aliis ad id deputandis ratio reddenda esset, quia tunc cum iis adhibendus est etiam ordinarius ex eodem Concilio Tridendentino *loc. nuper cit.* Schmalzgrueber *l. c. n. 22*.

2668 **De immutatione fundationis.** — Loca sacra et religiosa eorumque fundationes, ad certum pium usum vel pro certo personarum genere destinata, ad alium usum, etsi pium, vel ad aliud genus hominum transferre non possunt episcopi (*c. 2 de religiosis domibus [III. 11] in Clem.*), exceptis hospitalibus (vel aliis locis piis, Reiffenstuel *l. c. n. 10*), quae ad usum peregrinorum, aut infirmorum, aut aliarum personarum genus suscipiendum fuerint instituta, quando in loco, ubi ea hospitalia sunt, similes personae non reperiantur, aut reperiantur perpaucae; tunc enim ex Concilio Tridentino (*sess. XXV. c. 8 de ref.*) eorum fructus in alium pium usum, qui eorum institutioni proximior sit, ac pro loco et tempore utilior, converti debent, prout ordinario cum duobus de capitulo, qui rerum usu peritiores sunt, per ipsum deligendis magis expedire videbitur; nisi aliter forte etiam in hac hypothesi in eorum fundatione et institutione fuerit expressum, quo casu, quod ordinatum fuerit, ut observetur, curare debet episcopus, aut, si id non possit ipse, prout supra, aliter providere. Conc. Trid. *loc. nuper. cit.*

Quoad monasteria, ex quibus religiosi discedere debent, vel in quibus observantia regularis non viget, non potest episcopus eorum bona suae mensae incorporare, aut eadem monasteria clericis secularibus concedere; sed debet ea tradere aliis religiosis eiusdem ordinis, vel, his deficientibus, alterius ordinis; quibus utrisque deficientibus, clericis secularibus concedere ea potest episcopus cum onere satisfaciendi, quoad fieri potest, priori fundationi. Fagnanus *in c. 5 tit. cit. X. (III. 36)*; Reiffenstuel *l. c. n. 11*.

Varia quaedam. — Loca sacra et 2669
religiosa gaudent privilegiis, iuribus, immunitatibus, quibus gaudent quaecumque bona ecclesiastica; loca

pia fruuntur tantum electione fori et omnibus aliis privilegiis, quae a iure causis piis conceduntur. Loca pia ad sua bona alienanda per se non tenentur solemnitatibus iuris communis (vid. *Alienatio*); sed ex praxi Sacrae Congregationis ad eas et ipsa tenentur. De Luca Mar. *Prael. iur. eccl. lib. II. n. 378.*

2670 **Locatio.** — Locatio est contractus, quo usus vel fructus rei, aut personae opera pro certa mercede ad tempus ab uno accipitur, et ab altero conceditur; fieri potest scripto et verbó, nec solvitur per mortem contrahentis, sed ad heredes transit etiam ex iure italico. *C. C. a. 1596.* Tempore contractus non determinato, cessat ad arbitrium alterius contrahentis. Locatarius potest etiam sublocare, nisi aliud fuerit stipulatum. *C. C. a. 1573.* Si domus locata incendio pereat, in foro conscientiae ad nihil tenetur locatarius; verius etiamsi culpa eius tantum iuridica incensa fuerit; in foro externo etiam de iure italico, tenetur ad damna, nisi probet incendium evenisse citra eius culpum etiam iuridicam. *C. It. aa. 1588. 1589; C. Gall. a. 1733.*

Locatio bonorum ecclesiasticorum ultra triennium consideratur ut illicita alienatio rerum ecclesiasticarum. Vid. *Alienatio.*

Tit. de locato et conducto X. (III. 18); Conc. Trid. sess. XXV c. 11 de ref.; *Carocci V.* Tract. locati et conducti; *de Vergeriis A.* Axiomata iuridica de locatione et conductione; *Harprecht Ch.* Commentarii de locatione et emphyteusi; *Mauli F. A.* Tract. de locatione et conductione; *Fagundez S.* Tractatus de iustitia et contractibus, acquisitione et locationibus; *Possidonii U.* Tract. de emptione et venditione; ubi etiam de locatione et conductione; *Trentaei A.* Disp. de locatione et conductione; *Brummerus A.* Disp. de locatione et conductione; *De Luca I. B.* De locatione et conductione; *Pacioni P.* Tract. de locatione et conductione; *Nesser I.* De indemnitate conductori in locatione rerum praestanda; *Alderisius A.* Tract. de contractibus symbolicis scilicet de empt. et vendit. locatione et conductione, de mutuo et pignoribus; *Anichold A. G. L.* De contractu locationis et conductionis; *Henot P.* De tit. in Pand. locati conducti; *Vanhuffel* Traité du contrat de louage et du dépôt etc.; *Troplong R. Th.* De l'exchange et du louage; *Carabelli E.* Istruzioni legali pei locatori e conduttori di case, fondi, mobili ecc.; *Ballot* Des effets de la guerre sur le louage, la propriété etc.; *Tripier* Code des propriétaires, des locataires etc.; *Lefort* Histoire des contrats de location perpétuelle ou à longue durée; *Ercolani E.* Della locazione e conduzione dei fondi rustici e della società colonica secondo il disposto del patrio codice civile; *Colamarino D.* Del contratto di locazione. Commento al tit. IX del libro III del codice civ. ital.; *Pacifici Mazzoni E.* Trattato delle locazioni; *Garsonnet* Histoire des locations perpétuelles et des baux à longue durée; *Masselin* Nouvelle jurisprudence et traité pratique sur les locations mobilières et immobilières; *Bertolini C.* Dell'incendio della cosa locata; *Guillouard L.* Traité du contrat de louage; *Benaglia L.* Delle locazioni trattato teorico pratico; *Simoncelli V.* Trattato delle locazioni dei predi urbani e rustici; *Valéry* Du louage des meubles; *Brugnon H.* Des sous-locations et cessions de bail; *Yver* Des sous-locataires et des cessions de baux; *Coqueignot* L'avocat des propriétaires et locataires; *Grouard* Le code du logis.

Loteria. — Loteria est contractus, 2671
quo plures aliquid deponunt in com-

mune, ut ius habeant sortiendi rem in medio exhibitam. Est contractus licitus, dum modo absint fraudes, et dominus loteriae in lucro nimium non excedat. G. B. *I. 943.*

2672 **Lucrum.** -- Lucrum *filii*, si ipse negotiatus est bona paterna nomine patris, est profectitium; si nomine proprio, est adventitium. Similiter lucrum filii negotiantis extra domum patris, ex bonis non paternis, est adventitium; negotiantis in domo paterna, et a patre nutriti profectitium. G. B. *I. 544* Vid. *Bona.*

Quoad lucrum perceptum ex mutuo vid. *Usura.*

Occasio extraordinarii lucri faciendi probabiliter excusat a missa audienda die festo. Vid. *Missa.*

2673 **Ludus.** — Ludus est contractus, quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori cedat pretium, quod exposuerunt. Lessius *de iust. et iure lib. II. c. 26. n. 1.*

Triplex: industrialis, aleatorius, mixtus.

Nullus ex his illicitus, quibusdam tamen sub conditionibus, idest ut ludentes habeant liberam dispositionem rei, quam deponunt, ut alter alterum per iniuriam (ut minis, fraude, conviciis) ad ludum non pertraxerit; ut non utantur fraudibus contra leges ludi. Lugo *loc. cit. n. 7. sqq.*

Iure italico nullus ludus reprobatur aut irritatur, sed nulla actio conceditur pro exigenda solutione debiti ex ludo (*C. C. a. 1802*), nisi fuerit ludus, quo corpora exercentur, ut esset armorum tractatio, etc. *C. C. a. 1803.* — Victus, qui non sit minor, interdictus vel inhabilis declaratus, et solverit pretium conventum, nequit repetere solutum, nisi ex parte victoris fraus intercesserit. *C. C. a. 1804.*

Ludus alearum clericis prohibetur. Vid, *Aleae.*

Lumen. — Sine ullo lumine cele- 2674
brare mortale est, et sine indulto apostolico numquam omnino licet; cum uno tantum veniale. Vid. *Candela, Candelabrum, Cera.*

Negligens asservare lumen coram ss. sacramento per tempus notabile, graviter peccat.

Lumen autem ad hoc debet esse ex oleo olivarum, et in necessitate, ex vegetalibus, de licentia episcopi. *S. R. C. 19 iul. 1864* (*3121*). Cfr. Lucidi *de vis. ss. lim. in cap. 1. n. 102.*

Lampas, quod coram ssmo sacramento collucere debet. potest vel sustentari brachio ex metallo parieti infixo ad similitudinem cornucopiae, vel suspendi ope chordularum, dummodo intra et ante altare continuo ardeat. *S. R. C. in Cuneen. 2 ian. 1883 ad 4 (3576).*

Tolerari etiam potest usus adhibendi ad hunc finem lampades ex vitro non pellucido et diaphano, sed colore aliquo tincto, v. gr. viridi vel rubro. *S. R. C. decr. nuper cit. ad 5.*

Permitti nequeunt in ecclesiis lumina ex oleo, quae mensae altaris imminent, et ardent etiam tempora sacrificii. *S. R. C. in Romana 20 iun. 1899 ad 6 (4035).*

Lunula. — Lunula ad ponendam 2675
hostiam consecratam, quae in ostensorio exponatur, potest esse ex cupro deaurato. *S. R. C. in una S. Hippolyti 31 aug. 1867 ad 6 (3162).*

Non decet, loco adhibendi consue-

tam lunulam, sacras species intra vitreas laminas includere, quarum superficies illas immediate tangat (*S. R. C. in una vic. ap. de Dania 4 febr. 1871 ad 4* [*3234*]); at, si sacra hostia in dictis crystallis bene sit clausa, atque crystalla non tangat, licet hunc modum adhibere ad exponendum ss. sacramentum. *S. R. C. in una Galliarum 14 ian. 1898* (*3974*). Vid. *Ostensorium.*

Lux electrica. — Vid. *Electrica lux.*

2676 **Luxuria.** — Luxuria est inordinatus appetitus rei venereae, unum ex peccatis capitalibus; gravis est ex toto genere suo. *Gal. V. 19.*

Consistit in delectatione venerea voluntarie admissa extra legitimum usum matrimonii. Quare non est confundenda cum delectatione sensibili, quae aut culpa vacat, aut veniale per se non excedit. B. P. *II. 961 sqq.* Vid. *Delectatio.*

Indirecte voluntaria admittit parvitatem materiae (B. P. *II. 967*), directe voluntaria non. B. P. *II. 966*; cfr. *prop. 40am damn. ab Alex. VII decret. diei 18 mart. 1666.* Vide *Aspectus obsceni, Oscula, Sermones, Tactus.*

Dividitur in consummatam et non consummatam. — Consummata luxuria intelligitur effusione seminis, et dicitur vitium contra naturam, si generatio exinde sequi non possit. Haec, seu non consummata, ea est, quae citra seminis effusionem fit solo desiderio vel sola delectatione morosa rei turpis. D'Ann. *II. 65.*

M

2677 **Magia.** — Magia stricte sumpta, ope daemonis explicite vel implicite invocati, ea patrat, quae vires hominum superant. Magia non differt a vana observantia, nisi in quantum eius effectus sunt magis miri. G. P. *I. 271 sqq.* A mago peti nequit ut maleficium tollat, nisi praesumi possit, illud mediis naturalibus auferendum. Lessius *de iust. et iure lib. II cap. 44 n. 35 sqq.*; S. Alph. *III. 24 sqq.* Magi, si magiis accedat haeresis formalis, excommunicationem incurrunt R. P. specialiter reservatam. *Const.* « Ap. Sedis » *ser. 1. n. 1.* Vide *Vana observantia.*

Bibliographiam quaere sub *Maleficium.*

Magister. — Magister debet discipulis amorem, exemplum, correctionem, doctrinam. Contra haec etiam graviter aliquando delinquere possunt magistri, praesertim vero, si pueros seducant. Cfr. S. Alph. *III. 362.* 2678

Magister ceremoniarum. — Vid. *Ceremoniarius.*

Magnetismus animalis. — Vid. *Hypnotismus, Spiritismus.*

2679 **Maiores.** — Maiores tum ad civilia negotia, tum etiam ad poenalia (*C. P. It. art. 56;* quare ad haec sufficere 18um aetatis annum per errorem D'Annibale *I. 33* excidit) illi sunt, qui 21um aetatis annum expleverunt. Hi capaces sunt ad negotia quaecumque gerenda, paucis tantum speciebus exceptis. *C. C. art. 323.* Qui tamen aetatis annum vigesimumquintum nondum expleverit, si vir, vel vicesimumprimum, si mulier, non potest matrimonium contrahere sine parentum consensu. *C. C. a. 63.*

Iure canonico clericus in beneficialibus, et aliis spiritualibus causis decimoquarto aetatis anno maior habetur. *c. de iudiciis* (*II. 1*) *in 6°*, vide *Minores.*

2680 **Maleficium.** — Maleficium est ars nocendi cum daemonis interventu; quare in hoc differt a magia, quod haec intendat facere mira, maleficium dirigatur ad nocendum. G. B. *I. 271,* D'Ann. *II. 35;* Génicot *Th. mor. I. 259.*

Duplex distinguitur: amatorium, veneficum.

Differt specie ab aliis superstitionibus. G. B. *I. 272.*

Peti nequit a mago, ut maleficium tollat, nisi rationabiliter praesumatur, illud mediis naturalibus auferendum. Lessius *de iust. et iure lib. II. c. 44. n. 35 sqq.;* S. Alph. *III. 24 sqq.*

Malefici incurrunt excommunicationem romano Pontifici specialiter reservatam, si accedat haeresis formalis. *Const.* « Ap. Sedis » *ser. 1. n. 1.*

A. Victoria F. De arte magica; *De Burgonovo A.* Cabalistarum selectiora obscurioraque dogmata a Jo. Pico ex eorum commentationibus pridem excerpta etc.: *De Gambilionibus A.* (*Aretini*) Tractatus de maleficii; *Sprenger I.* Malleus maleficarum; *Zezner L.* Malleus maleficorum; *Bodini I.* De magorum daemonomania; *Biermani M.* De magicis actionibus contra Joannem Bodinum; *Dasselii H.* Responsa de maleficiis; *Godelmanni G.* Tractatus de magis, veneficis, praestigiatoribus, lamiis etc.; *Del Rio M.* Disquisitionum magicarum libri sex; *A. Castro A.* De sortilegis et maleficis; *Mamoris P.* Flagellum maleficorum; *Binsfeldius P.* Tract. de confessionibus maleficorum et sagarum an et quando fides his adhibenda sit; *Guazzi F.* Compendium maleficarum; *Brandi N.* De ratione investigandi maleficos; *Caramuelis A.* Iocoseria naturae et artis sive magia naturalis; *Schotti C.* Iocoseria naturae et artis; *Schroteri E. F.* Diss iurid. de lamiis; *Turreblanca F.* Epitome delictorum sive de magia etc.; *Bodini Jo.* De magorum commercio cum Satana; *Sauter* Zur Hexenbulle 1484. Die Hexerei mit bes. Berücksichtigung Oberschwabens.

Mandans. — Vid. *Cooperatio.*

Mandatum. — **Quid mandatum.** — 2681 Mandatum est contractus, quo obligatio aliquid agendi in commodum alterius gratuito suscipitur. *l. 1. § 4. mandati vel contra D.* (*XVII. 1*).

Adverte autem ea, quae habet D'Annibale (*II. 432* [*1*]), scilicet: « Omisi (nempe in definitione) verbum *gratis* gerendum, quippe exsulat in codice austriaco, gallico et nostro. Ceterum, si nihil convenerit, gratuitum est (*C. G. a. 1986; C. It. a. 1739; C. Austr. a. 1004*); nisi forte recidat in locationem operum, quod varie ex moribus regionis cum primis aestimare oportet ».

De requisitis in mandatario et 2682 **mandante.** — Ut quis cum alio hunc

contractum ineat, necesse est, ut ipse possit ea facere, quae alteri facienda mandat, et alter sit capax natura contrahendae obligationis (ut nempe sit compos sui, etc.), etsi sit incapax iure positivo. Hinc minor emancipatus potest esse mandatarius (*C. It. a. 1743*); at iure nostro uxor sine consensu mariti mandatum contrahere nequit. *C. It. art. nuper cit.*

2683 **De obligationibus et de potestate mandatarii.** — Mandatarius, acceptato mandato, debet illud implere (*C. It. a. 1745*; *C. G.* a *1991*), quamvis, superveniente causa iusta, renunciare potest mandatum; quod tamen mandanti ab ipso denunciandum est, quum primum poterit. *C. C. a. 1761.* Cfr. Inst. Iust. *lib. III tit. 26 de mandato* § *11.*

Debet praeterea mandato diligenter defungi, secus tenetur de damnis. *C. It. a. 1746; C. G. a. 1992.*

Nec mandati fines excedere potest. *C. C. art. 1742.*

Mandato autem universali non alienatio, sed sola bonorum administratio concessa intelligitur (*Cod. It. a. 1741; C. G. a. 1988*), nec sufficit clausula « ut alter ergo ». - Mandato speciali ea sola videntur permissa, quae sunt necessaria ad perficiendum negotium (Cfr. *C. C. a. 1741*); quare, si quis mandatum habuit ad locandam domum, non potest postea domus locatae mercedes exigere.

Si mandatarius praetergressus sit fines mandati, videndum est, utrum hoc fecerit quoad modum tantum (puta si emerit rem maioris, quam mandans commiserit), an quoad substantiam quoque (ut, si emerit fundum alium ab eo, quem mandans commiserat). Si primum actus valet, sed tenetur mandatarius de damno (cfr. *C. C. aa. 1745. 1746*; si alterum, actus est nullus. Cfr. Inst. Iust. *lib. III tit. 26 de mandato* § *8.* Si quid autem, ultra limites mandati a mandatario actum, mandans postea expresse vel tacite ratum habuerit, valet, et obligationes, quae ex actu exsurgunt, servare debet mandans. *Cod. It. a. 1752; C. Gall. a. 1998.*

De cessatione mandati. — Mandatum extinguitur *revocatione* mandati a mandante facta, *renunciatione* mandatarii (quae tamen mandanti fuerit notificata, qui tamen, si haec renunciatio ipsi damnum inferat, debet indemnis fieri a mandatario, nisi is sine notabili damno in exercitio sui mandati perseverare possit (*Cod. Civ. a. 1761*), *morte, interdictione* alterutrius (attamen ea, quae mandatarius nomine mandantis eo tempore agit, quo nondum mandantis mortem aut aliam ex causis, ex quibus mandatum cessat, ignorat, valida sunt, dummodo in bona fide sint ii, cum quibus contrahit [*C. C. a. 1762*]; si quando autem intervenit mors mandatarii, heredes, qui de mandato fuerint conscii, debent de morte secuta monere mandantem et interim ea curare, quae iuxta circumstantias mandanti intersunt, *C. C. a. 1763*), si alteruter *bonis cesserit*, alterutrius etiam *inhabilitatione*, si obiectum mandati fuerint actus, quos ipsi directe perficere nequirent sine interventu curatoris. *C. C. a. 1757.* 2684

Finito mandato, mandatarius rationes reddere debet. *C. C. a. 1747.* Man-

dans vero indemnem facere debet mandatarium, si is aliquas fecerit expensas vel necessarias vel utiles, etiamsi ipse minores facturus fuisset expensas, et res male verterint. *C. It. a. 1753; C. G. a. 1999.* Item, si mandatarius occasione mandati damnum passus sit, indemnis a mandante fieri debet. *C. It. a. 1754; C. G. a. 2000.*

2685 **Mandatum feriae V in Coena Domini.** — Faciendum est in cathedrali, etiam absente episcopo (*S. R. C. in Hispalen. 16 febr. 1636* [*629*]), hora congrua ab episcopo determinanda, assistentibus omnibus canonicis. *S. R. C. in Casalen. 15 sept. 1753 ad 7* (*2425*).

Fieri autem potest in omnibus ecclesiis. Monit. eccl. *vol. XIX pag. 229.*

Lotio autem pedum facienda est ab ipso sacerdote cum ministris, nec liceret eam peragi a moderatore alicuius confraternitatis, sacerdote cum ministris lotionem spectantibus, et reliquas mandati ceremonias, ut lectionem evangelii etc., peragentibus (*S. R. C. in una S. Salv. in Brasilia 7 febr. 1874 ad 1* [*3317*]); sed moderator confraternitatis potest in interiori domo ipsius confraternitatis lotionem pedum perficere, absque incenso tamen, absque cantu evangelii et absque aliis ceremoniis a rubrica praescriptis, sed tantum cum assistentibus laicis, qui aquam ei ministrent. *S. R. C. decr. nuper cit. ad 3.* Hoc tantum modo potest moderator laicus confraternitatis lotionem pedum in ipsa functione liturgica, est abusus intolerabilis et omnino eliminandus (*S. R. C. dec. nuper cit. ad 4*), quem episcopus iure ordinario cohibere potest et debet, etiam si locum haberet in ecclesiis exemptis. *S. R. C. decr. nuper cit. ad. 5.*

Mandatum perfici omnino nequit ante sacellum, ubi ss. sacramentum asservatur, et, si ecclesia tantae magnitudinis non sit, ut locus ab eodem sacello remotus haberi possit, extra ecclesiam perficiendum est (*S. R. C. dec. nuper cit. ad 2*), idest aut in sacrario aut in aliquo cubiculo prope ecclesiam. *S. R. C. in una S. Marci 22 mart. 1862 ad 18* (*3110*).

Velum crucis altaris, ubi fit lotio pedum, debet, esse coloris violacei; velum crucis altaris, in quo celebratur missa, debet esse coloris albi. *S. R. C. in Lusitana 20 dec. 1783 ad 4* (*2524*).

Sacerdos, qui mandatum peragit sine ministris, debet omnia peragere cum sola et pluviali coloris violacei super albam. *S. R. C. in Caesaraugustana 25 ian. 1895* (*3841*).

Iltigius Th. Diss de pedilavio Christi imitando; *Frescobaldi I. B.* Pedilavium sive de numero pauperum, quibus lavandi sunt pedes in feria V Coenae Domini; *Orlendis F.* De duplici lavacro in Coena Domini; *Sarnelli P.* Sacra lavanda di piedi de' XIII poveri, che si celebra nel Giovedì santo.

Manifestans. — Non manifestans 2686
est unus e cooperatoribus negativis, et proprie ille, qui post damnum illatum dammificatorem domino laeso non denuntiat, licet ex officio denuntiare teneatur. Vid. *Cooperatio.*

Manifestatio conscientiae. — Vid. *Aperitio conscientiae.*

Mappa. – Altare operiri debet tribus 2687
mappis seu tobaleis mundis, ab episcopo vel alio habente potestatem

benedictis, superiori saltem oblonga, quae usque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus, vel una duplicata. Rubr. gen. miss. *tit. XX.* Confer De Herdt *S. lit. praxis I. n. 167 sqq.*

Mappae altaris debent esse ex lino vel cannabe. *S. R. C. gen. 15 maii 1819* (*2600*). Attamen recenter concessum est pro vicariatu apostolico Se-ciuensi sept.-occidentali, ut pro tobaleis, et similiter pro amictis, albis, corporalibus, pallis, adhiberi posset quaedam tela confecta ex planta *urticae niveae*, quae in lingua sinensi *Homa* appellatur *S. R. C. 27 iun. 1898* (*3995*). Mappae vero ex quadam tela, *Nipsi* dicta, permissae non sunt, quamvis concessum sit, ut liceret uti iis iam confectis. *S. R. C. in Placentina in Hisp. 13 aug. 1895* (*3868*).

Servari nequit consuetudo, ut tobalea superior altaris usque ad terram non pertingat. *S. R. C. 9 ian. 1899 ad 1* (*4029*). In mappis seu tobaleis altarium, quemadmodum etiam in albis et superpelliceis, permittuntur vela transparentia, quae repraesentent cruces, ostensoria, calices cum hostia, figuras angelorum et alia similia sacra obiecta. *S. R. C. in Syren. 5 dec. 1868 ad 5* (*1391*).

2688 **Margarina.** — Margarina est butyrum artificiale, quod obtinetur ex adipe boum cum oleo mixto et lacte. Quaesitum est: « An liceat uti margarina per modum cibi aut condimenti illis diebus, quibus usus carnium aut adipis ex carne illicitus est, licito manente usu butyri? » Et S. Congregatio respondit: « Affirmative, facto verbo cum SSmo ». *S. U. I. 6 sept. 1899.*

Maritus. — Maritus irritare potest 2689 indirecte vota uxoris, quae iuri coniugali, filiorum educationi, vel domus gubernationi praeiudicant; vota vero, stante matrimonio emissa, probabilius etiam directe potest irritare. Vid. *Irritatio.*

Eius obligationes vide in *Coniuges.*

Quoad bona uxoris, si agatur de bonis dotalibus, vid. *Dos.*

Quoad bona autem uxoris paraphernalia, si in contractu matrimonii non fuit determinatum quo modo debeat ipsa oneribus matrimonii subiacere debet eisdem contribuere, proportione habita suorum bonorum; attamen fructus dotis computantur in parte uxoris. *C. C. a. 1426.* Uxor retinet dominium, administrationem et usum suorum bonorum paraphernalium; et viro ius ea administrandi aut credita exigendi, nisi ab ea mandatum habeat, nullum est, quibusdam tantum casibus exceptis. *C. C. a. 1427.* Si mulier virum suum procuratorem constituit ad administranda bona paraphernalia, sub conditione, ut fructuum rationem reddat, vir obligatur erga mulierem, quemadmodum quisquis alius procurator. *C. C. a. 1428.* Si vir bonis paraphernalibus uxoris in sui commodum usus est sine mandato, sed absque ipsius uxoris oppositione, vel etiam cum mandato, sed sine conditione ut de fructibus rationem redderet, ipse aut eius heredes, quum primum uxor petit, aut quum matrimonium solvitur, ad nihil aliud tenentur, quam ad dandos fructus exsistentes, sine obligatione reddendi fructus iam consumptos. *C. C. a. 1429.*

Si vir, non obstante uxoris oppositione, quae etiam extraiudicialiter facta fuerit, in sui commodum usus est bonis paraphernalibus, ipse aut eius heredes tenentur eidem rationem reddere de fructibus exsistentibus et de consumptis. *C. C. a. 1430.* Vir, qui in sui commodum usus est bonis paraphernalibus, tenetur omnibus obligationibus usufructuarii. *C. C. a. 1431.* Dispositiones articulorum 1428. 1429. 1430 et 1431 applicantur casui, in quo uxor habuit administrationem et usum bonorum mariti. *C. C. a. 1432.*

Quoad bona uxoris in casu communionis bonorum vide *Communio bonorum.*

2690 **Martyrium.** — Martyrium supplet baptismum aquae, quem tamen martyr culpabili negligentia non contemnat, ipsique martyri tantum valet mors ad dimittenda peccata, quantum si ablueretur fonte baptismatis. S. Aug. *de Civ. Dei lib. XIII. c. 7.* Tertull. *de bapt. n. 16.*

Est autem martyrium perpessio mortis vel cruciatus letalis pro Christi fide aut virtute christianae fidei patienter tolerata. Hurter *Comp. th. dogmat. III. 317.*

Quare ad martyrium non est necesse, ut quis moriatur, ne Christum aut fidem deneget, sed sufficit, ut quis mortem subeat, ab aliis iniuste illatam, ob causam virtutis. Ratio est, quia omnium virtutum opera, secundum quod referuntur in Deum, sunt quaedam protestationes fidei, per quam nobis innotescit, quod Deus huiusmodi opera a nobis requirit, et nos pro iis remunerat; et secundum hoc possunt esse martyrii causa. Hinc martyres sunt s. Ioannes Baptista, s. Thomas Cantuariensis, s. Pelagia, s. Ioannes Nepomucenus et alii multi.

Martyres autem ita vocantur, quia sunt testes Christi, quum corporalibus suis passionibus usque ad mortem testimonium perhibent veritati, quae secundum pietatem est, quae per Christum nobis innotuit. S. Th. *2. 2. q. 124. a. 5.*

Ad habendum autem veri nominis martyrium, necesse est, ut, si quaestio sit de adulto, et non de puero ante usum rationis, habeatur ex parte ipsius consensus in martyrium seu acceptatio mortis saltem habitualiter voluntaria, ex motivo supernaturali, absque resistentia, et, si est in statu gravis peccati, poenitentia, quae sit saltem attritio. Martyrium igitur iustificat non ex opere operato, sed per modum operis operati. Hurter *loc. cit.*; Billot *de sacr. I. th. XXIV.*

Martyrologium. — In eo debent in- 2691
scribi tantummodo sancti canonizati non vero qui fuerunt declarati tantum beati. *S. R. C. decr. gen. 31 aug. 1680 (1651).*

Massonica secta. — Conferendae 2692
heic sunt in primis Encyclica Leonis XIII « Humanum genus » *20 apr. 1884* et instructio S. Congr. Inquis. ad omnes ordinarios orbis catholici *10 mai 1884.*

Nomen dantes sectae massonicae, nec non eidem favorem qualemcumque praestantes, vel eorum occultos coryphaeos ac duces non denuntiantes, donec denuntiaverint, incurrunt excommunicationem latae sententiae R. Pont. simpliciter reservatam. *Const.*

« Ap. Sedis » *ser. 2. n. 4.* An obligatio denuntiandi semper omnino urgeat, vid. *Denuntiatio.*

Qui sectae massonicae nomen dederunt, etsi eos iam poenituerit iuramenti praestiti, si externe cum sociis communicare pergant, ut tales, absolvi nequeunt. *S. U. I. 5 iul. 1837, 27 iun. 1838.* « Quid ait D' Annibale (*Comm. in const.* « *Ap. Sedis* » *n. 118* [9]), si interdum id faciant, ne hi suspicentur, se ab ea descivisse? Et si exinde, aut secta aliquid emolumenti, aut ipsi aliquid spiritualis detrimenti capiant, rem malam faciunt naturali iure, adeoque, si graviter malam, eos absolvere grave est; secus rem malam faciunt humano iure tantum. Porro transfugae neci sunt addicti, quam effugere vix possibile est; omnia igitur in aestimatione prudentis confessarii esse debent, si quid opinor ».

Annota hic etiam ea, quae S. Congr. Inquisitionis respondit alicui episcopo sciscitanti, an liceret sibi in vim facultatem S. Poenitentiariae absolvere tum occultos, tum publicos massones, scilicet: « Episcopus utatur facultatibus, quae ordinariis a S. Poenitentiaria concedi solent, quarum vi et ipse et alii ab ipso delegati confessarii absolvere possunt eos, qui sectis vetitis nomen dederunt, sive notorii sint, sive non, dummodo a respectiva secta omnino se separent, eamque saltem coram confessario eiurent, seu detestentur, reparato scandalo eo meliori modo, quo fieri potest, et aliis iniunctis de iure iniungendis, iuxta praefatas litteras S. Poenitentiariae ». *S. U. I. 5 aug. 1898.*

Qui ascripti sunt sectae massonicae aliisque societatibus ab ecclesia damnatis privantur sepultura ecclesiastica; quae iis deneganda est, etiamsi collata ipsis fuerint sacramenta, si postulaverint sepeliri cum signis sectae, et hanc voluntatem postea non retractaverint. *Instr. S. U. I. ad ordinarios Brasiliae 5 iul. 1878.*

Imo, etsi contra desiderium defuncti emblemata sectae feretro fuerint apposita, vel massones funeribus cum suis insignibus aut sine insignibus, sed ut societas, adsint, clerici nequeunt procedere ad ecclesiasticam associationem cadaveris. Cfr. *resp. S. Poen. 20 mart. 1885.* — Insuper in ecclesia etiam occasione exsequiarum aut quorumdam festorum, quibus laicae sodalitates intersunt, nonnisi vexilla religiosa, et pro quibus habeatur formula benedictionis in Rituali Romano, licet admittere. *S. R. C. in Patavina 14 iul. 1887* (*3679*). Vid. *Vexilla.*

Nullo pacto permitti potest, ut massones in forma officiali, idest a secta deputati ss. sacrificio missae aliisque officiis ecclesiasticis, interveniant; nec clerus iussioni seu desiderio massonum parere potest pro celebrandis missis seu officiis ecclesiasticis, uti a massonibus iussis seu postulatis, seu uti talibus in invitationibus ac in publicis ephemeridibus enunciatis. *S. U. I. Instr. cit. 5 iul. 1878.*

Gravis reatus rei efficiuntur catholici, qui choreis aliisque solatiis intersunt, quae a membris societatis massonicae, et uti tales, haberi solent; imo eo in casu, quo catholicorum praesentia ac participatio huiusmodi conventibus affert eidem sectae aut

sectatoribus emolumentum aliquod, catholici interessentes incurrunt excommunicationem supra recensitam latae sententiae R. P. simpliciter reservatam, quippe favorem praestant. *S. C. P. F.* (*ex sententia S. Officii*) *ad ep. Nesquallien. 15 iul. 1876.*

Quoad matrimonia massonum cfr. *Matrimonium.*

An artifices possunt signa massonica conficere? Et certe sine causa hoc nequeunt; sed ex causa non tantum extremae necessitatis (Lehmkuhl *Th. mor. I. 657*), sed etiam gravi, ut esset defectus operum faciendorum, quae valeant suppeditare necessaria ad vivendum (Mon. eccl. *vol. XIII pag. 327*), ea conficere posse videntur.

2693 **Mater.** — Mater directe irritare potest vota filiorum impuberum; non potest tamen contradicente patre. Vid. *Irritatio.* Eius obligationes vide in *Coniuges*, *Parentes.*

Rota C. Tractatus de privilegiis mulierum (ubi etiam de matre); *Sylm N.* De singulari matrum iure; *Weber M.* Ehefrau u. Mutter i. d. Rechtsentwicklung; *Rösler* Die Frauenfrage.

2694 **Materia.** — Materia *legis* est omne id, quod ad bonum commune conducit. Vid. *Lex.*

Materia *voti* debet esse possibilis et moraliter bona, imo, « de bono meliori ». Bonum autem melius non aestimandum est praecisive a circumstantiis; nam bonum ex.gr. in se est ieiunium, sed non est bonum pro muliere praegnante. Vid. *Votum.*

Materia *contractus* debet esse possibilis, exsistens, honesta, propria contrahentis, determinata. V. *Contractus.*

Materia *sacramentorum* est res sensibilis ad rationem sacramenti per formam determinanda, et est necessaria ad validitatem sacramenti. Vid. *Sacramentum;* et quoad singula sacramenta suis locis.

Matrimonium. — ***De matrimonii natura et divisionibus.*** — Matrimonium dupliciter spectari potest, ut contractus in officium noturae, et ut sacramentum (Billot *de sacram. eccl. II. prooem. ad th. XXXIII.*); sed inter christianos contractus non habetur sine sacramento. *Allocut. Pii IX « Acerbissimum » 27 sept. 1852; prop. 66. 73 damn. in Syllabo*; cfr. Palmieri *de matr. th. X*; Billot *l. c. th. XXXVII.* 2695

Ut contractus dupliciter etiam potest considerari, scilicet in fieri, et ut est actus transiens, et sic definiri potest: « duarum idonearum personarum legitimus de coniunctione consensus » (Hugo Victorin. *de sacr. lib. II. p. 2. c. 4*); vel in facto esse, seu prout est res quaedam permanens, cui rei permanenti actus ille transiens originem praebet, et sic definitur: « viri et mulieris coniunctio, individuam vitae consuetudinem continens » (Inst. Iust. *de patria potestate* [*I. 9*]. § *1*). Hanc autem matrimonii definitionem, quam tradunt Institutiones Iustiniani adoptavit etiam ius nostrum (*c. 11 de praesumptionibus X.* [*II. 23*]; *c. 2 de conversione infidelium X.* [*III. 33*]; Cat. Conc. Trid. *part. II. c. 8. n. 5*); eaque concordat cum alia definitione iuris romani (*l. 1 de ritu nuptiarum D.* [*XXIII. 2*]: « nuptiae sunt coniunctio maris et feminae, consortium omnis vitae, divini et humani iuris communicatio ».

Ut sacramentum, in quantum consideratur in fieri, definiri potest: « Contractus viri et feminae legitimus (inter christianos), quo mutua corporum traditur potestas, gratiae spiritualis collativus ». Toletus *Summa lib. VII. c. 1.* Considerari etiam non immerito potest, prout est sacramentum, in facto esse, et sic potest definiri: « Vinculum indissolubile inter christianos coniuges exsurgens ex inito contractu maritali, signum unionis inter Christum et ecclesiam, tribuens eis ius ad gratias sacramentales proprias coniugii christiani ».

2696 Eius divisiones praecipuae sunt in

a) ***legitimum,*** quod contrahitur a non baptizatis, servatis legibus naturalibus, divinis positivis et iustis legibus civilibus (quamvis quoad hanc ultimam qualitatem non omnes Doctores sint concordes);

b) ***ratum,*** quod a baptizatis contractum est, sed nondum per carnalem copulam completum. Cfr. *c. 7 de divortiis X.* [*IV. 19*]. Nota autem, antiquitus non eamdem fuisse significationem harum vocum legitimi et rati, circa quod confer C. XXVIII. q. 1 fere per totam, sed praesertim can. 17;

c) ***consummatum,*** quod, sive legitimum fuerit, sive ratum, accedente carnali copula perfectum atque completum est.

Sub alio respectu dividitur etiam matrimonium in

a) ***verum,*** quod contrahitur cum omnibus conditionibus, quae ad eius valorem requiruntur, atque ut tale probari potest, sicut probari solent cetera negotia;

b) ***praesumptum,*** quod ab ecclesia propter factum aliquod obiective exsistere praesumitur, sive praesumptione iuris, sive praesumptione iuris et de iure;

c) ***putativum,*** quod in se et a parte rei est nullum ob occultum aliquod impedimentum dirimens ab alterutra saltem parte bona fide ignoratum, sed specie tenus est validum, utpote coram ecclesia contractum. Cfr. Rosset *de sacr. matr. I. 11 sqq.*; Wernz *Ius Decretal. IV. 29*; G. B. *II. 557.*

Dividitur etiam matrimonium in ***publicum***, ***occultum*** seu conscientiae et ***morganaticum.***

Publicum illud est, quod celebratur cum interventu auctoritatis ecclesiasticae in facie ecclesiae iuxta legitimam formam ab ipsa ecclesia praescriptam. Vid. *Clandestinitas.*

De matrimonio occulto seu conscientiae et de morganatico dicemus postea.

Praesumptum, quod nempe a iure praesumebatur (*cap. 26 de sponsal. et matr. X.* [*IV. 1*]), praesertim in casu intercessae copulae post inita sponsalia (*c. 30 de sponsal. et matr. X.* [*IV. 1*]; *c. 6 de condit. appos. X.* [*IV. 5*]), abolitum est a Leone XIII (*decr. 15 febr. 1892*) etiam pro locis ubi decretum « *Tametsi* » tridentinum non vigebat.

Nota tamen, matrimonium praesumptum non tantum in citato casu dari, sed tunc etiam, quando post matrimonium initum sub conditione de futuro contingente et honesto, coniuges liberam copulam ponunt; nec non quum agitur de matrimonio ab impuberibus inito, quando, adepta pubertate, inter-

veniunt signa ratificati consensus. Cfr. Gasparri *de matr. I. 43;* Wernz *loc. cit. IV. 29 (12)*. Hae duae ultimae species matrimonii praesumpti non respiciuntur a decreto supra citato Leonis XIII; quare non possunt dici abrogatae. Cfr. Wernz *loc. nuper cit.* contra Sebastianelli *Praelect. iuris can. II. p. 1. p. 12 seq.*

2697 Ad validitatem matrimonii requiritur consensus

verus (*cc. 25. 26 de sponsalibus et matrimonio X.* [*IV. 1*]),

mutuus (*cap. 9 tit. cit. X.* [*IV. 1*]),

de praesenti (*cap. 31 tit. cit. X.* [*IV. 1*]; *c. 3 de sponsa duorum X.* [*IV. 4*]),

deliberatus et voluntarius (*cc. 13. 14 tit. cit. X.* [*IV. 1*]),

manifestatus signis externis (*cap. 25 tit. cit. X.* [*IV. 1*]), non necessario verbis (*c. 23 tit. cit. X.* [*IV. 1*]), et etiam per procuratorem expressus (*cap. 9 de procurator.* [*I. 19*] *in 6°*), nisi sermo sit de liceitate. Lehmkuhl *Th. mor. II. 684;* G. B. *II. 561.*

Quare matrimonium firmum ac validum consistit, quoties nutus vel ceremoniae coram parocho et testibus praestitae, iuxta communem regionis existimationem, mutuum sponsorum de praesenti consensum sufficienter exprimunt. *S. U. I. 22 aug. 1860.*

Matrimonium contrahi aliquando etiam potest sub conditione. Quando ita initum valeat, quando liceat, vide sub *Conditio.*

Quum ad essentiam matrimonii necessarius sit consensus verus, deliberatus et voluntarius, ut diximus, patet amentes, nisi habeant lucida intervalla, incapaces esse matrimonii contrahendi. *c. 24 tit. cit. X.* [*IV. 1*]. Quod valet, etsi de eo agatur, qui tempore matrimonii amens erat, licet talis non videretur. Glossa *in cap. nuper cit.* Ad probandam autem dementiam admittuntur etiam testes singulares et sola fama sufficit. Pallottini *Th. resol. S. C. C. v. Matrimonium § 3 n. 7. sqq.* In dubio autem an contractus initus sit tempore furoris vel non, pro furore praesumitur. Sanchez *de matr. lib. I. disp. 8. n. 17;* Barbosa *Collect. doctorum in lib. IV Decr. cap. 24 n. 5.* Haec autem valent quando agitur de vera amentia, non quando quaestio tantum est de aliqua nervorum perturbatione, quae ad veram amentiam non pertingat, quali nostra hac aetate non pauci, praesertim feminae, laborant. Quoad praxim S. Congregationis Concilii confer sequentes causas: *in Herbipolen. 7 iul. 1883; in Treviren. 22 iul. 1899; in Parisien. 18 mart. 1905.*

De matrimonio per procuratorem contracto. 2698 — Diximus, matrimonium celebrari posse etiam per procuratorem. Quod patet; quum enim matrimonium sit contractus, et contractus consensu perficiatur, sufficit adesse verus consensus, ut matrimonium perficiatur. Verus autem consensus exprimi potest et extrinsecus manifestari non tantum per se, sed et per alium. Patet etiam, hoc, quod ex ipsa natura matrimonii aperte profluit, nullo modo immutatum fuisse per dispositionem capitis Tridentini « *Tametsi* » aut subsequentis decreti « *Ne temere* ».

De servandis in constituendo procuratore ad matrimonium. 2699 — Quum autem tanti

momenti sit matrimonium, statuit ius, quasdam servandas esse conditiones in deputando procuratore. Scilicet procurator non aliter censetur idoneus ad matrimonium contrahendum, quam si ad hoc mandatum habuerit speciale. *c. 9 de procuratoribus* (*I. 19*) *in 6°*. Quare mandatum dandum est certae et determinatae personae, quae contrahere debeat cum certa et determinata persona. *c. 9 nuper cit.; S. C. C. in Neapolitana 7 iul. 1736.*

Attamen determinatio personae procuratoris fieri potest etiam ab alio quam ab ipso mandante, ex. gr. a comparte ipsa, si nempe hoc munus ei mandans commisit. Cfr. *S. C. C. in Neapolitana 7 apr. 1883.*

Et quamvis alias is, qui constituitur ad negotia procurator, alium dare possit procuratorem, seu alium possit ad idem munus subdelegare, in hoc tamen casu (propter magnum, quod ex facto tam arduo posset periculum imminere) non potest procurator alium deputare, nisi hoc eidem specialiter sit concessum. *c. 9 nuper cit.*

2700 **De revocatione mandati.** — Mandatum autem semel datum revocari posse, palam est; et si revocatum fuerit quocumque modo, etiam tacite et mentaliter, antequam procurator matrimonium de facto contraxerit, contractum postmodum matrimonium ab eodem (licet tam ipse, quam ea, cum qua contraxit, revocationem huiusmodi penitus ignorent) nullius momenti exsistit, quum illius consensus defuerit, sine quo firmitatem habere nequivit. *c. 9 nuper cit.; S. C. C. in Eugubina 5 iul. 1727.*

Diximus posse revocari etiam tacite; attamen in casu tacitae tantum revocationis matrimonium a procuratore contractum in foro externo validum haberetur.

De ipso procuratore et de modo illum constituendi. — 2701 Mandatum dari potest cuicumque sine discrimine aetatis aut sexus, illudque dari posse non tantum in scriptis, sed etiam viva voce, clarum est; attamen ordinarius et parochus consultius agent, si numquam admittant ad contrahendum matrimonium procuratorem, qui mandatum in scriptis curiae non exhibuerit et tradiderit.

Patet autem, procuratorem non posse mandati fines praetergredi; quare, si aliqua sub conditione mandatum datur, eam servari ad validitatem necessarium est. Procurator enim in eo, quod excedit, potestate caret, et mandans, non servata conditione, non consensit. Sanchez *de matr. lib. II. disp. XI. n. 17.*

De matrimonio per epistolam. — 2702 Matrimonium contrahi posse etiam per epistolam in iis quoque locis, in quibus publicatum erat decretum Tridentinum, indubium pluribus videtur, quum posset coram parocho et testibus constare de consensu utriusque partis, ut si altera pars parocho et testibus se stitisset et legisset epistolam continentem consensum alterius partis, ac dixisset, se etiam in illud matrimonium consentire. Cfr. Sanchez *loc. cit. disp. XII. n. 3;* Gasparri *de matr. II. 965.*

Nunc post decretum «*Ne temere*» aliqua posset esse difficultas ad admittendum posse hac ratione validum matrimonium iniri. Attamen annotat

Vermeersch (*De forma sponsalium ac matrimon. post decr. « Ne temere » n. 51*).« Si tamen *a*) Per litteras vel ore tenus ab alterutra parte vel eius nomine invitatus, *b*) Parochus, *coram testibus,* absenti alteri (vel, quod rarius, utrique) parti litteras miserit ad exquirendum consensum, et *c*) sic interrogata pars (vel partes) rescribat offerens et acceptans alterius consensum - post lectas sic literas coram parocho et testibus, dummodo usque ad peractam lectionem consensum perseveraverit, omnes validi matrimonii condiciones completae videntur ».

2703 **De consensu parentum relate ad matrimonium.** — Consensus parentum ad validitatem matrimonii non requiritur (Conc. Trid. *sess. XXIV cap. 1. de ref. matr.; S. U. I. ad ep. Quebecen. 17 nov. 1835*); requiritur autem ordinarie ad liceitatem (Conc. Trid. *l. c.*; Laymann *Th. mor. lib. V. tr. 10. p. 1. c. 1 num. 14;* Sanchez *de matrim. lib. IV. disp. 23. n. 3 sqq.*), non tamen si parentes iniuste consensum recusent. Reiffenstuel *in tit. 1 lib. IV Decr. num. 26.* Cfr. Ben. XIV *de Syn. lib. IX. c. 11. n. 24.*

2704 ***De dotibus matrimonii.*** — Matrimonium gaudet *unitate* (Matth. *XIX. 9;* Luc. *XVI. 18;* Conc. Trid. *sess. XXIV can. 2 de sacr. matr.; c. 8 de divortiis X.* [*IV. 19*]; Palmieri *de matr. th. XII. XIII*) et *firmitate* (*I. Cor. VII. 10. 11; Rom. VII. 2. 3;* Matth. *XIX. 3 sqq.;* Conc. Trid. *sess. XXIV can. 7 de sacr. matr.*; Palmieri *de matr. th. XVI sqq.*). Illa, quia est unius viri cum una femina; hac, quia est indissolubile. Vid. *Divortium.*

Soluto tamen priore matrimonio secundae nuptiae, et, his solutis, tertiae, et ulteriores sunt licitae. *I Cor. VII. 8. 39*; Palmieri *de matr. th. XII.*

De dissolutione matrimonii. — De 2705 **dissolutione plena.** — Dissolvi autem potest matrimonium ratum et non consummatum (*cc. 2. 14 de convers. coniugat. X.* [*III. 32*]; Palmieri *de matr. th. XXV;* Feije *de imp. et disp. matr. n. 601 etc.*), in quo nempe vel actus coniugalis habitus omnino non fuerit, vel non fuerit perfectus; sed tantum a romano Pontifice (Ben. XIV *Quaest. can. 479;* Palmieri *de matr. th. XXV num. IX*), qui hoc universali dispositione iuris semper facit per solemnem professionem religiosam alterutrius coniugis. Conc. Trid. *sess. XXIV. can. 6. de sacr. matr.* Vid. *Professio religiosa.*

Etiamsi consummatum, solvitur inter infideles, si alter religionem christianam, non autem necessario catholicam, suscipiat, et alter nolit cohabitare, nisi cum iniuria Creatoris. Vide *Privilegium Paulinum.*

De dissolutione minus plena. — Tenen- 2706 tur etiam coniuges cohabitare et vitam socialem ducere (G. B. *II. 572*); at iustis de causis fieri potest separatio a toro vel habitatione. Conc. Trid. *sess. XXIV. can. 8. de sacram. matr.* Huiusmodi autem causae sunt mutuus consensus, dummodo absit incontinentiae periculum; periculum grave animae vel corporis; praeterea adulterium alterutrius certum, voluntarium, non mutuum et non condonatum. Vid. *Divortium.* Cui postremae conditioni non satisfacit ille, qui, habita certitudine adulterii, coniugi

adultero libere exhibet obsequia et signa coniugalis affectus. Nota hic, sub nomine adulterii venire quamcumque carnis divisionem, ut sodomiam et bestialitatem. Vid. *Adulterium.*

De divortio civili (*remissive*). — Aliqua etiam de divortio civili dicenda essent; sed ea vide sub *Syndicus.*

2707 ***De materia.*** — Materia remota huius Sacr. sunt sponsorum corpora; proxima, eorum traditio. Billot *de eccl. sacr. II. th. XXXVII Coroll. I*; *Litt.* Ben. XIV *ad arch. Goanum 19 mart. 1758*; B. P. *VI. 212.*

2708 ***De forma.*** — Forma consistit in mutua contrahentium acceptatione verbis aut signis expressa. Billot *l. c.*; Ben. XIV. *l. c.*; B. P. *l. c.*

2709 ***De ministris.*** — Ministri sunt ipsi contrahentes. Palmieri *de matr. th. XI*; Billot. *l. c. Coroll. 2*; B. P. *VI. 399 sqq.*

2710 ***De subiecto.*** — Subiectum autem est omnis homo, baptizatus (si de matrimonio sacramento sermo est), nullo impedimento laborans. Ut licite sacramentum hoc recipiant, debent sponsi esse in statu gratiae, quia est sacramentum vivorum. S. Alph. *VI. 884.* Deficiente tamen lege speciali, non potest parochus exigere praeviam confessionem. G. B. *II. 586*; *S. C. P. F. 17 apr. 1820, 21 sept. 1840.*

2711 **De parocho relate ad matrimonia eorum, qui a fide defecerunt.**— Quaeri autem hic potest, quid agere debeat parochus, quando ipsi se sistunt matrimonium contracturi homines impii, ut massones et alii huiusmodi.

Habemus autem quoad hoc responsionem S. Congr. Inquisitionis, quae est maximi momenti, scilicet: « Quoties agatur de matrimonio inter unam partem catholicam et alteram, quae a fide ita defecit, ut alicui falsae religioni vel sectae sese adscripserit, requirendam esse consuetam et necessariam dispensationem cum solitis ac notis praescriptionibus et clausulis. Quod si agatur de matrimonio inter unam partem catholicam et alteram, quae fidem abiecit, at nulli falsae religioni vel haereticae sectae sese adscripsit, quando parochus nullo modo potest huiusmodi matrimonium impedire (ad quod totis viribus incumbere tenetur), et prudenter timet, ne ex denegata matrimonio assistentia grave scandalum vel damnum oriatur, rem deferendam esse ad r. p. d. episcopum, qui, sicut ei opportuna nunc facultas tribuitur (quae facultas extensa est ad omnes episcopos, *S. U. I. 11 ian. 1899*), inspectis omnibus casus adiunctis, permittere poterit, ut parochus matrimonio passive intersit tamquam testis auctorizabilis, dummodo cautum omnino sit catholicae educationi universae proliis aliisque similibus conditionibus ». *S. U. I. 30 iun. 1867*; *ad ep. Tabasquensem 25 maii 1897.* Nunc autem praescripta, per decretum « *Ne temere* » necessitate activae assistentiae ex parte parochi puto posse parochum in casu active assistere non egrediendo tamen limites strictae necessitatis, quantum scilicet necessarium est ad validitatem et non ultra. Hanc activam assistentiam in casu licere parocho opinatur etiam Vermeersch *De forma spons. ac matrim. n. 47.*

Quoad eos autem, qui sectis da-

mnatis massonum, etc., ascripti sunt, haec rescripsit eadem Sacra Congregatio: « Quoad matrimonia, in quibus una contrahentium pars clandestinis aggregationibus per pontificias constitiones damnatis adhaeret, dummodo absit scandalum, ordinarius, habita circumstantiarum ratione pro casibus particularibus, ea decernat, quae magis expedire iudicaverit ». *S. U. I. 28 iun. 1865*; *23 apr. 1873*; *decr. cit. 25 maii 1897.*

2712 ***De matrimonio occulto.*** — Matrimonium *conscientiae*, seu secretum vel occultum, illud modo intelligitur, quod absque proclamationibus et remotis ceteris arbitris coram parocho et duobus testibus familiaribus, qui omnes secretum celebrati matrimonii custodire debent, initur.

Illud permittere est in potestate episcopi, qui tamen illud rarius concedere debet.

Matrimonium conscientiae ex const. Bened. XIV « Satis vobis » (*17 nov. 1741*), non solum celebrandum est forma legitima, et proinde nunc secundum praescriptiones decreti *Ne temere*, sed etiam servatis aliis quibusdam conditionibus. Nempe celebrati matrimonii documentum scriptum statim tradendum est episcopo, quod officium est parochi, vel sacerdotis, qui eidem matrimonio interfuit. *Const. cit. Ben. XIV § 10.* Episcopus curare debet, ut documentum hoc fideliter transcriptum in libro pro huiusmodi matrimoniis inscribendis reservato, et alio proinde ab eo, qui publicis matrimoniis describendis inservit, conservetur in cancellaria episcopali cum documentis relativis, secretiore quodam loco; imo liber horum matrimoniorum conservandus est sigillis antea obsignatus. *Const. cit. Ben. XIV § 10.*

Si nascatur proles, non solum baptizanda est, sed monendus de nativitate episcopus, qui sic certus esse possit, huiusmodi infantem, baptizatum forte reticitis vel falsis expressis parentum nominibus, legitimum esse. *Const. cit. Ben. XIV § 11.* Et de hoc etiam retinendum est documentum in cancellaria episcopali in alio libro, qui conservari debet sigillis obsignatus, ut de priore diximus. *Const. cit. Bened. XIV* § *11.* Imo, si proles episcopo intra 50 dies a nativitate non fuerit denuntiata, debet episcopus matrimonium occultum divulgare, ut prolis honori consulatur (*Const. cit. Bened. XIV* § *12*); idem praestandum est ab episcopo, si proli in testamento sua iura non fuerint servata. Idem etiam, ut patet, si coniuges huiusmodi publice se tamquam coniuges gererent; hoc enim scandalum praeberet.

Ex his quisque videt, episcopos nostra aetate valde difficiles in huiusmodi matrimoniis concedendis esse oportere, quum multa exigantur a lege civili pro legitimitate filiorum etc., quae in huiusmodi matrimoniis servari non possent, et quibus non servatis, incommodum prolis facile sequeretur.

De matrimonio morganatico. — 2713 Matrimonium conscientiae non est confundendum cum matrimonio morganatico, quod etiam disparagium dicitur. Istud est matrimonium, quod contrahitur coram parocho et testibus,

sed ea lege vel conditione, ut uxor et proles ex eo coniugio suscepta obtineant de viri bonis dumtaxat portionem ad sustentationem congruam, sed non habeant ius successionis in omnibus bonis viri et in iuribus nobilitatis, dignitatum ac titulorum. — Matrimonium morganaticum potest quidem esse etiam matrimonium occultum seu conscientiae, sed hoc non est de eius essentia; imo saepe non occulte, sed publice contrahitur. Cfr. Wernz *Ius Decr. IV. 29.*

2714 ***De matrimonio dubio.*** — Aliquid notandum est de casu matrimonii dubii, quum scilicet aliquis coniugum dubius est de valore sui matrimonii.

Et ante omnia patet, dubium leve contemnendum esse. Sed, si quis probabiliter dubitat, debet rem diligenter explorare; interim vero, si dubium superveniat matrimonio bona fide contracto, quamvis debitum possit reddere, petere tamen non potest. Hoc quidem, si alter tantum dubitat; nam, si ambo dubitant, nemo potest, dum inquisitio fit, petere aut reddere. B. P. *V. I. 600.* Exploratione facta, vel certo apparet matrimonium fuisse nullum, et tunc illico coniuges separari debent a toro; a cohabitatione vero, nonnisi post sententiam declaratoriam iudicis, nisi periculum esset in mora, quia tunc propria auctoritate id possent. Vel de nullitate prioris matrinonii non constat omnino, et quamvis nulla habeatur pro valore matrimonii probatio, pro eius tamen nullitate non habentur probationes certae sed probabiles tantum: tunc pro valore matrimonii standum est (cfr. *S. U. I. 18 dec. 1872*), tum quia quodvis factum praesumitur recte factum, tum quia matrimonium possidet. Nec obstat in casu, coniugem dubium impedimenti matrimonium contraxisse. Una est exceptio, si nempe quis dubitet de valore sui matrimonii ob impedimentum ligaminis; quia tunc possidet primum matrimonium, et proinde quamdiu non sit certum illud fuisse solutum, certum est non posse aliquem licite uti coniugio altero. S. Alph. *VI. 903 sqq.*; D'Annib. *III. 478.*

Hinc habitae sunt sequentes responsiones quoad paganos polygamos, ubi tamen notandum est locum habere etiam privilegium paulinum et facultatem pontificis dispensandi super matrimonio infidelium conversorum, qui in fidelitate seu post baptismum matrimonium ipsum non consummarunt.

Scilicet responsum est: « Standum esse pro matrimonio, sive consummato, sive non consummato, prioritate temporis celebrato, illis quidem ceremoniis patrio more adhibitis, quae iuxta communem regionis existimationem mutuum sponsorum de praesenti consensum sufficienter exprimunt. Quod si, factis opportunis investigationibus, non constet, contrahentes, vel puellas, de quibus agitur, verum consensum matrimonialem de praesenti praestitisse: ideoque de valore matrimonii prioritate temporis celebrati prudenter dubitetur, provisum per decretum 18 maii 1892 ad 2, quod sic se habet: — Si, instituto diligenti examine, matrimonium cum prima, quae iam baptizata fuerit, validum inveniatur, ad illam redire pagani, de quibus in casu, omnino teneantur. Si autem non fuerit baptiza-

ta, vi articuli secundi formulae secundae satis erit interpellare, utrum velit converti. Ubi vero converti nolit, vel serio dubitetur de validitate matrimonii cum prima, poterunt quamlibet ducere, dummodo sit baptizata, renovato consensu ». *S. U. I. 17 aug. 1908.*

Casus haud infrequens matrimonii dubii, dum agitur praesertim de parte haeretica cum catholica, est dubium de valore baptismatis in alterutro. Porro quoad hoc nota sequentem responsionem S. Congr. Inquisitionis, scilicet: « Matrimonium eorum, de quibus certo constat, quod valide baptizati non sunt, habendum esse tamquam matrimonium duorum infidelium; matrimonium vero eorum, quorum una dumtaxat pars valide baptizata dignoscitur, altera vero invalide, habendum esse tamquam matrimonium affectum impedimento dirimente cultus disparitatis, ac proinde nullum; denique, si post dilingens et accuratum examen, dubium de valide suscepto baptismate tolli nequeat, et constet de facto suscepti baptismatis, huiusmodi baptisma validum censendum esse in ordine ad validitatem matrimonii iuxta decretum 17 nov. 1830. Si autem certo cognoscatur nullum baptisma ex consuetudine actuali illius sectae, nullum est matrimonium ». *S. U. I. 3 apr. 1878;* confer etiam *S. U. I. ad ep. Savannensem 1 aug. 1883.*

2715 ***De ecclesiastica celebratione matrimonii.*** — Ad validitatem, nullus ecclesiasticus ritus requiritur; sed sufficit omnino, ut parochus active iuxta legitimam formam et duo testes passive assistant expressioni consensus mutui, quam faciunt sponsi; quae assistentia parochi et testium in locis, ubi decretum *Ne temere* pro hac parte non viget, necessaria ad validitatem non est.

At ad liceitatem matrimonium contrahendum ubique est cum praesentia parochi, qui ad celebrationem matrimonii, ritibus quibusdam sacris adhibitis, devenire debet. Scilicet parochus matrimonium celebraturus debet esse superpelliceo et alba stola indutus, et sic debet consensum duorum coniugum successive coram testibus exquirere. Rit. Rom. *tit. VII. c. 2. n. 1.*

Alicubi viget adhuc antiquissimus (cfr. *Ruth III. 19*; *c. 3. C. XXX. q. 5*) usus explicandi in celebratione nuptiarum album velum super utrumque sponsum. Hic usus, qui, sine venia S. Sedis, ubi non viget nequit introduci, ubi tamen viget, retinendus est. *S. R. C. in una de Guayana 15 sept. 1881* (*3531*) *ad 4; in Mexicana 27 febr. 1886* (*3656*).

Optandum imo est, ut sponsi in ipso actu celebrationis recipiant benedictionem nuptialem, et parochus generatim celebrare debet missam votivam pro sponso et sponsa: de hac vide *Sponsi.*

Matrimonium autem in ecclesia maxime celebrari decet. Haud tamen vetitum est locorum ordinariis, ut, si nullum immineat periculum, ac laudabiles concurrant causae, illud celebrare quandoque pro sua prudentia permittant in privatis oratoriis, in quibus sacrum fieri valeat, et in quibus proinde poterit etiam celebrari missa nuptialis. *S. R. C. in Barcinonen. 31 aug. 1872* (*3265*).

Hi ritus adhibendi sunt in celebratione matrimoniorum inter fideles; nam, si, etsi ex dispensatione, contrahatur matrimonium a fideli cum infideli aut cum haeretico, hi ritus per se omittendi sunt. Vid. *Mixta matrimonia.*

Quaesitum etiam est, an liceret parochis, saltem ut ministris civilibus, recipere consensum duorum infidelium aut haereticorum. Et responsum est: « Missionariis, de quibus agitur, sub quocumque respectu consideratis, vetitum esse recipere consensum tam haereticorum cum haereticis, quam infidelium cum infidelibus inter se contrahentium. Quod si vicarius apostolicus praevideat superventura damna gravissima catholicae religioni ex recusata hac missionariorum assistentia, sciat ipse, missionarios in tali hypothesi non esse pro interim ob id inquietandos. Sed ipse quam citissime deferat omnia ad hanc S. Sedem, enunciando eidem diligenter et accurate, quae et quanta forent damna, quae in casu immminerent; referendo insuper exactissime omnes locorum, temporum, personarumve circumstantias; referendo tandem, utrum nostri catholici, sive alii quicumque, scandalum patiantur ob memoratam sacerdotum catholicorum assistentiam, ut S. Sedes matura deliberatione definire valeat, utrum illius regionis missionariis possit liciti permitti, ut intersint praefatis connubiis tamquam officiales, ut aiunt, civiles, sive tamquam testes qualificati et auctorizabiles, sola nimirum exhibita praesentia materiali et passiva, sine ullo approbationis signo et sine ulla benedictione ». *S. U. I. ad vic. ap. Sandwich 11 dec. 1850.*

De matrimonio civili. — Quamvis de ipso matrimonio civili pro instituto nostro iam satis diximus sub *Civile matrimonium,* praestat tamen heic melius eius naturam et divisiones tradere et explicare. 271

Est igitur matrimonium civile expressio voluntatis viri et mulieris ducendi vitam coniugalem, coram magistratu civili facta in eum finem, ut consentientes habeantur coram iure civili tamquam veri coniuges.

Distinguitur matrimonium civile:

a) *obligatorium* sive necessarium, seu matrimonium civile necessitatis, quemadmodum nonnulli illud vocant, quod tunc habetur, quum sponsi hanc civilem ceremoniam implent, quia auctoritas civilis eam omnibus sponsis, etiam christianis, imponit, ita ut, nisi ea perficiatur, coram iure civili habeantur tamquam non coniuges, etsi matrimonium ecclesiasticum celebraverint, et proinde iis denegentur quicumque civiles effectus matrimonii et quaecumque protectio status civilis. — Fundatur in praetensa quadam potestate propria et nativa auctoritatis civilis relate ad matrimonium, et proinde non respicit impedimenta iuris ecclesiastici, imo aliquando ne impedimenta quidem iuris divini, sed tamtum impedimenta iuris civilis. — Viget in Italia, Gallia, Helvetia, Germania, Hungaria, Belgio, America merid., etc.

b) *facultativum* sive liberum, quod tunc habetur, quum lex civilis optionem relinquit iis omnibus, qui matrimonium contrahere volunt, illud

celebrandi sive coram parocho aut ministro cultus a potestate civili *auctorizato,* servatis legibus civilibus et ecclesiasticis, sive coram solo magistratu civili, servatis legibus civilibus tantummodo. — Viget in Anglia et in America septemtrionali.

c) *subsidiarium* (alii illud dicunt matrimonium civile necessitatis) quod tunc habetur, quando ius civile permittit celebrationem matrimonii coram magistratu civili sponsis, qui, etsi sint baptizati, profitentur se nulli societati seu confessioni religiosae adhaerere, vel qui ligati aliquo impedimento iuris naturalis seu ecclesiastici, quod a iure civili non admittitur, nullo autem impedimento iuris civilis obstricti, quum nequeant coram ministro ecclesiastico matrimonium contrahere, inire illud volunt coram magistratu civili. — Viget in Austria. Cfr. Wernz *Ius Decr. IV. 201;* Noldin *Summa theolog. moral. III. 668.*

Omnes tres species matrimonii civilis, si quaestio sit de matrimoniis christianorum, reprobandae sunt, et de facto reprobantur ab ecclesia. Leitner *Lehrb. des kathol. Eherechts* § *13.* Attamen, quamvis matrimonium quodcumque civile sit in se reprobandum, matrimonium tamen civile obligatorium licite iniri potest, dummodo matrimonium in facie ecclesiae initum iam fuerit aut mox sit ineundum, nec habeatur intentio contrahendi vinculum matrimoniale coram magistratu civili. Imo ut bene advertit Noldin (*l. c. III. 669*): « *ordinarie* exsistit obligatio indirecta contrahendi matrimonium civile obligatorium; caritas enim tum erga seipsos tum erga futuram prolem exigit, ut contrahentes ipsorum matrimonium effectibus civilibus donandum curent. Haec indirecta obligatio gravis vel levis est, prout damna et incommoda, quae ex omisso matrimonio civili oriuntur, magna vel levia sunt ». Quoad haec vide ea, quae annotata sunt sub *Civile matrimonium.*

Matrimonium civile, ut tale, nullum habet valorem coram Deo et ecclesia. Praeterea nota ea, quae habet Wernz (*loc. cit. IV. 211*) « Denique, postquam romani Pontifices toties severissimis verbis matrimonium civile notarunt ut concubinatum, et vel ipsam figuram matrimonii illi negarunt in locis tridentinis, copula in matrimonio civili habita est mere fornicaria. Hinc impedimentum affinitatis ex tali copula ortum restringitur ad secundum gradum, neque extendi debet usque ad quartum. At quum matrimonium civile habeat rationem matrimonii attentati, si concurrat cum adulterio, producit impedimentum criminis. — Quicumque laici contrahunt tantum matrimonium civile, praesertim in regionibus, ubi caput « *Tametsi* » viget, optimo iure ab episcopis poena excommunicationis plecti possunt, excluduntur a sacramentis et sacramentalibus, officio patrini, testis in matrimonio, aliisque muneribus honorificis in ecclesia; mulieres vero tali matrimonio iunctae carent iure recipiendi benedictionem post partum (*S. C. C. 18 iul. 1859*). Filii ex civili matrimonio invalido nati sunt illegittimi, atque etiam irregulares. Quod si concubinarii isti legales sine poenitentia moriuntur, ipsis tamquam publicis

peccatoribus neganda est ecclesiastica sepultura (*S. Poen. 15 ianuarii 1866*) ». Postea, facta mentione de excommunicatione, quam clerici in sacris constituti vel regulares aut moniales post votum solemne castitatis, matrimonium mere civile contrahere praesumentes, nec non omnes qui cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etsi mere civile celebrare praesumunt, ipso facto incurrunt, de qua nos statim postea dicemus, addit: « Quod si isti clerici vel regulares matrimonium civiliter contractum insuper consummare ausi sint, etiam irregularitatem ex bigamia, saltem similitudinaria, incurrunt ».

Alia quaedam quoad matrimonium civile, praesertim quoad magistratus et testes interessentes vide sub *Syndicus*.

2717 ***De poenis in peccantes contra matrimonium.*** — Clerici in sacris constituti (si nempe ordinati fuerint puberes, non item si infantes vel impuberes, nisi postea, pubertatem adepti, ratam habuerint ordinationem, D'Ann. *Comm. in const.* « *Ap. Sedis* » *n. 156*), vel regulares, aut moniales, post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes (etiamsi praesumerent contrahere matrimonium mere civile, in locis quoque, ubi forma substantialis matrimonii non viget, *S. U. I. 22 dec. 1880*) nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes, incurrunt excommunicationem latae sententiae ordinariis reservatam (*Const.* « Ap. Sedis » *ser. 3. n. 1*), etiamsi matrimonium fuisset nullum, etiam propter alia quaecumque impedimenta. *S. U. I. 13 ian. 1892.*

Ad hanc igitur excommunicationem incurrendam necesse est, ut professio vel ordinatio fuerit valida, ut contrahentes verum consensum praestent (quare si alter quoque, multo magis si uterque, simulate consentiat, aut gravi metu seu errore substantiali ductus, excommunicatio non incurritur), ut temere contrahant (quare effugiunt excommunicationem, si uterque vel alteruter ignorantia laboraverit, seu facti, seu iuris, licet crassa et supina, etsi postea, re cognita, in cohabitando perseveraverint). D'Ann. *l. c. n. 157.*

Temporales domini ac magistratus cuiuscumque gradus, dignitatis et conditionis exsistant, qui quovis modo directe vel indirecte subditos suos vel quoscumque alios cogunt, quominus libere matrimonia contrahant, ligantur excommunicatione latae sententiae nemini reservata. Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 9 de ref. matr.*

Etiam ii, qui matrimonium ineunt coram ministro haeretico, qua tali, excommunicationem l. s. incurrunt R. P. specialiter reservatam, quam incurrunt haereticis credentes. *S. U. I. 29 aug. 1888.* Ii tamen, qui hucusque, nulla praevia absolutione a censuris, ab huiusmodi culpa absoluti sunt, nonsunt inquietandi. *S. U. I. 18 maii 1892.*

De aliis quibusdam quoad matrimonium (*remissive*). — De impedimentis matrimonii, vid. *Impedimenta matrimonii.*

De dispensatione ab huiusmodi impedimentis, vid. *Dispensatio.*

De revalidatione matrimonii, vid. *Revalidatio.*

Quoad matrimonium civile, vid. *Civile matr.*

Vide etiam *Benedictio nuptialis, Parochus, Causae matrimoniales* etc.

2715 ***De matrimonio ut causa canonica pro dispensatione ab impedimentis.*** — Matrimonium cum aliquo, saltem dubio, impedimento contractum est etiam una ex causis canonicis pro obtinenda dispensatione ab impedimentis matrimonialibus, et est causa complexa, quae plures scilicet sub se causas comprehendit. Quoad hanc causam haec habe ex *Praxis ap. dispens. super imp. matr. n. 115 sqq.*

« Causa 1° est *de ignoranter contracto.* Matrimonium, nempe ab oratoribus contractum, eius impedimentum ignorantibus, qui vero, detecto impedimento, a carnali copula abstinuerunt. Verificandum in casu est, utrum vere, si divortium fiat, scandala verisimiliter exorirentur; quod quidem vix possibile practice est, quod non contingat. *Ignoranter contractum:* exprimendum, utrum ignorantia facti, an iuris. *Ignoranter contractum:* adeoque bona fide et publice, servata Tridentini forma. *A carnali copula abstinuerunt:* nam, si detecto impedimento, in ea perstiterunt, id est declarandum, et multo magis, si ex fraude; quum difficiliorem reddat dispensationem.

Causa 2° est *de scienter contracto.* Matrimonium nempe ab oratoribus contractum impedimentum cognoscentibus. Declarandum omnino, est utrum illud carnali copula consummaverint. Declarandum utrum clandestine, sine praesentia parochi et testium, sine praeviis denuntiationibus; an adulterio praecedente; an praecedente raptu. Declarandum tandem, an haec patrata sint sub spe dispensationis facilius obtinendae. Haec enim longe difficiliorem reddunt dispensationem, quum oratores gratiam dispensationis minime mereantur. Adeo est necessaria expressio defectus denuntiationum, ut, ea omissa, dispensatio sit nulla, quia, quum concilium Tridentinum *sess. XXIV. c. 1 de ref. matr.* prohibeat, ne, omissis denunciationibus, matrimonia celebrentur, oportet, ut summus Pontifex, dispensationem concedens, sciat, se dispensare in casu a concilio speciatim prohibito. Quare multo magis exprimendum erit si denuntiationes ex oratorum fraude fuerint omissae, nempe ne impedimenta detegerentur et obstarent.

Causa 3° est *de dubie contracto.* Matrimonium nempe contractum cum dubio, an aliquod adesset impedimentum. Declarandum, an fuerit rite contractum secundum Tridentinam formam et denuntiationum praescriptionem; an, detecto impedimento, fuerit deinde consummatum, et an id factum ex fraude, ad dispensationem facilius obtinendam.

Causa 4° est matrimonium *coram acatholico ministro* celebratum. Ratio valde gravis est dispensationis concedendae ad scandalum reparandum. In concessione tunc absolutio additur ab excommunicatione, quae speciali modo summo Pontifici est reservata, propter haeresis favorem.

Causa 5° est matrimonium *mixtum.*

Causa valde gravis est scandalum reparandum, et ad periculum avertendum defectionis a fide partis catholicae.

Causa 6° est matrimonium *civile*. Ratio valde gravis dispensationis concedendae est, ne oratores in concubinatu insordescant cum publico scandalo atque evidenti aeternae salutis discrimine.

Causa 7° est, ut ex praecedentibus patet, *periculum* matrimonii coram acatholico ministro, periculum matrimonii mixti, periculum matrimonii civilis. Ad grave hoc periculum avertendum, et consequenter ad scandalum removendum, et plurima mala et damna spiritualia et temporalia, quae ex huiusmodi matrimoniis sequuntur. Quare gravior etiam causa est; et longe gravior pro scandalo et malo impediendo, ne locum habeat ».

Decret. Grat. C. XXVII-XXXII; tit. de sponsalibus et matr. X. (IV, 1) idem tit. (VI. 1) in 6°; Const. Eug. IV « Exultate Deo » (decr. pro Armenis) 22 nov. 1439; Conc. Trid. sess. XXIV doctr. de sacr. matr. et sess. XXIV de ref. matr.; Litt. Pii IX « Ad Apost. Sedis » 22 aug. 1851; Alloc. Pii IX « Acerbissimum » 27 sept. 1852; prop. 65-74 Syll. Pii IX; Const. Leon. XIII « Arcanum » 10 febr. 1880; prop. 51 Syll. Pii X (dec. S. U. I. « Lamentabili » 3 iul. 1907); *Joannes Andreae* Summa de sponsal. et matrimoniis; *S. Raymundus* Summa lib. IV de matrimonio; *Robertus Flamesburiensis* Summa de matrim.; *Tancredus* Summa de sponsalib. et matrim.; *Bernardus Papiensis* Summula de matrim.; *Lamberti F.* Comm. de sacro coniugio; *Covarruvias D.* Epitome in quartum Decretalium librum; *Brissonii B.* Tractatus de iure connubiorum; *Tiraquellus A.* De legibus connubialibus et iure maritali; *Costanus Gub.* Tractatus de sponsalibus et matrimoniis; *Pulvaei A.* Tractatus de nuptiis sine parentum consensu non contrahendis; *Brissonii* De ritu nuptiarum; *Guiberti A.* Commentarius de sponsalibus et matrimoniis; *A Beust J.* Tractatus de iure connubiorum in tres partes divisus; primo de sponsalibus; secundo de matrimoniis; tertio de dotibus; *De Ledesma P.* Tract. de magno matrimonii sacramento super doctrinam Angelici Doctoris; *Klingii M.* Observationes in Hottomannum de iuribus connubiorum; *Carerii A.* Tract. de sponsalibus et matrimoniis; *Peleus F.* De iure connubiorum; *Peleus* Quaestio de solutione matrim. ob defectum testium non apparentium; *De Argentre B.* De donationum iure, item de iure connubiorum, item de bastardis, item de minoribus, item de emancipationibus, item de legitimatione, item de laudemiis; *Sabaucori N.* Tract. de connubiis tum iure divino tum canonico, tum civili corroboratus; *Mosquetius* De natura et causis matrimonii tam ut est civilis contractus quam ut est ecclesiae sacramentum; *Arnisaei H.* De iure connubiorum commentarius politicus, in quo pleraeque, quae circa sponsalia et nuptias moveri solent controversiae a theologis, iurisconsultis, philosophis, politicis argumentis suo quoque loco disputantur et deciduntur; *Bonacina M.* De magno matrimonii sacramento; *Bechstadii Jo.* Collatio iurium connubialium; *Plumii C.* De iure connubiorum; *Hurtado G.* Tract. de censuris et matrimonio; *Aversa R.* De ordinis et matrimonii sacramentis; *Bossi J. A.* Tract. de effectibus contractus matrimonii; *Mayer H.* Magnum matrimonii sacramentum; *Pontii B.* De sacramento matrimonii tractatus; *Perez Mart.* De sancto matrimonii sacramento; *Tancredi Vinc.* De matrimonio; *Cypraei P.* De connubiorum iure tractatus a multis desideratus; *Sanchez* De sancto matrimonii sacramento; *Bellarminus* De sacramento matrimonii; *Castropalao F.* De matri-

monio et sponsalibus; *Hauemanni* Gamalogia synoptica seu de iure connubiorum; *Brouwer H.* Tract. de iure connubiorum apud Batavos recepto; *Davezan* De sponsalibus et matrimoniis; *Fontanella L. P.* Tract. de pactis nuptialibus sive de capitulis matrimonialibus; *Barbosa P.* De matrimonio et pluribus aliis materiebus in tit. soluto matrimonio; *De Luca J. B.* De matrimonio, sponsalibus et divortiis; *Hammer G.* De consensu coniugali; *Steuer* De consensu coniugali; *Bossi Jo. A.* De effectibus contractus matrimonii deque ad matrimonialem contractum consequentibus iuxta utramque formam; *Bosco Jo.* Disputationes de sacramento matrim. ad mentem Joannis Duns Scoti; *Stryck* Disputatio de matrimonio praesumpto; *Rosignoli* Novissima praxis in universas de effectibus matrimonii controversias; *Lyncker* De partu supposito; *Feltmann* De impari matrimonio; *Ursaya D.* De matrimonii nullitate ex defectu consensus contrahent. etc.; *Müller P.* De osculo sancto... coniugali; *Hoffmann S.* De matrimonio instaurato et conscientiae; *Wildvogel* De iure thalami; *Kugler* Tract. theol. can. de matrimonio; *Reutlinger I.* Magnum matrim. sacramentum casibus practicis expositum; *Beck J.* Diss. de coniugalis debiti praestatione; *Gibert J. P.* Histoire ou tradition de l'Eglise sur le sacrement de mariage; *Böhmer* De matrimonio coacto; *Hoffmann* De notabilioribus delictorum matrimonialium temporibus; *Hertius* De matrimonio putativo; *Kästner* De matrimonio ob dolum adhibitum annullando; *Grupen Ch. U.* Tract. de uxore romana; *Schmidius* De matrimonio consummato ob dolum annullando; *Ehrenhauss* De matrimonio duarum feminarum sexu masculino simulato inito; *Hoffmann* Disc. de die ac nocte nuptiali; *Silbermann* Matrimonium trino iure absolutum; *Ayrer G. H.* De iure connubiorum apud Romanos; *Heislinger* Resolutiones morales de matrimonio; *Huth* Casus iuridico-canonici de sponsalibus et matrimonio; *de Lichtenstein* De simulatione circa matrimonium; *v. Leyser* Rechtl. Abhandlung von der Schuldigkeit der Ehemänner ihren Fraueu zu folgen; *Preuschen* Dass ein katholischer Landesherr in Ehesachen zu erkenneu nicht befugt sei; *Clericatus* Decisiones de matrimonio sacram.; *Westphal* De veris casibus matrimonii putativi: *Ulpiani D.* De matrimonio ius tum naturae tum canonicum; *Widmann* Sponsalia et matrimonium; *Gralath* De iurisdictione in causis matrim.; *Perghold* De sponsalibus et matrimonio adversus naturalistas; *Hommelius* Matrimonium sine intentione liberos procreandi legitimum; *Holtzclau* Tract de matrimonio; *Andreucci* De matrim. conscientiae; *Muscettula F.* Diss. theol. legalis de sponsalibus et matrimoniis, quae a filiis familias contrahuntur parentibus insciis vel iuste invitis; *Mazzei* De matrimonio conscientiae vulgo nuncupato; *Clemens* Traité du pouvoir de l'Eglise sur le mariage des catholiques; *Pehem Jos. Jo. N.* Disquisitio hist.-iurid. de consensu parentum in nuptiis filiorum filiarumque familias; *Barth* De concubinatus et matrim. ad morganat. convenientia; *Lanzeri* De sancto matrim. sacramento; *Breuning* Quaestio an matrimonium cum surda ac muta sit licitum; *Egeriaco* I riti nuziali degli antichi romani; *Münter* De matrimonio romano, in specie de confarreato; *Küstner* De matrimonio atque ratione, quae ei cum civitate atque ecclesia intercedit; *Nougarède* Jurisprudence du mariage; *Carrier* Traité du contrat de mariage; *Stapf* Vollständ. Pastoralunterricht über d. Ehe; *Lanthere* Diss. de auctoritate mariti in personam uxoris; *Biret* Traité du contrat de mariage; *de Beeck* De potestate mariti in personam uxoris; *Schweikart* De matrim. conscientiae definitione; *Göschl J. M.* Versuch e. histor. Darstellung d. kirchl.-christl. Ehegesetze v. Christus b. a. d. neueste Zeit; *Eggers* Ueber das Wesen der altröm. Ehe mit Manus; *Rost A. F.* Relig-wiss. Darstellung der Ehe; *Klee* Die Ehe; *Pabst J. H.* Adam und Christus. Zur Theorie der Ehe

Carrière Prael. de matrimonio; *Roskovány* De matrimonio in eccl. cath.; *Gualco D.* Tract. de matrimonio; *Moy* Geschichte des Eherechts; *Dieck* Die Gewissensehe; *Eberhard A.* Die Ehe d. alleinseligmach. Kirche; *Filser* Dogm.-can. Untersuchung über den Ausspender des Ehesacraments; *Ebers* Die Ehe und die Ehegesetze vom naturwissenschaftl. Standpunkte; *Duchesne* Du mariage, examen comparatif; *Martin* De matrimonio et potestate ipsum dirimendi Ecclesiae soli propria; *Mahlmann* De matrimonio veterum Romanorum ineundi et maxime dissolvendi causis et solemnibus; *Fischer A.* Der Spender der sakram. Gnade b. d. unt. Christen geschloss. Ehebündnissen; *Henle* De iure quoad embryones; *Moser* De impedimentis matrimonii; *Odier* Traité du contrat de mariage; *Pagenstecher* De confarreatione; *Göschen* Doctrina de matrimonio ex ordinat. saec. XVI adumbrata; *Nuyte* Tract. de matrimonio; *De Niebelschütz* De matrimonio ad morganaticam; *de Gerlach F.* De Romanorum connubio; *Oischinger J. N.* Die christliche Ehe; *Allemand* Traité du mariage et de ses effets; *Rossbach* Untersuchungen über die röm. Ehe; *Thiercelin* Du mariage civil et du mariage religieux; *Uhrig* System des Eherechts; *Haringer M.* Das Sakram. der Ehe; *Avogrado E.* Teorica della istituzione del matrimonio; *Todeschini* Del diritto di connubio avuto riguardo all'antica plebe romana; *Schulte* Handb. des kath. ER.; *Hüffel* Ueber den Begriff der christl. Ehe; *Kutscker* Das Eherecht der kath. Kirche; *Bangen* Instr. practica de sponsalibus et matrimonio; *Janke* Der Begriff der Ehe; *Piola G.* Saggio su la questione del matrimonio; *Perrone* De matrimonio christiano; *Zhishman* Das Ehereht d. orient. Kirche; *Friedberg* Das Recht der Eheschliessung in seiner geschichtlichen Entwicklung; *Rodière-Pont* Traité du contrat de mariage et des droits respectifs des époux; *Glasson* Du consentement des époux au mariage; *Bozon* Des conditions de validité du mariage rom.; *Vecchiotti S.* Tract. canonicus de matrimonio; *Roskovány* Matrimonium in ecclesia catholica potestati ecclesiasticae subiectum; *Daniel* Le mariage chrétien et le code de Napoléon; *Bartels* Ehe und Verlöbnis; *Porquier* De la validité du mariage en droit rom.; *Knopp* Kath. Eherecht; *Filomusi Guelfi F.* Il matrimonio religioso ed il diritto; *Hölder* Die röm. Ehe; *Demolombe Ch.* Traité du mariage et de la séparation des corps; *Rive* Die Ehe; *De Luca Jesualdus a Bronte* Consecrator christiani matrimonii; *Bellavite L.* Contratto del matrimonio; *Gabba C. F.* I due matrimoni civile e religioso nell'odierno diritto italiano; *Friedberg E.* Verlobung und Trauung; *Sohm R.* Trauung und Verlobung; *Karlowa* Die Formen d. röm. Ehe v. Manus; *Müllendorf* Ueber den patristischen Beweis für die Ehe als Sakrament; *Paoli B.* Del matrimonio rispetto ai beni; *Revel C.* Matrimonio, separazione personale e divorzio; *Scherer* Das Eherecht bei Benediktus Levita und Pseudo-Isidor; *Glasson* Le mariage civil et le divorce; *Palmieri* Tract. de matrimonio christiano; *Culman* Studien über die morganatische Ehe und den Ursprung des Feudalwesens; *Glock* Die christl. Ehe; *Thönes* Die christl. Anschauung der Ehe und ihre modernen Gegner; *Freida* Il contratto di matrimonio; *von Sulerzyski* Wer ist Minister bei dem Sacram. der Ehe? *Perujo* El matrimonio católico; *de Folleville* Traité du contrat pécun. de mariage; *Giraud-Teulon* Les origines du mariage et de la famille; *Borelli G.B.* Infanticidio e matrimonio; *Canteloube* De la manus en droit romain; *Pic P.* Mariage et divorce en droit international et en législation comparée; *Scaduto F.* Il consenso nelle nozze, nella professione e nell'ordinazione secondo il diritto romano germanico cattolico; *Tamassia* Osculum interveniens; *v. Moy* Ehe zur linken Hand art. in Kirch-Lex; *Fargues* De la filiation des enfants légitimes; *Cornu M.* Théorie de l'absence relativement au mariage et

aux effets du mariage; *Baier* Die Naturehe in ihrem Verhältniss zur paradiesischen, vorchristlichen und christlichen sakramentalen Ehe; *Horoy* Traité du mariage; *Chironi G. P.* Matrimonio, figliazione, tutela, interdizione, inabilitazione; *Paoli* Del matrimonio rispetto ai beni; *Brini* Matrimonio e divorzio nel diritto romano; *De Roskorany* Supplementa ad collectiones monumentorum et litteratura de matrimonio. Tom. 1. De matrim. in eccl. cath. potestati ecclesiasticae subiecto; *Freisen* Geschichte des kanonischen Eherechts bis zum Verfall der Glossenliteratur; *Masselin* Mariage; *Abella* Manuale del matrim. civil y canón.; *Philippe* Etude historique sur les origines et le développement du droit matrimonial dans l'Eglise; *Bouly de Lesdain* Des nullités de mariage en droit romain; *Bilcesco L.* De la condition légale de la mère; *Pillonis* La célébration du mariage à Rome; *Gerlach* Lehrb. des kath. KR.; *Esmein* Le mariage en droit canonique; *Fougerat* Traité des contrats de mariage et des conventions matrimoniales; *Cogliolo P.* L'azione di disconoscimento della maternità nel diritto civile italiano; *Westermarck* The history of human marriage; *Brugi* Confarreatio; *Cautela A.* Seduzione sotto promessa di matrimonio. Obbligo di risarcimento; *Bridel* Los derechos de la mujer y el matrim.; *Barraud* Droit civil international du mariage et des régimes matrimoniaux; *Jörz* Die Ehegesetze d. Augustus; *Besia* Del contratto di matrimonio; *Humbert* L'église cath. et le mariage; *Salvioli* La benedizione nuziale sino al Concilio di Trento; *Luckock* The hist. of marz. Jewish and Christ. in relat. to divorce and certain forbidden degrees; *Watkins* Holy matrim., a treatise on the divin. laws of marr.; *Westermark* Origine du mariage dans l'éspèce humaine; *Laurin* Introductio in ius matrimoniale; *Mankiewicz* Die Voraussetzungen d. Putativehe i. d. Rechtsquellen d. gem. Rechts; *Rosset M.* De sacramento matrimonii; *Polacco* Del matrimonio contratto sotto condizione od a termine; *Nardi* Diss. de sanctitate matrimonii vindicata; *de Becker J.* De sponsalibus et matrim. praelectiones canonicae; *Schilling A.* Ehe u. Eheschliessung im Lichte der Offenbarung; *Schnitzer* Kath. Eherecht; *Deshayes* Questions pratiques de droit et de morale sur le mariage; *Vlaming* Prael. de iure matrimonii; *Lefebvre Ch.* Leçons d'introduction générale à l'histoire du droit matrimonial français; *Bernard* Etude historique juridique et critique sur le consentement des ascendants au mariage; *Lavialle* Décisions romaines sur le divorce civil; *Cornil M.* Du contrat de mariage et des droits respectifs des époux; *Pugliati* Sponsali, matrimonio, divorzio, impedimenti dirimenti tanto in iure romano quanto in iure canonico e civile; *Brouardel* Le mariage; nullité, divorce, grossesse, accouchement; *Bevilacqua* Trattato dommatico giuridico e morale sul matrimonio cristiano; *Huszár E.* De potestate ecclesiae circa matrimonium et de iure matrimoniali hungarico. Thesis academica; *Böckenhoff C.* D. Untheilbarkeit des gegenseitigen Vertrags und ihre Bedeutung für das Eherecht; *Noldin* De sexto praecepto et de usu matrimonii; *Brandileone F.* Die « Subarrhatio cum annulo »; *Thaner* Die Persönlichkeit in der Eheschliessung; *Sehling* Zur Lehre von den Willensmängeln; *Bingham* Christ. marriage; *Liberatore* Del matrimonio; *Lado* La communione dei beni fra coniugi nella storia del diritto italiauo; *Font* Tratado del matrimonio: *Pierantoni* Gli atti di matrimonio ricevuti all'estero dagli agenti diplomatici e consolari; *Gassner* Das heil. Sakram. d. Ehe.; *Englmann Stingl* Eherecht; *Boeckenhoff* De individualitate matrimonii; *Sommer C.* Die Ehe nach der Lehre d. röm. Katechismus; *Pelka O.* Altchristl. Ehedenkmäler; *Fiore* Se un r. agente diplomatico possa esercitare le funzioni di ufficiale di stato civile; *Cimbali* Il matrimonio dinanzi agli agenti diplomatici; *Marucchi O.* La santità del matrimonio con-

fermata dagli antichi monumenti cristiani; *Leitner* Lehrb. des kath. ER.; *Puton* Essai sur le mariage d'après les usages des anciens Germains; *Stroppolatini* Il matr. dei milit. nella storia del diritto romano; *Fusinato* Sulla validità del matrim. celebrato da due cittadini ecc.; *Intriglia* Il mio matrim. a Buenos-Aires; *Michel* Questions pratiques sur le mariage dans les missions; *Nietzold* Die Ehe in Aegypten; *v Bonin B.* Kann infolge Verweigerung d. kirchl. Trauung e. Ehe geschieden od. angefochten werden? *Howard* Hist. of matrimonial institution chiefly in England and U. S.; *Bartsch D.* Rechtsstellung der Frau als Gattin und Mutter; *Lefebvre Ch.* Histoire du droit matrimonial francais; *De Becker* De sponsalibus et matrimonio praelectiones canonicae: *Melata* De potestate qua matrimonium regitur; *De Luca* Summa praelect. Comm. in libr. IV Decr.; *Stocquart* Le mariage en Espagne sous les Visigoths; *Fonssegrive* Mariage et union libre; *Bovens* Du divorce civil; *Vogt* Handb. des kath. ERechts; *Wernz* Jus Decretalium tom. IV; *Roguin E.* Le mariage; *Stocquart* Aperçu de l'évolution juridique du mariage; *Lefebvre* Cours de doctorat sur l'histoire du droit matr. franç.; *Roguin* Tr. de droit civil comparé. Le régime matrimonial; *Heiner* Grundriss des kath. ER.; *Wahrmund L.* Ehe u. Eherecht; *Ciccaglione* Origine e sviluppo della comunione dei beni fra coniugi in Sicilia; *Acher* Origine de la comm. conjug.; *Brandileone* Saggi della storia della celebrazione del matrimonio in Italia; *Delassus* L'antériorité des formalités civiles sur le sacrement dans le mariage; *Pacati P.* Tract. dogm. mor. et can. de matrimonio christiano; *Détrez* Mariage et contrat; *Cheïkho L.* Le mariage chrétien; *Carteron P.* Du mariage putatif et des effets de la nullité en général en matière de mariage; *Weber M.* Ehefrau u. Mutter i. d. Rechtsentwicklung; *Falk* Die Ehe im Ausgange des Mittelalters; *Hobza A.* Betrug bei der Eheschliessung nach kanonischem Recht unter Berücksichtigung des evangelischen Kirchenrechts sowie der modernen weltlichen Gesetzgebung; *Köstler R.* Die väterliche Ehebewilligung. Eine kirchenrechtliche Untersuchung auf rechtsvergleichender Grundlage; *Castan* Des seconds mariages; *Abram* L'évolution du mariage; *Piscetta* De luxuria et usu matrimonii; *van de Burgt-Schaepman* Tract. de matrimonio; *Falk* Die Ehe am Ausgange des Mittelalters - eine kirchen- und kulturhistorische Studie; *Sprenger* Ueber dolus causam dans und incidens; *Kohler* Studien über Mentalreservation und Simulation; *Hinschius* Die Mentalreservation bei der Eheschliessung nach katholischem Kirchenrecht; *Planchard* Les décisions du St. Siège et la loi du divorce.

Matutinum. — Vid. *Horae canonicae.*

Mediae annatae. — Pro Italia et insulis adiacentibus ad restaurationem cathedralium et collegiatarum statutum est a Bened. XIV constitutione sua « Pius et misericors » (*IV. id. maias 1725*) ut dimidium redituum beneficialium primi anni, quod vocatur *media annata,* ab omnibus beneficiatis persolvatur. Scilicet provisi de parochialibus una cum incertis annuum reditum scutatorum centum monetae romanae excedentibus, et de canonicatibus et beneficiis, tam residentialibus, quam non residentialibus et simplicibus, sitis extra ecclesias collegiatas cuiuscumque valoris exsistant, tenentur solvere et respective deponere mediam annatam pro fabrica ecclesiae cathedralis; provisi vero de parochialibus una cum incertis annuum reditum scutatorum centum monetae praefatae excedentibus, et de canonicatibus et beneficiis, tam 2719

residentialibus, quam non residentialibus et simplicibus, sitis in ecclesiis collegiatis, vel ad illas translatis, cuiuscumque valoris exsistant, itidem tenentur solvere et respective deponere mediam annatam pro fabrica ecclesiae collegiatae, sive beneficia praedicta liberae collationis, s ve iu' rispatronatus mixti, ac etiam aicalis fuerint, et ad quemcumque electio, collatio, institutio et provisio pertineat, sive nimirum ad metropolitanum et ordinarium, sive ad capitulum, sive ad alium quemcumque inferiorem, dummodo collationis, institututionis, et provisionis sanctae Sedis minime exsistant, aut etiam legitima non vigeret consuetudo solvendi vel dimittendi fructus sex mensium, aut similem, non tamen minorem ratam, favore fabbricae vel sacristiae. Praescriptio haec etiam tunc non habet locum, quum reperitur opus seu patrimonium peculiare fabricae sufficienter instructum, aut quum onus seu obligatio restaurationis residet penes communitates locorum, vel adsunt dictarum ecclesiarum patroni, qui, nisi reparare velint ac manutenere easdem ecclesias, earum patronatum amittunt. *Const. cit. Ben. XIII;* Lucidi *de vis. sacr. lim. I. c. 1. n. 41.*

Hae mediae annatae deponendae sunt penes personam idoneam, ab episcopis cum scientia et consensu capitulorum deputandam, et successive ab eisdem, deficiente necessitate ecclesiae, investiendae sunt et collocandae in stabilibus et fundis, seu capitalibus tutis, securis atque fructiferis pro dote fabricae singularum ecclesiarum praedictarum; ac eiusmodi dotum annuus proventus non in alium usum, quam reparationis, conservationis et manutentionis fabricae earumdem ecclesiarum, ab uniuscuiusque praesulibus, cum scientia pariter et consensu capitulorum, in occurrentibus casibus est erogandus; et quotiescumque dictas ecclesia reparatione non indigere constiterit, annui etiam fructus et fructuum dotum praedictarum in aliis stabilibus fundis et capitalibus tutis atque fructiferis sunt reinvestiendi et collocandi ad hoc ut ipsaemet dotes maiora in dies suscipiant incrementa. *Constit. cit. Ben. XIII.*

Mediae annatae insumendae sunt pro ipsa materiali fabrica ecclesiae, neque expendi possunt ad alios fines etiam pios ex. gr. ad reficiendas ecclesiae suppellectiles. *S. C. C. in Tusculana 20 dec. 1727.*

Haec omnia ex constitutione ipsa « Pius et misericors ». His adiungendae sunt quaedam declarationes sacrarum congregationum. Et primum, quum constitutio praedicta munita fuerit clausula *sublata* cum decreto irritanti, a solvendis his mediis annatis non excusat, vel consuetudo ipsa immemorabilis eas non exigendi. *S. C. C. in Reatina 16 maii 1789; in Ariminen. 13 mart. 1841; in Nolana 9 sept. 1893, 20 iul. 1895, 29 ian. 1898, 14 dec. 1901.*

Praeterea ecclesiae parochiales, quarum annuus reditus non excedit, etiamsi attingat, centum scutata monetae romanae, non tenentur lege mediae annatae, qua lege tenentur eae omnes, quarum reditus eam summam

excedit, etsi parum excedat. *S. C. C. in Ariminen. 7 iul. 1855.*

Quaesitum est, quaenam onera et quaenam expensae deducendae sint ex reditibus beneficiorum, ad statuendum, utrum aliquis beneficiatus teneatur ad solvendam mediam annatam, necne. Et responsum est, deducenda esse onera mere fixa et realia, non vero personalia in beneficiis curatis. *S. C. C. in Tiburt. 4 maii 1754; in Reatina 10 maii 1794.*

Cappellaniae laicales ad nutum amovibiles, etiamsi sacerdotales sint, non subsunt huic legi de media annata persolvenda. *S. C. C. 16 sept. 1767.* Dignitates et singuli canonici non habent ius exigendi, inspiciendi et examinandi libros mediarum annatarum. *S. C. C. in Recineten. 14 iun. 1862.* Cfr. Lucidi *loc. cit. n. 42 sqq.*

Non obstat obligationi mediae annatae, quod omnes reditus sint distributionibus quotidianis constituti. *S. C. C. in Nolana supra cit.* Nec potest a canonicis solvi tantum super praebenda, non autem super incertis et super quotidianis distributionibus, sed excludendi sunt tantummodo reditus simpliciter adventicii. *S. C. C. in Nolana 14 dec. 1901.*

Variis in locis nunc usus persolvendi mediam annatam in desuetudinem abiit. Porro, forte ob valde imminutos reditus, pro locis, ubi haec consuetudo contraria inolevit, S. Congregatio rescripsit: « Attentis peculiaribus temporum rerumque adiunctis, iisque perdurantibus, nihil esse immutandum » (*S. C. C. in Nolana [in prima instantia] 9 sept. 1893;* Mon. eccl. *vol. VIII. p. 1. p. 170; vol. X. p. 1. pag. 267*); et alias: « Attentis peculiaribus circumstantiis nihil esse innovandum ». *S. C. C. in Treien. 22 dec. 1906.*

Mediaria. — Mediaria tunc dicitur 2720
dari in capitulis, quum canonicis indulgetur, ut non omnes quotidie, sed per dimidiam eorum partem alternis hebdomadis choro inserviant, exceptis quibusdam diebus solemnioribus, et generatim omnibus diebus festis, in quibus servitium chori omnibus capitularibus est commune. Patet, hoc indultum canonicos a S. Sede postulare et obtinere debere, ut licite eo uti valeant; quum ius inducendi mediariam neque episcopo sit, neque canonicis cum episcopo, ita ut statuta capitularia, quae eam indulgerent, in hac parte ipso iure essent nulla et irrita. Cfr. *S. C. C. 12 sept. 1868.* Attamen S. Sedes rogata, varias ob causas, non raro hoc indultum concessit. Cfr. *S. C. C. in una Castrimaris 30 iul. 1735; in Tranen. 22 nov. 1738; in Casertana 24 ian. 1846. etc.*

Cordubensis Ferd. De iure exigendi medios fructus, quos annatas vocant; *Massa A.* De annatis; *De Clemangis N.* De annatis.

Medicina. — Medicinam exercere 2721
cum incisione et adustione clerici non possunt, nisi peritus desit, et casus urgeat. *c. 9 ne clerici vel monachi etc. X. (III. 50).* Imo, ne citra incisionem quidem vel adustionem eam possunt exercere, si in maioribus fuerint, vel beneficiati; sed ad hoc necesse habent obtinere indultum Sedis apostolicae. Cfr. Bened. XIV *de Syn. lib. XIII. c. 10.* Vid. *Chirurgia.*

Medicus. — De medico in genere. 2722

— Medicus tenetur sub gravi habere scientiam et peritiam sufficientem, et adhibere diligentiam proportionatam gravitati morbi, qui eius curae committitur; in his autem si deficiat, tenetur de damnis. G. B. *I. 981;* Génicot *Th. mor. II. 19.*

Aegrotantem, cui nulla spes est de sanitate recuperanda, monere tempestive debet per se vel per alium, ut animae suae consulat. G. B. *I. 983;* Génicot *l. c. n. 21. VI.*

Medici, constituti a communitate, tenentur ex iustitia ratione stipendii ad populum non derelinquendum tempore pestis; alii tenentur ex caritate, quae cum gravi discrimine vitae non obligat, nisi alii desint. G. B. *I. 984 (4)*; Génicot *l. c. n. 21. VII.*

Debet sequi tutiora, nec probabilitati tantum fidere. S. Alph. *I. 44.*

Adhibere debet medicus remedium probabiliter profuturum, imo etiam valde dubie profuturum, sed certo non nociturum, si aliud certius non habeatur (S. Alph. *I. 45*); at non potest applicare infirmo etiam desperato remedium, de quo ignorat, an sit salutare vel noxium, ad experimentum faciendum super infirmo (S. Alph. *I. 46*); si vero aliqua ratio suadeat remedium aliquod infirmo prodesse posse, etiamsi timeatur, ne ipsi noceat, probabilius ad infirmum a certa morte abripiendum adhiberi potest, praesertim si infirmus ipse in hoc expresse consentiat. S. Alph. *IV. 291.*

2723 **De medico monialium.** — Medicus ordinarius (qui non debet esse minor 50 annis, ubi medicorum penuria non adsit, *S. C. EE. RR. 7 mart. 1616, 14 iun. 1625*) monialium clausuram habentium non potest ingredi clausuram, nisi habita licentia, quae renovanda est singulis trimestribus.

Medici vero et chirurgi ordinarii debent licentiam hanc generalem habere, ingrediendi scilicet clausuram etiam de nocte in casibus urgentis necessitatis. *S. C. EE. RR. in Ferrarien. 2 iul. 1599; 13 iul. 1605.*

Quando autem ingrediuntur monasterium, comitari eos debent duae moniales seniores, et ingredi debent soli.

Medicus extraordinarius nequit admitti ad libitum monialium, sed in defectu tantum ordinarii (*S. C. EE. RR. in Portugall. 15 mart. 1646*), vel in gravi infirmitate (*S. C. EE. RR. in Ferrarien. 6 aug. 1601; in Mediolanen. 25 maii 1621*), vel quando ordinarius non invenit remedium (*S. C. EE. RR. in Ianuen. 13 mart. 1721*), vel tum quum simul cum ipso habenda est consultatio circa monialem aegrotantem.

Medici autem omnes non solum comitandi sunt, ut dictum est, quum ad infirmam se conferunt, sed etiam quum commorantur cum ipsa. *S. C. EE. RR. in Parmen. 26 maii 1601.* Cfr. Ferraris *Prompta bibl. v. « Medicus » art. 2. n. 81;* Bouix *de iure regul. II. p. 6. sect. 5. c. 8.* § *3. q. 2. n. 13.*

Pieri C. De nobilitate legum et medicinae; *Carrari V.* De medico et eius erga aegrum officio; *Iunii M.* Orationes (ubi etiam de vita medica seu de vulgari dicto: medice vivere est pessime vivere); *Obiicii N.* Dialogus tripartitus de nobilitate medici contra illius obtrectatores; *Tristan G.* De clerico medico; *Satleri M. W.* Tract. de iure et pri-

vilegiis medicorum; *Romani P. F.* Medicus iuridice consideratus.

2724 **Mendacium.** — Mendacium est locutio contra mentem cum voluntate fallendi. G. B. *I. 438;* S. Aug. *de mendacio c. 3. n. 3. c. 4. n. 5; Enchirid. cc. 18. 22.*

Triplex distinguitur: damnosum. quo intenditur alterius damnun; officiosum, quo suipsius vel alterius utilitas aut remotio nocumenti intenditur; iocosum, quod ordinatur ad aliquod delectabile. S. Th. *2. 2. q. 110. a. 2;* G. B. *loc. cit.;* B. P. *II. 1052.*

Primum in re gravi grave est ratione damni proximo illati (B. P. *II. 1053;* S. Th. *l. c. a. 4*); alterum per se est veniale (S. Th. *l. c.*; B. P. *l. c.*); item et tertium, quod tamen saepius non est vere mendacium, et omni culpa caret. G. B. *I. 439.* Vid. *Restrictio mentalis.*

Quare docet S. Thomas (*2. 2. q. 110, a. 3*): « Mendacium est malum ex genere; est enim actus cadens super indebitam materiam. Quum enim voces naturaliter sint signa intellectuum, innaturale est et indebitum, quod aliquis voce significet id, quod non habet in mente ». Cui consonat Augustinus (*Enchirid. c. 22*): « Et utique verba propterea sunt instituta, non per quae se homines invicem fallant, sed per quae in alterius quisque notitiam cogitationes suas perferat. Verbis ergo uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est ».

Ordelaphi I. Comm. in l. fin. ff. de rei vindicatione (ubi multa de veritate in detestationem mendacii); *Reichshoffer* Disp. de mendacio; *Zahn B. C.* Tract. de mendaciis libri tres.

Mendicantes. — Vid. *Collectio eleemosynarum.*

Mensa communis. — Titulus men- 2725
sae communis est titulus pro ordinatione. Pertinet ad regulares non proprie dictos, seu ad eos, qui more regularium in aliqua congregatione religiosa vivunt, in qua vel vota tantum simplicia, vel etiam nulla vota emittuntur (cfr. *Instr. S. C. P. F. de titulo sacrae ordinationis 17 apr. 1871*), quare ordinari nequeunt ex iure ad titulum paupertatis, qui est titulus proprius regularium, qui stricto sensu tales sunt. *Const.* Pii V « Rom. Pontifex » *Prid. id. oct. a. 1568.*

Notandum tamen est, non omnes huiusmodi congregationes, eo ipso, quod fuerint approbatae, etiam a Sede apostolica, acquirere ius, ut earum alumni ad ordines promoveantur titulo mensae communis, sed ad hoc idem indigere privilegio apostolico. Cfr. Gasparri *de sacra ordin. I. num. 609;* Honorante *Prax. Secr. Card. Vic. cap. XII not. 12.*

Hoc autem privilegium generatim conceditur cum expressa clausula, quod si ordinati ex hoc titulo postea ad seculum redierint, suspensi maneant ab exercitio ordinum, donec eis de patrimonio aut reditu ecclesiastico ad congruam sustentationem sufficienter provisum fuerit; hoc etiam antea fiebat, nunc autem multo magis valet ex decr. S. C. EE. RR. « Auctis » *4 nov. 1892.*

Hinc, quum concedendum recenter esset hoc iudultum cuidam congregationi tertiariorum dominicanorum collegialiter viventium in Gallia, his verbis concessum est, scilicet: « Vi-

gore specialium facultatum a ssmo Dno nro concessarum, sacra Congre. gatio emorum et rmorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentis expositis, facultatem tribuit p. superiori generali enunciati pii instituti indulgendi alumnis suis, ut, loco sacri patrimonii, ordinari valeant titulo mensae communis, quatenus alia omnia requisita concurrant a decreto « *Auctis admodum* » praescripta; ita tamen ut, si ab instituto dimittantur, vel dispensationem super votis simplicibus obtineant, suspensi ab exercitio sumptorum ordinum maneant, donec episcopum benevolum receptorem invenerint, et sacrum patrimonium sibi constituerint ». *S. C. EE. RR. 22 dec. 1897.*

2726 **Mercator.** — Licet ipsi vendere res indifferentes, quibus emptores bene et male uti possunt, etiamsi in casu cognoscat emptorem his male usurum; si tamen absque gravi incommodo eas denegare nequeat. Sanchez *Cons. mor. lib. I. cap. 7. n. 12;* B. P. *II. 297 sqq.* Ea vero, quae natura sua destinantur ad malum, ut venenum, vendere non licet, nisi moraliter constet, emptorem bene his usurum. B. P. *loc. cit.* In missionarios mercaturae in Indiis orientalibus operam dantes et in superiores eorum immediatos, qui delinquentes non puniverint, lata est ab Urbano VIII (*Const.* « Ex debito » *21 febr. 1633*) et Clemente IX (*Const.* « Sollicitudo » *17 iul. 1669*) excommunicatio latae sententiae nemini reservata, quam adhuc vigere declaravit Pius IX *29 mart. 1873.* Vide *Negotiatio.*

Meder L. De ratione negotiandi seu contrahendi; *Stracca B.* Tract. de mercatura seu mercatore; *Cotrugli B.* De mercatura; *Nider I.* De contractibus mercatorum; *Boninsigni Th.* Tract. de justis negotiationibus; *Garcia F.* De omnis generis contractibus mercatorum; *Lopez L.* Tract. de contractibus et negotiationibus; *Pedrezzano I. B.* De mercatura et navigatione; *Hafener C.* Disp. de mercatura; *Simonis I. G.* De iuribus mercatorum; *Rassii A.* Tract. de nobilitate et mercatura; *Stypmanni F.* De iure mercatorum et nautarum; *Langermanni L.* Disp. de iure in curia mercatorum usitato; *Peri G. D.* Il negoziante; *Marquardi Io.* Tract. de iure mercatorum et commerciorum singulari; *Santerna P.* Tract. de sponsionibus et assecurationibus mercatorum; *Ziegler G.* Disp. de iure commerciorum; *Fritschii A.* Mercator peccans; *De Ansaldis A.* De commercio et mercatura; *Ingaramo A.* Repertorio generale di massime di giurisprudenza commerciale.

Meretricium. — Meretricium est status mulieris omnibus prostitutae. G. B. *I. 421.* Circumstantia meretricii non mutat speciem peccati; hinc per se in confessione non est declaranda. B. P. *II. 1006.* 2727

Meritum. — Meritum duplex: de condigno, de congruo. S. Th. *in 2 dist. 27. q. 1. a. 3, suppl. 3. p. q. 14. a. 4;* Ripalda *de ente supern. disp. 71 sect. 2. n. 5.* Iustus per gratiam mereri vere potest de condigno (cfr. Conc. Trid. *sess. VI de iustificatione cap. 16; cann. 26. 32*); peccador et infidelis de congruo per actus ex gratia positos. S. Th. *Suppl. 3. p. q. 14. a. 4.* Vid. *Actus.* 2728

Metropolita. — Vid. *Archiepiscopus.*

Metus. — ***De natura et divisionibus metus.*** — De metu in genere. — 2729

Metus est instantis periculi vel futuri causa mentis trepidatio. *l. 1 quod metus causa etc. D.* (*IV. 2*).

Multiplex distinguitur:

ab intrinseco, qui nempe procedit a causa independenti ab alterius hominis arbitrio, et *ab extrinseco*, qui procedit ab alterius hominis arbitrio;

incussus *directe* ad extorquendum actum, et *indirecte* incussus;

iuste incussus, quem nempe leges approbant, vel qui est metus mali, quod iuste a minitante inferri nobis potest (Lugo *de iust. et iure disp. XXII. n. 151*; Lessius *de iust. et iure lib. II. c. 17. n. 41*), et *iniuste* incussus, quem reprobant leges;

gravis seu cadens in constantem virum, qui est magni alicuius mali praesentis vel futuri formido (sive stricte gravis ille sit, sive respective tantum), seu ille, quem vir constans et fortis prudenter ac rationabiliter concipit (*l. 6 quod metus causa etc. D.* [*IV. 2*]; *c. 4 de iis, quae vi etc. X.* [*I. 40*]; *c. 15 de sponsalib. etc. X.* [*IV. 1*] et *levis*, qui facile contemnitur.

2730 **De metu gravi.** — Relictis aliis divisionibus metus, iuverit hic melius videre, quinam sit metus ille, qui constantis viri animum flectere possit. Porro ad eum constituendum nonnullae requiruntur a doctoribus conditiones, quas sic enumerant:

a) quod malum, quod timetur, sit grave in se, et non tantum in vana aestimatione timentis;

b) quod huiusmodi malum cer to immineat, idest ut saltem certitudine morali iudicetur eventurum;

c) ut metum incutiens potens sit minas exsequi;

d) ut solitus fuerit minas exsecutioni mandare;

e) ut is, qui timet, non possit alia ratione occurrere malo illi, quod timetur. Sperellus *decis. 79. n. 43.*

Nec immerito advertit Reiffenstuel (*in lib. I. Decr. tit. 40. n. 19*), postremas tres conditiones commode ad secundam revocari, quippe sint tantum illius secundae declarativae.

Attamen probe est annotandum, non absolute tantum, sed et respective gravitatem metus esse aestimandam. Huius autem rationem sic bene reddit Lugo (*de iust. et iure lib. VI. disp. 12. n. 133*): « Ratio autem est clara, quia quidquid operatur metus maior in viro robusto et constante, operatur metus minor in puero vel in femina timida; ergo eodem modo succurrendum ei fuit per irritationem vel irritabilitatem contractus. Advertit item bene Sanchez (*de matr. lib. VI. disp. 3. n. 5*), non solum attendendum esse ad maiorem probabilitatem mali venturi, quae requiritur in viro, quam in femina vel puero, sed etiam ad quantitatem mali cum aequali probabilitate; minus enim malum sufficit ad aeque deterrendam personam timidiorem cum aequali certitudine vel probabilitate de ipso futuro. Quod autem dictum est de puero et femina locum habet etiam comparatione facta inter ipsas feminas vel viros; aliqua enim femina minori malo deterretur, quam alia, quod idem est in viris propter diversam indolem vel naturae constitutionem ».

De generalibus effectibus metus. 2731 — Actus sub metu positi sunt voluntarii simpliciter, involuntarii autem

secundum quid (S. Th. *2. 2. q. 6. a. 6. c.*); qui enim agit ex metu, quamvis secluso metu noluisset agere id, quod agit, supposito tamen metu revera vult id agere, quod agit, retinens tamen affectum ad contrarium, unde habetur involuntarium secundum quid. Attamen, si causa inducens malum, quod timetur, est ipse effectus voluntatis, metus efficax excludit etiam involuntarium secundum quid; hinc vis attritionis ex metu gehennae. Palmieri *de poenit. th. XVII. § XI.*

Metus sive absolute gravis, sive relative tantum gravis in foro interno iidem omnino sunt effectus (Lessius *l. c. n. 46;* Laymann *Th. mor. tr. IV. c. 6. n. 4*); imo et in foro externo, modo vere probetur gravitas metus relate ad metum passum.

Metus vero levis in foro externo nullam admittit excusationem (*ll. 7. 8 tit. cit. D.* [*IV. 2*]; *l. 184 de diversis reg. iur. ant. D.* [*L. 17*]); in foro autem interno, si vere sit causa agendi et iniuste incutiatur, probabiliter ius tribuit metum passo servandi se indemnem. Ball. *in Gury I. 18 (10);* cfr. Lugo *de iust. et iure disp. XXII sect. 7. n. 138.*

Metu auferente usum rationis non habetur voluntarium. B. P. *I. 79.*

2732 ***De effectibus metus quoad actus iuridicos.*** — **De his effectibus secundum ius naturae et ecclesiasticum.** — Actus positi sub metu intrinseco, etiam gravi, sunt validi, ac proinde obligationem inducunt, nec sunt rescindibiles. Cfr. *c. 17 de regular. etc. X. (III. 31);* Lugo *l. c. n. 113.*

Actus positi sub metu levi quocumque valent, nec sunt rescindibiles. Cfr. *c. 6 de iis quae vi etc. X.* (*I. 40*).

Actus positi sub metu gravi extrinseco, iniuste incusso, et directe ad extorquendum actum, per se valent (cfr. *c. 2 tit. cit. X.* [*I. 40*]; Lessium *l. c. n. 36;* Lugo *l. c. n. 114 sqq.*), sed rescindibiles sunt ad nutum iniuste metum passi (*l. 20. § 5 tit. cit. D.* [*IV. 2*]; *l. 12 de his quae vi etc. C.* [*II. 20*]; *cc. 2. 4 tit. cit. X.* [*I. 40*]; Lessius *l. c. n. 36*). — Hoc certum est de contractibus onerosis; an idem dicendum etiam sit de contractibus gratuitis, controvertitur apud doctores; aliis negantibus et dicentibus, contractus gratuitos metu initos esse ex se irritos (B. P. *III. 614 sqq.;* G. B. *I. 780;* Molina *de iure et iust. disp 326. n. 14*, etc.), aliis affirmantibus seu idem dicentibus de contractibus gratuitis, quod de onerosis dictum est. Lugo *l. c. n. 115 sqq.;* S. Alph. *III. 376;* etc.

Quidam vero sunt actus qui, si ex metu gravi extrinseco iniuste incusso et directe ad extorquendum actum initi sunt, ipso iure (saltem ecclesiastico) sunt nulli. Hi sunt:

matrimonium, ut statim dicemus;

promissio tradendi res ecclesiasticas, vel ipsa earum traditio metu facta (cfr. *c. 2 de iureiurando X.* [*II. 24*]; Lessium *l. c. n. 37*);

professio religiosa (*c. 1 tit. cit. X.* [*I. 40*]; Sanchez *in decal. lib. IV. c. 3. n. 11 sqq.;* Lugo *l. c. n. 122*);

votum quodcumque (*arg. c. 1 tit. cit. X.* [*I. 40*]; *c. 10. C. XV. q. 1;* Lugo *loc. nuper cit.*; Lessius *l. c. n. 37;*

absolutio a censura, vel revocatio

sententiae, qua lata fuit. *c. un. de his, quae vi etc.* [*I. 20*] *in 6°*; cfr. Santi *in tit. 40 lib. I Decr. n. 6. sqq.*

2733 **De iure italico relate ad metum.** — Ex iure italico consensus extortus gravi metu nullus est, etsi metus non ab altero contrahente, sed a tertio incussus sit. *C. C. a. 1111.* Iure autem italico gravis metus tunc habetur, quum quis rationabiliter timet (et in hoc ratio habetur aetatis, sexus, conditionis metum patientis, *C. C. a. 1112*), ne ipse vel suae substantiae, aut persona coniugis sive alicuius ex descendentibus seu ascendentibus aut eorum substantiae periculo exponantur notabilis damni. *C. C. a. 1113.*

Eodem iure solus metus reverentialis non sufficit ad irritandum contractum, nisi violentia accesserit. *C. C. a. 1114.*

2734 **De iuramento addito actibus metu extortis.** — Si actibus metu extortis adiungatur iuramentum, actus isti sunt validi nec rescindibiles. *c. 8 tit. cit. X.* (*II. 24*; *c. 3 tit. cit. X.* (*I. 40*). Attamen, si actus ipso iure essent nulli, etiam iuramento adiecto non valerent, quia iuramentum confirmat actum iuridicum, non facit illum esse. Iuramentum tamen hoc facile relaxatur (*c. 8 tit. cit. X.* [*II. 24*]), eo autem relaxato metum passus procedere potest pro rescissione actus; et strictae est interpretationis, quia « fere semper a malo est » (*c. 5 de renun. ciat. X* [*I. 9*]); proinde non tenetur quis praestare, nisi id, quod expresse iuravit. Cfr. *c. 4 tit. cit. X.* (*I. 40*).

2735 **De remediis concessis metum passo.** — *Remedia a iure concessa* metum passo haec sunt:

a) si agatur de actu in casu ipso iure invalido, sufficit sententia declaratoria iudicis de facto incussi metus, ut ad actus consequentias metum passus nullimode teneatur;

b) si agatur de actu rescindendo, metum passo datur actio « quod metus causa », tum contra inferentem metum, tum contra quemcumque exinde, etiam bona fide, lucrum percipientem, quia actio in rem scripta est (*l. 9. §§ 3. 8 tit. cit. D.* [*IV. 2*]; Zallinger *in tit. 40 lib. I Decr. § 571*), et contra nolentem restituere statuitur iure condemnatio in quadruplum (*l. 14 tit. cit. D.* [*IV. 2*]); praeterea contra petentem id, quod ex metu promissum est, datur metum passo exceptio « quod metus causa » (*l. 9. § 3 tit. cit. D.* [*IV. 2*]).

De probatione metus. — Attamen 2736 metum passus debet metum probare (cfr. *l. 14. § 3 tit. cit. D.* [*IV. 2*]; *c. 6 tit. cit. X.* [*I. 40*]), tum quia asserentis est probare, tum quia, quum metus procedat ex facto iniurioso alterius personae, praesumi non potest. Debet praeterea probari, metum per ratihabitionem non fuisse purgatum. *c. 1 tit. cit. X.* (*I. 40*).

Notandum autem est, probationem metus esse difficilem. Quum enim metus nil aliud sit, quam instantis periculi vel futuri causa mentis trepidatio, res est, quae in mente consistit. Quare nonnisi coniecturis et indiciis probari potest. Nec solum remota indicia sufficiunt ad probationem metus, sed requiruntur propinqua, seu proxima et concludentia. Reiffenstuel *loc. cit. n. 76 sqq.*; Santi *loc. cit. n. 14.*

Probato metu, si agitur de quantitite damni et rebus amissis, locum habet iuramentum in litem. *c. 7 tit. cit. X.* (*I. 40*); Zallinger, *l. c.* § *571.*

2737 **De duratione metus.** — De duratione autem metus notandum est, praesumptionem haberi, quod metus perduret, quousque perdurat eadem causa et ratio illati metus. Quare, si quando probatum est, aliquem contractum ex. gr. initum esse ex metu propter imperiosam nimis voluntatem parentum, quousque ea perdurat, metus purgatus non praesumitur, nisi metum passus ea faciat, quae facere non tenetur, eaque fecisse tantum appareat ex mutata voluntate. Huius rei exemplum luculentissimum habemus in celeberrima causa Monoecensi, *7 maii 1879, 3 febr. 1880.*

2738 ***De effectibus metus quoad matrimonium.*** — **De metu gravi.** — Metus gravis (*c. 15 de sponsalibus et matr. X.* [*IV. 1*]). et iniustus (*arg. cc. 1. 2 de adulter. etc. X.* [*V. 16*]; Lugo *l. c. n. 158 sqq.*; Feije *de imp. et disp. matr. n. 133*), sive quoad substantiam, sive saltem quoad modum (Wernz *Ius Decr. IV. 265*), incussus ab extrinseco per causam liberam (Reiffenstuel *in tit. 1 lib. IV Decr. n. 326*; Feije *l. c. n. 128*) ad extorquendum matrimonium (*arg. cc. 15. 28 tit. cit. X.* [*IV. 1*]; *c. 2 de eo qui duxit etc. X.* [*IV. 7*]; Feije *l. c. n. 134*; D'Ann. *III. 445*), saltem ex iure ecclesiastico (hoc enim ex iure naturali et divino provenire non probatur, Lugo *l. c. n. 120*; Sanchez *de matr. l. IV. d. 14. n. 1 sqq.*), valorem matrimonii sic contracti in utroque foro impedit. *cc. 15. 28 tit. cit. X.* (*IV. 1*).

Notandum hic est circa ultimam conditionem recensitam, ut nempe fuerit metus in ordine ad extorquendum matrimonialem consensum incussus, non unam esse doctorum sententiam. Nam, quamvis plures post Sanchez (*de matr. lib. IV. disp. XII. n. 3*). putent, eam requiri, alii tamen sunt, qui accedunt contrariae sententiae Cardinalis De Lugo (*de iust. et iure disp. XXIX. n. 175 sqq*). Et re quidem vera argumenta Lugonis non videntur spernenda.

De metu levi. — Metus levis, etiam 2739
iniuste incussus et ad extorquendum matrimonium, contractum ipsum matrimonialem non dirimit. *arg. cc. 6. 15. 28 tit. cit. X.* (*IV. 1*); Feije *l. c. n. 129*; Reiffenstuel *l. c. n. 330*; Sanchez *de matr. lib. IV disp. 17. n. 3 sqq.*; Gasparri *de matr. II. 945*; Wernz *Ius Decr. IV. 263.* Nec ullo modo admittenda est sententia contraria nonnullorum antiquorum doctorum (cfr. Lugo *de iust. et iure disp. XXII. n. 141*), quae nullum sive in fontibus iuris, sive in praxi ecclesiae, fundamentum habet.

De metu reverentiali. — Metus re- 2740
verentialis regulariter loquendo non censetur gravis, et consequenter nec sufficiens, ut invalidum reddat matrimonium, nisi alia concurrant, quae quis difficile a se repellere potest, et inde metum gravem in eo causare merito censentur, puta precum vel imperii saepius repetiti importunitas, quibus spretis timeat quis patris, domini, etc. indignationem gravem et diuturnam futuram, item minae verberum vel durae tractationes. Cfr. *S. C. C. in Luceorien. 17 iul. 1745 apud*

Richter Concil. Trid. p. 242. n. 78; S. C. C. 16 aug. 1902; in Parisien. 6 sept. 1902; in Parisien. 16 maii 1903; in Parisien. 21 nov. 1903; in Versalien. seu Parisien. 19 dec. 1903; in Varsavien. 17 iun. 1905; in Carthaginen. 16 dec. 1905; in Syracusana 19 maii 1906: Reiffenstuel *in tit. 31 lib. III Decr. n. 164 sqq.*; Sanchez *de matr. l. IV disp. 6. n. 7.*

2741 **De natura impedimenti vis et metus.** — Notandum autem bene est, impedimentum metus non suppenere defectum consensus; nam, deficiente consensu, ex alio capite nullum est matrimonium. Imo consensus in metu supponitur; consensus tamen ipso iure fit irritus. Sane, ut bene advertit Ballerini-Palmieri (*V. 738*), ius haec matrimonia non irritat ex praesumptione consensus ficti, sed irritat suppositum consensum verum, utique ex metu positum.

2742 **De cessatione impedimenti. — De dispensatione.** — Dispensatio ab impedimento vis et metus, si metus talis fuerit, qui non excluserit verum et necessarium consensum in matrimonium (nam secus indispensabile omnino est ex ipso iure naturae), quum impedimentum hoc probabilissime sit ex iure tantum ecclesiastico (Lessius *l. c. n. 47*; Sanchez *de matr. lib. IV disp. 14. n. 2*; Laymann *Th. mor. lib. III. tr. 4. c. 6. n. 3*; Salmanticenses *Th. mor. tr. IX. c. 9 dub. un. n. 7*; Feije *l. c. n. 138 sqq.*), concedi per se posset a romano Pontifice; attamen ob periculum violandi ius divinum, quum nonnulli putent impedimentum hoc esse iuris naturalis (S. Th. *Suppl. q. 47. a 3*; Pontius *de matr. lib. IV. c. 14. n. 4 sqq.*; Navarrus *Man. cap. 22. n. 51*; Diana *tr. VI de matr. res. 141. n. 3*), et ne violetur libertas matrimonii, dispensatio ab hoc impedimento conceditur numquam. Cfr. Gasparri *de matr. II. 937.*

De revalidatione matrimonii ex parte metum passi. 2743 — Pars, quae passa est metum, potest matrimonium revalidare per novum consensum libere praestitum (Feije *l. c. n. 143*), dummodo ipsa sciat, prius matrimonium irritum et nullum fuisse, et interim altera pars consensum suum non retractaverit (Sanchez *de matr. lib. IV disp. 15. n. 2*; Feije *l. c. n. 761*); qui novus consensus iure supponitur, quando pars, quae metum passa est, libere copulam admittit (*arg. c. 28 cit. X. [IV. 1]*; *cap. 4 qui matr. acc. etc. [IV. 18]*; Sanchez *de matr. lib. IV disp. 18. n. 2*; Reiffenstuel *l. c. n. 333 sqq*), vel longo tempore alteri parti, cessato metu, spontanee et libere cohabitaverit. *c. 21 tit. cit. X. (IV. 1)*; Sanchez *loc. nuper cit. n. 3 sqq.*; Reiffenstuel *l. c. n. 336 sqq.* Verum, si de metu illato publice constet in casibus, in quibus lex de forma substantiali urget, eiusmodi matrimonium (etiamsi libera et diuturna cohabitatio, imo carnalis quoque copula sponte fuerit admissa) nullum manet, donec libere in forma legitima denuo initum est. *S. C. C. in Hispalen 20 iun. 1609; in Constantinopolit. 2 et 16 dec. 1634 apud Richter Conc. Trid. p. 243. n. 80; S. C. C. in Panormitana 26 aug. 1905.*

De iure accusandi matrimonium ex capite vis et metus. 2744 — Ius accusandi matrimonium ex capite vis et metus illi solummodo parti competit,

quae passa est metum, quaeque hoc ius retinet etiam post plures annos cohabitationis maritalis, quousque non cessarevit metus (cfr. *causam Monoecensem 17 maii 1879 et 3 febr. 1880 apud Acta S. Sedis vol. XII. p. 403*), eaque matrimonium per spontaneam et diuturnam (quae diuturnitas arbitrio iudicis definienda est) cohabitationem, cessante metu, vel per copulam libere habitam non revalidaverit. *c. 21 tit. cit. X.* (*IV. 1*). At si per longum tempus in matrimonio vixit, quum libertas et opportunitas reclamandi ei erat, ad matrimonium ex hoc capite impugnandum non admittitur; quare si metum passus, liber iam a metu, sua sponte in coniugali domo perstitit, matrimonialia officia non detrectavit, non auditur amplius. *Instr. S. U. I. 20 iun. 1883.*

Nota, quod, si metus a tertia quadam persona fuerit incussus, compars inculpabilis et doli expers, saltem ex indulto vel tolerantia Sedis apostolicae, potest ut actor admitti ad postulandam declarationem nullitatis matrimonii. Cfr. *S. C. C. 23 iul. 1892*, *1 sept. 1894*; Wernz *Ius. Decr. IV. 269.*

2745 **De poena in violantes libertatem matrimonii.** — Concilium Tridentinum (*sess. XXIV. c. 9 de ref. matr.*) omnibus temporalibus dominis et magistratibus (cfr. Bucc. *Comm. in constitution. « Apostolicae Sedis » n. 92;* Feije *l. c. n. 144*) cuiuscumque gradus, dignitatis et conditionis exsistant, sub anathematis poena. quam ipso facto incurrerent, praecepit, ne quovis modo directe vel indirecte subditos suos vel quoscumque alios cogerent, quominus libere matrimonium contraherent. Quae excommunicatio, quum a Tridentino non renovata, sed primitus lata fuerit (cfr. *Const.* « Ap. Sedis » *in fine excomm.*), etiam post constitutionem « Ap. Sedis » suum retinet vigorem. Cfr. Bucc. *l. c. n. 89.*

De effectibus metus quoad sponsalia. — Metus gravis iniuste incussus ad contrahenda sponsalia, multo probabilius sponsalia irritat (S. Alph. *VI. 844*), nec solum facit irritabilia, prouti alii volunt. Ratio brevis et efficax, quia nemo potest esse obstrictus ad actum per se nullum, qualis esset matrimonium, quod, durante tali metu. contraheretur. Hinc tamquam legitimum corollarium sequitur, ex huiusmodi sponsalibus non exsurgere impedimentum publicae honestatis, quod impedimentum exsurgeret in contraria sententia, quae statuit huiusmodi sponsalia esse tantum irritabilia. — Si autem metus est levis, qui tamen metus dat causam contractui sponsalitio, tunc doctores magis discordant. Alii sunt, qui volunt, haec sponsalia esse ipso iure irrita; quam sententiam probabilem dicit S. Alphonsus (*loc. cit.*), et multo probabiliorem Ballerini-Palmieri (*VI. 61*). Alii, et haec sententia S. Alphonso est probabilior et communior, volunt ea esse valida, sed irritabilia ad nutum metum passi. Discrimen practicum est in consectario de impedimento publicae honestatis ex his sponsalibus exsurgente vel non. 2746

Varia quaedam (*remissive*). — An metus gravis excuset a censura, vid. *Censura.*

Vid. etiam *Votum, Iuramentum, Contractus.*

Decr. Grat. C. XXXI qq. 2. 3; tit. de his quae vi metusve causa fiunt X. (I. 40); tit. de sponsal. et matr. X. (IV. I); *S. Raymundus* Summa lib. IV tit. 11 de impedimento violentiae sive metus; *Pacii F.* De eo quod metus causa; *Mogollon* Tractatus de his quae vi metusve causa fiunt; *Comitoli P.* Responsa moralia in septem libros digesta; *Avendano A.* De metu; *Schroterus E. F.* Disputatio de metu; *Sommer C.* Disp. de metu eiusque operationibus in iure; *Lugo* De iust. et iure disp. p. 22 n. 110 sqq.; *Sanchez* De matrimonio lib. IV de consensu coacto; *Benedictus XIV* Inst. eccl. 87; *Böhmer* De matrimonio coacto; *Evers* De exceptione metus iniusti; *Walch G. F.* De negotiis et actibus vi metuve extortis ex iure romano partim ipso iure nullis partim a praetore rescindendis; *De Tiennes I. B.* De eo quod metus causa gestum erit iure romano; *Ploch I.* De matrimonio vi ac metu contracto dissert.; *Schliemann* Die Lehre vom Zwange; Omnes commentatores in tit. cit. Decretalium; omnes moralistae; omnes qui de matrimonio tractatus scripserunt.

2747 **Milites.** — Milites conducti, seu subditi, in dubio de iustitia belli tenentur obedire, non vero in bello evidenter iniusto; non conducti, in dubio de iustitia, non possunt stipendia facere. In bello iniusto ordinarie, ne defensionis quidem causa, possunt hostes occidere. Proeliantes in bello *iusto defensivo,* etsi propria manu occidant, non fiunt irregulares, quod et in clericis valet coactis pugnare. (Ben. XIV. *l. infra c.*); in bello autem *iusto offensivo,* tantum si propria manu (*c. 24 de homic. X.* [IV. *12*]) occiderint, irregulares fiunt ex defectu lenitatis (Ben. XIV *Inst. eccl. CI num. 9*); in bello *iniusto,* uno tantum adversario occiso, fiunt irregulares quotquot ex adverso eo cornu dimicant.

Quoad parochum, cui subsunt, notandum est, milites vel alicubi esse addictos per maiorem anni partem, et tunc ibi habere quasi domicilium, et subesse parocho loci; vel nullibi esse addictos, et tunc considerandos esse tamquam vagos. Praeterea, si antiquum domicilium retinent, et parocho illius loci subsunt. Aliquando etiam fit, ut cappellanum proprium habeant, cui iurisdictio sit a S. Sede. Tunc is generatim tamquam parochus militibus est; ad eius tamen facultates determinandas inspiciendus est tenor rescripti. Cfr. *S. C. C. in Neapolit. Matrim. 29 aug. 1733;* D'Ann. *I. 85 (27);* Gasparri *De sacra ordin. II. 930.*

Militia. — Militiam agere clericis 2748
non licet (*c. 1 dist. 51*; *c. 9 ne clerici vel monachi etc. X.* [*III. 50*]; *c. 5 de poenis X.* [*V. 37*], nisi gravissima necessitas publica id requirat, *c. 2 de immunitate etc. X.* [*III. 49*]); nec guberniis licet eos ad militiam agendam compellere. Hinc in syllabo sub numero 32 damnata est haec propositio: «absque ulla naturalis iuris et aequitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundae exercendaeque militiae eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta».

Pro iuvenibus italis, qui facere sti- 2749
pendia debent, duo quoad solemnem professionem emittendam vel ordines suscipiendos italico sermone con-

scripta prodiere decreta a Sacris Romanis Congregationibus.

Alterum est sequens:

1° Quoad illos ecclesiasticos alumnos, qui ad primam cathegoriam, per summum infortunium, pertinent, nec sperare possunt fore, ut a militia subeunda quandoque eximantur, nec, deficiente pecunia, per annum voluntariae militiae nomen dare, eorumdem ad sacros ordines promotio omnino differatur oportet, quousque tribus aut quinque annis stipendia milites conscripti fecerint, praeviis quidem divinae vocationis indubiis argumentis.

2° Neutiquam expedire videtur peculiaribus in casibus invocare, gratiae loco, anni 26. dilationem ad subeundam sive voluntariam unius anni, sive coactam trium annorum militiam eorum exemplo, quos legis articuli VII. VIII. IX. memorant; eo quidem consilio, ut studia compleantur, et sacri recipiantur ordines: quia, etsi huiusmodi petitiones fortasse exciperentur, funesta tamen atque irreparabilia exinde incommoda cum ecclesiae, tum vero etiam alumnis ipsis consequi possent, si forte contingeret, eos, quo tempore stipendia faciunt, divinam, ut aiunt, vocationem amittere, atque in nequitiam erroremve adduci.

3° Utilius videtur, militiam uno anno sponte subeundam assentiri. Ad quem scopum rmi episcopi piam sive inter clericos, sive inter laicos catholicos societatem, cui iidem episcopi praeerunt, suis in dioecesibus instituendam promovendamque curabunt; cuius largitionibus statutum a principe pretium vel ex integro, vel ex parte pro varia alumnorum conditione solvi possit, atque iisdem voluntariae militiae tempore opitulari.

4° Hoc beneficium nihilominus in illos tantummodo alumnos conferri deberet, qui cum ob bonam ipsorum indolem, tum vero etiam ob morigeras anteactae vitae rationes spem firmissimam praebent, toto voluntariae militiae tempore in sancto proposito perstituros, atque ideo ecclesiasticae vitae curriculum deinceps prosecuturos; ne cuius forte desidia foveatur, ac frustra pro quopiam prodigetur piorum liberalitas, qui a triennali militia abhorrens, elapso voluntariae militiae anno, ab ecclesiasticae vitae proposito, divinae vocationis defectum praetexens, abscederet.

5° Alumni, qui ob quaslibet corporis pravitates a militia subeunda excluduntur, ad sacros ordines promoveri poterunt, etiam intra biennium, quo alteri militaris delectus consilio obnoxii sunt; dummodo eiusmodi sit ea pravitas, ut dubitari nullo modo possit praecedens exclusionis iudicium fore revocandum.

6° Firma tamen atque immota manent, quae per sacros canones sancita sunt, quoad illos, qui corporis pravitatibus laborant, irtegularitatem, quam vocant, inducentibus; pro quibus romani Pontificis singulis in casibus dispensatio imploranda est.

7° Ampliores profecto cautiones quoad eos iuvenes clericos adhibendae sunt, qui stipendia tribus aut quinque annis coacti milites fecerunt, ac dein ecclesiasticum habitum vi-

tamque iterum suscepturi se sistunt. Criteria in iisdem admittendis haec esse poterunt: — *a*) Divina ad ecclesiasticum statum vocatio, iam satis ante comprobata. — *b*) Commendabilis vitae ratio toto militiae tempore constanter servata. — *c*) Firmum animi propositum, statim ac domum reversi fuerint, ecclesiasticum habitum vitamque iterum suscipiendi.

8° At vero, ut moralis certitudo habeatur de bonis animi dispositionibus, quas iuniores clerici inter arma et contuberniorum pericula servaverint, rmi episcopi sollertissimam navabunt operam, iis omnibus adminiculis utentes, quae haud paucas occurrentes difficultates, sin minus superare, minuere saltem valeant: quorum aliqua heic subiecta suggeruntur.

a) Iis iuvenibus, qui cum firmo animi proposito discedunt in sancta vocatione constanter persistendi, praeter salutaria monita, ut spiritum, religionis officia, quoad fieri poterit, frequentando, librosque ecclesiasticos, praesertim vero kempisianum « De imitatione Christi » perlegendo, excolant atque conservent, obligatio imponenda esset, si opus sit, etiam scripto tradita, proprium episcopum certiorem continenter faciendi de locis, ubi identidem cum militiae sociis diutius constituti sint, ut eosdem localis episcopi vigilantiae, caritati ac prudentiae commendare, atque ab ipso opportunas de illis cognitiones accipere possit, ascito adiutore ibi aliquo probo viro ecclesiastico vel etiam laico, ex iis praesertim, qui societati a contribuenda pecunia pro solutione vectigalis voluntariis militibus impositi, de quo supra in art. 3. nomen dederint.

Haec tutelae species necesssaria, nedum valde utilis, reputatur; nec rmis episcopis adeo grave videatur, huiusmodi officium sibi mutuo exhibere.

b) Si de quorum moribus satis aequae relationes habitae fuerint, domum reversi in clericorum numerum denuo admitti poterunt, at vero non ita facile ad sacros ordines; prius enim haud dubia divinae vocationis argumenta exigenda forent, imposita iisdem clericis mora unius alteriusve anni in aliquo ecclesiastico collegio, aut in ipso seminario, disiunctim tamen ab alumnis; et ubi huiusmodi loca desint, eos regimini ac sollerti vigilantiae alicuius probi, docti et prudentis presbyteri subiicere praestat, ut in ipsis iuvenibus spiritus ecclesiasticus reviviscat, vitiaque corrigantur, quae, quamtumlibet cauti fuerint, summopere difficile est eos in militiae exercitio nequaquam contraxisse.

c) Denique maior aut minor sacrorum ministrorum in unaquaque dioecesi necessitas criterium esse deberet in eorumdem ad sacros ordines promotione facilius vel difficilius perficienda, ne quando uncti Domini, ingruente bello, ad militiam plus minusve diutinam, pro variis cathegoriis, in quibus conscripti sunt, cum iis, quae exinde consequi solent, affatim funestis incommodis, denuo subeundam cogantur.

9° Easdem ob causas haud leviores exiguntur cautiones in beneficiis seu canonicatibus cathedralium conferen-

dis, theologali praesertim, poenitentiario et parochiali; quorum postremi in eos tantummodo conferri deberent, extremae casu necessitatis excepto, qui militari delectui iam amplius obnoxii non sunt, utpote qui tricesimum nonum aetatis suae annum sunt transgressi; quod quidem tamquam axioma firmissimum profecto esset in praxi adoptandum.

10° Ad hoc consilium actu facilius reddendum, laude dignum esset atque utile, per rmos episcopos ecclesiasticas, ut aiunt, vocationes in adultis iuvenibus ab omni prorsus militiae, iterum quandoque subeundae, periculo exemptis sedulo promoveri, sive illos in seminariis, seiunctim quidem ab alumnis, ad sacrum ministerium educando, sive alio quovis modo quem ad felicem exitum obtinendum opportunum iudicabunt.

11° Si quando vero parochias ceteraque ecclesiastica beneficia iis sacerdotibus, qui, etsi iuxta cathegorias, ad quas pertinent, militiae cursum non expleverint, civili tamen lege ad arma iterum capessenda, urgente bello, obligentur, conferenda, forte necessitas cogeret, prudenti rmorum episcoporum consilio committitur specialibus, in iisdem conferendis, cautionibus uti, virum in beneficii possessionem immissum hisce in casibus amovibilem declarando; aut saltem illum prudenter adigendo, ut conditioni astipuletur, portionem redituum atque proventuum beneficii parochialis iuxta prudens proprii episcopi arbitrium, ei, qui ipsius absentis vices interim gesturus sit, sponte relinquendi.

12° Eadem conditio in poenitentiarii canonicatus collatione exigenda foret.

13° Quum pro varia mensium ratione, aut aliis de causis, ad s. Sedem collatio spectat, opportunum itidem erit, per rmos episcopos in commendatitiis litteris, quae dantur, conditionis, in qua versantur ii, qui ad beneficium assequendum concurrunt, expressis verbis mentionem fieri; videlicet, utrum legi militiae quandoque subeundae sint necne adhuc obnoxii.

14° Eaedem vigilantiae rationes in art. 8° sub litt. *a*) annotatae quoad illos ecclesiasticos viros adhibendae essent, de quibus in art. 11° sermo est, quoties hi imminente bello militarent: utque fuerint a militia domum reversi per statos dies piis religionis officiis, quibus ecclesiasticus spiritus iterum excitetur, antequam sacrum ministerium denuo exercendum suscipiant, operam daturi secedant oportet.

15° Iis in casibus, qui hactenus commemorati sunt, rmi episcopi parochos, ceterosque beneficia ecclesiastica habentes ab assiduae, ad quam officii sui ratione cogerentur, praesentiae lege eximere poteruut; itemque clericos et sacerdotes ab irregularitate, in quam toto militiae tempore fortasse incidere potuerint, absolvere.

16° Si qui vero casus cum extraordinariis nec opinatis adiunctis contigerint, prudentiae erit rmorum episcoporum ad S. Sedem pro opportunis praeceptionibus accipiendis confugere. *S. U. I. 16 sept. 1875* (versio desumpta ex Bucceroni Enchiridion).

Alterum decretum quod ad regu- 2750
lares pertinet, haec praecipua iubet:

Qui ad primam classem (*categoria*) pertinent, nec certam spem fovere possunt obtinendae immunitatis, iis non permittitur professio solemnis aut ordinum sacrorum susceptio, donec legitima aut unius anni aut temporis longioris stipendia fecerint... (nec admitti possunt ad solemnem professionem, etsi velint ad missiones pergere et qui ad missiones pergunt, ex civili lege a servitio praestando eximantur, neque gratia apostolica super hoc conceditur (*S. Congr. super disc. regul. 22 iul. 1901*).

Qui, stipendiis factis aut unius anni aut longioris temporis, firmi manebunt in sua vocatione, non ante ad solemnem professionem aut ordines sacros admittendi, quam saltem unius anni spatio constantiam in sua sententia probaverint in professorio vel in aliquo alio loco strictae observantiae commorantes. Ordinarii locorum debent deputare aliquos ecclesiasticos viros, qui horum iuvenum spirituali culturae vacent. Praepositi provinciales debent ordinariis locorum, in quibus religiosus subditus militiam agit, eius nomen indicare, ut ordinarius ipsis invigilet; quod praestare debent praepositi provinciales etiam tum, quum religiosus subditus, qui stipendia facit, residet in loco, ubi est domus seu conventus sui regularis instituti, et ibi habeatur aliquis religiosus ad horum iuvenum spiritualem culturam deputatus. Hi iuvenes, quum, durante militari servitio, longiorem quamdam temporariam missionem (*congedo*) habent, debent saltem per triduum spiritualibus exercitiis vacare. Oportebit autem omnes hos iuvenes afferre testimoniales litteras ordinariorum, in quorum dioecesibus tres saltem menses commorati fuerint. *S. Congr. super discipl. regul. 27 nov. 1892.* Hae litterae testimoniales ordinariorum, in quorum dioecesi clerici militare servitium facientes per trimestre commorati sunt, clericis omnibus, etiam secularibus, necessariae sunt. *S. C. C. 9 sept. 1893.*

Huic decreto aliud accessit, scilicet: 2751
« Pro clericis ordinandis iam militiae addictis, sub poena a constitutione "Ap. Sedis" comminata, requiri litteras testimoniales ordinarii, in cuius dioecesi per trimestre commorati fuerint; et quatenus ordinarii litterae plenum testimonium non reddant, episcopus, obtenta ad hoc facultate ab apostolica Sede, provideat per iuramentum suppletorium ». *S. C. C. 26 ian. 1895.*

Nuperrime aliud documentum pro- 2752
diit e s. Congregatione s. Officii quoad hanc materiam. Scilicet: « Feria IV. 31 aug. 1904. — Supremae huic S. R. et U. Inquisitionis Congregationi propositum fuit enodandum sequens dubium: — An dispositiones, quibus cavetur, ne clerici servitio militari subiecti promoveantur ad ordines maiores ante expletum ipsum servitium militare sint praeceptivae, vel tantum directivae. — Porro... EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt: — Affirmative ad primam partem; negative ad secundam. — Sequenti vero feria V die 1 sept. 1904... SSmus resolutionem EE. ac RR. Patrum approbavit ». Vid. *Politicae factiones*, *Testimoniales*.

2753 Concessum etiam est quibusdam religiosis ordinibus petentibus (scilicet patribus Cisterciensibus reformatis de Trappa *21 apr. 1871, 2 sept. 1896*, et patribus s. Ioannis de Deo *29 dec. 1909*) ut novitii, qui in periculo sunt ne ad militiam vocentur, post novitiatum vota simplicia emittant temporanea scilicet de semestri in semestre, hac quoque addita restrictione, ut enunciata vota eo ipso cessasse intelligantur, quum professus e monasterio egredi adigatur militaris servitii causa. Hi professi, si expleto militari servitio ad religionem regrediantur, tenentur emittere novam professionem votorum simplicium et in ea per triennium integrum remanere antequam possint validam emittere solemnem professionem.

2754 **Minister.** — Minister in missa necessario requiritur, et sine eo celebrare mortale est (S. Alph. *VI. 391 sq.*; D'Ann. *III. 401*), nisi agatur de ministrando viatico, vel de missa pro populo die festo. S. Alph. *loc. cit.* In necessitate posset respondere mulier, sed a longe, nec ad altare accedat (quod esset grave). *S. R. C. in Veronen. 26 aug. 1836 ad 8* (*2745*); *in Alatrina 18 mart. 1899 ad 6* (*4015*): cfr. Arndt A. *Darf eine Frau zur hl. Messe ministrieren?* In missa privata non licet ministro, etsi fuerit sacerdos, praeparare calicem, ipsumque extergere aut cooperire, nec aperire missale (*S. R. C. in Tuden. 7 sept. 1816 ad 5 et 6* [*2572*]), imo ne *communionem* quidem quaerere pro commoditate sacerdotis. *S. R. C. in una Soc. Iesu 18 mai 1878 ad 14* (*3448*).

In missa privata unus tantum minister admittitur, sive celebretur a simplici sacerdote, sive ab abbate aliisque praelatis aut dignitatibus episcopo inferioribus; solis vero episcopis privatim celebrantibus convenit duos habere ministros. *S. R. C. in Mediolanen. 18 aug. 1629* (*514*). Vid. *Abbas.* In hac regula non comprehenduntur missae parochiales et similes diebus solemnioribus, et illae, quae celebrantur loco solemnis aut cantatae occasione solemnitatis, in quibus duo ministri missae inservientes tolerari possunt. *S. R. C. in Molinen. 12 sept. 1857 ad 7* (*3059*).

Celebrans, qui ex indulto vel ex necessitate, ut supra diximus, celebraret sine ministro, non deberet bis dicere *Confiteor* ante introitum. *S. R. C. in Erien. 4 sept. 1875 ad 1* (*3368*).

Minister in missa, qui sit clericus vel alias teneatur vestem talarem deferre, ut sunt alumni seminariorum, religiosi laici etc., tenetur superpelliceum induere, nisi agatur de laicis illarum religiosarum familiarum, quarum specialia statuta approbata delationi superpellicei obstent. *S. R. C. 23 nov. 1906 ad 2.*

Permitti non potest, adolescentes haereticos aut schismaticos sacro inservire. *S. U. I. ad miss. Terrae Sanctae 20 nov. 1850; ad arch. Smyrnen. 7 iul. 1864.* Vid. *Missa.*

Minores. — Minores hi dicuntur, 2755
qui aetatem lege praefixam non attigerunt, ut seclusa patris aut tutoris vel curatoris auctoritate civiliter agere valeant. Iure romano tum filii, tum filiae, minores sunt usque ad aetatem 25 annorum. *l. 1 de minoribus etc. D.* (*IV. 4*). Iure italico et gallico filii

familias utriusque sexus minores sunt usque ad 21um annum expletum. *C. It. a. 240*; *C. G. a. 388*. Relate tamen ad matrimonium contrahendum, viri, qui habent parentes aut ascendentes, qui suam voluntatem manifestare valeant usque ad vigesimumquintum annum expletum non reputantur maiores hoc sensu, quod ad contrahendum indigent consensu patris et matris. Si inter patrem et matrem non conveniat, sufficit consensus patris; si unus parentum mortuus fuerit, vel suam voluntatem manifestare nequeat, sufficit consensus alterius. *C. C. a. 63*. Utroque parente mortuo pro iis, qui ad vigesimumprimum annum non pervenerunt, requiritur consensus avorum aviarumque; si inter avum et aviam unius eiusdemque lineae non conveniat, sufficit consensus avi. Dissensus inter unam et aliam lineam consensui aequivalet. *C. C. a. 64*. Haec eadem habentur iure gallico. *C. C. aa. 148. 151*.

Haec, quae diximus de viro, qui nondum explevit annum vicesimumquintum, valent etiam de muliere, quae in omnibus minor est, idest quae non explevit annum vicesimumprimum. *C. C. a 63*.

Minores alii sunt emancipati seu ab auctoritate patris vel tutoris liberati, alii non emancipati; alii puberes, alii impuberes. Ex iure italico minor emancipatus potest ex se solo omnes actus facere, qui non excedunt simplicem administrationem; pro ceteris requiritur tum curatoris consensus tum auctoritas consilii familiae (*C. C. aa. 317. 319*); si vero commercium legitime exerceat, sive mas sive femina, censetur maior, et potest bona sua etiam immobilia alienare. *C. C. a. 9 sqq*.

Simoncelli O. Tract. de decretis ceterisque solemnitatibus in contractibus minorum aliorumque his similium requisitis; *Carrocci V.* Tract. novi et practicabiles (ubi de minore in delictis excusando); *de Argentre B.* De minoribus; *Caldas Pereyra* Comm. analyticus ad celebratissimam legem Si curatorem habens C. de in integrum restitutione minorum; *Bernardi C.* Tract. de minoribus; *Baronii F.* De effectibus minoris aetatis circa contractus, ultimas voluntates et spiritualia *de Hedemann G.* Diss. de auxilio, quod aetati impertitur, sive de restitutione minorum; *Hoepfner* De lege Laetoria et cura minorum; *Cramer A. G.* De pubertatis termino ex disciplina Romanorum; *van Boelen C. M.* Diss. de lege Laetoria et constitutione D. Marci de cura minorum; *Savigny* Ueber den Schutz der Minderjährigen nach röm. R.; *Pardessus* Mémoire sur les différents rapports sous lesquels l'âge était consideré dans la legislation romaine; *Demolombe Ch.* Traité de la minorité, de la tutelle etc.; *Moutier* Histoire de la protection de l'enfance à Rome.

Minoristae. — Minoristae ii dicuntur, qui minoribus tantum ordinibus insigniti sunt. In nostrae aetatis disciplina ordines minores non recipiuntur, nisi tamquam via ad maiores ordines. Clerici minorum ordinum gaudent omnibus iuribus, quae clericis tamquam clericis conveniunt; habent praeterea aliquam potestatem ordinis iuxta suum quisque gradum. 2756

Nota etiam hic, functiones proprias horum clericorum in vigenti disciplina etiam a viris laicis exerceri posse, dummodo eas non expleant quasi ex officio, sive per modum solemnis actus ordinis. Wernz *Ius Decr. II 159*.

Clerici, ubi non adsit sufficiens numerus beneficiatorum seu cappellanorum, possunt pro eis supplere et sumere in vesperis pluviale, ut assistant canonico celebranti, qui non potest eorum assistentiam recusare. *S. R. C. in Alexandrina 15 mart. 1608 ad 7* (*248*).

Quum alicubi mos quidam novus in usu calceamentorum in sacris functionibus invaluisset, Sacra Rituum Congregatio interrogata respondit: « Clericos, in sacris praesertim functionibus, adhibere debere caligas seu calceamenta, quibus publice uti solent probati clerici loci seu dioeceseos ». *S. R. C. in Gerunden. 31 aug. 1872 ad 3* (*3268*).

Si adsit consuetudo, tolerari potest, ut in vesperis pontificalibus capitulum cantetur a clerico pluviali induto. loco subdiaconi parati. *S. R. C. in Casalen. 20 aug. 1870 ad 3* (*3228*).

Morinus Comm. de sacris eccles. ordinationibus: *Wildvogel* De charactere indelebili diss.; *Thomassin L.* Vetus et nova eccles. discipl. p. 1. l. 1. c. 1 sq.; l. 2. c. 29 sqq.; *Thiele L.* Diss. de charactere indelebili, qui ex rom. cath. ecclesiae doctrina in ordinis sacramento in anima imprimitur; *Harnack A.* Die Quellen d. sogen. apost. Kirchenordnung nebst e. Untersuchung üb. d. Ursprung d. Lektorats u. d. and. nied. Weihen; *Wieland F.* Die genet. Entwicklung d. sogen. Ordines min. in d. drei ersten Jahrhunderten; *Gasparri* Tract. de sacra ordinatione; *Laake O.* Ueber d. sakramentalen Charakter; *Farine M. I* Der sakramentale Charakter; *Many S.* Praelect. de sacra ordinatione.

2757 **Missa.** — **De obligatione audiendi missam.** — Missae interesse omnes fideles, habentes usum rationis, debent sub gravi singulis dominicis et diebus festis. *c. 64 dist. 1 de Cons.*

Fideles vero nunc non tenentur amplius missam parochialem audire. Ben. XIV *de Syn. lib. VII. c. 64. n. 7.*

De requisitis ad satifaciendum huic 2758
obligationi. — Ad satisfaciendum autem huic praecepto requiritur:

a) ut quis corpore praesens adsit moraliter, ut nempe dici possit unus ex assistentibus (S. Alph. *III. 312*).

b) et continuo, idest ab initio ad finem missae (S. Alph. *III, 310*),

c) et in ecclesia seu in oratorio publico aut semipublico, nisi ex privilegio alibi etiam liceat praecepto satisfacere. Vid. *Oratorium.*

Hinc ex primo capite is, qui vel valde longe (idest ultra vicesimum circiter passum [D'Ann. *III. 123*], vel etiam tricesimus [Lugo *de euch. disp. XXII. n. 21*]) a celebrante est extra ecclesiam (quisquis enim adest in templo, quamvis procul ab altari, satis praesens est missae, dummodo sacerdotem celebrantem vel assistentes alios aspiciat, S. Alph. *III. 312*; B. P. *II. 785*), seiunctus a ceteris assistentibus (nam si illis coniungitur, idest multitudini protensae usque ad altare, etiamsi extra ecclesiam et remotissimus, praesens est missae, Lugo *de euch. disp. XXII. n. 20*; Salmanticesenses *Th. mor. tr. V. de missae sacr. c. 6 n. 23*; S. Alph. *III. 312*), vel qui post murum aut alibi est, unde nihil possit videri vel audiri, nec notari quid fiat (S. Alph. *loc. nuper cit.*), dici nequit missam audire. Attamen ex fenestra alicuius domus, si parva sit distantia ad altare ecclesiae, potest quis satisfacere praecepto inde

audiendo sacrum, etiamsi sit intermedia via publica, quia sic vere praesens est moraliter sacro. Tamburini *in Dec. IV. c. 2. § 1. n. 14;* Lugo *loc. cit. n. 21.*

Ex altero capite necesse est, ut quis missam integram audiat. *c. 64 dist. 1 de Cons.* Quare omittens partem notabilem graviter, exiguam leviter peccat. Difficile autem est determinare, quaenam omissio reputanda sit gravis. B. P. *II. 780.* Hoc ex duplici capite videtur eruendum, idest tum ex amplitudine partis, quae omittitur, tum ex eius nobilitate relate ad sacrificium. D'Ann. *l. c. n. 125 (37).* — Hinc certo grave est omittere omnia ab initio usque ad offertorium inclusive (S. Alph. *III. 310*), item omnia omittere ante evangelium simul et post communionem. (G. B. *I. 342*). Gravis etiam est omissio canonis a consecratione usque ad Pater (Salmanticenses *Th. mor. tr. V de missae sacr. c. 6 n. 3;* B. P. *II. 780;* S. Alph. *III. 310*), vel consecrationis ambarum specierum (cfr. Suarez *de euch. disp. LXXXVIII sect. 2. n. 6*), et probabilius etiam unius tantum (G. B. *I. 342*). Praecepto verius satisfacit, qui partem missae ab uno, partem ab altero audit sacerdote, dummodo ex utraque veluti una missa coalescat, et integrum sacrificium (quod probabilius saltem in sola consecratione est, cfr. Billot *de sacramentis I. th. LIV*) in alterutra contineatur; quamvis utramque audiat successive (non vero si simultanee eas audiret, cfr. *pr. 53am damn. ab Inn. XI decr. diei 2 mart. 1679*], vel ordine praepostero (S. Alph. *loc. super cit.*).

Ex tertio capite non satisfaciunt, qui audiunt missam in oratorio privato, nisi vel ipsi habeant privilegium, vel privilegium adhaereat ipsi oratorio, aut etiam personae celebranti. Haec vide sub *Oratorium.*

De attentione requisita. — Ad satisfaciendum praecepto audiendi missam requiritur etiam *attentio* saltem externa (Lugo *de eucharistia disp. XXII num. 27 sqq.*; S. Alph. *III. 313*); nam an et interna requiratur disputant doctores (cfr. Salmanticenses *Th. mor. tr. V. de sacr. missae c. 6. n. 39;* D'Ann. *III. 124*); attamen generatim omnes in hoc conveniunt, sufficere nempe, ut quis saltem initio missae attendat ad ea, quae sacerdos facit, tamquam ad res sacras. Suarez *de euch. disp. LXXXVIII sect. 3. n. 9;* Salmanticenses *loc. cit. c. 6 num. 41 sqq.* 2759

Hinc satisfaciunt praecepto illi, qui involuntarie distrahuntur toto licet tempore sacrificii (G. B. *I. 347*), nisi ita alienis cogitationibus abripiantur, ut nullatenus attendant (quod tamen vel numquam, vel rarissime accidet); tunc enim non magis satisfacerent, quam involuntarie dormientes.

Hinc etiam voluntarie distracti, si tamen simul ad missam attendant ut ad rem quamdam sacram, praecepto satisfaciunt; nam, ad satisfaciendum praecepto sufficit, ut quis cum reverentia intersit, ut sacrificium praesentia sua honoret. Suarez *loc. nuper cit. n. 7;* G. B. *I. 347.*

Quoad confabulantes tempore missae dicendum, non satisfacere eos, qui de re seria confabulantur per notabilem partem missae; sed si confabulatio

sit discontinua, et per parvam missae partem, vel non de re seria, quum haec non impediat attentionem necessariam, sed solum eam faciat remissiorem, praeceptum impletur, et huiusmodi homines a letali excusantur. Salmanticenses *l c. c. 6. n. 50.* — Idem, proportione facta, dicendum est de iis, qui tempore missae inscriptiones aut alia profana legunt, et attente fere semper inspiciunt etc.

Etiam ille, qui tempore missae interdum dormitat, satisfacit, modo aliqua ratione advertat ad id, quod fit. S. Alph. *III. 316.*

Verius peccata sua confitens tempore missae satisfacit, tum quia consuetudo hoc probavit (B. P. *II. 774*), tum quia attentio necessaria ad satisfaciendum, quum nulla alia sit, nisi attentio quaedam confusa, qua quis advertat ibi sacrificium offerri, stare posse videtur cum actu confitendi praesertim si ille actus dirigatur ad participandum sacrificio. Cfr. B. P. *loc. nuper cit. et sqq.*

Certo autem satisfacit clericus ex obligatione breviarium recitans, vel ille, qui tunc poenitentiam in confessione iniunctam adimplet. Lugo *de euch. disp. XXII. n. 22.*

Ille etiam, qni tempore missae ecclesiam circumit, eleemosynas colligendo, satisfacit. S. Alph. *I. 317.*

Multo magis satisfaciunt musici, organoedi et alii, qui tempore missae canunt vel organa pulsant, modo ad missam aliquatenus attendant. S. Alph. *I. 317.*

2760 ***De intentione requisita.*** — Requiritur praeterea, ut patet, *intentio* audiendi missam, non autem praeceptо satisfaciendi (vid. *Lex*), quia debet esse actus religionis, et proinde humanus.

Hinc non satisfaceret coecus, qui in ecclesia sacro adesset, nescius tunc sacrum peragi (Croix *Th. mor. III. p. 1. n. 637*), vel ille, qui coactus et reluctans adesset. Lugo *De euch. disp. XXII. n. 23*; Salmanticenses *Th. mor. tr. V. de miss. sacr. c. 6. n. 25*; D'Ann. *III. 124.*

De causis excusantibus ab obligatione. — Quaevis causa mediocriter gravis, idest quae involvit notabile aliquod incommodum aut damnum in bonis animae, vel corporis proprii, vel proximi, excusat ab audienda missa. S. Alph. *III. 324.* 2761

Hinc excusatur mulier, quae secus gravem incurreret offensionem mariti; idem dicendum de filiis, qui incurrunt indignationem parentum, etc. S. Alph. *III. 327*; B. P. *II. 805 sq.*

Excusat etiam gravis difficultas eundi ad ecclesiam ob magnam distantiam (et certo distantia trium miliarium omnes excusat, S. Alph. *III. 329*; *Homo ap. n. 41*), quae difficultas relativa est variis personis, variis adiunctis locorum seu status viarum, tempestatis etc., variis etiam temporis adiunctis, ut si hiems esset, vel fervidissima aestas, etc. S. Alph. *III. 329*; B. P. *II. 808.*

Etiam occasio luctus pro vidua, filia, sorore, etc. excusat ad tempus B. P. *II. 809*); item occasio notabilis lucri faciendi (S. Alph. *III. 332*; B. P. *II. 812*; D'Ann. *III 127*); vel periculum infamiae, ut si puella, quae existimatur pudica, gravida ex delicto evaserit, et, ne id cognoscatur, domi

se celet. Salmanticenses *Th. mor. tr. V de miss. sacr. cap. 6. n. 64*; D'Ann. *loc. nuper cit.*

De aliis quibusdam (*remissive*). — De missa quatenus est sacrificium, vid. *Sacrificium.*

Vide etiam *Applicatio missae*, *Binare*, *Celebratio missae*, *Rubricae.*

2762 **Missa cantata.** — **Missa solemnis.** — Ea dicitur, quae omnem solemnitatem habet cantus, turis, ministrorum sacrorum, earumque ceremoniarum, quas praescribunt rubricae agentes de missa solemni. De Herdt *Sacrae lit. praxis I. 13.*

Plures missae de eodem sancto vel mysterio in eadem ecclesia decantari non possunt; attamen nota, has missas eas esse, quae praeter conventualem, numquam in collegialibus ecclesiis omittendam, in officiatura chorali concinuntur, vel aliquam cum eadem relationem dicunt. Quapropter praefatae missae, sive ad petitionem viventium, sive ex fundatione, dummodo ante vel post absolutum chorale officium, ac sine ulla cum eo relatione concinantur, non sunt vetitae. *S. R. C. 30 iun. 1896* (*3921*); *in Colimen. 12 iul. 1901 ad 12.*

In missis cantatis non permittitur usus sedis cameralis, ut dicitur, instructae scilicet brachiis et fulcimento pro humeris, loco soliti scamni pro ministris. *S. R. C. in Cerulen. 20 aug. 1729* (*2289*) *ad 3 et 4; 17 sept. 1822* (*2621*) *ad 6*; *in una S. Iac. de Chile 14 mart. 1861* (*3104*) *ad 4*; *in Goana 16 iun. 1893* (*3804*) *ad XI*; *in Nicosien. 14 mart. 1908.*

2763 **Missa cum cantu sine ministris.** — In missa, quae cum cantu, sed sine ministris celebratur, incensationes omnes omittendae sunt; si vero, dum haec missa cantatur, ssmum sacramentum super altare est expositum, incensationes in missa pariter omittendae sunt, et ss. sacramentum incensatur tantum, postquam in throno fuit collocatum, et antequam deponatur. *S. R. C. in una de Zacathecas 18 mart. 1874 ad 1* (*3328*).

Hoc autem valet, nisi habeatur speciale indultum, etiam quum ex inopia sacerdotum nonnisi rarissime celebrari potest missa solemnis. *S. R. C. in Caurien. 9 iun. 1884 ad 6* (*3611*).

Celebrans tamen missam cum cantu sine ministris adhibere potest plures, quam duas candelas, et ministrum, qui folia vertat, et calicem discooperiat, ipsumque mundet, vinum et aquam infundat, eumdemque calicem infra actionem palla cooperiat et discooperiat, nec non ipsum tegat post communionem suisque ornamentis instruat (dummodo is minister sit in sacris) *S. R. C. in Baionen. 28 sept. 1875 ad 1* (*3377*).

In his missis cantatis sine ministris sacris debent organarii et chorus semper exsequi cantu vel voce intelligibili cum organo omnes partes ex graduali romano. *S. R. C. in Placen. 23 iun. 1898 ad 2* (*3994*).

Quum missa cantatur sine ministris, et nullus est clericus inserviens, qui superpelliceo indutus epistolam decantet secundum rubricas, epistola legi debet [sine cantu ab ipso celebrante; numquam vero in ecclesiis monialium decantari potest ab una ex ipsis. *S. R. C. in Lisbonen. 23 apr. 1875* (*3350*); *in Ceneten. 5 mart. 1904.*

2764 **Missa conventualis.** — Quoad missam conventualem pro canonicis vide *Canonici*.

Quoad regulares nota sequens decretum generale: « Regulares, iure consuetudinis aut eorum constitutionum secluso, teneri tantum legere unam missam conventualem, officio videlicet diei respondentem, tempore a rubricis praescripto, quamvis aliae ab illis essent canendae, sive votivae sive defunctorum, ut onera particularia adimpleantur, vel ex peculiari sanctae Sedis indulto. — Sive missa illa legatur, sive fiat cum cantu, non solum in duplicibus primae sed etiam secundae classis, omittendam esse commemorationem simplicis occurrentis aut de die infra octavam. — Missas feriarum, duplicibus aut semiduplicibus occurrentibus, regularibus non esse vetitas, si a rubricis praescribantur, dummodo tempus servetur in iisdem rubricis praescriptum, et choralibus iis assistendi libertas fiat. Ad Rogationum missam quod attinet, ad eam celebrandam teneri, si tamen publica supplicatio locum habeat. — Ubi vi constitutionum ordinis, vel ratione consuetudinis, feriarum aut vigiliarum occurrentium missae fieri debeant, eas non esse omittendas, et tempus in rubricis praescriptum omnimode servandum ». *S. R. C. 2 dec. 1891* (*3757*).

,, Occasione huius decreti duo sequentia dubia a PP. Carmelitis excalceatis S. Congregationi Rituum proposita sunt:

« 1° An religiosi, quorum constitutiones nihil disponunt circa missam conventualem, teneantur dicere quotidie unam missam conventualem officio diei correspondentem iuxta decretum generale S. R. C. sub n. 3757 diei 2 decembris 1891:

2° Quatenus affirmative, utrum certis anni diebus a rubrica praescriptis teneantur hanc missam, etiamsi choraliter non dicatur, celebrare post sextam vel respective post nonam, si ob praescriptum constitutionum hae horae recitentur immediate ante prandium ».

Et s. Congregatio respondit:

« Ad 1. *Affirmative:*

Ad 2. Missa conventualis choraliter, idest cum assistentia communitatis omnino celebranda est, et quidem post recitatam in choro respectivam horam canonicam; ipsa autem missa et horae eamdem praecedentes congruo tempore persolvantur ». *S. R. C. 14 maii 1909.*

Missa conventualis, etiam sine cantu celebrata, debet considerari tamquam solemnis sive quoad collectas, sive quoad numerum cereorum, qui in altari acceduntur (*S. R. C. in una ord. Min. Capucc. 7 dec. 1888* [*3697*] *ad VII*); attamen in hac missa conventuali plana in duplicibus secundae classis non est omittenda commemoratio simplicis, quando ratione solemnitatis altera missa cantatur (*S. R. C. in Tridentina 12 mart. 1836* [*2740*] *ad VII*). *S. R. C. in uno ord. FF. Min. prov. Apuliae 10 ian. 1906 ad 2.*

Missale. — Sic dicitur, quia continet 2765
varias illas preces, quae in missa celebranda dicendae sunt, sive semper et invariabiliter, ut est canon, sive eas variando pro variis festivitatibus

In celebranda missa adhibendum est missale (Rub. gen. miss. *tit. XX*); cuius ratio patet, quia missa non est memoriter recitanda, praesertim canon, ne aliquis error involuntarie irrepat. Gasparri *de euch. II. 785. 849.* Attamen in necessitate, quando scilicet missale facile haberi non potest, et ob praeteritam experientiam certum est, abesse morale periculum errandi, communissima sententia est ex S. Alphonso (*III. 390*), licere sacerdoti missam sine missali celebrare. Cfr. B. P. *III. 1096.*

Si quando ipse sacerdos, deficiente ministro, in missa privata transfert missale de cornu epistolae ad cornu evangelii in altari, in quo asservatur ss. sacramentum, non debet genuflectere. *S. R. C. in Parisien. 14 ian. 1898 ad 2* (*3975*).

Iuxta rubricas (*loc. cit.*) missali supponendum esset pulvinar seu cussinus; attamen nunc ex universali consuetudine adhibetur generatim pluteus ligneus vel metallicus.

Duo missalia, unum a cornu epistolae, aliud a cornu evangelii, adhiberi nequeunt, etsi ageretur de canonicis missam solemnem celebrantibus in ecclesia cathedrali. *S. R. C. in Giennen. 11 nov. 1904.*

« In authenticis editionibus missalis, breviarii, ritualis, ceremonialis, episcoporum, pontificalis romani, aliorumque librorum liturgicorum, a S. Sede apostolica approbatorum, nemo quidquam immutare praesumat; si secus factum fuerit, hae novae editiones prohibentur ». *Const.* Leonis XIII « Officiorum ac munerum » *VIII kal. febr. 1896* § *18.*

Missionarius apostolicus. — Denominatio missionarii apostolici non competit, nisi alumnis collegiorum pontificiorum, aliisque sacerdotibus ad missiones exercendas deputatis per speciale decretum S. Congregationis de Prop. Fide. *S. C. P. F. 19 aug. 1743.* 2766

Titulus missionarii apostolici huiusmodi est, ut supra alios talem titulum non habentes conferat aliquam praeeminentiam. *S. C. P. F. ad vic. ap. Pondicherien. 17 iun. 1853.*

Ad hoc, ut sacerdotes sive regulares, sive seculares, missionarii eligantur, necesse est, ut morum probitate et zelo propagandae fidei sint praediti (*S. C. P. F. 2 mai 1625*), et hoc ipsum constet testimonio ordinariorum, in quorum dioecesibus per aliquod temporis spatium moram traxerunt, et insuper, si regulares sint, testimonio suorum superiorum regularium. *S. C. P. F. 18 febr. 1658.*

Scientia etiam sufficienti ornati esse debent, de qua per examen debet constare. *S. C. P. F. 4 oct. 1707 ; 7 mart. 1778.* Vid. *Examen.*

Circa haec omnia nuper S. C. s. Officii decretum edidit sequentis tenoris :

« Quum ad honorem sacri ministerii nec non ad Apostolicae Sedis dignitatem omnino exigatur ut nullus perinsigni missionarii apostolici titulo decoretur, qui hac non fuerit undique dignus nuncupatione, vel illam nondum suis laboribus promeruerit, nullus sacerdos praefato titulo in posterum insignietur :

1° nisi authenticum documentum exhibuerit, ex quo resultet, ipsum coram examinatoribus a legitimo su-

periore deputatis formale examen subiisse de competenti theologica et philosophica doctrina, deque peritia ad sancte, fructuose et decore praedicandum verbum Dei sacrasque dandas missiones: atque favorabile prorsus ab iisdem examinatoribus testimonium retulisse et a superiore suo legitimam approbationem simul reportasse;

2° nisi ad excipiendas sacramentales utriusque sexus fidelium confessiones ab ordinario loci, in quo moram nempe stabilem sive ultimam trahit orator, iam fuerit legitime approbatus;

3° nisi saltem per decem annos sacris missionibus aliisque praedicationibus, ac praesertim extra limites interdum suae dioeceseos, cum laude vacaverit atque intenderit; de quare ordinarii locorum fidem indubiam in scriptis fecerint, testantes pariter, oratorem statutis ab apostolica Sede circa praedicationem normis constanter adhaesisse et irreprehensis moribus apud populum se probasse;

4° nisi commendatus fuerit per litteras ad s. Congregationem s. Officii directe transmittendas ab ordinario loci, ubi habituale domicilium tenet orator; et si agatur de sacerdote regulari, consensus etiam et commendatio in scriptis, ut supra, sui superioris generalis accesserit.

Decreverunt insuper iidem emi ac revmi DD.:

'5° sacerdos, qui ab hac S. Congregatione missionarii apostolici titulo decoratus fuerit, huiusmodi titulo et annexis indulto et facultatibus nonnisi ad libitum S. Sedis gaudere valeat nec non sub directione et dependentia ordinariorum locorum in quibus missiones per eum fieri contigerit, quibus omnibus parere debeat ac licentiam prius cum facultatibus ab eis recipere;

6° indultum et facultates ab hac eadem S. Congregatione una cum titulo missionarii apostolici concedenda, illa tantummodo erunt, quae in elencho huic decreto annexo continentur; ac praeter illa nullum peculiare privilegium, nulla habitus distinctio, neque ulla a proprio ordinario exemptio tributa censeantur;

7° super rescriptum huius S. Congregationis, quo alicui sacerdoti titulus missionarii cum annexis indulto et facultatibus tribuitur litterae apostolicae in forma brevis, vita naturali oratoris perdurante valiturae, expediantur». *S. U. I. 21 apr. 1909.*

Indultum autem et facultates, quae una cum titulo missionarii apostolici a S. Congregatione S. Officii conceduntur, his comprehenduntur, ut patet ex elencho annexo decreto concessionis tituli, quem ad verbum referimus.

«1° Indultum personale altaris privilegiati quater in hebdomada, dummodo simile privilegium pro alia die obtentum non fuerit, atque intuitu huiusmodi indulti nihil praeter consuetam elemosynam percipiatur.

2° facultatem benedicendi extra Urbem, ac de consensu ordinarii, privatim quandocumque, publice vero tempore tantummodo adventus, quadragesimae, spiritualium exercitiorum ac sacrarum, missionum, quo

sacras conciones ad populum habebit, coronas, rosaria, cruces, crucifixos, parvas statuas ac sacra numismata, eisque applicandi indulgentias apostolicas nuncupatas, ut in postremo elencho edito typis S. Congr. de Prop. Fide diei 28 augusti 1903, nec non annectendi coronis precatoriis indulgentias a S. Birgitta dictas;

3° facultatem benedicendi unico crucis signo, de consensu ordinariorum, coronas iuxta typum coronarum SSmi. Rosarii B. M. V. confectas, eisque annectendi indulgentiam quiogentorum dierum, defunctis quoque applicabilem, a christifidelibus lucrandam, quoties aliquam ex eiusdem coronis manu gerentes orationem dominicam vel angelicam salutationem devote recitaverint;

4° facultatem impertiendi cum crucifixo et unico crucis signo in postrema concione quadragesimae, adventus, sacrarum missionum et spiritualium exercitiorum benedictionem nomine summi Pontificis, cum annexa plenaria indulgentia, ab universis christifidelibus lucrifacienda, qui, confessi ac sacra synaxi refecti, postremae eidem concioni affuerint, et quinque saltem conciones praefatis temporibus habitas audierint; facta etiam facultate fidelibus lucrandi indulgentiam sexcentorum dierum, quoties alicui ex eisdem concionibus interfuerint;

5° facultatem benedicendi cruces, tempore sacrarum missionum erigendas, eisque applicandi indulgentiam trecentorum dierum, toties a christifidelibus lucrandam, quoties ipsi orationem dominicam cum angelica salutatione et *Gloria Patri* etc. in memoriam passionis D. N. Iesu Christi ante quamlibet ex praefatis crucibus corde saltem contriti ac devote recitaverint;

6° facultatem impertiendi christifidelibus morti proximis, servatis forma et ritu constitutionis s. m. Benedicti XIV, quae incipit *Pia mater*, benedictionem cum annexa plenaria indulgentia, lucranda ab iisdem fidelibus, qui, confessi ac sacra synaxi refecti, vel saltem contriti, ssmum Iesu nomen ore, si potuerint, sin minus corde, devote invocaverint; et mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini patienter suscepe rint ».

Missiones. — Episcopi in locis mis- 2767
sionum degentes nec non vicarii ac praefecti apostolici debent a clericis et sacerdotibus peregrinis omnino exigeres litteras commendatitias suorum episcoporum, sine quibus eos recipere non possunt. *S. C. P. F. 20 apr. 1873.*

Bona missionum, quae a pietate fi- 2768
delium in disseminationem evangelii data sunt, ut patet, stricto sensu sunt ecclesiastica, et maxima sunt cura administranda. De his optimas dedit instructiones hic non praetereundas Leo XIII in celebri sua constitutione « Romanos Pontifices » *8 mai 1881.* Sapientissimae Pontificis praescriptiones hae sunt:

« Nunc ad illud progredimur controversiae caput, in quo de temporalibus missionum bonis disputatum est. Ex liberalitate fidelium ea parta bona sunt, qui cum sua sponte et voluntate dona largiantur, vel intuitu

missionis id faciunt, vel eius qui missioni praeest. Iam si missionis intuitu donatio contigerit, ambigi solet, an viri religiosi, quibus donum sit traditum, accepti et expensi rationem reddere episcopo teneantur. Atque istud quidem fieri oportere, sacrum consilium christiano nomini propagando super dubio proposito ob missiones Britannicas religiosis ordinibus sive institutis commissas die XIX aprilis MDCCCLXIX, rescripsit in haec verba: "1. Missionarii regulares bonorum temporalium, ad ipsos *qua regulares* spectantium, rationem episcopis reddere non tenentur. 2. Eorum tamen bonorum, quae missioni, vel regularibus *intuitu missionis* tributa fuerunt, episcopi ius habent ab iisdem missionariis regularibus, aeque ac a parochis cleri secularis, rationem exigendi".

Quo vero tabulis accepti et expensi ratio constaret, sacer idem coetus die X maii anno MDCCCLXVIII in mandatis dederat ut bona missionum diligenter describerentur, ea secernendo, quae propria missionum essent, ab iis, quae ad sodalitia sodalesve singulos pertinerent.

Nihil enimvero in his decernendis vel praecipiendis est actum, quod iuris communis doctrinis vulgatissimis apprime non congruat. Nam quaevis oblatio parocho aut alteri ecclesiae rectori data piae cuiusdam causae intuitu, ipsimet piae causae acquiritur. Ex quo fit, ut qui rem pecuniamve oblatam accepit, administratoris loco sit, cuius est illam erogare iuxta mentem et consilium largitoris. Quoniam vero administrantis officio incumbit rationes actus sui conficere, eique reddere, cuius res gesta fuit, ideo parochus vel ecclesiae rector facere non potest quin rationes reddat ordinario loci, cuius est iurisdictio et causae piae tutela. At missiones, de quibus apud Nos actum fuit, pleno iure ad episcopum pertinent: huic ergo cuiusque oblationis earum intuitu collectae rationes oportet exhibere. Neque haec ex eo infirmantur, quod Urbanus II in concilio Claromontano, aliique post eum romani Pontifices decreverunt circa ecclesias parochiales, quoad temporalia monasteriis iunctas, teneri vicarios respondere episcopis de *plebis cura*, de temporalibus vero non ita, cum monasterio suo sint obnoxii; siquidem seposita etiam ratione historica unde ea profecta est iuris dispositio, certum exploratumque est in iis pontificiis decretis ac litteris appellatione *temporalium*, beneficii fructus et quae beneficiati personae adhaerent compendia significari.

Quocirca ea confirmantes, quae a S. Congregatione de Propaganda Fide rescripta et mandata sunt, statuimus, religiosos, redditis episcopo rationibus, docere debere de pecunia intuitu missionum sibi allata, et quantum de ea et quos in usus impenderint aeque ac missionarios cleri secularis, iuxta praedictas resolutiones eiusdem congregationis die XIX aprilis MDCCCLXIX, et Instructionem diei X maii MDCCCLXVIII.

Tandem ne quis obrepat error aut dissensus in his, quae modo iussimus, exsequendis, definiendum censemus, quae pecuniae, quaeque res viris re-

ligiosis oblatae intuitu missionum intelligantur. Namque receptum est hac in re, spectari primum oportere quid largitor voluerit; quod si non appareat, placuit, parocho vel rectori ecclesiae collatam donationem praesumi. At multum ab hac regula recessum est propter consuetudinem, quam quidam ecclesiastici iuris periti fere communem evasisse docent, cuius vi " hodie pene solae oblationes, quae in ecclesia sub missis ad altare fiunt et quae pro administratione sacramentorum, pro benedicendis nuptiis aut mulieribus post partum, pro exsequis et sepulturis, aut aliis similibus functionibus specialiter offeruntur, ad parochum spectant; consuetudine reliquas ferme omnes ecclesiis ipsis aut aliis certis finibus applicante ". Praeterea si in parochum rectoremve, a quibus spiritualia adiumenta fideles accipiunt, haud inconcinne praesumi potest collata liberalitas, ubi ecclesia bonis praedita sit, per quae religionis decori et ministrorum tuitioni prospiciatur, longe aliud iudicium esse debet ubi eam bonorum copiam ecclesia non habeat, ac liberalitate fidelis populi unice aut potissimum sustentetur. Tunc enim largitores putandi forent voluisse consulere cultus divini splendori et religionis dignitati, ea ratione et modo, quem ecclesiastica auctoritas decerneret. Ideo apud christianos primaevos lege cautum fuerat ut pecunia omnis dono accepta, inter ecclesiam, episcopum, clericos et egenos divideretur. Legis porro sese interponens auctoritas, si largitionum tempora et causas praestituat, illud efficit quoque, ne fideles semper pro arbitrio possint modum et finem designare, in quem oblatam stipem erogari oporteat; nequit enim facere privatorum voluntas, ut quod a legitima potestate in bonum commune praecipitur certo destituatur effectu. Haec nobis considerantibus visi sunt prudenter et opportune egisse patres concilii provincialis Westmonasteriensis II, cum, partim interpretantes piam et aequam donantium voluntatem, partim ea, quae episcopis inest, utentes potestate imperandi pecuniae collationes decernendique quo tempore et qua de causa conferri oporteat, statuerunt in capite *de bonis ecclesiasticis*, quid censendum sit intuitu missionis collatum. Iubet igitur ratio, itemque nos constituimus, hac in re religiosos ad leges Westmonasteriensis Synodi sese affatim accomodare oportere ».

Leges Concilii provincialis Westmonasteriensis secundi, de quibus hic mentio fit, sunt sequentes: 2769

« I. Bona quae a fidelibus in religionis propagationem et decorem cleri sustentationem, pauperum sublevationem, aliosque pios usus erogantur, Deo et ecclesiae donata censentur: eorumque administratores, seu curatores, sive viri ecclesiastici, sivi laici fuerint, nihil amplius quam eorum dispensatores, Deo ipsi reddituri rationem, sunt habendi....

II. Igitur allaborandum, ut omni modo determinetur (si dubium exsistat) intentio et animus donatoris vel testatoris alicuius fundi, usuique ab ipso definito ipsius fructus accuratissime applicentur.

III. Si vero huiusmodi intentio non constet ex aliquo certo documento, servandae sunt regulae sive canones, quibus de tali voluntate recte iudicari possit.

IV. Quotiescumque erigatur aut provideatur ecclesia, seu schola, sive aliud quodvis aedificium, usibus religionis destinatum, sive ex integro, sive ex parte pecuniis collatis a fidelibus, vel etiam a quavis societate piorum catholicorum eleemosynarum administratrice, eiusmodi aedificium habendum est veluti in perpetuum illi loco addictum. Et quamvis missio, de qua agitur, sit ab aliqua corporatione religiosa occupata et administrata, eleemosynae illae praesumuntur non corporationi ipsi, sed Dei cultui promovendo, et pauperum levamini fuisse collatae, eoque in loco ad hosce usus erogandae.

V. Similiter iudicandum, si ab aliquo benefactore talia aedificia alicubi provideantur, nisi certissime constet declarasse se in tali erectione, non loci eiusque fidelium commodum respexisse, sed ordini illi donum voluisse conferre. (Regulae, sub numero praecedenti et sub hoc traditae quoad ius in fundationes, sunt applicandae ad novas tantum fundationes, cum de regularibus agitur).

VI. Non vero licebit episcopo missionem legitime alicui ordini religioso concreditam dicto titulo ipsi auferre. Respiciunt enim hae regulae solummodo casum, in quo regularis illa familia vel nequeat, vel nolit illius missionis curam retinere; si, exempli gratia, a superiore ab illo loco revocetur, vel alia quavis de causa cesset omnino et non ad tempus dumtaxat ibidem exsistere.

VII. Si vero aliqua missio fundatur exclusive, sive longe maiore ex parte sumptibus alicuius religiosae familiae, quae iustis de causis atque in perpetuum alio migrare poterit velle, hortamur ut pactio clara fiat inter episcopum et superiores ordinis, quid hoc in casu sit agendum, ne iura ex una parte laedantur, neve scandalum ex altera oriatur, et grave animarum damnum emergat.

VIII. Multo minus licet clerico sive ipsi episcopo bona ecclesiae alienare, sicut constat ex innumeris pene iuris canonici sanctionibus. Quod si, propter causas ab ipso iure approbatas, contigerit talem alienationem esse necessariam, sacerdos numquam sine episcopi auctoritate, nec episcopus absque iis cautionibus, quae a lege canonica requiruntur, illam efficere potest.

IX. In omni missione, pecuniae, quae a fidelibus contribuuntur modis infra recensendis, habendae sunt pro bonis ecclesiae, non pro muneribus datis sacerdoti. Ex ea namque pecunia, non solum eius honestae sustentationi, sed et sumptibus religiosi cultus, manutentioni fabricae, debitis solvendis, si quae sint, aliisque huiusmodi providendum est. Idcirco si discedere a missione alicui sacerdoti contigerit in anni cursu, non ius habet ad ratam partem introitus annui, nisi prius detrahatur pars iuste assignanda illis impensis. Similiter ea quae proviserat pro ecclesiae usu ex ipsis reditibus ecclesiae, v. g. cereos, vinum pro ssmo sacrificio, sacram suppellecti-

lem, post se relinquere debet, absque compensatione, nisi constare faciat hanc provisionem aequam rationem excedere.

X. Diversas quidem methodos colligendi pecunias pro missionum sustentatione praevalere omnibus satis patet. Sequentes imprimis non improbandas consemus, donec melius per caritatem fidelium provisum fuerit. Sunt igitur :

1. Sedium seu locorum assignatio certis personis seu familiis, a quibus compensatio determinata datur ecclesiae.

2. Collectae ad offertorium in ecclesia factae.

3. Pro consuetudine generaliter in Anglia vigente, solutio nummi determinati iuxta qualitatem loci occupandi, ab iis qui locum assignatum non habent, nolunt vero locum liberum, ut aiunt, occupare.

4. Contiones ab aliquo insigniori verbi Dei praecone, post quas generatim pro ecclesia, vel pro aliqua eius parte seu attributione colliguntur assistentium eleemosynae, qui saepe ex aliis congregationibus accurrunt, stipemque conferunt.

5. Collectae, quae vel de domo in domum fiunt per viros ad hoc deputatos aut per societates et confraternitates legitime institutas, vel exiguntur per decurias aut centurias prout fieri solet in laudabili societate Propagationis Fidei nuncupata, vel quae a ditioribus, statutis temporibus aut singulis annis, solvuntur.

XI. Quamvis equidem optandum esset plures ex hisce modis sustentandi ecclesiam posse e medio tolli, iam tamen experientia docuit adhuc impossibile esse talibus adiumentis omni ex parte supersedere. Ubi igitur usus iam inviguit unum vel plures ex ipsis adhibendi, continuari ita debet, ut nulla in iis innovatio absque episcopi arbitrio introducatur. Praesertim vero spatium liberum non minuatur neque coarctetur, eo inconsulto. Quidquid vero pecuniae per ista media ad missionem confluit, non ad ipsum sacerdotem, sed ad totas missionis necessitates pertinere reputetur. Quidquid igitur suppellectilis, sacrae vel domesticae, ex his reditibus acquisierit sacerdos, vel quidquid in sarta tecta aedium sacrarum vel aedificiorum ad ecclesiam quomodocumque pertinentium conservanda impenderit, non sibi, sed missioni providit ex bonis ad eam pertinentibus,

XII. Cum igitur sacerdos aliquis ad suam primo missionem accedit, accipiat a vicario foraneo, vel ab alio deputato ab episcopo, inventarium omnium ad missionem pertinentium.

Tenetur autem suppellectilem et aedificia integra servare, immo potius meliorare, ut successori tantum saltem tradat, quantum ipse accepit. Quod si, vel ad reficienda quae vetustate obsoleta et squalida evaserunt, vel ad maiorem locorum decorem nova seu venustiora providerit, distinguendum est quonam ex fonte ista provenerint.

1. Nam si ex proprio peculio, sive ex familiarum sibi bene affectarum (sic Coll. Prop. Fidei, dum Collectio Lacensis habet: familiarium sibi bene affectorum) donis, sive tandem ex ea parte proventuum ecclesiae, quae sibi

competit pro sua honesta sustentatione, sacerdos haec sibi comparaverit, habenda erunt ut propria, ratione semper habita obligationis conservandi in bono statu ea, quae accepit.

2. Si vero generatim proventibus ecclesiae, vel donis sive collectis congregationis, vel tandem aere ab episcopo vel administratoribus temporalium rerum dioeceseos concesso, fuerint haec conquisita, omnino missioni addicta dicenda sunt, neque ullo pacto licet sacerdoti ea sibi vindicare.

XIII. Communiter etiam censendum, nisi contrarium pateat, iuxta regulam in iure traditam, ea, quae ecclesiasticis usibus apta donantur viro missionario, esse missioni donata. Ea vero, quae personalem habent usum, ipsi data reputantur; sicuti etiam res sacrae, si expresse veluti grati animi vel affectus pignus, a congregatione sacerdoti cuivis donentur.

XIV. Honoraria missarum ad sacerdotis peculium pertinent. Similiter ubi viget usus, antiquus quidem in Anglia, temporibus sollemnibus Paschae et Nativitatis Domini singulis sacerdotibus munuscula dandi, haec ad ipsos de iure pertinent. Caveat vero sacerdos, ne in suspicionem cadat aliquid recipiendi intuitu sacramenti poenitentiae ab ipso administrati.

XV. De applicatione pecuniae, quae ex iuribus stolae provenit, non una eademque praxis per totam obtinet ecclesiam. Etenim, quamvis ecclesia sordidum quaestum detestetur, ob quem pro sacramentorum celebratione extorqueatur vel exigatur pecunia a fidelibus ea petentibus, concilium tamen Lateranense sub Innocentio III anno 1215 habitum praescripsit ut observarentur laudabiles consuetudines, quarum vigore oblationes, ex occasione celebrationis sacramentorum, a fidelibus ministris fiunt. Proventus ex hoc derivantes, ordinario sacerdotibus adiudicentur, quamvis diversis modis pro diversitate locorum distribuantur. Anteferenda vero videtur ceteris ea distributio, quae magis ad allevanda onera missionis possit conferre ».

Spolia rerum omnium tempore mis- 2770
sionis acquisitarum non modo a missionariis sed etiam ab episcopis, vicariis apostolicis etc., sive secularibus sive regularibus, qui aere et sumptibus S. Congr. de Prop. Fide in missione vitam duxerunt, post eorum obitum ad eamdem s. Congregationem spectare et in utilitatem missionis esse eroganda pluries declaravit eadem s. Congregatio. Cfr. *S. C. P. F. 4 mart. 10 nov. 27 dec. 1716; 28 iul. 1721; 28 sept. 1725; 17 aug. 1772; 2 iun. 1773; 22 aug. 1785.*

Missionis titulus. — Missionis ti- 2771
tulus, qui in ordinatione adhibetur ex speciali privilegio s. Sedis (cfr. Gasparri *de sacr. ordin. I. n. 609*) pro iis, qui alio titulo carent, et ad recipiendos ordines se devovent servitio apostolicarum missionum.

Nota, necessarium non esse, ut qui ad s. ordines hoc titulo evehendi sunt, actualiter in missione versentur; sed sufficit, ut parati sint ad missiones obeundas, quando et quomodo superiores eos mittendos censuerint ac ire iubeant. *S. C. P. F. mox citand.*

Qui ad hunc titulum ordinantur,

debent prius iuramentum emittere iuxta formulam, quae habetur in Instructione Sacrae Congr. de Prop. Fide *27 apr. 1871*, se missioni, cui destinati sunt vel destinabuntur, perpetuam operam daturos, nec ullam religionem, societatem aut congregationem regularem sine speciali Sedis apostolicae aut Sacrae Congr. de Prop. Fide licentia, ingressuros. Ordinati ad titulum missionis, hoc titulo amisso, haud manent suspensi, sed de alio sibi providere debent. *S. C. P. F. 1 sept. 1856.*

Ad titulum hunc ordinantur alumni collegiorum ecclesiasticorum, quae Sacrae Congr. de Prop. Fide subduntur, nec non alii ex specialibus privilegiis.

2772 Valde notandum est monitum, quod Sacra Congregatio de Prop. Fide in instructione superius citata fecit superioribus praesertim missionum aut collegiorum seu congregationum, quae missionibus inserviunt, quibus indultum factum est promovendi suos subditos ad ordines ad titulum missionis. Scilicet edixit S. Congregatio: « Meminerint superiores eo (indulto) parce utendum sibi esse; neque enim titulo missionis omnes absque delectu sacris erunt ordinibus initiandi clerici, qui ad missionum curriculum ineundum utcumque dispositi videantur. Si enim iuxta S. Pauli monitum manus nemini cito imponendae, id potissimum valet, quum sermo est de iis, qui in arduum apostolici ministerii opus assumuntur. Quare hic titulus adhibendus erit in eorum dumtaxat favorem, qui animi indole et docilitate, intentionis rectitudine, amplitudine ingenii, profectu in sacris studiis, morum integritate ac rerum mundanarum contemptu, spem faciant, sese strenuos futuros fore evangelii praecones: super quo eorumdem superiorum conscentia districte oneratur ».

Iuverit hic addere formulam iura- 2773
menti ab iis praestandi, qui titulo missionis ordinantur: et notandum est, hanc formulam ab omnibus his esse adhibendam. *S. C. P. F. Instr. cit.* — Est autem sequens: « Ego N. filius N. dioecesis vel vicariatus N. spondeo et iuro, quod postquam ad s. ordines promotus fuero, nullam religionem, societatem aut congregationem regularem, sine speciali Sedis apostolicae licentia aut S. Congregationis de Prop. Fide, ingrediar, neque in earum aliqua professionem emittam. — Voveo pariter et iuro, quod in hac dioecesi aut vicariatu (*vel*, in missione, cui S. Sedi vel S. Congr. de Prop. Fide me destinare placuerit) perpetuo in divinis administrandis laborem meum ac operam, sub omnimoda directione et iurisdictione R. P. D. pro tempore Ordinarii, pro salute animarum impendam, quod etiam praestabo, si cum praedictae Sedis apostolicae licentia religionem, societatem aut congregationem regularem ingressus fuero, et in earum aliqua professionem emisero. — Item voveo et iuro, me praedictum iuramentum et eius obligationem intelligere et observaturum. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia ».

Notandum etiam est, episcopum 2774
Cliffordiensem suo et ceterorum Angliae episcoporum nomine ab apo-

stolica Sede implorasse, et obtinuisse, ut iuramentum, quod ordinati titulo missionis praestant, eos exinde obligaret non pro aliqua dioecesi tantum, sed pro tota provincia ecclesiastica; ita ut presbyteri sic ordinati, sola collatione novi tituli, transferri in aliam dioecesim possent de consensu utriusque ordinarii, quin necessarium esset, ut ipsi novum iuramentum emitterent. Pariter expostulavit et obtinuit, ut quoad praeteritum missionarii ordinati titulo missionis pro aliqua dioecesi intra provinciam ad aliam dioecesim intra eamdem provinciam transferri possent novo titulo, novoque praestito iuramento, absque recursu ad Apostolicam Sedem. *S. C. P. F. 18 aug. 1885.* — Hoc idem concessum est etiam episcopis Statuum foederatorum Americae septentrionalis *30 nov. 1885.*

2775 **Mitra**. — Mitrae triplex est species. Una, quae pretiosa dicitur, quia gemmis et lapidibus pretiosis vel laminis aureis vel argenteis contexta esse solet. Altera, auriphrygiata sine gemmis et sine laminis aureis vel argenteis, sed vel aliquibus parvis margaritis composita, vel ex serico albo auro intermixto, vel ex tela aurea simplici sine laminis et margaritis. Tertia, quae simplex vocatur, sine auro, ex simplici serico damasceno, vel alio, aut etiam linea ex tela alba confecta, rubeis laciniis seu frangiis et vittis pendentibus.

Pretiosa utitur episcopus in solemnioribus festis et generaliter quandocumque in officio dicitur hymnus *Te Deum laudamus* etc., et in missa *Gloria in excelsis*. Nihilominus in eisdem festis etiam auriphrygiata uti poterit, sed potius ad commoditatem, quam ex necessitate; ne scilicet episcopus nimis gravetur, si in toto officio pretiosa utatur. Propterea usu receptum est, tam in vesperis, quam in missis, ut pretiosa utatur episcopus in principio et in fine vesperarum et missarum solemnium, ac eundo ad ecclesiam et redeundo ab eadem, quum paramenta sumit, ac deponit in secretario, et quando lavat manus, et dat benedictionem solemnem. Intermedio autem spatio, loco pretiosae, accipit auriphrygiatam.

Auriphrygiata mitra utitur episcopus ab adventu Domini, usque ad festum Nativitatis, excepta dominica tertia adventus. Item a septuagesima usque ad feriam quartam inclusive maioris hebdomadae, excepta dominica quarta quadragesimae. Item in omnibus vigiliis, quae ieiunantur, et in omnibus quatuor temporibus, in rogationibus, in litaniis et processionibus, quae ex causa poenitentiae fiunt; in festo ss. Innocentium, nisi veniat in dominica; et in benedictionibus et consecrationibus, quae private aguntur. Quibus quidem temporibus abstinet episcopus a mitra pretiosa. Potest tamen episcopus, dum utitur auriphrygiata, uti etiam simplici eodem modo et forma, prout de pretiosa et auriphrygiata dictum est.

Simplici vero mitra utitur, episcopus feria sexta in parasceve, et in officiis et missis defunctorum. Cer. episc. *lib. I. c. 17. n. 1 sqq.*

Tolerari prorsus nequit, ut mitra sit coloris rubri vel violacei, quando paramenta sunt eiusdem coloris. *S. R.*

C. in Lincien. 17 maii 1890 ad 1 (*3729*).

Non possunt episcopi uti mitra, sive dioecesani sint, sive titulares, in missa privata, quando lavant manus, aut populo trinam benedictionem impertiunt. *S. R. C. in Romana 20 iunii 1899 ad 3* (*4035*).

Quoad canonicos habentes usum mitrae ex indulto, circa tempus etc. eam gestandi, standum est praecise indulto.

Quoad abbates, vide *Abbas*.

2776 **Mixta matrimonia.** — **Quaenam sint.** — Mixta matrimonia ea dicuntur, quae inter catholicum et acatholicum baptizatum contrahuntur. Feije *de imp. et disp. matr. n. 566.*

2777 **De impedimento relate ad haec matrimonia.** — Haec disparitas cultus non inducit impedimentum dirimens matrimonii, sed tantum impediens. *Const.* Ben. XIV «Singulari nobis» *9 febr. 1749;* B. P. *VI. 712.* Attamen semper ecclesia huiusmodi matrimonia detestata est. *Declar.* Ben. XIV *pro matr. Hollandiae 4 nov. 1741.* § *3; Brev. Greg. XVI ad epos Bavariae 27 maii 1832, ad epum Friburgensem 23 maii 1846.*

2778 **De dispensatione ab hoc impedimento et de causis nec non de conditionibus ad dispensandum.** — Dispensatio conceditur a romano Pontifice ex causa gravi (quae graves causae adesse omnino debent ut patet, etiam tum quum aliquis romano Pontifice inferior ex facultate sibi delegata super hoc impedimento dispensat, *S. C. P. F. 10 mart. 1868*), et dummodo absit periculum perversionis in parte catholica, et pars acatholica promittat (generatim loquendo coram testibus et promissione scripto consignata, ac iuramento firmata, *S. U. I. 30 iun. 1842;* Feije *l. c. n. 568*), se filios omnes educaturam in religione catholica. *Const.* Ben. XIV «Magnae nobis» *29 iun. 1748; Brev.* Pii VII «Litteris» *25 mart. 1830;* Feije *l. c. n. 568.*

Sed et praeterea necesse est, ut pars acatholica promittat, se parti catholicae relicturam plenam libertatem pro exercitio catholicae religionis, et pars catholica promittat pariter se curaturam pro viribus conversionem compartis.

Promissiones, quae respiciunt partem acatholicam, idest de educatione prolis in religione catholica et de relinquendo libero exercitio religionis partis catholicae, quum sint de ipso iure naturae, dispensantur numquam. *Instr. Pii IX data per card. Antonelli ad omnes locorum ordinarios 15 nov. 1858; S. U. I. 10 dec. 1902.* Altera promissio, qua pars catholica spondet, se curaturam conversionem compartis, pertinet ad obligationem caritatis, quae utique semper in catholico coniuge perseverat, sed non semper ab ecclesia formaliter exigitur. Gasparri *de matr. I. 497.*

Attamen a conditione de iuramento praestando quoad servandam promissionem de educatione prolis in religione catholica, quum ea sit iuris mere ecclesiastici, potest aliquando praescindi, quum nempe circumstantiae id permittant, idest quum episcopus potest sibi moralem certitudinem efformare, partem acatholicam promissionem suam serio observatu-

ram et impleturam. *S. U. I. ad ep. S. Germani 17 febr. 1875.*

Nota etiam, generaliter loquendo non sufficere assertionem partis catholicae, etiam sub iuramento datam, partem acatholicam de conditionibus implendis sibi fidem praestitisse. Attamen si in aliquo casu extraordinario talia concurrant adiuncta, ut episcopus valeat sibi comparare moralem certitudinem tam de huiusmodi cautionum sinceritate pro praesenti, quam de earum adimplemento pro futuro, specialesque omnino adsint rationes, impedientes ne consueto modo cautiones praestentur, remittitur conscientiae et prudentiae episcopi permittere, ut sufficiat assertio partis catholicae sub iuramento data de facta sibi promissione a parte acatholica. *S. U. I. 10 dic. 1902.*

Quare « Apostolica Sedes semper constanterque retinuit atque retinet, nullimode in vetito mixtae religionis fas esse dispensare, nisi singulis in casibus praeter causas canonicas simul concurrant tres conditiones sequentes: 1° ut partes, et praesertim haeretica, veras cautiones praestiterint, quibus se coram ecclesia obligent ad ea, quae ab iisdem ipsa ecclesia exigit, inter quae praecipuum locum tenet catholica educatio universae omnino prolis absque ulla exceptione sive restrictione 2° ut superior ecclesiasticus moralem certitudinem habeat, sive de cautionum sinceritate pro praesenti, sive de earumdem adimplemento pro futuro; 3° ut cautionis exhibitio notoria sit, vel saltem talis esse possit ad omne scandalum removendum ». *S. U. I. ad Cardinal. Primatem Hungariae 21 iul. 1880.*

Generatim, quamvis hoc in iure non sit adamussim praescriptum, promissiones faciendae a parte acatholica recipiendae sunt in scriptis (cfr. *resp. S. C. P. F. ad ep. Octavien. 17 apr. 1879*), earumque documentum servandum in archivo, vel dioecesano, vel parochiali. Facilius admittitur, ut promissio partis catholicae de curanda conversione compartis fiat voce tantum. Hae cautiones praestandae sunt, antequam detur dispensatio, non autem in ipso actu matrimonii. Gasparri *loc. cit. I. 499.*

De episcopo ex facultate delegata dispensante. — Quoad facultatem dispensandi super impedimento mixtae religionis pro episcopis, qui hoc habeat indultum, nota, facultatem hanc concedi consuevisse cum clausula: *dispensare valeat intra fines suae dioecesis,* eam proinde exerceri non potuisse, nisi cum subditis actu exsistentibus intra fines propriae dioecesis; dispensatio vero ita obtenta exsecutioni tradi poterat ubicumque mixta connubia contrahi permittebantur, nisi aliquid aliud obstitisset iudicio ordinarii loci, in quo contrahebatur matrimonium. *S. U. I. 22 nov. 1865.* 2779

Nunc autem illa verba *intra fines suae dioecesis* in indultis, quae conceduntur a die 30 dec. 1896, expuncta fuerunt. Quare nunc episcopus dispensare potest etiam quando extra suam dioecesim exsisteret. Pariter nunc in his indultis deest clausula *nec aliud obstet canonicum impedimentum;* hinc, si episcopus gaudet facultate cumulandi, dispensare potest ab impe-

dimento mixtae religionis etiam quando cum alio concurrat.

Impedimentum hoc, utpote impediens et non dirimens, non est ex illis, a quibus facta est episcopis facultas dispensandi in articulo mortis intra terminos praescriptos in litteris s. Officii 20 febr. 1898 (vid. *Impedimenta matrimonii*); attamen archiepiscopo Argentinensi petenti concessa est facultas (parochis etiam habitualiter subdeleganda) dispensandi ab hoc impedimento mixtae religionis in articulo mortis cum iis catholicis, qui iuxta leges civiles vel coram ministello quoque acatholico cum parte acatholica sunt coniuncti, aut alias cum parte acatholica in concubinatu vivunt; imo et cumulandi hanc dispensationem cum dispensatione ab impedimentis dirimentibus, si quae simul occurrant, iuxta decreta S. U. I. 20 febr. 1888 et 1 mart. 1889. *S. U. I. 10 dec. 1903.*

2780 **De forma et modo celebrationis horum matrimoniorum.** — Mixta matrimonia, non secus ac matrimonia inter catholicos, ubique (etiam in regno Russiaco et Poloniae, *S. C. C. 8 iul. 1908*) celebranda sunt ad validitatem coram parocho et testibus intra limites decreti *Ne temere*, excepto imperio Germanico (*Const. « Provida » 18 ian. 1906; S. C. C. 1 febr. 1908*) et Hungaria (quando concessa fuerit haec exemptio ex *Actis Ap. Sedis* non constat, sed ex aliis decretis eam supponentibus concessionem factam fuisse non potest in dubium revocari; Mon. eccl. *vol. XXI. p. 105 nota* dicit eam concessam fuisse die 23 febr. 1909). Attamen nota eam concessam fuisse solummodo pro natis in Germania ibidem matrimonium contrahentibus (*S. C. C. 28 mart. 1908*) aut pro natis in Hungaria in eadem regione contrahentibus matrimonium, adeo ut invalidum sit matrimonium Germanorum contrahentium clandestine in Hungaria aut Hungarorum contrahentium clandestine in Germania, imo etiam alicuius nati in Germania aut Hungaria, qui cum muliere nata in Hungaria aut Germania (aut vicissim) in Germania sive in Hungaria matrimonium contrahant. *S. C. S. 18 iun. 1909.*

Interveniente dispensatione ab impedimento, parochus hisce matrimoniis potest assistere (*S. U. I. 25 iul. 1838, 28 aug. 1839*), sed extra ecclesiam et locum sacrum (cuiusmodi ait Feije [*de imp. et dispnt. matr. n. 571*]. non est sacristia; et in hunc sensum Gasparri [*loc. cit. I. 514*]. citat responsum S. Congr. S. Officii *ad episcopum Nanceiensem et Tullensem 17 iun. 1877*; sed videtur in eo agi de indulto quodam speciali, quum ibi permittatur etiam, ut consensus recipiatur in alio loco ecclesiae adiuncto, ut in cappella quadam remota, etsi sine cereis accensis, et ut parochus superpelliceum et stolam induat ad recipiendum consensum et benedicendum anulum), sine stola et superpelliceo; nec eis benedicere potest. *Litt. Greg. XVI 25 iun. 1842; S. U. I. ad vic. ap. Sandwich 11 dec. 1850.*

Hinc generali regula parochus his matrimoniis praestare debet assistentiam mere necessariam ita scilicet, ut, utriusque coniugis requisito et excepto consensu deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum referre queat. *Instr.*

ad episc. Bavariae 12 esept. 1834; decr. « Ne temere »; S. C. C. in Romana 27 iul. 1908 ad 3. Quare abstinere debet non solum a benedictione solemni, quae in missa datur, sed etiam a benedictione anuli, a pronuntiandis verbis consuetis « Ego vos coniungo etc. » (*S. U. I. 26 nov. 1835*) et a quocumque ecclesiastico ritu, praesertim a quibuscumque precibus ecclesiasticis super illis fundendis. *Litt. Pii VI ad arch. Mechliniensem 13 iul. 1792.* Quae omnia eo spectant, ut in catholicorum animis numquam obliteretur memoria tum canonum, qui istiusmodi inita matrimonia detestantur, tum constantissimi illius studii, quo cclesia enumquam destitit catholicos deterrere et avertere ab iisdem mixtis coniugiis in eorum et futurae prolis perniciem contrahendis. *Instr. cit. Pii IX 15 nov. 1858.*

2781 Aliquando tamen et haec conceduntur, seclusa tamen semper missae celebratione, tunc scilicet, quum, si haec non concederentur, graviora orirentur damna ac mala; cuius rei iudicium ordinariorum arbitrio committitur, onerata ipsorum conscientia super omnium circumstantiarum veritate et gravitate. *Litt. Greg. XVI ad ep. Friburgensem 26 maii 1846; Inst. Pii IX nuper cit.*

Procul dubio autem graviora inde oriuntur mala et damna:

a) quotiescumque, ob denegatam matrimoniis mixtis benedictionem, facile excitarentur haereticorum queri moniae et odia adversus fideles legesque ecclesiasticas;

b) quotiescumque, denegata a parocho catholico benedictione, sponsi, ante vel post coram illo celebratum matrimonium, ministellum adeant, vel etiam in heterodoxorum templum conveniant ad sacrilegam benedictionem, parocho catholico omnino posthabito;

c) quotiescumque insuper timendum esset, ne recusata quam ipsi postularunt, benedictione, aut non serventur necessariae cautiones de amovendo a coniuge catholico perversionis periculo et de universa prole in catholica religione educanda, aut, quod detestabilius foret, pars catholica ad haereticorum castra in sui et futurae prolis perniciem transiret. — Evidenter haec et similia sunt gravia illa damna, ad quae vitanda summus Pontifex indulgere, seu tolerari posse declaravit, ut in matrimoniis mixtis nuptialis impertiretur benedictio. *S. C. P. F. ad vicar. ap. Mayssurii 4 dec. 1862.*

Putat Gasparri (*loc. cit. I. 509*), parochum ne tuncquidem excedere limites assistentiae permissae, si aliquam concionem faciat; sed bene advertit Monitore ecclesiastico (*vol. XII. pag. 469*), hoc tum solum tolerari forte posse, quum sermo parochi non induit naturam ritus ecclesiastici, nec ex eo videatur parochus ullo modo approbare tale coniugium.

Permittitur numquam, ut ante vel 2782
post matrimonium pars catholica etiam coram ministello acatholico ad praestandum consensum matrimonialem se sistat, etsi pars catholica in scriptis declaraverit mere passive se gerere et nullo modo ritui protestantico adhaerere velle. *S. U. I. 10 dec. 1902.*

Disputatum autem fuit inter docto-

res an pars catholica contrahens matrimonium coram ministro acatholico incurreret excommunicationem. Et non immerito nonnulli defenderunt negativamsententiam (cfr. decr. s. Off. *25 apr. 1770*). Nunc res in contrarium seu positivum sensum decisa est, et certum omnino est eos, qui taliter matrimonium ineunt, incurrere excommunicationem R. P. speciali modo reservatam in const. *Ap. Sedis* latam in apostatas, haereticos eisque credentes etc. *S. U. I. 22 mart. 1879*. Cfr. Gasparri *de matr. I. 520;* Wernz *Ius Decr. IV. 587* (*42*). Ad hoc tamen ut incurratur excommunicatio, necesse est ut quis se sistat coram ministro haeretico tamquam ministro sacris addicto (*S. U. I. ad episcopos regni Hannover. 17 febr. 1864*); adire enim ministrum haereticum, qua ministrum mere civilem, licet. *S. U. I. instr. nuper cit.* « Sciant insuper parochi, si interrogentur a contrahentibus, vel si certe noverint eos adituros ministrum haereticum sacris addictum ad consensum matrimonialem praestandum, se silere non posse; sed moneri eosdem debere sponsos de gravissimo peccato, quod patrant, et de censuris in quas incurrunt. Verumtamen, ad gravia praecavenda mala, si in aliquo peculiari casu parochus non fuerit interpellatus a sponsis, an liceat necne adire ministrum haereticum, et nulla fiat ab iisdem sponsis explicita declaratio de adeundo ministrum haereticum, praevideat tamen eos forsan adituros ad matrimonialem renovandum consensum, ac insuper ex adiunctis in casu concurrentibus praevideat monitionem certo non fore profuturam, imo nocituram, indeque peccatum materiale in formalem culpam vertendum. tunc sileat, remoto tamen scandalo et dummodo aliae ab ecclesia requisitae conditiones atque cautiones rite positae sint... Quod si tandem consensus coram parocho velit renovari postquam praestitus iam fuerit coram ministro haeretico, idque publice notum sit vel ab ipsis sponsis parocho notificetur: parochus huic matrimonio non intererit, nisi servatis, uti supponitur, ceteroquin servandis, pars catholica facti poenitens, praeviis salutaribus poenitentiis, absolutionem a contractis censuris rite prius obtinuerit ». *S. U. I. instr. nuper cit.*

« Verum fingamus, ait B. P. (*VI. 729*), quod ministellus haereticus, qui ad civiles tantum partes agendas est ex munere publico deputatus, et cui se sistere debent contrahentes, velit quidpiam quasi minister sacrorum agere, quid decernendum? Et utique manifestum est catholicos non posse id praestare, si id ab ipsis exigeretur ceu professio falsae sectae et abiuratio fidei catholicae. At haec circumstantia abesse potest prouti v. gr. aberat a decreto, quod olim in Hungaria vigebat, ut omnia matrimonia, etiam acatholicorum vel mixta, celebrarentur coram parocho catholico, qui mixtis benedicere solebat, quin tamen haec ceremonia haberetur ut professio fidei catholicae ab acatholico coniuge factae. Quando ergo haec circumstantia absit, tota quaestio solvenda est ex communibus principiis. In primis enim, quando catholicus protestatur, se totum illud non habere

nisi ceu civilem actum seu ceremoniam, nec alio sensu eam se admittere, iam alius est omnino casus ac ille, quem vidimus n. 728 propositum primo loco. Porro quando sufficiens ratio habeatur, cur catholicus hoc pacto admittere eam ceremoniam possit, tunc quaestio ex principiis solvetur circa obligationem legis ecclesiasticae in concursu gravis incommodi. Scandalum enim abesse posse supponimus ex circumstantiarum inspectione et ex catholici coniugis protestationibus ». Quibus concordat Gasparri (*de matr. I. 518*) dicens: « Quid vero si coniuges ipsum (haereticum ministrum) adeunt uti ministrum religiosum, sed nulla fit religiosa ceremonia e. gr. si minister, profanis vestibus indutus, extra templum, fausta quaeque coniugibus adprecatur, recolens coniugalia iura ac officia, quin putet exinde coniugio ullam sanctitatem accedere, et quin etiam pars catholica intendat ceremoniam sacram explere, sed tantum comitati alterius respondere, sive hic forte ritum sacrum intendat sive non? Putamus licere parti catholicae in hisce rerum circumstantiis ministrum haereticum adire; nam non verificatur ratio prohibitionis, quae in citata instructione exponitur illis verbis: — quod hic (minister haereticus) adhiberetur ad quamdam ceremoniam religiosam complendam, et pars catholica ritui haeretico sese consociaret, unde oriretur quaedam implicita haeresi adhaesio, et proinde illicita omnino haberetur cum haereticis in divinis communicatio. — Proinde tota quaestio reducitur ad scandalum quod certe evitare tenemur ratione caritatis, quae tamen non obligat cum gravi incommodo. Ex verbis Ben. XIV. (*de syn. lib. VI. c. 7 n. 2*) eadem conclusio sequi videtur ».

Parte acatholica recusante omnino 2783
filios educare in religione catholica, parochus debet per se abstinere a quocumque interventu (*S. C. C. 22 iul. 1624*); verum aliquando ad maiora damna praecavenda etiam tum indultum est, ut parochus assisteret, nullo tamen adhibito ecclesiastico ritu. *Litt. Greg. XVI ad epos Bavariae 12 sept. 1832, et ad epos Hungariae 30 apr. 1841;* Feije *loc. cit. num. 570.*

De aliis quibusdam. — Etiam pu- 2784
blicationes seu banna quoad haec matrimonia generatim prohibentur: sed de his diximus sub *Banna*, ubi vide.

Coniuges in causis mixtarum nuptiarum subsunt episcopo, in cuius dioecesi pars catholica domicilium habet: et quando ambo sunt catholici, quia pars haeretica in ecclesiae sinum reversa est, subsunt episcopo, in cuius dioecesi domicilium habet maritus. *S. U. I. 2. iul. 1892.*

Causae, quae respiciunt matrimo- 2785
monia mixta spectant ad competentiam s. Congregationis s. Officii, quae se extendit ad omnia, quae sive directe sive indirecte in iure aut in facto se referunt ad matrimonia mixta, sive ea spectent praxim, ut dispensationes ab impedimentis, sive spectent theoriam ut resolutiones dubiorum circa celebrationem horum matrimoniorum, ut constat ex resolutione s. Congr. Consistorialis inserta in Actis Apost. Sedis diei 15 febr. 1910, qua SSmus mandavit ut in posterum

quaelibet quaestio circa matrimonia mixta deferatur ad s. Congreg. s. Officii, sub lege tamen ut firma semper et in omnibus maneat dispositio decreti *Ne temere* in art. XI nn. 2° et 3° statuta.

Const. Ben. XIV « Ad apostolicae » 25 febr. 1742; Const. Ben. XIV « Redditae sunt Nobis » 17 sept. 1746; Const. Ben. XIV « Magnae nobis » 29 iun. 1748; Const. Ben. XIV « Ad tuas manus » 8 aug. 1748; S. C. C. ad epum Rosnaviensem 20 aug. 1780; rescr. Pii VI ad arch. Mechlinien. 31 maii 1783; rescr. Pii VI ad card. de Frankenberg arch. Mechlinien. et ad alios epos Belgii 13 iul. 1792; brev. Pii VIII ad arch. Coloniensem etc. 25 mart. 1830; litt. Greg. XVI ad arch. Friburgesem 23 maii 1846; Instr. Pii IX ad omnes epos (Instr. Antonelliana) 15 nov. 1858; Instr. Pii IX ad epos regni Hannoveriani 17 febr. 1864; S. U. I. 12 sept. 1866; *Serarius N.* De catholicorum cum haereticis matrimonio; *Duysseldorpii F.* Tract. de matrimonio non ineundo cum his, qui extra ecclesiam sunt; *Pontius B.* De sacr. matr. App. de matrimonio catholici cum haeretico; *Carpzow* De eo quod iustum est circa nuptias personarum diversae religionis; *Breintenbach* De matr. Aleophylarum personarum seu diversae religionis; *Cavalchinus* De matrimoniis inter hareticos ac inter haereticos et catholicos; *Dürr F. A.* Diss. de potestate patria circa religionem liberorum; *Scheill J.* Kirche und Staat; *Stapf F.* Vollständiger Pastoralunterricht über die Ehe; *Zum-Bach K. A.* Ueber d. Ehen zw. Kath. u. Protest.; *Nellessen* Was ist Katholizismus?; *Nellessen* Richtige Ans. d. christl. Eheverh. u. d. gesetzgeb. Gewalt d. K.; *Wolf L.* Kann ein katholischer Mann mit einer protestantischen von ihrem Manne geschiedenen Frau eine gültige Ehe eingehen? Nebst einem Anhange über gemischte Ehen; *An.* Ueber die gemischten Ehen; *Frank A.* Was wagt sowohl der Katholik als der Protestant bei einer gemischten Ehe?; *Wittmann G. M.* Principia catholica de matrimoniis catholicorum cum altera parte protestantica; *Szakalnik Fr.* De mixtis matrimoniis paraenesis ad catholicos; *Paulus* Kann ein evangelisch-prostestantischer Geistlicher ohne Bedenken sich mit einer Katholikin verehelichen? *Kastner J. B.* Der grosse Streit üb. d. gem. Ehen; *Klien K.* Commentarius de matrimoniis mixtis; *Bunsen Ch.* Ueber gem. Ehen; *Gründler K. A.* Ueber d. Rechtmässigkeit d. gem. Ehen; *Sack* Die katholische Kirche innerhalb des Protestantismus und ihr Recht vorzüglich in den gemischten Ehen; *Binterim A. Z.* Der katholische Bruder- und Schwesterbund zu einer rein katholischen Ehe; *Görres Jo.* Athanasius; *Ellendorf J.* Welchen Sinn hat das Breve vom 25 März 1830 in Betreff der gemischten Ehen, und wie verhält sich zu selbem die bekannte Instruction? Ein Versuch die Instruction mit dem Breve in Einklang zu bringen; *Döllinger F.* Ueber gem. Ehen; *Ammon Ch. F.* Die gem. Ehen; *Kunstmann* Die gem. Ehen unt. d. christl. Konfessionen Deutschlands geschichtl. betrachtet; *Bretschneider* Der Freyherr von Sandau oder die gemischte Ehe. Eine Geschichte unserer Tage; *Ellendorf* Thomas Becket Erzbischof von Canterbury. Eine Epistel an J. Görres; *Anon.* Agnes und Sophia oder die Leiden u. Gefahren der gemischten Ehen. Eine Erzählung für katholische Jungfrauen; *Bessel* Ueber die gem. Ehen; *Mack M. J.* Ueber d. Einsegnung d. gem. Ehen; *Fejér* Rationes eccl. cath. adversus matrimonia mixta; *Dinelli* L'affare dei matrimoni misti; *Sieger* Ueber gemischte Ehen; *Eberhard. A.* Zwei Predigten über die Ehe in der kath Kirche; *Eberhard* Die Ehe der alleinseligmachenden Kirche; *Wiser* Die gem. Ehen; *Kutschker J.* Die gemischten Ehen von dem katholisch-kirchl. Standpunkte aus betrachtet; *Roskorány A.* De matrimoniis mixtis; *Ferrero* Tr. des mariages mixtes; *Gebhard* Considérations sur les mariages mixtes; *von*

Linde J. Th. Ueber Abschliessung u. Auflösung d. Ehe im allg. insbes. über gem. Ehen; *von Linde* Ueber religiöse Kindererziehung in gemischten Ehen; *Feije* De matrimoniis mixtis; *Semler G. L.* Das Rechtsverhältnis d. gem. Ehen; *Reinerding F. N.* Die Prinzipien d. kirchl. Rs. i. Ansehung d. Mischehen; *Coquerel* Tr. des mariages mixtes; *Fessler J.* Zur Orientierung üb. d. gem. Ehen; *Schulte J. F.* Ueber gem. Ehen v. Standpunkt d. Parität; *Frantz Ad.* Die gemischten Ehen in Schlesien; *Keer* Mixed mariage; *Kahl W.* Die Konfession d. Kinder aus gemischter Ehe; *Plagge* Die gem. Ehen; *Beer* Neue Entwickelungsstufen des internationalen Eherechts. A. Das Ehehindernis d. Religionsverschiedenheit.

2786 **Modus.** — Modus est adiectio, quae fit contractui, qua is, qui aliquid dat, seu legat, seu promittit, etc., demonstrat quid exinde fieri velit. D'Ann. *I. 42.*

Adiici potest non tantum in commodum ipsius dantis, sed etiam in commodum accipientis aut alterius.

Exprimitur generatim per particulam *ut*, ex. gr. lego hoc praedium Titio, ut duos pauperes alat; aliquando exprimitur verbis, quae conditionem significant. Et vere modus, si excipias casum, quo in commodum accipientis ponitur, habet fere vim conditionis; in eo tantum discrepat, quod conditio suspendit actum, modus non item. Hinc in dubio utrum expressa fuerit conditio an modus, pro modo standum est.

Nota autem, quod modus, qui in commodum ipsius accipientis adiectus sit, generatim loquendo, pro non scripto in legatis habetur (D'Ann. *II. 310*); si vero fuerit in commodum dantis vel alterius, heredes vel is alter urgere possunt obligationem adimpletionis; ut ecce si legatum fuerit praedium Titio, ut Caio pauperi decem libellas menstruatim solvat, potest Caius praestationem pecuniae repetere.

De modo quoad matrimonium, vid. *Conditio;* quoad sponsalia, vid. *Sponsalia.*

Mohatra. — Mohatra (italice *stocco*) 2787 est species retrovenditionis, seu contractus, quo quis rem credito vendit maiori pretio, cum pacto ut emptor ipsi minori pretio, numerata pecunia, retrovendat. G. B. *I. 903.* Est contractus per se usurarius (cfr. *prop. 40am ab Inn. XI damn. decr. die 2 mart. 1679*); non est tamen damnandus, si lucrum inde perceptum taxam legalem pro mutuo non excedit. G. B. *I. 906.*

Mollifies. — Vid. *Pollutio.*

Monialis. — ***De confessionibus*** 2788 ***quoad moniales.*** — **De speciali approbatione requisita.** — Moniales ad clausuram obligatae, licet sint exemptae, non possunt confiteri nisi sacerdoti specialiter pro ipsis ab episcopo approbato. *Const.* Greg. XV «Inscrutabili» *5 febr. 1622; Const.* Clem. X «Superna» *21 iul. 1670.*

Etiam monalies recentiorum congregationum, si in monasterio vel domo religiosa confessionem faciunt, debent confiteri sacerdoti ab episcopo pro ipsis approbato (B. P. *V. 410. 16°*); si vero in publicis ecclesiis confessionem instituunt (quod dici etiam debet de vero et stricto sensu moniali, quae ob indultum extra monasterium degeret, *S. C. EE. RR. 27 aug. 1852*) possunt confiteri cuicum-

que sacerdoti ad confessiones mulierum excipiendas approbato. *S. C. EE. RR. 22 apr. 1827.* Cfr. *Normae pro approbandis novis Institutis vot. simpl. a. 149.* Quae facultas quum sit de iure communi, non potest ipsis ab episcopis coarctari. Cfr. Gennari *Consultazioni morali cons. 131.*

Episcopus autem potest eumdem sacerdotem pro pluribus monasteriis monialium aut religiosarum confessarium ordinarium deputare. *S. C. EE. RR. in una s. Christoph. de Habana 1 sept. 1905.*

Monialis seu religiosa, quae extra monasterium seu domum versatur, etiam deambulationis causa, potest in quacumque ecclesia ad quietem conscientiae suae apud quemcumque confessarium pro mulieribus approbatum confessionem suam facere sine ulla permissione superiorissae. Mon. eccl. *vol. XVIII pag. 41. n. 3.*

2789 **De designatione confessarii ordinarii. — Quinam sit designandus.** — Pro singulis monialium monasteriis unus dumtaxat confessarius deputandus est. *Const.* Ben. XIV « Pastoralis curae » *5 aug. 1748.*

Assignari nequit tamquam confessarius ordinarius regularis absque venia S. Congregationis (*S. C. EE. RR. 16 maii 1653;* cfr. tamen Bouix *de iure reg. p. 5. s. 5. c. 2, § 2. n. 17*) etiam pro sororibus votorum simplicium (*S. C. EE. RR. in una s. Christoph. de Habana 1 sept. 1905 ad 4*), neque parochus, si exinde cura animarum notabile detrimentum pateretur (*S. C. EE. RR. 7 mart. 1652*), neque canonicus poenitentiarius, si secus et ipse munus suum poenitentiarii explere non posset (Ferraris *Prompt. bibl. v.* « *Moniales* » *a. 5. n. 30 sq.*; Bouix *l. c. n. 12*), neque vicarius generalis. *S. C. EE. RR. 23 iun. 1851.*

Confessarii monialium sive ordinarii sive extraordinarii *maturae aetatis* esse debent (*Const.* Alex. VII « Felici » *20 oct. 1664*), idest iuxta plures qua. draginta annorum expletorum (*S. C EE. RR. 6 iun. 1620*), de qua tamen *determinatione* aetatis nulla exstat lex; decreta enim, quae eam exigunt potius directiva quam praeceptiva haberi debent, quum alia decreta vel maiorem (*S. C. EE. RR. 7 iun. 1620*) vel minorem (*S. C. EE. RR. 1 ian. 1840*) exegerint.

Quinam illum designant. — Pro mo- 2790
nialibus exemptis, quae praelato regulari subduntur, confessarium assignat praelatus regularis, approbatum tamen speciatim pro monialibus ab ordinario loci. B. P. *V. 407.* Pro monialibus episcopo immediate subiectis confessarium ipse episcopus assignat.

De lege triennii relate ad munus 2791
confessarii ordinarii quoad moniales. — Confessarius pro aliquo monasterio approbari nequit generatim, nisi ad triennium, nec, eo expleto, confirmari absque licentia Sacrae Congregationis (*S. C. EE. RR. 26 nov. 1602., 10 mart. 1634. 20 sept. 1642.*), quae ex peculiaribus causis aliquando concedit, ut confessarius ad alterum triennium (dummodo habeatur consensus duarum ex tribus partibus monialium), et ad tertium quoque (dummodo omnium et singularum monialium consensus accedat) confirmetur. Cfr. Bizzarri *Collect. ed. 1885 p. 13.*

2792 **Quasnam moniales et mulieres respiciat lex de triennio relate ad confessarium.** — Supradicta praescriptio, ut confessarii non durent ultra triennium, sed, eo expleto, immutentur, applicari debet tum monasteriis et conservatoriis, tum unicuique instituto mulierum, quae vivunt more communitatis, quaeque habent confessarios ordinarios, nisi speciali indulto ab hac lege eximanturo Haec lex urget etiam eas sarorum communitates, in quibus sorores saepissime de una in aliam domum transferuntur.

Respicit autem haec lex eos tantummodo confessarios, qui ad excipiendas harum mulierum confessiones, in domum Instituti se conferunt, non vero eos, apud quos mulieres e domo sua exeuntes confessionem in ecclesiis instituunt.

Tandem notandum, confessarium, qui ultra triennium, sine licentia S. Sedis, ad quam unice spectat hanc veniam facere, confessiones harum mulierum excipit, illicite quidem agere, sed valide absolvere. Haec omnia constant ex decreto S. C. EE. RR. *in Oregonopolitana 20 iun. 1875.*

Eadem S. Congregatio Episcoporum et Regularium decreto 7 dec. 1906 ad 7 respondens ad aliquod dubium declaravit legem de confessario ordinario pro singulis monasteriis deputando non respicere collegia puellarum, et proinde etiam legem triennii harum, confessarios non respicere. Exinde auctor ephemeridis « Monitore ecclesiastico » (*vol. XVIII. pag. 534*) deducit immutatam eo decreto fuisse disciplinam hucusque vigentem de confessariis puellarum in conservatoriis degentium. Idem fere putat Vermeersch (Periodica *III. n. 172*), qui affirmat etiam legem, quae est de monialibus, de puellis intelligi non debere; quum neque tridentina synodus neque Leo XIII in sua constitutione « Conditae a Christo » (*8 dec. 1900*) neque Benedictus XIV in constitutione sua « Pastoralis » (*5 aug. 1748*) de puellis loquantur. Verum quod ad Vermeersch attinet, evidens est ipsum fugisse saltem supra citatum decretum anni 1875 (quod vide in Collect. Prop. Fidei nov. edit. n. 1446). Quod attinet ad ephemeridem « Monitore ecclesiastico » advertere liceat quod « leges posteriores ad priores trahendae sunt » (*l. 27 de legibus D.*), et expedit « concordare iura iuribus et eorum correctiones, si sustineri valeant, evitari » (*c. 29 de electione* [*I. 6*] *in 6°*). Quo posito ex recentiori decreto non videtur dicendum antiquam legem fuisse abrogatam. Concordari enim inter se optime possunt. Scilicet novum decretum, meo iudicio, hoc unice dicit, legem de unico confessario ordinario deputando pro singulis monasteriis non respicere puellas conservatoriorum; et ubi non habetur unicus confessarius ordinarius non vigere legem de triennio. Quare ubi confessarius unicus haberetur adhuc vigere dicenda est antiqua lex, quam omnes doctores etiam pro puellis vigere affirmarunt et confirmavit decretum citatum anni 1875. Quae interpretatio videtur mihi etiam ex eo firmari quod videretur absurdum nolle Congregationem exigere pro puellis, quae maiorem necessitatem de hoc habere vi-

dentur, illud, quod exigit pro monialibus.

2793 **De potestate episcopi quoad prorogationem triennii.** — Sed an potest episcopus pro aliquibus diebus prorogare triennum confessario? Et ex iusta causa posse omnino videtur, quum in hac lege prohibitiva detur parvitas materiae. Cfr. Mon. eccl. *vol. XII. p. 183.*

2794 **De confessario extraordinario in ordinarium immutando.** — Triennium illius confessarii, qui, extraordinarie deputatus ad excipiendas harum mulierum confessiones, illico postea deputaretur pro iisdem mulieribus tamquam ordinarius confessarius, non includit tempus, quo tamquam extraordinarius earum confessiones excepit. Ferraris *Prompta bibl. v.* « *Moniales* » *a. 5. n. 22.*

2795 **De moniali nolente confessionem facere confessario ordinario.** — Annotanda etiam hic est sapientissima praescriptio Benedicti XIV in citata constitutione, ubi ait: « Actum deinde fuit de peculiaribus quibusdam monialibus, quae nec corpore infirmae nec morti proximae, ordinario tamen ministro confiteri obfirmate recusant. Istarum quoque animi debilitas commiseranda est et sublevanda; adeoque, ubi earum reluctantia superari nequeat, confessarius extra ordinem deputandus est, qui earum confessiones familiariter excipiat » Circa hunc confessarium, quum non sit confessarius ordinarius communitatis, non videtur vigere lex de triennio non praetergrediendo.

2796 **De confessario extraordinario monialibus exhibendo. — Quandonam sit exhibendus; quinam; de obligatione monialium se sistendi confessario extraordinario.** — Ter, aut saltem bis, in anno monialibus omnibus exhiberi debet confessarius extraordinarius (Conc. Trid. *sess. XXV. c. 10 de reg.*) eligendus ex approbatis ab episcopo pro monialibus; et ad hoc ii tenentur, qui et ordinarium assignant. *Const.* Ben. XIV « Pastoralis curae ». Defectum hac in re praelati regularis supplet episcopus, episcopi cardinalis poenitentiarius maior. *Const. nuper cit. Ben. XIV.*

Praelatus regularis, semel saltem in anno, extraordinarium confessarium vel ex alio ordine regulari, vel ex clero seculari, dare debet. *Const. cit. Ben. XIV.*

Moniales vero omnes tenentur se praesentare confessario extraordinario, quamvis confessionem apud ipsum peragere non teneantur. *Const. cit. Ben. XVI.*

Confessarius ordinarius, expleto triennio, non potest iisdem monialibus assignari ut extraordinarius, antequam annus ab exspiratione triennii elapsus fuerit, excepto caso, quo ob penuriam confessariorum ordinarius aliter providere nequeat. *S. C. EE. RR. in Mazarien. 7 dec. 1906 ad 2.*

Distinguendum est inter confessarios extraordinarios generales et particulares. Illi (generales) sunt ii, qui assignantur monialibus vel sororibus particularibus, quae nolunt confiteri confessario ordinario aut extraordinario communitatis; hi (speciales) vero ii, qui identidem exquiruntur a monialibus vel sororibus, quae ordinarie ad confessarios communitatis accedunt. Confessarii hi extraor-

dinarii sive generales sive particulares admittuntur; illi sine restrictione, hi vero tantummodo in casibus determinatis in const. *Pastoralis curae* Benedicti XIV, idest, ut in decursu articuli indicabimus in tribus casibus, scilicet in periculo mortis; quum aliqua soror obfirmate recusat confessario ordinario confiteri; quum pro maiori animi sui quiete atque ulteriori in vita Dei progressu aliqua monialis facultatem petit confitendi aliquoties sacerdoti ad excipiendas monialium confessiones approbato. *S. C. EE. RR. decr. cit. 7 dec. 1906 ad 1.* Exceptis tribus illis casibus a Ben. XIV recensitis, de quibus diximus, tolerari nequit ut confessarius ordinarius, expleto triennio, maneat extraordinarius particularis alicuius monialis. *S. C. EE. RR. decr. nuper cit. ad 3.*

Confessarii extraordinarii particulares lege triennii non tenentur. *S. C. EE. RR. decr. nuper cit. ad 5.*

2797 **Quandonam possit monialis confessarium extraordinarium exigere.** — Ut diximus, in articulo mortis cuilibet moniali postulanti concedi *debet* confessarius extraordinarius (*Const. nuper cit. Ben. XIV*); imo etiam extra articulum mortis, quoties, ut propriae conscientiae consulant, ad id moniales adigantur, quin superiores (quo nomine veniunt hic superiores, qui domui praesunt, sive vir sit, sive mulier, *S. C. EE. RR. 17 aug. 1891*) ullo modo petitionis rationem inquirant, aut aegre id ferre demonstrent. *S. C. EE. RR. 17 dec. 1890.* — Hoc autem intelligendum est de casibus verae et absolutae necessitatis; imo confessarius extraordinarius, si quando cognoscat non esse probabilem causam ad ipsum recurrendi, tenetur in coscientia ad declinandam (in posterum) confessionum sororum auditionem. *S. C. EE. RR. 1 febr. 1892.* Quare male ageret monialis, quae adeo frequenter ad extraordinarium confessarium accederet, ut ordinarium relinqueret. *S. C. EE. RR. decr. nuper cit.*

Hinc debent ordinarii in locis propriae dioecesis, in quibus mulierum communitates exsistunt, idoneos sacerdotes facultatibus instructos designare, ad quos pro sacramento poenitentiae recurrere eae facile queant. *S. C. EE. RR. decr. cit. 17 dec. 1890.*

Quid si superiores videant necessitatem petendi confessarium extraordinarium non adesse. — Superiores autem tenentur confessarium extraordinarium indulgere petenti, quamvis plane videant, necessitatem esse fictam, et vel scrupulis vel alio mentis defectu ab ipso petente apprehensam; nec persona istius extraordinarii confessarii designari debet a superiore, sed ipse subditus eligere potest inter approbatos ab ordinario quemcumque sibi placuerit. *S. C. EE. RR. 17 aug. 1891.* Imo ne ob motiva quaedam extrinseca (v. gr. quod forte confessarius extraordinarius a moniali vel sorore electus parum faveat monasterio seu instituto, vel quod idem iudicio superiorissae aliquam in communitate perturbationem inducere possit, etc.) licite potest superiorissa confessarium ex approbatis a sorore electum ipsi denegare; sed si adsint rationes vere graves, superiorissa debet eas subiicere ordinario, cuius iudicio standum est. *S. C. EE. RR. 5 aug. 1904.* 2798

2799 **Quid facere debeat episcopus in casu abusus ex parte monialium relate ad confessarium extraordinarium petendum.** — Quaesitum praeterea est, an episcopus, videns plures sorores constanter ad extraordinarium recurrere, silere debeat aut potius intervenire; et responsum est, intervenire eum debere hoc scilicet modo (et non aliter) ut moneat ordinarius moniales et sorores huiusmodi, dispensationem articuli quarti decreti « Quemadmodum » exceptionem tantum legi communi constituere pro casibus dumtaxat verae et absolutae necessitatis, quoties ad id adigantur. *S. C. EE. RR. 1 febr. 1892.* Quoad haec omnia confer Battandier *Guide canonique pour les coustitutions des instituts à vœux simples, Paris, 1905. n. 203 sqq.*

2800 **De vetito quandoque accessu confessarii ordinarii et extraordinarii ad monasterium.** — Quamdiu autem durat commissio confessarii extraordinarii, confessarius ordinarius nequit accedere ad monasterium. *S. C. EE. RR. ian. 1749.*

Confessarius autem extraordinarius, expleto suo munere, nequit amplius ad monasterium accedere sine necessaria venia (quae nempe pro omnibus regularibus ad alloquendas moniales requiritur), si sit regularis; secus, si sit secularis. *S. C. EE. RR. ian. 1749.*

Haec statuta sunt in declaratione constitutionis « Pastoralis curae » Benedicti XIV. Antea mitior erat disciplina; nam decreto 12 dec. 1708 Sacra Congregatio episcoporum et regularium statuerat, ut neque ordinarii neque extraordinarii confessarii accederent ad ea monasteria *ad audiendas confessiones,* tempore iam sui officii expleto, neque ab ulla monialium aut educandarum acciperent, aut ad eam mitterent litteras, nisi adesset specialis licentia.

De communione quoad moniales. 2801 **— De permissione accedendi ad communionem.** — Pro monialibus permissionem vel prohibitionem dare accedendi ad sacram synaxim dumtaxat ad confessarium ordinarium pertinet, quin superiores ullam habeant auctoritatem hac in re sese ingerendi, excepto casu gravis culpae externae post ultimam confessionem admissae, donec ad poenitentiae sacramentum denuo accesserint. *S. C. EE. RR. 4 aug. 1888, 14 dec. 1890.* Abrogatae etiam fuerunt constitutiones, quibus vetabatur, ne moniales, sive religiosi, sacram eucharistiam reciperent ultra certos et statutos dies (*S. C. EE. RR. 17 aug. 1891*), et huiusmodi catalogi communionum, etiamsi approbati fuerint a S. Sede, non habendi sunt tamquam prohibitivi, ne plures fiant communiones, sed praeceptivi, quoties rationabilis causa non obstat. *S. C. EE. RR. 4 aug. 1888.*

Quoad haec confer Battandier *loc. cit. n. 218 sqq.*

De modo distribuendi communionem monialibus. 2802 — Pro distribuenda sacra communione monialibus, quae habent chorum retro post altare (vel ab altari nimis distantem, *S. R. C. in Firmana 13 iun. 1893* [*3800*]), potest sacerdos, et debet, post recitatum a ministro vel ab ipsis monialibus « Confiteor », deponere ciborium ad fenestellam chori, et ibi ad

moniales conversus dicere « Misereatur etc. » et « Ecce Agnus Dei etc. » (*S. R. C. in Lincien. 6 febr. 1892 ad 14* [*3764*]); nec non orationes, quae in rituali habentur post administrationem communionis, et ibidem debet benedicere monialibus. Haec autem omnia tunc tantum locum habent, quum communio ministranda est extra missam et solis monialibus; non vero si simul aliis, ex. gr. ministro, esset distribuenda communio *S. R. C. decr. cit. 13 iun. 1893.*

2803 **De aliis quibusdam.** — Quoad vetitam ad aperitionem conscientiae inductionem ex parte superiorissarum relate ad moniales subditas vide *Aperitio conscientiae.*

Nota praeterea, sanctimoniales tertiarias alicuius ordinis regularis iurisdictioni episcopi subiectas, quae ius habent ad quasdam annuas absolutiones generales et benedictiones apostolicas suspiciendas, hos spirituales favores obtinere debere non ope religiosi vel sacerdotis secularis deputati a superiore ordinis respectivi, sed ministerio confessarii ab episcopo designati. *S. Congr. Indulg. 11 febr. 1903.* Imo ordinarius, sub cuius iurisdictione moniales tertiariae degunt, ad absolutiones generales et benedictiones apostolicas eisdem monialibus impertiendas, delegare potest sacerdotem sibi benevisum ad audiendas confessiones monialium non approbatum. *S. C. Indulg. 27 maii 1903.*

Confessarius monialium pro ipsis vices agit parochi; quare in earum ecclesia omnia illi competunt quae parocho in sua ecclesia parochialt; et hoc ad exclusionen omnium aliorum etiam cappellani. Mon. eccl. *vol. XVII pag. 376. n. 80.*

In articulo mortis confessarius ordinarius monialium hucusque exclusive poterat benedictionem apostolicam monialibus impertiri; nunc autem haec facultas extensa est., ita ut quandocumque alius quilibet sacerdos ad extrema sacramenta religiosis mulieribus votorum tum solemnium tum simplicium ministranda rite vocetur, eisdem animam agentibus apostolicam etiam benedictionem, etsi aliunde hac facultate non polleat, impertiri valeat ad normam ceteroquin apostolicae constitutionis Benedicti XIV « Pia mater » et servata forma in rituali romano praescripta. *S. U. I. 1 apr. 1909.*

Quoad dimissionem monialium recentiorum congregationum, vid. *Electio.*

Quoad moniales vero institutorum mere dioecesanorum nota sequentem responsionem S. Congr. episcoporum et regularium, quae ad dubium « An dispensatio votorum pro monialibus domorum filialium in dioecesi exsistentium diversa ab illa, in qua degit domus princeps, competat ordinario domus filialis vel potius ordinario domus principis », respondit: « ad 1um Affirmative; ad 2um Negative » *S. C. EE. RR. 21 apr. 1903.*

Pro dimissione monialium ordinum vere regularium, quae solemniter sunt professae, recurrendum esset ad S. Sedem.

Dos monialis, quae moritur volvente adhuc triennio votorum simplicium, non est restituenda heredibus

defunctae, sed monasterio manet *S. C. EE. RR. 26 mart. 1904.* Vid. *Dos.*

Cogentes mulierem ad ingrediendum monasterium, vel cogentibus cooperantes, et mulierem a velo accipiendo sine iusta causa impedientes incurrunt excommunicationem l. s. nemini reservatam. Conc. Trid. *sess. XXV. c. 18 de reg.* Haec excommunicatio, quum ab ipsa Tridentina synodo lata fuerit, viget etiam post constitutionem « Ap. Sedis ».

Nonnullae religiosae recentiorum congregationum consueverunt per aliquod temporis spatium plus minusve longum hospitio excipere in suis domibus, quae saepe exinde ad mera diversoria redacta sunt, extraneas personas. Res est periculi certe plena, quod removere volens emus card. Urbis vicarius, de mandato Ssmi Dni haec pro Urbis religiosis domibus statuit (*18 maii 1906*):

1° Absolute vetantur in religiosis sororum domibus hospitio recipi viri seculares.

2° Optandum esset ut vel ipsi viri ecclesiastici in iis domibus hospitio non excipiantur, quum facile illud hi invenire possint in multis collegiis vel religiosis virorum domibus in Urbe.

3° Unice his sororibus permittitur ut mulieres admittant et puellas, quae, solae quum sint, vitam amant a mundo remotam ducere; quod commodum difficile possent alio modo consequi. — Vid. *Abbatissa, Clausura, Collocutio, Examen, Exemptio.*

Schuppe Die neueren religiösen Frauengenossenschaften in ihren Beziehungen zum Ortspfarrer und zum Beichtvater; *Kohn Th.* De monialium et recentiorum congregationum mulierum confessario; *de Zulueta Fr.* The Sponse of Christ and daily Communion; *Arndt A.* Die Ordensschwestern und die tägliche Kommunion; reliquam bibliographiam quaere sub *Communio frequens, Congregationes religiosae,* etc.

Monitio. — Monitio canonica est 2864
comminatio censurae ab homine factâ, qua alicui praecipitur, ut intra certum ac praefinitum tempus aliquid praestet, secus hac vel illa censura plectendus. Suarez *de censuris disp. 3 sect. 8. n. 2 sq.*

Est semper necessaria (*c. 48 de sent. excomm. etc. X.* [*V. 39*]; *cc. 3. 5. 9. 13 eiusd. tit.* [*V. 11*] *in 6°*), nisi censura decreta iam fuerit praecepto, vel ita lata fuerit, ut ipso facto incurratur. Suarez *l. c. nn. 3. 4.* Secus sententia censuram infligens non solum est illicita, sed etiam invalida. *c. 4 tit. cit. X.* (*V. 39*); *c. 5 tit. cit.* (*V. 11*) *in 6°*).

Debet autem fiesi nomine superioris (Suarez *l. c. disp. 3 sect. 11. n. 1*), et esse trina (servato inter eas saltem duorum dierum intervallo) vel una pro tribus (servato inter ipsam et sententiam aliquorum [sex generatim requirunt, D'Ann. *I. 329. 25*] dierum intervallo, nisi urgentissima causa in utroque casu aliud faciendum suadeat. *c. 9 tit. cit.* [*V. 11*] *in 6°*).

Debet praeterea fieri ipsi reo, si personaliter feratur (Suarez *l. c. disp. 3 sect. 11. n. 4 sq.*), et coram testibus (*cap. 48 tit. cit. X.* [*V. 39*]); vel, reo absente, ad domum (*c. 3 de dolo et contum. X.* [*II. 14*]); vel, ignota et non reperta domo, edictis penes ecclesiam vel alio loco publico propositis. *c. 10 tit. cit. X.* (*II. 14*).

Fieri potest in scriptis, sed hoc non exigitur ad validitatem. Suarez *l. c. disp. 3 sect. 11 num. 2;* D'Ann. *I. 329 (25).*

In monitione, si in scriptis fiat absenti, accurate exprimendum est nomen et cognomen illius, qui admonetur. *c. 9 tit. cit. X. (V. 11) in 6°.*

Nota, monitionem non esse necessariam, quum censura non infligitur ut vera censura, sed ut poena vindicativa, quo modo numquam fertur excommunicatio. B. P. *VII. 108.*

Si quando a superiore ecclesiastico ferenda sit non quidem sententia censurae, sed sententia declaratoria de censura incursa, tunc, si agitur de censura incursa ob delictum notorium, ob quod censura ipso facto incurrenda fuerat praevie statuta, non requiritur praevia citatio et monitio; si vero agitur de censura incursa ob delictum non notorium, tunc etiam ad ferendam sententiam declaratoriam de censura incursa requiritur citatio rei, secus sententia est nulla. Cfr. *c. 19 de haereticis (V. 2) in 6°; S. C. C. in Albintimilien. 18 iun. 1746.*

2805 **Monomaniaci.** — Monomaniaci tenentur legibus, nisi circa eas insaniant. Sanchez *in dec. lib. I. c. 12. n. 4;* D'Ann. *I. 204 (33).*

2806 **Monopolium.** — Monopolium est potestas vendendi penes unum aut paucos tantum exsistens. G. B. *I. 912.*

Aliud est legale, seu auctoritate publica concessum; aliud privatum, quod opera unius aut plurium mercatorum exercetur. S. Alph. *III. 815.*

Licet primum seu legale, si iustam princeps habeat causam illud concedendi (Lessius *de iust. et iure lib. II cap. 21 num. 148 sq.*); imo et secundum seu privatum, dummodo tamen pretium rerum non augeatur supra summum, et alii mercatores dolo, fraude etc. non impediantur, quominus merces advehant et vendant. B. P. *III. 794.*

Mercatores conspirantes, ne merces suas vendant, nisi summo, licet iusto, pretio, peccant contra caritatem, non vero probabilius contra iustitiam (Lugo *de iust. et iure disp. XXVI. n. 172 sqq.*); nisi tamen quis ex aliis mercatoribus ab iis dolo etc. impediatur, quo minus merces viliori vendat pretio. Lugo *loc. nuper cit.*

Montes pietatis. — Montes pietatis 2807 vocantur pecuniae aliarumve rerum mutuabilium cumuli, ad id collecti, ut pauperes, dato pignore, quae sibi sunt necessaria ex eis accipere mutuo possint. G. B. *I. 879.*

Institutionem horum montium, quibusdam servatis conditionibus, honestam ac licitam declaravit Leo X *in Conc. Lat. V sect. 10;* cfr. etiam Conc. Trid. *sess. XXII. c. 8 de ref.*

Conditiones, quas ad horum montium liceitatem requirit Lessius (*de iust. et iure lib. II. c. 20. n. 190*) hae sunt:

a) ut ex illis detur mutuum ad certam summam pauperibus loci, non exteris aut divitibus (hoc tamen attingit potius conditiones primitivae institutionis, quam naturam ipsam horum montium);

b) ut ad certum tempus v. gr. ad annum, vel paullo amplius, id eis permittatur;

c) ut mutuatarii dent pignus idoneum;

d) ut singulis mensibus aliquid minutum solvant pro sumptibus necessariis ad montis conservationem;

e) ut, si tempore praescripto non solverint, vendatur pignus, et quod ex pretio, detracta sorte et menstruis detrimentis, superfuerit, illis restituatur.

2808 **Moralitas.** — Ea consistit primario in actuum humanorum habitudine ad legem aeternam. S. Th. *1. 2. q. 12. a. 4.* Secundario in eorum habitudine ad rectam rationem. S. Th. *1. 2. q. 19. a. 3*; cfr. etiam Billot *de natura et ratione peccati personalis c. 1. § 3 sqq.*

Actus in individuo indifferentes quoad moralitatem non dantur iuxta S. Thomam *1. 2. q. 18. a. 9.*

Actus externus nullam per se addit moralitatem actui interno (G.B. *I. 25*); sed actus malus externus declarandus est in confessione. G. B. *II. 301.*

Actus humanus obtinet certae moralitatis rationem ab obiecto, a circumstantiis, a fine B. P. *I. 83. sqq.*

Stein F. I. Historisch-kritische Darstellung der patholog. Moralprinzipien; *Schneider W.* Die Sittlichkeit im Lichte der Darwinischen Entwicklungslehre: *Ferretti A.* Il problema morale.

2809 **Morganaticum matrimonium.** — Matrimonium morganaticum non est confundendum cum matrimonio occulto seu conscientiae (de quo vide *Matrimonium*); quamvis enim et morganaticum matrimonium possit esse occultum, generatim tamen non contrahitur occulte, et certe hoc non requiritur ad habendum matrimonium morganaticum. Istud enim matrimonium illud dicitur, quod initur inter virum magnae nobilitatis cum muliere vel minus nobili vel etiam ignobili, cum hac conditione, ut tum mulier, tum filii suscipiendi, sint exclusi a paterna dignitate et hereditate, et contenti sint illis bonis, quae ex speciali pacto illis contingere debent, mortuo patre. In foro ecclesiastico admittitur, et est omnino validum quoad legitimitatem prolis et omnes canonicos effectus.

Moribundus. — Moribundus quilibet voce vel signo peccata confitens, vel absolutionem petens, est absolute absolvendus. G. B. *II. 317.* Qui vero hoc facere nequit, praesumi semper potest attritus, et saltem sub conditione absolvi potest et debet. S. Alph. *VI. 482*; Ball. *in Gury l. c. not. 51.* Recusans sacram. poenitentiae nullo modo potest absolvi. G. B. *l. c.* — Hinc moribundus quilibet sensibus destitutus, etiam in ipso actu peccati, absolvi potest. S Alph. *VI. 483.* 2810

P. I. Ferreres in accuratissima dissertatione, quam edidit, cui titulus: « La muerte real y la muerte aparente con relación á los santos sacramentos, Madrid, 1904 », dicit, ex recentioribus progressibus modernae scientiae probari, mortem realem non habere locum statim ac cessant generales vitae functiones, sed contra manere vitam in statu quodam latente longiori vel minori tempore pro varia corporis constitutione et morbi qualitate. In repentinis morbis putat, hunc statum vitae latentis perdurare aliquando ad tres usque dies; in ordinariis, saltem ad mediam horam, postquam infirmus ultimum spiritum exhalavit. Hinc concludit, debere sa-

cerdotem, durante tempore mortis apparentis, administrare neonato aut fetui praematuro sacramentum baptismi, adultis vero extremam unctionem et poenitentiam.

Quilibet sacerdos, etiam non approbatus, potest moribundum absolvere ab omnibus peccatis et censuris, etiamsi praesens sit approbatus (Ball. *in Gury II. 363. not. 16*); a reservatis quoque, etiam praesente superiore, aut alio facultatem habente. Conc. Trid. *sess. XIV de poen. c. 7.* Vid. *Confessarius.*

2811 **Mortui civiliter.** — Mortui civiliter ii dicuntur, qui ad mortem, ad triremes perpetuas, vel ad deportationem damnati fuerunt.

Motu proprio. — Vid. *Clausulae, Litterae apostolicae.*

2812 **Motus.** — Motus inordinati cum venerea delectatione directe voluntarii sunt peccata mortalia, item si iis obortis adhaereat voluntas. G. B. *I. 432. 8°;* cfr. etiam B. P. *II. 966.* Si autem a voluntate non pendeant, neque in se, neque in causa, et consensus eis non praebeatur, nulla erit culpa. G. B. *l. c.* Si eorum causa libere ponatur, quin tamen intendantur, eaque levis sit, motus hi facile excusabuntur a letali peccato. G. B. *l. c.;* cfr. S. Alph. *III. 484.*

2813 **Mozzetta.** — Eam deferunt episcopi in sua dioecesi. Tenentur autem eam deponere, praesente cardinali legato; aliis cardinalibus praesentibus, possunt eam retinere vel deponere ad arbitrium; in Italia est consuetudo, ut eam semper, cardinalibus praesentibus, deponant. *S. R. C. in Ianuen. 20 iul. 1621* (*388*).

Neque episcopus administrator (*S. R. C. in Liburnen. 23 sept. 1848 ad 2* [*2976*]), neque episcopus suffraganeus in aliena dioecesi, aut episcopus titularis possunt ea uti, sed adhibere debent mantellettam supra rochettum. *S. R. C. in una s. Iacobi de Chile 6 sept. 1895. ad 3* (*3873*).

Nec potest mozzettam deferre episcopus suffraganeus, praesente metropolitano. *S. R. C. in Rheginen. 17 mart. 1663 ad 2* (*1256*); *13 septem. 1898 ad 5* (*4001*). Archiepiscopus vero, transiens per dioeceses suffraganeorum, potest, etiam praesente suffraganeo, mozzettam deferre. *S. R. C. 3 dec. 1672* (*1459*).

Dominicis et aliis festis diebus episcopus nequit, indutus tantum mozzetta et rochetto, assistere missae solemni. *S. R. C. in Vallispraten. 22 ian. 1877* (*3411*). Diebus vero ferialibus, quandocumque episcopus accedit ad ecclesiam ad interessendum simpliciter horis canonicis, vesperis et completorio, aut etiam missae conventuali, non debet uti cappa magna, sed rochetto et mozzetta. *S. R. C. in Ferentina 12 ian. 1647* (*906*). Tunc autem non debet sedere in sede pontificali, sed in primo stallo chori (*S. R. C. in Oxomen. 24 iul. 1638* [*650*]), nisi aliter ex consuetudine faciendum sit. *S. R. C. in Curzuten. 31 maii 1670 ad 3* (*1401*).

Canonici et parochi, quocumque privilegio fruentes, etiam deferendi rochettum et mozzettam coram pontifice, in sacramentis et sacramentalibus conficiendis et administrandis interdicti sunt ab usu cappae, mozzettae et caputii, *S. R. C. decr. gen.*

12 iul. 1892 (3784). — In concionibus vero, nec non in publicis conventibus sacris, usus cappae, mozzettae et caputii permissus est iis tantum, qui eiusmodi insignibus gaudent, in solis tamen ecclesiis propriis, haud vero in alienis, privilegio pariter secluso, nisi in his capitulariter conveniant; numquam autem in aliena dioecesi. *S. R. C. decr. gen. nuper cit.*

Quoad episcopos regulares ex ordine non clericali notandum est, eos quum non utantur rochetto, deferre ubique mozzettam. Cer. ep. *lib. I. c. 1.*

2814 **Mulier.** — Mulier incapax est iure divino ordinum suscipiendorum, et saltem iure canonico ecclesiasticae iurisdictionis. *I. Cor. XIV. 34; c. 10 de poenitentiis etc. X. (V. 38)*; Suarez *de censuris disp. 2. sect. 3. n. 5;* Salmanticenses *Th. mor. tr. X. cap. 1. n. 48;* S. Alph. *VII. 12;* D'Ann. *I. 29 (14).*

Cohabitatio cum mulieribus, quae sit clericis interdicta, quae permissa, vid. *Cohabitatio*; vid. etiam *Femina.*

Quoad assistentiam mulieris in ecclesia, vide *Velum.*

An mulier possit respondere sacerdoti missam celebranti, vide sub *Minister.*

An cantare possit mulier in missis solemnibus, vide sub *Cantores.*

Iniquum est mulieribus operariis, *ex eo tantum quod mulieres sunt*, minus dare stipendium. Stipendium enim correspondere debet operi non sexui. Pariter contra iustitiam peccant ii omnes, qui mulieribus sanis et totam diem laborantibus minus tradunt stipendium, quam quod necessarium est ad vitam parce sed honesteducendam. Vid. *Stipendium.* Ceterum « huc prudenter tendendum est ut non iam alias partes habeant mulieres in exercendis industriis, nisi quae cum curis domesticis et sexus decentia plane congruant. Vere dici sic potest mulier *restituenda domui suae* » Vermeersch *Quaest. de iustitia n. 468.*

De ornatu mulieris vid. *Ornatus.*

Gaedicci S. Defensio sexus muliebris opposita disputationi: mulieres non esse homines; *Benckendorfii M.* Tract. de iure mulierum; *De Albertis Alb.* Paradoxa moralia de ornatu mulierum communia et explorata etc.; *Gothofredi I.* De velandis mulieribus deque exuvia capitis; *Bechmanni J.* De privilegiis mulierum; *Rota C.* Tract. de privilegiis mulierum; *Dornseiffen* De iure feminarum apud Romanos; *Laboulaye* Recherches sur la condition civile et politique des femmes; *Gide* Etude sur la condition privée de la femme dans le droit ancien et moderne; *Marghieri A.* Le donne avvocate, conferenza; *Vidari E.* La donna può fare l'avvocato?; *Bridel* La femme et le droit; *Moscatelli* La condizione della donna nella società primitiva e nell'antico diritto romano: *Muratori* La condizione civile delle donne: la « manus » nel diritto romano; *Emina* La donna in Roma antica; *Ciolfi E.* La donna avvocata; *Hammer Ph.* Die christl. Mutter in ihrem Berufe; *Bartsch R.* Die Rechtsstellung der Frau als Gattin und Mutter.

Munera. — Munera iudex pro ferenda sententia accipere nequit (vid. *Iudex*); hinc neque illi ea offerre fas est, quia esset cooperari peccato eius, nisi dentur ad redimendam iniustam vexationem; quo in casu tamen munera a iudice restitui debent, et a donante repeti possunt in iudicio post sententiam. G. B. *I. 953. 4.°* 2815

Si culpa sponsi sponsalia dissolvantur, non tenetur sponsa munera ab eo accepta restituere; si vero absque sponsi culpa, vel ex culpa sponsae id accidat, sponsa tenetur ea ex iustitia reddere. G. B. *II. 540. 4.°*

2816 **Musica sacra.** — Iuverit hic addere instructionem de sacra musica latine translatam (versionem ex originali italico fere desumpsimus ex *Acta S. Sedis vol. XXXVI. fasc. 427*), quam SS. DD. Pius X veluti codicem iuris sacrae musicae dedit in suo motu proprio « Tra le sollecitudini » *22 nov. 1903.*

« I. **Principia generalia.**

1. Musica sacra, prout pars integrans solemnis liturgiae, huius particeps est finis, qui gloriam Dei et sanctificationem christifidelium spectat. Ipsa decus ceremoniarum ecclesiasticarum adauget, et, quum eius praecipuum munus sit, concentu opportuno verba liturgiae exornare, ita eius proprius finis est ipsi textui maiorem addere vim, quo facilius fideles ad fidem et religionem excitentur, et abundantius percipiant gratiam, quae sacrorum mysteriorum propria est.

2. Quare musica sacra omnibus muneribus liturgiae praedita sit oportet, praesertim sanctitate, bonitate formarum, ex quibus sponte nota universalitatis derivatur.

Sit sancta oportet; eiiciat igitur e sacris profana non tantum in se, sed etiam quoad formam, qua a cantoribus proponitur.

Sit ars vera, ut in animis audientium illam habeat virtutem, quam ecclesia postulat, quum musicis liturgiam sociat.

Sit universalis hac ratione, ut, quamvis singulis nationibus liceat in musicis sacris admittere illos praecipuos modos, qui formam earum musicae constituunt, hi tamen modi legibus sacrae musicae subiiciantur, ne ullius alienigenae animus, eos audiens, perturbetur.

II. **De sacrae musicae generibus.**

3. Hae dotes praecipue inveniuntur in cantu gregoriano, qui proinde ecclesiae romanae proprius est, quem unice ipsa a maioribus accepit, et in codicibus liturgicis, volventibus seculis, fidelissime servavit, quem veluti proprium directe fidelibus proponit, et in aliquibus liturgiae partibus exclusive praecipit, quem denique novissima studia pristinae dignitati et integrati restituerunt.

His de causis cantus gregorianus ut exemplar optimum sacrae musicae semper est habitus, quum statui iure possit tamquam regula generalis: musica quaedam compositio eo est magis sacra et liturgica, quo in processu, in inspiratione, in sapore cantui gregoriano accedit, et eo est minus digna templis, quo magis a summo eo exemplari difformis invenitur.

Antiquus cantus gregorianus, quem nobis traditio transmisit, est igitur in sacris solemniis omnino instaurandus, omnesque pro certo habeant, sacram liturgiam nihil solemnitatis amittere, quamvis hac una concentus ratione peragatur.

Praesertim in populi usu cantus gregorianus instauretur, quo magis fideles, more maiorum, sacrae liturgiae sint rursus participes.

4. Quas supra exposuimus dotes, eae

optime etiam reperiuntur in classica poliphonia, praesertim romanae scholae, quae seculo XVI culmen perfectionis attigit opera Petri Aloisii Praenestini, quaeque etiam in posterum musica opera summi pretii liturgici et musici edidit. Classica poliphonia valde accedit summo cuiusvis sacrae musicae exemplari, quod est cantus gregorianus, quam ob rem una simul cum cantu gregoriano accepta est in solemnioribus liturgiis ecclesiae, quales sunt pontificiae supplicationes. Instauranda igitur et haec erit in ecclesiasticis supplicationibus, praesertim in insignioribus basilicis, in ecclesiis cathedralibus, in ecclesiis seminariorum aliorumque ecclesiasticorum institutorum, quibus plerumque pecuniae defectus non est.

5. Progredientibus artibus semper catholica ecclesia favit, in cultus ministerium recipiens quidquid boni et pulcri, vertentibus annis, hominis ingenium invenit, integris tamen legibus liturgicis. Hinc et recentius musices genus in ecclesiis recipitur, quum et ipsum offerat opera musica tantae excellentiae, maiestatis et gravitatis, quae liturgicis solemnitatibus nullimode sunt indigna.

Attamen, quum recentius musices genus praesertim in profanum usum fuerit adhibitum, curandum est, ne musices modi modernioris styli aliquid profani redoleant, ne in memoriam revocent concentus, qui in theatris concinuntur, et quoad formam quoque processum profanorum operum non imitentur.

6. Inter hodiernae musicae genera, quae sacris ritibus iungantur, omnium minime idoneus visus est stylus ille theatralis, qui seculo elapso, in Italia praesertim, maxime viguit. Is natura sua cantui gregoriano et classicae polyphoniae, ac proinde praecipuis sacrorum musicorum legibus repugnat maxime. Huius praeterea styli structura, rythmus, et qui vulgo audit « conventionalismus », legibus verae liturgicae musicae difficile accommodantur.

III. **De textu liturgico.**

7. Ecclesia romana latina lingua utitur. In sacris igitur liturgiis prohibetur quidlibet vulgari sermone canere, praesertim partes variantes vel communes missae et officii.

8. Quum singulis liturgicis actibus sint statuti textus, qui musicis cani possint, et ordo, quo cani debeant, nec hunc perturbare licet, nec statutis textibus ad arbitrium alia substituere, nec ea penitus aut ex parte omittere, nisi liturgicae rubricae concedant, ut organum aliqua verba textus, quae in choro recitentur, suppleat. Hoc unum licet, iuxta consuetudinem romanae ecclesiae, ut canatur cantiuncula (*mottetto*) in honorem ss. Sacramenti post *Benedictus* in missa solemni. Permittitur etiam, ut, absoluto missae offertorio, brevis cantiuncula canatur verbis ab ecclesia approbatis composita.

9. Textus liturgicus canendus est, ut invenitur in libris, sine verborum permutatione vel repetitione, sine verborum in syllabas scissione et semper ea ratione, qua a fidelibus audientibus intelligi possit.

IV. **De exteriore forma sacrorum musicorum.**

10. Singulae partes missae et divini officii eam et in musicis servent formam, quam eis dedit ecclesiastica traditio, quaeque optime refertur a cantu gregoriano. Quare non eodem modo componitur introitus, graduale, antiphona, psalmus, hymnus, Gloria, etc.

11. Sequentes praesertim normae sunt sequendae:

a) Kyrie, Gloria, Credo, etc. missae debent servare unitatem compositionis, quae propria est ipsorum textus. Quare non licet ea componere ita separatim, ut singulae eorum partes perfecta musica compositio videantur, nec unaquaeque pars seiungi a reliquis possit et alia substitui.

b In solemni vesperarum recitatione sequendum est ceremoniale episcoporum, quod in psalmodia praecipit cantum gregorianum, et musicum concentum (*musica figurata*) concedit hymno et versibus *Gloria Patri.*

Licebit tamen in maioribus solemnitatibus cantum gregorianum et eos, qui dicuntur *falsibordoni*, alternis psallere, aut versus simili modo apte compositos.

Concedi etiam aliquando poterit, singulos psalmos musice canere, dummodo forma propria psalmodiae servetur, idest dummodo cantores alternis psallere videantur modis, vel novis, vel e cantu gregoriano sumptis, vel huic similibus.

Excluduntur proinde et prohibentur in perpetuum psalmi, qui dicuntur « *di concerto* ».

c) In hymnis ecclesiae servetur forma traditionalis hymni. Quare non licet componere ex. gr. *Tantum ergo* ita, ut prior stropha videatur *romanza* aut *cavatina* aut *adagio*, « Genitori » vero *allegro.*

d) Antiphonae vesperarum cantu gregoriano proponendae sunt: quod si musice canantur, videri non debent concentus melodiae, neque cantiunculae amplitudinem habeant.

V. **De cantoribus.**

12. Praeter melodias celebrantis ad altare et ministrorum, quae cantu gregoriano semper cani debent sine organo, reliqua cantus liturgici spectant ad levitarum chorum; quare cantores ecclesiae, etsi laici sint, vices agunt ecclesiastici chori. Hinc musici concentus, qui canuntur, servare debent formam musicae choralis, saltem in potiori parte.

Ex hoc autem non excluditur cantus unius. Vox tamen unius numquam in liturgica solemnitate ita praevalere debet, ut maxima pars textus liturgici sic exsecutioni demandetur; videri potius debet simplex quaedam indictio melodica et colligata esse debet ceteris ad modum chori.

13. Ex eodem principio sequitur, cantores in ecclesia fungi officio vere liturgico; quare mulieres, quum eo officio incapaces exsistant, non possunt admitti ad chorum, seu musicis annumerari. Si igitur voce acutiore (*soprano*) vel acutae proxima (*contralto*) uti quis velit, iuxta perantiquum ecclesiasticum morem a pueris hae voces edantur.

14. Denique ecclesiasticis musicis (*cappella di chiesa*) accenseantur tantum viri religione et pietate conspicui, qui, pie et devote sacris quum

adsint, munere, quo funguntur, digni videantur. Convenit etiam, ut cantores, dum in ecclesia canunt, induant talarem vestem et superpelliceum; quod si in orchestris palam astantes prospicientibus sint, transennis celentur.

VI. **De organo et musicis instrumentis.**

15. Quamquam musica ecclesiae propria est musica pure vocalis, permittitur tamen etiam musica ad organum collata. Aliquando, intra certos limites et servandis servatis, admitti etiam poterunt alia instrumenta musica, semper tamen de speciali episcopi licentia, secundum praescriptiones ceremonialis episcoporum.

16. Quum semper cantus potiores partes debeat habere, organum vel alia instrumenta illum sustineant tantum, non opprimant.

17. Non licet longa praeludia cantui praemittere, vel partibus intermediis cantum interrumpere.

18. Sonitus organi, dum assonat in praeludiis et similibus, non solum huius instrumenti naturae accommodetur, verum etiam praeditus sit oportet omnibus qualitatibus, quibus vera musica sacra gaudet, quaeque in praecedentibus enumeratae sunt.

19. In ecclesia uti non licet cymbalo (*pianoforte*), neve instrumentis clamorem edentibus aut leviter canentibus, qualia sunt tympanum (*tamburo*), magnum tympanum (*grancassa*), catilli (*piatti*), tintinnabula (*campanelli*), et similia. (Talia non habentur instrumenta quae *oboes* et *clarinettes* vocantur, quae tamen moderate tantum et obtenta pro quovis opere ab ordinario licentia adhiberi possunt; e contra habentur ut talia, et excluduntur proinde, ea quae vocantur *trombones*, *tymbales* aut *tympanos* ut patet ex ipsis verbis huius articuli. *S. R. C. in Compostellana 13 nov. 1908*).

20. Prohibetur omnino musicorum coetibus (*bande musicali*) in ecclesiis sono concinere; in casu tamen aliquo speciali, episcopo annuente, licebit admittere electa quaedam instrumenta musica vocalia pro loco et circumstantiis, dummodo concentus musicus adhibeatur stylo gravi et omnino simili stylo organi.

21. In publicis supplicationibus potest episcopus permittere, ut musicorum coetus adsit, dummodo profani cantus omnino non concinantur. In votis est, ut in casu musicorum coetus concinat spiritualem canticum, latino vel vulgari sermone compositum, qui a cantoribus vel a piis congregationibus, quae supplicationi intersunt, praecinitur.

VII. **De amplitudine musicae liturgicae.**

22. Non licet ratione cantus aut sonitus sacerdotem ad altare longius, quam liturgica ceremonia requirit, detinere. Secundum ecclesiasticas praescriptiones *Sanctus* in missa ante elevationem perficiendus est, ideoque etiam sacerdos celebrans cantorum rationem habeat. *Gloria* et *Credo* iuxta gregorianam traditionem satis brevia sint oportet.

23. Generatim veluti abusus gravissimus damnandum est, in sacris solemniis liturgiam inferiorem locum habere et in complementum musicae adhiberi, dum contra musica non

est nisi pars et humilis liturgiae ancilla.

VIII. **De mediis praecipuis.**

24. Ut haec rite serventur, episcopi in propria dioecesi instituant, nisi iam fecerint, commissionem virorum sacrae musicae vere peritorum, qui, uti aptius episcopis videbitur, pervigilandi musicam, quae in ecclesiis dioecesis canitur, munus habeant. Nec tantum curent, ut musica sit optima, sed etiam ut cantorum viribus respondeat, et semper optime exsecutioni mandetur.

25. In seminariis clericorum et in ecclesiasticis institutis, secundum tridentina decreta, magna cum diligentia et amore colatur ab omnibus cantus gregorianus, quem nobis transmisit traditio, et superiores hac in re animum iuvenibus sibi subditis addant. Pariter, ubi fieri potest, inter clericos *schola cantorum* erigatur, quae sacram polyphoniam et optimam liturgicam musicam exsecutioni mandet.

26. In ordinariis lectionibus liturgiae, theologiae moralis et iuris canonici, quae theologiae auditoribus traduntur, ne omittantur ea, quae spectant ad principia et ad leges musicae sacrae, et discipuli pulcritudinem artis sacrae doceantur, ne clerici, studiorum cursu absoluto, his notionibus scientiae rerum ecclesiasticarum necessariis careant.

..27. Detur opera, ut restituantur, saltem apud principaliores ecclesias, antiquae *scholae cantorum,* quemadmodum iam pluribus in locis optimo successu actum est. Clero volenti haud difficile est, has scholas instituere, etiam in ecclesiis minoribus et ruralibus, quin etiam his scholis pueri et grandiores natu facilius ad parochum conveniunt suo ipsorum fructu et bono populi exemplo.

28. Curetur denique, ut, quo meliori modo fieri potest, scholae superiores musicae sacrae provehantur et augeantur, ubi sunt; excitentur, ubi non sunt. Valde enim interest, ut ecclesia ipsa provideat, secundum vera artis sacrae principia, institutioni suorum magistrorum, organicorum, cantorum.

IX. **Conclusio.**

29. Commendatur tandem magistris musicorum, cantoribus, viris ecclesiasticis, superioribus seminariorum et institutorum ecclesiasticorum ac communitatum religiosarum, parochis et rectoribus ecclesiarum, canonicis ecclesiarum collegiatarum et cathedralium, et praesertim ordinariis locorum, ut omni studio faveant his sapientibus reformationibus, iamdiu optatis et ab omnibus concorditer expetitis, ne contemnatur auctoritas ipsa ecclesiae, quae eas saepius proposuit, nunc vero rursus inculcat.

Datum ex aedibus Vaticanis in festo s. Caeciliae virg. et mart. *22 nov. 1903*, pont. nostri anno 1° — Pius PP. X».

Huic instructioni accessit sequens 2817
decretum sacrae Congregationis Rituum *Urbis et Orbis:* «SSmus Dnus Noster Pius PP. X Motu proprio diei 22 nov. 1903, sub forma instructionis de musica sacra venerabilem cantum gregorianum iuxta codicum fidem ad pristinum ecclesiarum usum feliciter restituit, simulque praecipuas praes-

criptiones, ad sacrorum concentuum sanctitatem et dignitatem in templis vel promovendam vel restituendam, in unum corpus collegit, cui tamquam codici iuridico musicae sacrae ex plenitudine apostolicae suae potestatis vim legis pro universa ecclesia habere voluit. Quare idem SSmus Dnus Noster per hanc Sacrorum Rituum Congregationem mandat et praecipit, ut instructio praedicta ab omnibus accipiatur ecclesiis, sanctissimeque servetur, non obstantibus privilegiis atque exceptionibus quibuscumque, etiam speciali nomine dignis, ut sunt privilegia et exemptiones ab apostolica Sede maioribus Urbis basilicis, praesertim vero sacrosanctae ecclesiae Lateranensi, concessa. Revocatis pariter sive privilegiis sive commendationibus, quibus aliae quaecumque cantus liturgici recentiores formae, pro rerum ac temporum circumstantiis, ab apostolica Sede et ab hac Sacra Congregatione inducebantur, eadem Sanctitas Sua benigne concedere dignata est, ut praedictae cantus liturgici recentiores formae in iis ecclesiis, ubi iam invectae sunt, licite retineri et cantari queant, donec, quamprimum fieri poterit, venerabilis cantus gregorianus iuxta codicum fidem in eorum locum sufficiatur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. — De hisce omnibus SS. Dnus Noster Pius PP. X huic Sacrorum Rituum Congregationi praesens decretum expediri iussit. *Die 8 ianuarii 1904* ».

2818 Addendum etiam hic est aliud decretum sacrae Congregationis Rituum *in Plocen. 29 ian. 1904,* quod hanc materiam respicit. « Quum quaedam ephemerides Polonicae, quae Varsaviae eduntur, nuper asseruerint, aliquem ordinarium huius provinciae Varsaviensis obtinuisse a S. Sede permissionem pro populo canendi iuxta antiquum morem, tempore missae solemnis, sine ministris sacris celebratae, varias cantilenas pias in lingua vernacula, omissis iis, quae a rubricis cani praescribuntur, hodiernus rmus dnus episcopus Plocensis a SS. Rituum Congregatione opportunam sequentium dubiorum solutionem reverenter expetivit:

1° Sitne reapse data talis permissio cuidam antistitum huius Varsaviensis provinciae?

2° In casu affirmativo ad I, estne hoc merum tantummodo privilegium pro una dioecesi, vel extendi potest ad omnes dioeceses huius provinciae?

3° In casu affirmativo ad II, suntne decreta SS. Rituum Congregationis n. 3365 Clodien. 7 aug. 1876, ad 7; n. 3496 Praefecturae Apostolicae de Madagascar 21 iun. 1879, ad 1; n. 3880 Bisarchien. 31 ian. 1896; et n. 3994 Plocen. 25 iun. 1898 ad 1 abrogata?

Et sacra eadem Congregatio ad relationem subscripti secretarii, exquisito etiam voto commissionis liturgicae, omnibus mature perpensis, rescribendum censuit:

Ad 1^{um}. Affirmative et ad tempus quoad supradictas cantilenas, die 22 aprilis 1899; sed haec permissio iam fuit revocata motu proprio SS. Dni Nri Pii Papae X super musica sacra 23 nov. 1903, et decreto SS. RR. C. Urbis et Orbis 8 ian. 1904.

Ad 2um. Provisum in primo.

Ad 2um. Negative, et serventur decreta praedictis Motu proprio et decreto Urbis et Orbis confirmata ».

2819 Iuverit etiam hic referre novum decretum S. Congregationis superiores normas explicans et confirmans scilicet: « Emus et rmus dnus cardinalis Iosephus M. de Herrera y de la Iglesia, archiepiscopus Compostellanus, ad Sacram Rituum Congregationem mittens elenchum tum festorum, quae in sua ecclesia cathedrali solemniter celebrantur cum musica vocali et instrumentali, vulgo *orquesta;* tum instrumeutorum, quibus musici utuntur in iisdem solemnitatibus; atque insuper interpretationem authenticam habere desiderans super iis, quae SSmus Dnus Noster Pius Papa X in *Motu proprio* super musica sacra statuit, nempe: " Aliquoties, servatis servandis, admitti possunt alia musica istrumenta, sed annuente episcopo, ut caeremoniale episcoporum praecipit ", eidem [Sacrae] Congregationi sequentia dubia enodanda reverenter proposuit, videlicet:

I. An, et in quibus festis permitti possit usus instrumentorum, quae (vulgo *violines, violas, violoncello, contrabajo, flauta, clarinetes, fagots, trompas*) in elencho recensentur?

II. An permitti possit usus instrumentorum in officio et missa defunctorum?

III. An proscribendus sit in ecclesiis parochialibus et conventualibus usus organi dicti *armonium* in officio et missa defunctorum?

Sacra porro Rituum Congregatio ad relationem subscripti secretarii exquisito voto commissionis super musica et cantu sacro, rescribendum censuit:

Ad I. Ad primam partem *affirmative;* ad secundam partem, in illis functionibus et temporibus, in quibus sonus organi aliorumque instrumentorum non prohibetur a caeremoniali episcoporum, a praedicto *Motu proprio* et a decretis S. R. C. uti *in Pisana* 20 martii 1903, et *in Compostellana* 8 ianuarii 1904, super triduo maioris hebdomadae; verum iuxta prudens ordinarii arbitrium in singulis casibus cum dispensatione a lege et praxi communi adhibendi in sacris functionibus cantum gregorianum vel musicam polyphonicam aut aliam probatam.

Ad II. In officio, *negative;* in missa et absolutione post missam, prouti in responso ad I et servatis servandis; ita ut sonus organi aliorumque instrumentorum tantum ad sustinendas voces adhibeatur, et sileant instrumenta cum silet cantus, iuxta caeremoniale episcoporum, lib. I, cap. 28, n. 13.

Ad III. Provisum in praecedenti.

Atque ita rescripsit, die 15 aprilis 1905 ».

Nec immerito hic recensentur nor- 2820
mae, quas editores servare debent ex praescripto S. Congr. Rituum, si quando uti voluerint facultate a ss. Dno Nro Pio X ipsis facta typis mandandi iuxta Vaticanam editionem cantum gregorianum a se restitutum. Sunt autem sequentes:

« I. Editores seu typographi cuiuscumque loci vel regionis, qui gregorianas melodias in Vaticana editione contentas imprimere voluerint, sive

aequali forma sive grandiori vel minori, sive omnes, sive aliquas tantum, ab eadem Sede Apostolica prius facultatem obtinere curabunt.

II. Ab unoquoque ex editoribus, qui huiusmodi pontificiam facultatem obtinuerint, haec erunt diligentissime attendenda:

a) Forma notularum aliorumque gregoriani cantus signorum ea debet servari quam maiores instituerunt et editio Vaticana adamussim exhibet.

b) Nihil praesertim mutari potest in ordine, quo eaedem notulae pro variis sonorum intervallis sibi succedunt.

c) Neque pariter in modo, quo ipsae notulae pro diversis neumarum, ut aiunt, formulis copulantur.

d) Absolutissima quoque verborum sacri textus relatio ad notulas cantus observetur, ita ut unaquaeque syllaba notulae vel notulis suis penitus subiaceat.

III. Editione parata ac confecta, nefas erit ipsam evulgare et in sacris functionibus adhibere cuique, nisi eam ordinarius loci declaratione munierit, qua de eius concordantia constet cum editione typica vaticana.

IV. Ordinarius vero declarationem huiusmodi non concedat, nisi prius censores in cantu gregoriano periti, collatione facta diligentissime, in scriptis, onerata conscientia, testentur novam editionem cum Vaticana omnino concordare.

V. Illis officii liturgici partibus, quae cantus diversos pro diversitate diei vel festivitatis admittunt, ut v. gr. hymni et ordinarium missae, melodiae possunt adaptari, quae in editione typica non reperiantur, et a Sacra Rituum Congregatione approbari, servatis debitis conditionibus, iis maxime quae in § *d*) motus proprii XXV aprilis MCMIV apponuntur. Minime vero tonorum seu cantuum huiusmodi varietates admittantur in caeteris partibus, v. gr. in antiphonis et responsoriis sive offici sive missae.

VI. Si autem agatur de officiis propriis alicuius ecclesiae vel ordinis regularis romanum ritum sectantis, aut de officiis noviter concessis, gregorianae eorum cantilenae, a viris peritis restitutae vel concinnatae, item Sacrae Rituum Congregationis approbationi subiiciantur, qua obtenta, ordinarius loci certior factus, ut supra, de concordantia cum originalibus a S. C. recognitis, declarationem requisitam concedet.

VII. Tolerari potest quod cantus gregorianus notulis musicalibus modernis edatur, dummodo periculum sedulo amoveatur, quominus ordo notularum ac neumarum quomodocumque deturbetur. Ordinarius itaque pro hisce editionibus in commodum fidelium approbationem suam concedere poterit, si ei constiterit, iuxta art. 4 et 6, de fideli conformatione cum editione typica vel melodiis approbatis.

VIII. Quandocumque liber sacrum cantum continens vel melodia quaelibet liturgica Sacrae Rituum Congregationi ad approbationem obtinendam subiiciantur, tria exemplaria ad eamdem mittenda sunt.

IX. Melodia gregoriana ad usum liturgicum a S. R. C. secundum normas praedictas destinata et commendata, ad sacrum ecclesiae romanae

thesaurum seu patrimonium, sicut ipse textus, pertinet.

Itaque quando novus textus fidelibus ab ipsa proponitur seu conceditur, cantus textui respondens ita simul concessus reputatur, ut nullus editor vel auctor querelam de eo movere possit, quod Apostolica Sedes easdem melodias ad alias extendat ecclesias.

Contrariis non obstantibus quibuscumque ». *S. R. C. 11 aug. 1905.*

2821 Aliud est etiam decretum hic non praetereundum, scilicet: « Sacra Rituum Congregatio necessarium atque opportunum iudicavit, quasdam instructiones seu leges circa cantus concinnandos atque edendos, officia propria alicuius ecclesiae vel instituti respicientes, statuere ac evulgare. Quae quidem instructiones seu leges, in audientia diei 24 vertentis martii a sanctissimo Domino nostro Pio Papa X approbatae ac sancitae, sunt quae sequuntur:

1. Praeter cantus, qui in editione vaticana habentur, alii exstant non pauci, qui, quum et ipsi ad usum liturgicum, licet peculiaris tantum loci, pertineant, propterea omnino debent (decr. 11 aug. 1905, V, VI) ad formam gregorianam concinnari, aut certe reduci, ut inde possint sacrorum Rituum Congregationis approbatione muniri.

2. Istiusmodi cantus, quamvis non universam spectent ecclesiam, nihilominus in potestatem cedunt Sedis Apostolicae, qui eos approbando facit suos, ac pleno prorsus iure potitur de forma usuque eorum admittendis, tollendis, limitandis et ita quidem moderandis, ut cantus etiam proprii singularum ecclesiarum cum typicis et inter se concordent.

3. Nec tamen ista suprema Sedis Apostolicae potestas super liturgicas cantilenas impedit, quominus firma maneant possessoribus consueta proprietatis iura, scilicet:

a) ordinario, super ecclesiae suae *proprium*, sumptum quidem universe; minime vero in partes, nisi omnino speciales;

b) auctori vel editori primo, si agatur de melodiis vel de aliquo *proprio* cuipiam ecclesiae non reservatis, ut esset v. gr. *Kyrie* in ordinario missae extra editionem typicam approbatum, aut *proprium* regionale; quae tamen, decennio elapso, publici iuris fiant, salvo semper Sedis Apostolicae dominio.

4° Praedictorum autem iurium usus sic temperatur, ut nullus ordinarius, auctor vel editor obstare queat, quominus alii, si conditiones infra notatas impleant, aliquem cantum proprium, suo verborum contextu, ut par est, instructum, typis pariter evulgent.

5° Quivis editor, cantus huiusmodi typis mandare cupiens, ad id admittatur a legitimo possessore, dummodo huic fidem faciat: *a*) de sufficienti ad rem perficiendam facultate et peritia; *b*) de praestanda eidem possessori debita remuneratione, cuius scilicet pretium excedere nequeat duplum expensae ad primam confectionem requisitae.

6° De moderatoribus supremis alicuius religiosi instituti idem valeat quod supra de ordinariis sancitum est, peculiaribus tamen servatis privilegiis a S. Sede antehac concessis.

Contrariis non obstantibus quibuscumque ». *S. R. C. 24 martii 1909.*

2822 In missa solemni et aliis functionibus, iis quoque in ecclesiis, in quibus est carentia magistri organi vel cantorum, non licet uti machina vulgo dicta *Grammofono* pro cantu stricte liturgico gregoriano partium variabilium missae solemnis, hymnorum et aliorum canticorum. *S. R. C. in Squillacen. 11 febr. 1910.* Vid. *Cantus.*

Mot. propr. Pii X « Tra le solecitudini » 22 nov. 1903; *Guidetti I.* Directorium chori ad usum omnium ecclesiarum cathedralium et collegiatarum; *Secchi A.* Hymnodia ecclesiastica; *Adami A.* Osservazioni per ben regolare il coro dei cantori della cappella pontificia ecc.; *Lebœuf* Traité historique et pratique sur le chant ecclésiastique; *Manni D.* Della disciplina del canto ecclesiastico antico; *Gerbert M.* De cantu et musica sacra a prima ecclesiae aetate usque ad praesens tempus; *Gerbert* Script. eccles. de musica sacra; *Kothe* Die Musik in der kath. Kirche; *Ambros* Geschichte d. Musik; *Schlosser* Die Kirche in ihren Liedern; *Coussemaker* Scriptorum de musica medii aevi nova series; *Strempfl* Grundsätze der kath. Kirchenmusik: *Schlecht R.* Geschichte der Kirchenmusik; *Pothier* Les mélodies grégoriennes; *Haberl* Die röm. Schola cantorum; *Karner* Der Clerus und die Kirchenmusik; *Krutscheck P.* Die Kirchenmusik nach dem Willen der Kirche; *Dreves* Aurelius Ambrosius der Vater des Kirchengesanges; *Katschtaler* Kurze Gesch. der Kirchenmusik; *Lans* Dix ans après le décret concernant les livres officiels de plain-chant; *Wagner P.* Einführung in die gregor. Melodien; *Kienle* Mass und Milde in kirchenmusikalischen Dingen; *Krutscheck P.* Rechtes Mass u. rechte Milde i. Kirchenmusik. Dingen; *Auer* Die Entscheidung der Congr. Rituum in Bezug auf Kirchenmusik; *Renner J.* Moderne Kirchenmusik u. Choral; *Birkle S.* Katechismus d. Choralgesangs; *Gevaert-Reiman* Ursprung des römischen Kirchengesangs; *Mitterer J.* Die wichtigsten kirchl. Vorschriften f. kath. Kirchenmusik; *Duclos A.* Sa Sainteté Pie X et la musique religieuse; *Lefebvre Hugues* Art. Législation de la musique d'église.

Mutilatio. — Se mutilare, seu aliquod corporis membrum sibi abscindere non licet (S. Th. *2. 2. q. 65. a. 1. c.; c. 4 dist. 55;* Lugo *de iust. et iure dist. X num. 21*), nisi sit necessarium ad vitae conservationem. S. Th. *2. 2. q. 65. a. 1 ad 3um.* 2823

Se evirare ad vitandas tentationes non licet (Lugo *l. c. n. 23;* Ball. *in Gury I. 391 [10]*), et est inutile. S. Th. *l. c. ad 3um;* Lessius *de iust. et iure lib. II. c. 9 dub. 14. n. 98.*

Nec alios mutilare licet, et planum est. Lugo *l. c. sect. 4. n. 108.*

S. Alphonso (*III. 374*) probabile est, licere parentibus filios castrare ad vocis conservationem, si absit morale vitae periculum, et non fiat pueris invitis. An recte? nam alii plures (Lugo *l. c. sect. 1. num. 23;* Ben. XIV *de Syn. lib. XI. c. 7. n. 3;* Lehmkuhl *Th. mor. I. 578*), contradicunt rotunde.

Non solum mandantes et exsequentes, sed etiam consulentes et cooperantes in iniusta alicuius membri (quod nempe habet in corpore proprium officium ab aliis distinctum) mutilatione (abscissione nempe, quia mutilare est separare a reliquo corpore) irregularitatem incurrunt. *c. 3 de homicidio (V. 4) in 6°;* Gasparri *de sacra ordinatione I. 421 sqq.* — Imo qui non alteri, sed sibi etiam solam membri partem, ex. gr. unum di-

gitum vel digiti partem, absciderit, evadit irregularis. *cc. 4. 5. 6. 7 dist 55; c. 3 de corpore vitiatis etc. X. (I. 20)*; Ben. XIV *de syn. lib. XI. c. 7. n. 2.* — Ab irregularitate, quae incurritur ob occultam mutilationem, quae ad forum contentiosum non fuerit deducta, potest episcopus dispensare (vid. *Homicidium*); imo haec facultas competit etiam praelatis regularibus quoad suos subditos ex constitutione Pii V «Romani Pontificis» *21 iul. 1571.*

2624 **Mutuum.** — Mutuum est contractus, quo res primo usu consumptibilis alteri traditur, cum obligatione rem similem reddendi statuto tempore, atque in eadem specie et bonitate. Inst. Iust. *quibus modis re contrah. oblig. (III. 14) prooem.;* B. P. *III. 675 et not. (b).*

Stricte praeceptum est dare mutuum pauperibus reddere valentibus, et in extrema necessitate versantibus (B. P. *III. 679; II. 202*); item et divitibus, qui eo summe indigeant. B. P. *III. 679;* G. B. *I. 850.* Hoc praeceptum tamen est ex caritate, quae non obligat cum gravi incommodo. Ball. *in Gury I. 850 (3).*

Iure italico rei mutuatae dominium, ac proinde commodum omne et omne periculum, transit in mutuatarium; quare, si res mutuata perierit, mutuatario perit. *C. C. a. 1820.* Mutuatarius restituere debet mutuatori tantum, quantum recepit ab ipso, imo eodem genere eademque qualitate et quantitate *(C. C. a. 1828)*, sive creverint pretia rerum, sive decreverint; debet quoque restituere eo loco, quo accepit, ex eodem articulo codicis; ex quo etiam, si eodem genere restituere non potest, rei aestimationem (*il valore*) potest solvere, respectu habito ad tempus et ad locum, quibus rei restitutio iuxta pacta conventa facienda erat. Si autem nihil quoad hoc fuerit statutum, solutio fieri debet iuxta aestimationem illius temporis, quo mutuator petiit, et illius loci, quo debet fieri restitutio. — Si crediti fuerint nummi, restituendi hi sunt iuxta eorum praesentem extrinsecum valorem (*C. C. a. 1821*), nisi aliud convenerit. *C. C. a. 1822.*

Mutuum est contractus per se gratuitus. B. P. *III. 677.*

Lucrum immediate proveniens ex mutuo, seu praecise vi mutui, et absque iusto alio titulo, dicitur usura, quae est prorsus illicita. Vide *Usura.*

Kitzelius De rebus creditis; *Matthaeus* De rebus creditis; *Goeddaei I.* Comm. de rebus creditis sive de mutuo; *Massilia A.* De mutuo et an mutuum sit alienatio; *Regneri C.* De mutuo; *Lindemann Th.* Practici tractatus tres de actionibus earumque formulis, de contractu mutui et de iure protomiseos; *Wissembach I.* Vindiciae de mutuum esse alienationem; *Salmasii C.* Tractatus de mutuo (ubi defenditur mutuum non esse alienationem); *Goesii W.* Vindiciae pro recepta de mutui alienatione sententia; *Fabrotti* C. Replicatio adversus Claudii Salmasii refutationem, in qua mutuum alienationem esse ostenditur; *Lectii Barth.* Dissertatio in mutuo non dari alienationem; *Lauterbach* De mutuo; *Mauli I. A.* Thesaurus theorico-practicus (ubi etiam de mutuo); *Besoldus* De mutuo et SC. Macedoniano; *Alderisii A.* Tract. de contractibus symbolicis (ubi etiam de mutuo); *Ab Idsinga H.* Diss. de mutuo et veteri literarum obligatione; *Hoyer C. T.* Diss. de mutuo secundum iuris rom. et hodierni prin-

cipia ; *Vignon* Du prêt à intérêt ; *Huschke* Lehre d. röm. R. vom Darlehn ; *Mirabelli G.* Contratti speciali: concordato, mutuo ecc.; *Modeste* Le prêt à intérêt, dernière forme de l'esclavage ; *Paperoni* Du prêt à intérêt en droit rom.; *Mallet* Du prêt à intérêt en droit rom. ; *Borcholt* De rebus creditis.

N

2825 **Natales.** — Defectus natalium irregularitatem inducit. Vide *Illegitimitas.*

Natalitia dies. — Quoad celebrationem diei natalitiae sanctorum, vide *Centenarium.*

Nativitas. — In quantum dicit modum acquirendi dominium per accessionem, vid. *Accessio.*

2826 **Nativitas D. N. I. Ch. — De trina celebratione eo die permissa, et de eo, qui duas aut unam tantum missam celebrat.** — In ecclesia latina licet sacerdoti ter ea die celebrare, non tamen in nocte, nisi ex indulto Apostolico (*S. R. C. in Aretina 18 sept. 1871* [*2520*]; quod post constitutionem *Sapienti Consilio* a S. Congregationem Sacramentorum est expetendum et dandum, non vero a S Congregatione Rituum, *S. C. Cons. 14 mart. 1910*); vel ex licentia episcopi, iusta de causa.

Attamen haec est permissio, non praeceptum. Quare sacerdos, qui vult ea die celebrare, potest etiam unam, aut duas tantum missas celebrare (*S. R. C. in Lucerina 19 iun. 1875* [*3355*]); et in hoc casu, sacerdos, qui unam tantum missam celebrat, debet eam missam legere, quae respondet melius horae, in qua celebrat (*S. R. C. in una ord. Carthus. 19 iun. 1875* [*3354*]), idest, si in media nocte ex privilegio, primam, si in aurora, secundam, si mane facto, tertiam (*S. R. C. in Calaguritana 13 febr. 1892 ad 21* [*3767*]); et haec regula applicanda est etiam sacerdoti, qui duas tantum missas celebraret, ita ut, si ante auroram, primam et secundam, si in aurora vel post eam, secundam et tertiam legere deberet.

Duplex autem potest esse modus abluendi digitos in prima et secunda missa huius diei pro sacerdote, qui tertiam quoque missam celebrat, scilicet vel abluere digitos in vase mundo et vacuo, ministro vinum et aquam de more infundente, quam ablutionem in fine tertiae missae sacerdos cum ultima ablutione sumat; vel abluere digitos in vasculo iam parato, uti fit post distributionem s. communionis, quam aquam sacerdos vel sumat cum ultima ablutione, vel relinquat in sacrarium effundendam; hic alter modus est magis expeditus et est conformis praxi universali. *S. R. C. in Lincien. 6 febr. 1892 ad 15* (*3764*).

Patet autem in prima et secunda missa, si celebratur tertia, calicem non esse purificandum. *S. R. C. 16 sept. 1702* (*2104*).

2827 **De prohibita vel permissa celebratione missae de nocte.** — Diximus in *nocte* Nativitatis Domini non posse missas celebrari. Hoc autem intelligendum est de missis privatis aut lectis; nam primam ex tribus missis celebrare solemniter statim post mediam noctem licet etiam sine indulto, ut patet ex ipsis rubricis generalibus missalis *tit. XV. n. 4.* Circa hanc vero missam notandum est, eam iuxta rubricas post mediam noctem esse inchoandam; contrariam vero consuetudinem eam incohandi ante mediam noctem, ita ut, media nocte pulsante, sacerdos sit in puncto consecrationis (*S. R. C. in una Soc. Iesu 11 maii 1878 ad 15* [*3448*]), vel iam fuerit decantatum evangelium (*S. R. C. in Cuneen. 2 iun. 1883 ad 10* [*3576*]), esse abusum omnino tollendum. Celebrata autem solemni hac missa, non licet, etiam sacerdoti, qui eam celebravit, alias duas immediate post celebrare, sine apostolico indulto. *S. R. C. decr. cit. apr. 1641; in Bituntina 14 nov. 1676* (*1584*), etc.

Pariter ex recenti concessione a Pio X facta licet nunc tres rituales missas vel etiam, pro rerum opportunitate, unam tantum etiam privatam seu planam celebrari in omnibus et singulis sacrarum virginum monasteriis clausurae legi subiectis aliisque religiosis institutis, piis domibus et clericorum seminariis publicum aut privatum oratorium habentibus cum facultate sacras species habitualiter ibidem asservandi. *S. U. I. 1 aug. 1907.* Haec autem permissio pro *oratoriis* facta extendi nequit ad ecclesias, quae scilicet publico fidelis populi usui inserviunt (*S. U. I. 26 nov. 1908 ad 2*); hac ita intelligenda ut in oratoriis pubblicis missae celebrari possint apertis ianuis. *S. U. I. decr. nuper cit. ad 1.* Fideles his missis astantes satisfaciunt ea auditione praecepto audiendi missam. *S. U. I. decr. cit. 1 aug. 1907.*

Caecutientes, habentes privilegium dicendi missam votivam de B. Virgine, non possunt in die Nativitatis Dni ter eamdem missam votivam celebrare. *S. R. C. in Barcinonen. 11 apr. 1840 ad 31* (*2802*).

2828 **De stipendio quoad tres missas ea die.** — Die nativitatis Domini non solum sacerdotes tres missas celebrare possunt, sed etiam pro ipsis tria possunt accipere stipendia. Gasparri *de euch. I. 395.* Nonnulli quaestionem fecerunt, an, qui curam habent animarum, teneantur hac die nativitatis tres missas pro populo applicare. Sed videtur quaestio otiosa; nam celebratio trium missarum ea die non est de praecepto.

2829 **De distributione communionis in missis, quae in nocte celebrantur.** — Qui habet privilegium celebrandi missam in nocte, non ideo habet etiam privilegium distribuendi in ipsa nocte sacram synaxim; sed haec duo sunt privilegia omnino distincta. Cfr. *S. R. C. in Pisauren. 20 apr. 1641* (*752*), *7 dec. 1641* (*781*).

Hoc privilegium implicite datum intelligitur illis monialibus, quae in regulis suadentur communicari in missa mediae noctis die nativitatis Dni., si hae regulae approbatae sint a Sede apostolica. *S. R. C. in Urgellen. 7 aug. 1871 ad 9* (*3254*).

Pariter in oratoriis privatis et publicis in quibus, ut supra diximus, permissum est ea nocte tres missas celebrare, licet quoque sacram communionem *omnibus pie petentibus* ministrare *S. U. I. 1 aug. 1907.*

2830 **De liturgicis quibusdam.** — In 2ª et 3ª missa cantata in die Nat. D. N. I. Ch. patena de more tenetur a subdiacono ab offertorio ad Pater, licet prius superposita fuerit calici nondum purificato. *S. R. C. in Veronen. 11 sept. 1847 ad 6* (*2956*).

Imago Iesu pueri, nativitatis tempore, principe loco super altare exposita turificanda est post crucem triplici ductu, eodem prorsus modo, quo incensatur crux cum imagine crucifixi. *S. R. C. in Romana 15 febr. 1873* (*3288*).

Expositio ss. Sacramenti in nocte nativitatis Dni non probatur, quippe quae extra consuetudinem omnium ecclesiarum est. *S. R. C. in Portugallien. 17 sept. 1785 ad 4* (*2528*).

In die Nativitatis Dni preces in fine missae a Leone XIII praescriptae, dicendae sunt toties, quoties sacerdos ab altari discedit, ita ut, si sacerdos tres missas continenter dicat, post tertiam tantum dicantur (*S. R. C. in una s. Hippolyti 30 apr. 1889* [*3705*]; *in Macaonen. 10 maii 1895 ad 7* [*3855*]); imo, si post secundam missam statim sequatur tertia missa solemnis, omittendae sunt. *S. R. C. in Agrigentina 11 dec. 1896 ad 1* (*3936*).

2831 **De ieiunio in vigilia nativitatis Domini.** — In vigilia nativitatis Domini (etiamsi festum nativitatis incidat in feriam secundam) in collatiuncula vespertina ex consuetudine sumi potest ciborum quantitas duplo maior. B. P. *II. 1125.*

An hoc liceat illi, qui anteverteret refectionem vespertinam? Negat recise Lehmkuhl (*Th. mor. I. 1215. 4*) sed hoc S. Alphonso (*III. 1025*) probabilius solummodo est.

Ad canendum martyrologium in vigilia Nat. Dni adhibendum est pluviale coloris violacei et non albi. *S. R. C. in Tuden. 22 mart. 1817* (*2573*). — Vid. *Aurora.*

Notandum. — In die nativitatis Do- 2832
mini fideles non tenentur praecepto audiendi tres missas, sed ad unam dumtaxat audiendam obligantur.

Navigantes. — **De confessione na-** 2833
vigantium. — Ad eos absolvendos requirebatur et sufficiebat ex universali consuetudine approbatio episcopi loci, a quo suscipitur navigatio; quae consuetudo approbata erat a Sacra Congregatione s. Officii *17 mart. 1869.*

Nunc autem statutum est, ut sacerdotes quicumque, transmarinum iter arripientes, dummodo a proprio ordinario confessiones excipiendi facultatem habeant, possint in navi, toto itinere durante, fidelium secum navigantium confessiones excipere, quamvis forte inter ipsum iter transeundum, vel etiam aliquamdiu consistendum sit, in diversis locis diversorum ordinariorum iurisdictioni subiectis. *S. U. I. 4 apr. 1900.*

Haec facultas postea extensa est ita ut sacerdotes navigantes, qui facultatem habent excipiendi confessiones sive a proprio ordinario, ex cuius dioecesi discedunt, sive etiam *ab ordinario portus, in quo navim conscendunt, vel ab ordinario portus*

cuiuslibet intermedii, quoties, durante itinere, navis consistat, possint confessiones excipere non solum eorum, qui secum navigant, sed omnium fidelium, qui quavis ex causa ad navim accedunt vel qui, ipsis forte in terram obiter descendentibus, confiteri petunt, eosque possint valide ac licite absolvere etiam a casibus ordinario loci forte reservatis, dummodo tamen, quod ad secundum casum spectat, nullus in loco vel unicus tantum sit sacerdos approbatus et facile loci ordinarius adiri nequeat. *S. C. I. 12 dec. 1906.*

2834 **De missa in navi celebranda vel non.** — In navi nemo potest sine privilegio ipsius apostolicae Sedis missam celebrare; quare hanc facultatem sacerdotibus nequeunt facere sive ipsorum ordinarii, sive episcopi, in quorum dioecesi adsunt portus maris; imo hanc facultatem neque missionarii apostolici, vi huius tituli, neque sacerdotes, qui privilegio fruuntur celebrandi ubique, possunt sibi sumere. *S. R. C. in Vicen. 4 mart. 1901.*

Cappellae navium, aut altaria in ipsis navibus erecta, si cappella locum fixum habeat in navi, uti publica pro navigantibus habenda est; secus neque publica est, neque privata, sed habetur uti altare portatile. *S. R. C. decr. nuper. cit.* In his autem cappellis seu altaribus celebrari valent missae de requie concessae per decreta « Aucto » 8 iun. 1896 ad 2 (3903) et in Romana 12 ian. 1897 (3944). *S. R. C. decr. nuper cit.* Notandum praeterea est, omnes, qui in dictis cappellis sacrosanto missae sacrificio astant, posse illud audire in adimplementum praecepti de sacro in festis audiendo. *S. R. C. in Vicen. 10 maii 1901.*

Ut praecaverentur abusus, qui aliquando in celebratione missae, durante maritimo itinere, occurrerunt. Sacra Congregatio de Propaganda Fide nuperrime omnibus missionariis suae iurisdictioni subiectis, et speciali indulto fruentibus celebrandi in mari ss. missae sacrificium, praecepit, ut, quoties eo privilegio utuntur, sedulo et religiose servent praescriptas regulas in ipso apostolicae concessionis rescripto apponi solitas; ut scilicet videant, utrum mare sit adeo tranquillum, ut nullum adsit periculum effusionis sacrarum specierum e calice; ut curent, ut alter sacerdos, si adfuerit, rite celebranti assistat; nec non ut, si in mari non habeatur cappella propria aut altare fixum, caveant omnino, ne locus ad missae celebrationem delectus quidquam indecens aut indecorum praeseferat, quod certe eveniret, si augustissimum altaris mysterium celebraretur in cellulis pro privatis viatorum usibus destinatis. *S. C. P. F. 1 mart. 1902.* Attamen, si adiuncta removeant quaecumque irreverentiae pericula, etiam in his cellulis posset missa celebrari. *S. C. P. F. decr. ad vic. ap. Madagascar cent., quod est explicativum superioris decreti et refertur a Monit. eccl. vol. XV pag. 68 sine data.*

Navis. — Navis novae benedictio 2835
est functio privative parochialis. *S. C. C. 12 sept. 1891 contra decretum contrarium S. R. C. in Papien. 13 iun. 1671 (1424).* — Celebrare missam in navi non licet sine apostolico indulto. S. Alph. *III. 356.* Vid. *Navigantes.*

2836 **Necessitas.** — Necessitas proximi diversi ordinis est.

Alia est *extrema,* quum periculum aeternae damnationis aut mortis alterius, vel mali morti fere aequalis, ita proximo instant, ut hic, moraliter loquendo, sine alterius auxilio illud evadere non possit.

Alia *gravis,* quum ex circumstantiis aeterna salus valde difficilis, vel temporalis vita valde molesta redditur.

Alia *communis,* in qua quis sibi providere potest sine magna difficultate. S. Alph. *II. 27;* G. B. *I. 220;* D'Ann. *II. 84;* Génicot *Th. mor. I. 222.*

Quomodo in inaquaque subveniendum sit proximo, et quonam cum proprio incommodo, vide *Caritas, Eleemosyna.*

In extrema necessitate licet unicuique uti bonis alienis, quantum satis est ad se eximendum a tali necessitate. S. Th. *2. 2. q. 66. a. 7.*

2837 **Necromantia.** — Necromantia est species divinationis, qua fit inquisitio de occultis ope daemonis, sub externa specie invocationis mortui. Excusatur aliquando a mortali ob simplicitatem, ignorantiam. G. B. *I. 266. sqq.*

Negligentia. — Quoad supplendam negligentiam praelatorum, vid. *Devolutio.*

2838 **Negotiatio.** — ***De natura negotiationis.*** — Alia est propria, alia impropria.

Proprie dicta negotiatio consistit in habitu emendi res fungibiles aut etiam non fungibiles mobiles, ut carius sub eadem forma vendantur. Reiffenstuel *in tit. 1 lib. III Decr. n. 131;* Lessius *de iust. et iure lib. II. c. 21. n. 4;* Lugo *de iust. et iure disp. XXVI. n. 21.*

Nota proinde, quod, quum proprie dicta negotiatio consistat in habitu etc., si quis clericus semel aut iterum negotiationis prohibitae actum poneret, nec graviter peccaret (Barbosa *Iur. eccl. univ. lib. I. c. 40. n. 120;* D'Ann. *III. 156*), nec vere esset negotiator in sensu iuris.

Impropria negotiatio locum habet, quum res acquiruntur, ut in aliam formam transmutentur, et postea maioris pretii capaces effectae pluris vendantur. Santi *in tit. 50 lib. III Decr. n. 3.*

Nota autem emptionis et venditionis nomine venire hic etiam permutationes. Cfr. Lessium *de iust. et iure lib. II. c. 21. n. 4;* Lugo *de iust. et iure disp. XXVI. n. 21;* B. P. *III. 821;* Reiffenstuel *in tit. 1 lib. III Decr. n. 131.*

Ex his deducere cum Ballerini-Palmieri (*III. 822*), ad negotiationem proprie dictam requiri:

a) ut res ematur et vendatur;

b) vendatur immutata;

c) vendatur carius;

d) et empta sit, ut carius immutata venderetur.

De negotiatione proprie dicta. — 2839 Negotiatio proprie dicta clericis (omnibus, etiam minorum ordinum, Fagnanus *in c. 1 tit. 50 lib. III Decr. n. 83;* Schmalzgrueber *in eumd. tit. n. 25*) est absolute interdicta (*c. 2 dist. 88; c. 4 dist. 91; c. 6 ne clerici vel monachi etc. X.* [*III 50*]; Conc. Trid. *sess. XXII. c. 1 de ref.*); contractus tamen, quos clericus le-

gem hanc infringens faceret, sunt validi.

Peculiariter vero a S. Congr. Episcoporum et Regularium (*aug. 1707*) declaratum est, superiores quorumcumque ordinum, congregationum, etc., nec non particulares religiosos utriusque sexus, et ecclesiasticos quoscumque, non posse, sive religionis ac loci pii nomine, sive particulariter, per se vel per alios exercere in suis conventibus, seu domibus, aut alibi, in quocumque loco, venalem artem aromatariam, praeterquam pro suis aut alumnorum usibus, nec ullo modo secularibus aut religiosis et ecclesiasticis pharmaca, aut alia cuiusvis generis medicamenta, vendere, etiam praetextu amicitiae et familiaritatis, quibusdam tantum exceptis, et sub certis poenis, quas vide in ipso decreto apud Bizzarri *Collect. ed. ann. 1885. pag. 338.* Quod hic de pharmacis dicitur, declaratum iam fuerat non solum quoad pharmaca, sed etiam quoad carnes aut alia quaelibet opificia quomodocumque elaborata et ornata. *S. Congr. Visit. apostolicae iussu Urbani VIII. 29 aug. 1637.*

2840 **De negotiatione per alios facta.** — Negotiatio per alios iuxta antiquos canonistas non erat prohibita; at Benedictus XIV (*Const.* « Apostolicae » *25 febr. 1741*) etiam ab hoc negotiationis modo clericos prohibuit; imo statuit, ut, si negotia a laicis incepta ad clericos deferrentur quovis titulo, puta hereditatis, dimitterentur statim, si fieri posset; si autem sine detrimento id non posset fieri, ea negotia ad tempus per laicam personam pertractarentur, expetita facultate S. Congr. Concilii intra Italiam, vel episcopi extra Italiam. Hanc prohibitionem Benedicti XIV confirmavit Clemens XIII const. cit. 27 sept. 1759, idemque simul prohibuit, ne clerici per alios etiam exercerent cambium activum, seu partes campsoris agerent.

De negotiatione in casu necessitatis. — Notandum vero est, doctores communiter censere in necessitate sua vel suorum (quae probabiliter sit necessitas gravis ad statum decentem, Sporer *Th. mor. tr. VI. c. 5. n. 102*) non esse illicitum clericis negotiari. Castropalaus *Th. mor. tr. XVI disp. 4. p. 13. § 3. n. 8.* 2841

Nihilominus Clemens XIII constitutione sua « Cum primum » (*27 sept. 1759*), ad praecavendos abusus voluit, ut, vel necessitate exsistente pro sua suorumve sustentatione negotiatio non susciperetur sine dispensatione sedis Apostolicae intra Italiam, aut episcopi extra Italiam.

De poenis in clericos negotiatores. 2842
— **De poenis in clericos generatim.** — Negotiatio clericis prohibita est sub poena excommunicationis (*c. 6 tit. cit. X.* [*III. 50*]), suspensionis (*c. 2 dist. 88*), et degradationis (*c. 4 dist. 91*); quae poenae sunt ferendae sententiae.

Hae omnes poenae a Tridentino confirmatae sunt *sess. XXII. c. 1. de ref.*

Bona a clericis quibuscumque illicita negotiatione acquisita, quae exstant post ipsorum obitum, spectant tamquam spolia ad Cameram apostolicam. *Const.* Pii IV « Deus » *3 nov. 1560.*

Clerici illicite negotiantes amittunt etiam privilegium immunitatis (ipso facto quoad lucra illicita sic percepta, post spretam trinam monitionem episcopi quoad alia) a tributis, sicubi illud viget. Thesaurus *de poenis v.* « *Negotiatio* » *n. II.*

2843 **De negotiatione quoad missionarios.** — Speciale aliquid quoad negotiationem statutum est relate ad missionarios. Videlicet missionarii (tum regulares tum seculares, tum europaei tum non europaei, idest quicumque ecclesiastici viri, qui sub nomine missionariorum aut quovis alio titulo pro tempore missi fuerint, aut in illis partibus quomodolibet morantur, *S. U. I. 17. ian. 1883*), in Indiis orientalibus (etiam in Sinis, *S. U. I. decr. nuper cit.*), et in partibus Americae tam australibus quam septentrionalibus, qui mercaturis vel secularibus negotiationibus per se vel per alios dant operam, etiam semel, incurrunt excommunicationem latae sententiae, praeter alias poenas privationis vocis activae et passivae, etc., a qua ab solvi a nemine possunt, praeterquam in mortis articulo, nisi lucris prius restitutis, idest traditis locorum ordinariis seu eorum vicariis in spiritualibus generalibus, aut officialibus, vel apostolicis vicariis seu provicariis. Iisdem poenis excommunicationis etc. tenentur superiores immediati ac provinciales et generales regularis huius criminis rei, qui suum subditum in praemissis, etiam pro unica vice quomodolibet delinquentem, saltem per eius remotionem a loco commissi delicti non puniverint. *Const.* Urban. VIII « Ex debito » *22 febr. 1633; Const.* Clem. IX « Sollicitudo » *17 iun. 1669;* quae constitutiones post constitutionem « Ap. Sedis » adhuc vigent, prout declaravit S. U. I. *4 dec. 1872* et S. C. P. F. *29 mart. 1873.*

De negotiatione improprie dicta. 2844 — Negotiatio improprie dicta per se non est prohibita clericis (*S. C. C. 20 nov. 1820;* Ferraris *Prompta bibliotheca v.* « *Clericus* » *a. 3*); dummodo talis non sit, quae clericalem statum dedeceat (ut esset publicam officinam argentariam vel huiusmodi tenere). *Const. cit. Clementis XIII* « Cum primum ». In hoc autem multum deferendum est, et standum consuetudini et communi aestimationi (sic non licet uvas vel lanas emere, ut vinum vel pannum vendatur, Lugo *l. c. n. 34*).

Tamquam vero generale principium in hac materia negotiationis improprie dictae retinendum videtur, non posse clericos res coemptas carius vendere postquam, non sua, sed operariorum conductorum opera, in alias immutatae sunt. Sanguineti *Iuris eccl. instit. n. 207. 1.*

De aliis quibusdam (*remissive*). — An obligationes, quae vocant, societatum et actiones quoque accipere clericis liceat, vid. *Actiones.*

Vide etiam *Venditio, Societas.*

Decr. Grat. c. 24 sq. D. LXXXVI, D. LXXXVIII; tit. de vita et honest. cleric. X. (III. 1); tit. ne clerici vel monachi secularibus negotiis se immisceant X. (III. 50); idem tit. (III. 24) in 6°; Const. Leon. X. « Apostolici regiminis » 19 dec. 1513; Const. Pii IV « Decens » 5 nov. 1560; Const. Urb. VIII « Ex debito » 22 febr. 1633; Const. Clem. IX

« Sollicitudo » 17 iun. 1669; Const. Ben. XIV « Apostolicae » 25 febr. 1741; Const. Clem. XIII « Cum primum » 17 sept. 1759; Conc. Trid. sess. XXII c. 1 de ref.; *Boninsigni Th.* Tract. de iustis negotiationibus; *Lopez L.* Tract. de contractibus et negotiationibus; *Peri G. D.* Il negoziante; *Domenech Granollats Fr.* Pro lege divina prohibente clericis mercaturam. Apologia ex descriptione variarum conclusionum viri cuiusdam docti et pii excerpta; *A Valle R.* De religioso negotiatore; *Schwarz H. E.* De divitiis clericorum; *Pfaffreuter* De negotiatione clericorum prohibita; *Hommel* De clerico rerum et operarum conductore; *Göpfert F. A.* Börsenspiel d. Geistl.; *Dolhagaray O.* Le commerce des clercs; *Buvée M. H.* Le commerce, les opérations de bourse et le clergé; *Dolhagaray O.* Les clercs et les opérations financières; *Bonnefon J.* Les commerces des clercs, moines et religieuses condamnés par l'église comme par l'état; *An.* Circa l'alienare o il commutare titoli al portatore di enti ecclesiastici; *Boudinhon A.* Si les ecclésiastiques peuvent posséder des actions, et lesquelles?; *Vermeersch* De commutationibus titolorum anonymorum (titres au porteur); *Jammet E.* Le commerce interdict aux clercs et la vente d'objets de piété.

2845 **Negotiorum eccl. extraord. (S. Congregatio).** — Haud semel romani Pontifices pro gravioribus necessitatibus christianae reipublicae, quae aliquando impendebant, particulares quasdam et transeuntes cardinalium congregationes instituere. Sic initium habuit haec congregatio pro negotiis ecclesiasticis regni Galliarum a Pio VI anno 1793, quae postea a Pio VII anno 1814 negotia ecclesiastica totius orbis catholici curanda habuit tamquam congregatio extraordinaria Tandem ab anno iam 1827 sublata qualitate extraordinariae, congregatio haec ordinaria evasit. Manet etiam post constitutionem « Sapienti consilio ». In ea munus praefecti explet cardinalis a secretis Status. Haec congregatio habet suum secretarium. Sed caret secretaria, cuius locum tenet prima sectio secretariae status.

Eius competentia sic definitur a piana constitutione:

« In ea tantum negotia Sacra haec Congregatio incumbit, quae eius examini subiiciuntur a summo Pontifice per cardinalem *secretarium Status*, praesertim ex illis, quae cum legibus civilibus coniunctum aliquid habent et ad pacta conventa cum variis civitatibus referuntur ».

Neo-conversi. — An his, qui ex haeresi ad catholicam veniunt, et sub conditione rebaptizantur, sit imponenda obligatio peragendae confessionis totius vitae anteactae, vide sub *Poenitentia.* 2846

Neophyti. — Noephyti seu recens ad fidem conversi (baptizati tamen in aetate infantili non dicuntur neophyti, *S. C. C. 13 aug. 1713; 12 mart. 1759*) sunt irregulares ex defectu fidei confirmatae; et etiam post plures annos a conversione (ex. gr. post quinque, *S. C. C. 31 mart. 1783*), non autem indefinite, sed per aliquot annos arbitrio et iudicio episcopi definiendos (Benedictus XIV *de syn. lib. XII c. 1. n. 6;* Wernz *Ius. Decr. II.* 119 [*167*]), ad tonsuram et ad ordines promoveri non possunt sine dispensatione Sedis apostolicae. *I. Tim. III. 6; c. 1. d. 48; c. 10. d. 61.* Cfr. Ricciullus *De neophytis.* 2847

Neo-sacerdotes. — Neo-sacerdotes debent tres missas ab episcopo in 2848

ordinatione praescriptas legere, sed non sub gravi, nec ad intentionem episcopi; neque prius eas celebrare debent, quam dies per rubricas non impediti advenerint. *S. R. C. in Barcinonen. 11 apr. 1840 ad 4* (*2802*); S. Alph. *VI. 829.*

Concessa est indulgentia plenaria sacerdoti die, quo primam missam celebraverit, dummodo confessus visitaverit aliquam publicam ecclesiam seu oratorium, ibique aliquo temporis spatio ad mentem summi Pontificis oraverit. - Indulgentia etiam plenaria concessa est, sub ordinariis conditionibus, consanguineis (usque ad tertium gradum inclusive) neo-sacerdotis, qui devote primae eiusdem missae adstiterint. - Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum est concessa omnibus fidelibus, qui corde saltem contrito eidem primae missae astiterint, piasque preces ad mentem Sanctitatis suae effuderint. Haec omnia constant ex decreto S. C. Indulgentiarum *16 ian. 1886.* Vid. *Assistens.*

Nocturni. — Vid. *Horae Canonicae, Matutinum.*

Nomen. — Vid. *Complex.*

2849 **Nosocomium.** — Monialibus in nosocomiis degentibus, ex responso S. O. *15 mart. 1848* non licet advocare ministrum acatholicum ad petitionem infirmi acatholici. Hoc tamen non impedit, quominus eum advocet ut infirmi amicum, solatii causa; vel, iusta exsistente causa, ministro acatholico indicent esse moribundum acatholicum, eum sibi adesse cupientem.

Nosocomia, quae non habent privilegium exemptionis, subduntur parocho quoad omnia officia parochialia. *S. C. C. 26 ian. 1856, 24 ian. 1857.*

De quasi domicilio eorum, qui in nosocomio versantur, vid. *Clandestinitas.*

Iuverit hic annotare facultates et 2850
privilegia, quae concessa sunt sacerdotibus tum secularibus, tum regularibus, qui operam suam praestant in spirituali cura infirmorum, qui in nosocomiis romanis degunt. Hae facultates et haec privilegia continentur in libello typis edito anno 1856 auctoritate et iussu cardinalis Urbis vicarii, qui est sequens:

§ I. **De confessariis, qui facultatem habent audiendi confessiones in nosocomiis Urbis.**

1° Omnes sacerdotes seculares et regulares approbati pro confessionibus ab ordinario Urbis, possunt confessiones excipere in quolibet Urbis nosocomio.

2° Quod spectat ad regulares, illi quoque, qui in aliis dioecesibus approbati fuerunt, excipere possunt confessiones in illis nosocomiis, ad quae a suis superioribus mittuntur, iuxta praescriptionem ipsis factam a romanis Pontificibus.

§ II. **Facultates quoad absolutionem a censuris et a peccatis.**

Facultas quoad absolutionem a censuris (in foro tantum conscientiae) et a peccatis, quam iuxta concilium Tridentinum (*sess. XIV. c. 7*) concedit ecclesia cuicumque sacerdoti pro christifidelibus in articulo mortis constitutis, idest ut nulla sit reservatio; atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis

et censuris absolvere possunt; haec eadem amplissima facultas conceditur a summis Pontificibus confessariis praedicto modo approbatis, relate ad solos infirmos, qui in nosocomiis urbis versantur, etsi in articulo mortis non sint constituti.

Quod autem spectat ad duos casus Urbis vicario reservatos, idest ad emptionem et venditionem schedulae paschalis, et ad transgressionem paschalis praecepti (praeter facultatem eos absolvendi pro foro interno) conceditur etiam facultas absolvendi pro foro externo ab interdicto eos, qui idem interdictum incurrerunt ob dicti praecepti transgressionem, et quorum nomen ad fores ecclesiae publicatum est, cum obligatione confessario iniuncta, ut, poenitente de hoc certiore facto, transmittat statim notitiam ad secretariam Vicariatus, sequentem adhibens formulam:

« Notum facio ego subscriptus, me absolvisse infirmum N. N. ex parochia N. notorie denunciatum et interdictum ob transgressionem paschalis praecepti. In cuius fidem etc. Ex venerabili archihospitali N. die etc. ».

§ III. **De aliis facultatibus et privilegiis.**

1° *Vota quaecumque in alia pietatis opera commutandi, exceptis* etc. Idest commutandi in alia pia opera quodcumque votum simplex, exceptis votis castitatis, religionis et trium peregrinationum, ad loca Terrae sanctae, ad limina Ss. Apostolorum et ad s. Iacobum in Compostella.

2° *Iuramenta quaecumque relaxandi.* Idest relaxandi quodcumque iuramentum promissorium, nisi habeatur damnum tertii.

3° *Ipsisque infirmis ecclesiastica sacramenta ministrandi.* His verbis intelligitur facultas administrandi, praeter sacramentum poenitentiae, etiam sacramentum eucharistiae, sive in forma communi sive in forma viatici, et sacramentum extremae unctionis. Decet autem hac facultate non uti, quum hoc displiceret sacerdoti, qui ob suum speciale munus tenetur haec sacramenta administrare.

4° *In articulo mortis plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem impertiendi;* et hoc non solum moribundis in nosocomiis, sed etiam illis, qui de familia sunt, utendo formula praescripta.

5° In suffragium animarum defunctorum in nosocomiis, privilegiata sunt altaria SS. Crucifixi in coemeterio S. Spiritus et quodcumque aliud altare, quod exsistat in conclavibus et cappellis hospitalium, quae a commissione dependent.

§ IV. **De locis, quibus praedictae facultates exerceri possunt.**

In omnibus archihospitalibus, et hospitalibus urbis, in illis scilicet, quae publica sunt et generalia pro quibusvis personis, qualia nunc sunt, quae mox describentur, nec non in iis, quae in posterum aedificabuntur, etsi succursalia et temporanea, et in locis iisdem annexis.

Hospitalia supra indicata ea praecise sunt, quae nunc commissioni subsunt, scilicet:

1° Archihospitale S. Spiritus et annexum orphanotrophium, idest conservatorium puerorum expositorum et conservatorium puellarum (illegi-

timorum), eidem archihospitali annexum cum suo valetudinario.

2° Archihospitale SS. Salvatoris ad S. Ioannis in Laterano.

3° Archihospitale S. Iacobi in Augusta.

4° Archihospitale S. Mariae a Consolatione.

5° Archihospitale S. Gallicani.

6° Hospitale S. Mariae amentium.

7° Hospitale S. Rochi.

Monita. — 1° Confessarii, approbati ad excipiendas confessiones virorum tantum, non possunt excipere confessiones mulierum in hospitalibus degentium.

2° Confessarii adscripti Piae Unioni S. Pauli apostoli possunt obtinere a rectore primario eiusdem piae unionis alias speciales facultates, quibus in hospitalibus utantur, ad quae ab ipso destinentur, et in aliis locis et operibus eiusdem piae unionis.

3° Sacerdotes, qui excipiunt confessiones infirmorum in nosocomiis, non obligantur (quemadmodum obligantur sub poena suspensionis relate ad infirmos in domibus privatis exsistentes) attestationem scriptam de excepta confessione relinquere. Attamen bonum erit post auditam confessionem alicuius, qui in nosocomio primum sua peccata confitetur, de ea re certiorem eum reddere, qui curam habet ipsius nosocomii.

4° Confessarii, qui ad excipiendas confessiones infirmorum in hospitalia se conferunt, possunt ibidem audire confessiones etiam eorum, qui bona gaudent valetudine tum ad familiam pertinentium (exceptis sororibus hospitalariis, pro quibus specialis approbatio requiritur), tum extraneorum. Attamen cum iis, qui bene valent, possunt confessarii uti tantummodo facultatibus ordinariis, nec non illis, quas forte personaliter habent etiam pro aliis locis.

5° Ecclesiastici seculares et regulares, qui operam dant bono spirituali infirmorum in hospitalibus urbis concionando, cathechismum explanando, administrando sacramenta, etc., lucrantur toties quoties indulgentiam ducentorum dierum et plenariam semel in anno, si saltem duodecies hanc operam praestiterint.

Occasione promulgationis constitutionis « Ap. Sedis » dubitatum est, an hae facultates perierint. Dubium propositum fuit S. Congr. Inquisitionis, quae respondit: « SSmus. D. N... benigne annuit pro gratia, ut sacerdotes tam seculares quam regulares pro confessionibus excipiendis in nosocomiis infirmorum spirituali curae operam dantes, qui recensentur sub nn. 1° et 2° § 1 in libello seu catalogo typis edito anno 1856 auctoritate et iussu emi dni cardinalis Urbis vicarii, omnibus facultatibus et privilegiis gaudeant, quae in eodem libello notantur ». *S. U. I. 9 mart. 1870.*

Notarius. — Notarius seu tabellio 2851
ille dicitur, qui auctoritate legitima constituitur ad scribenda acta, seu instrumenta publica, quae tum in iudicio tum extra iudicium fidem faciant. B. P. *IV. 610.* — Si ignoret quae ad officium suum necessaria sunt, si instrumentum sua culpa invalidum scribat, si conficiat instrumentum falsum vel graviter laedens ius tertii, etc., letali non caret. S. Alph. *IV. 230.*

2852 **Notorium.** — Notorium aliud est notorietate iuris, aliud notorietate facti *arg. c. 10 de cohab. cleric. et mulier. X. (III. 2)*.

Notorium facti est, quod ita se plurium hominum conspectui exhibet, ut nulla tergiversatione celari possit. *Glossa in cap. 7 cit. X. (III. 2)*.

Notorium iuris est, de quo aliquis in iudicio condemnatus, vel confessus, vel sufficientibus probationibus convictus est. *arg. c. 24 de verbor. signif. X. (V. 40)*; Laymann *Th. mor. lib. III. tr. III part. alt. c. 3. n. 7*.

Nonnulli addunt tertiam speciem notorii, idest notorium praesumptionis, seu notorium praesumptum, quod est dictum vel factum ex publicis circumstantiis a iure pro veritate acceptum, seu est evidentia iuris vehementer praesumpta. Exemplum praesumptionis est paternitas et filatio, nam quamvis probari vere non possit aliquem esse alterius patrem vel filium (*l. 83 de conditionibus etc. D. [XXXV. 1]*), ius praesumit vehementer esse coniugum filium illum, qui stantibus nuptiis ex muliere coniuge natus est. *l. 5 de in ius vocando D. (II. 15)*.

Tria requiruntur, ut aliquod crimen dici possit notorium notarietate facti:

a) qualitas loci, ut scilicet in publico loco fuerit perpetratum;

b) qualitas temporis, et ideo si delictum de nocte commissum diceretur, regulariter non posset dici notorium;

c) astantium multitudo, quae quanta debeat esse explorati iuris non est. Schmalzgrueber *in tit. 1. lib. V Decr. n. 1 sqq.* Vid. *Occultum*.

Quando agitur de crimine occulto iudex in eius cognitione cogitur servare ordinem iudicialem; quando vero agitur de crimine notorio ad hoc non tenetur. *c. 21 de iureiurando X. (II. 24)*. Praeterea in casu notorii, quando delinquens condemnatur tamquam reus criminis notorii, notorietate expressa, non datur locus appellationi. *c. 5 de appellationibus etc. X. (II. 28)*. Ad hoc tamen ut, iuris ordine posthabito, possit iudex in aliquem procedere tamquam in reum notorii criminis, non solum factum debet esse notorium in se, sed etiam in ratione delicti. *c. 8 de cohabit. cleric. et mulier. X. (III. 2)*; Schmalzgrueber *l. c. n. 15*. Et constare etiam debet de ipsa criminis notorietate. Gonzalez *in c. 9 tit. 1 lib. V Decr. num. 5*.

Novitiatus. — ***De aetate pro novitiis admittendis.*** — 2853 Nulla aetas in iure praescripta est ad hoc, ut quis in novitiatum recipiatur.

Clemens VIII (*Const.* « Cum ad regularem » *10 mart. 1608*) statuit, novitium recipiendum esse in ea aetate, quam religiosi ordinis, in quo recipitur, instituta et ordinationes requirant. Voluit autem conversos ante 20^um^ aetatis annum non recipi. Attamen S. C. C. (*16 iul. 1632, 7 apr. 1634*) et S. Congr. super statu regularium (*16 maii 1675*) edixerunt, novitios recipiendos explevisse debere decimum quintum saltem aetatis annum.

Puellae autem non debent indui habitu regulari, nisi decimum quintum aetatis annum expleverint. *S. C. EE. RR. 23 maii 1659*.

In *Normae pro approb. novis inst. vot. simpl.*, quae nuper editae sunt, statutum est, ut in his institutis non admittantur minores annis quindecim, nec annos nati amplius tringinta sine dispensatione S. Sedis.

2854 ***De ipso novitiatu.*** — **De tempore, loco etc. peragendi novitiatum.** — Annus integer novitiatus cum religioso habitu (Bouix *de iure regularium p. 4 sect. 1. c. 5. III. 2.* in iis ordinibus, qui peculiari habitu utuntur; hinc non in Soc. Iesu, quae vi suarum constitutionum proprium habitum non habet, sed utitur habitu honestorum sacerdotum secularium loci) transactus, et quidem pro plerisque ordinibus (in Italia et insulis adiacentibus, Bouix *l. c. II. 4.*; Vermeersch *de religiosis institutis et personis I. 185*) in conventibus ad hunc finem auctoritate apostolica designatis (*S. Cong. Conc. 12 martii 1596, 20 iunii 1599, 2 apr. 1632*) requiritur ad valorem professionis, et computari debet de momento ad momentum. *S. C. EE. RR. 17 ian. 1617*; Schmalzgrueber *in tit. 31 lib. III Decr. n. 65.*

2855 **Notandum de congregationibus recentioribus.** — Congregationes ex lege positiva non tenentur integrum annum pro novitiatu praescribere, neque alias leges quoad tempus et locum observare. B. P. *IV 37.*

Attamen in *Normae etc.* supracitatis (*a. 72*) dicitur unius anni integri tempus absolute requiri pro quolibet instituto ad valorem professionis.

Imo novitiae quoque recentiorum congregationum traducere debent integrum tempus novitiatus in domo ad hoc probata a S. Congregatione religiosorum. *Normae etc. a. 76.*

Attamen per se ea, quae in *Normae etc.* traduntur, respiciunt congregationes instituendas, non vero congregationes iam institutas. Verum Sacra Congregatio religiosorum causas ad se delatas, etsi respiciant congregationes iam institutas, secundum recentius ius diiudicare solet. Quare, etsi theoretice merito Vermeersch (*l. c. I. 188. 7*) contrarium dixerit, practice tamen non videtur admittendum.

Pariter in *Normae etc.* supracitatis (*a. 75*) cautum est: « Tempus novitiatus in constitutionibus statutum a moderatoribus imminui non potest. Ex iusta causa, et cum voto deliberativo consilii generalis, prorogari potest, in casibus particularibus, sed non ultra tres menses ».

De continuitate anni novitiatus. — Debet praeterea annus novitiatus esse continuus; continuitas autem haec deficere censetur, si vel unico momento novitius, dimisso habitu, e monastero egrediatur cum animo non redeundi, quamvis postea poenitentia ductus revertatur. Excipe tamen, si, statu non perfecte dimisso, suo retento habitu, statim revertatur. Acta S. Sed. *III. 119. 126.*; B. P. *IV. 36.* Novitiatus non dicitur interruptus, si novitius ex iusta causa et cum licentia superioris aliquandiu extra claustra degat. Reiffenstuel *in tit. 31 lib. III Decr. n. 107.* 2856

Quare novitius qui habitu religionis indutus a monasterio ex sui superioris licentia exit causa peregrinandi ad loca pia vel invisendi pa-

rentes aut cognatos aegrotantes vel mendicandi seu se recreandi aut ex alia huiusmodi causa, vel etiam si ob adversam valetudinem maneat extra monasterium, non censetur interrumpere suum novitiatum. Mühlbauer *Th. res. S. C. C. v. Annus probationis 3. c.* Imo etiam is, qui habitu regulari susceptо per annum integrum mansit in religione, eoque lapso, gravi morbo correptus est, et propterea de superiorum licentia ad seculum rediit, potest postea (inde etiam ad triennium) morbo liberatus et ad monasterium reversus protinus professionem emittere, non expectato alio probationis anno, nisi religionis aut personae conditio sit immutata. *S. C. C. 27 februarii 1596.*

2857 **De prorogatione novitiatus.** — Annus probationis a superioribus prorogari non potest, sed ipsi, finito tempore novitiatus, novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittere debent, inhabiles vero a monasterio eiicere. Conc. Trid. *sess. XXV c. 15 de reg.* Attamen ex rationabili et iusta causa posse superiores ad sex menses prorogare professionem censent doctores (Suarez, Sanchez, Lessius etc.) sed non aliter; nam ad ulteriorem prorogationem, etsi facienda esset ratione infirmitatis, necesse est recurrere ad Sedem Apostolicam. Mühlbauer *loc. cit. 3. h.*

In congregationibus recentioribus iuxta *Normae pro approbatione etc.* superioribus non permittitur, sine venia S. Congregationis, prorogatio novitiatus ultra trimestre. Cfr. *Normae etc. a. 75.*

2858 **De necessitate praevii baptismatis.** — Novitio, qui non esset valide baptizatus, non prodesset novitiatus transactus; hinc in dubio de validitate baptismi suscepti a quodam novitio ordinis praedicatorum, qui in haeresi fuerat baptizatus, ad petitionem p. procuratoris generalis eiusdem ordinis Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium, stante declaratione, eumdem novitium laudabiliter novitiatum peregisse, benigne commisit magistro generali, ut, veris exsistentibus narratis, petitam sanationem pro suo arbitrio et conscientia concederet, emissa tamen ab ipso novitio declaratione, se uti velle eo indulto; quam declarationem caute servandam esse in archivo provinciae voluit eadem congregatio. *S. C. RR. EE. 25 nov. 1898.*

2859 ***De admissione et electione novitiorum.*** — In admissione et expulsione novitiorum ordines seu instituta regularia quaecumque, dummodo a S. Sede approbata, etsi non exempta, non dependent ab episcopo. Bouix *l. c. c. 4. § 3.*

Quoad examen novitiorum, vid. *Examen.*

Praeterea nota in votatione habenda pro receptione novitiorum a capitulo conventuali (quae de iure communi tam pro religiosis viris quam pro mulieribus requiritur) professos votorum simplicium, quamvis in subdiaconatus ordine constitutos, vocem nullam habere; quod dicendum pariter est de qualibet receptione. *S. C. EE. RR. 20 maii 1904.*

Adverte autem votum capituli conventualis esse consultivum tantum non deliberativum, et unice ad instructionem animi superioris. Quare

superiores etiam contra votum capituli agere possunt et protrahere ultra triennium professionem votorum solemnium alicui professo simplici, quamvis hanc protractionem facere nequeant ultra annum 25 aetatis. Dilata professione solemni post votum capituli superior, si quando iudicet religiosum iamdiu exclusum admittendum tandem esse ad vota solemnia, non tenectur exquirere iterum votum capituli. *S. C. EE. RR. 18 aug 1905.*

2860 **De litteris testimonialibus ad admittendos viros requisitis.** — Ex decreto S. C. super statu regularium (*25 ian. 1848*) in quocumque ordine congregatione, etc., sive in his solemnia sive simplicia vota emittantur, nemo debet admitti ad habitum absque litteris testimonialibus tum ordinarii originis tum ordinarii loci, in quo postulans post expletum decimum quintum aetatis annum commoratus fuerit ultra annum (probabiliter continuum et non tantum interpolatum; quae continuitas tamen moraliter diiudicanda est, Vermeersch *Periodica etc. I. suppl. decimum*). Has litteras ordinarii denegare non possunt, et super veritatem eorum, quae in eis dicuntur, oneratur conscientia ordinariorum. Si vero episcopus respondeat, se postulantem non cognoscere, debet a superioribus suppleri per aliam accuratam informationem, qua assumpta, si nihil obstet, postulantem admittere possunt. *S. C. EE. RR. 1 maii 1851.* Cfr. Vermeersch. *Periodica I pag. 117.*

Susceptio habitus sine litteris testimonialibus est illicita, non tamen invalida; testimoniales vero litterae omissae in receptione ad habitum quamprimum obtinendae sunt; alias novitii ad professionem admitti non possunt, secus professio esset valida, sed illicita. *S. C. super statu regul. 1 maii 1851.*

De litteris testimonialibus ad admittendas feminas non requisitis. — 2861 Decretum S. C. super statu regularium supra citatum (*25 ian. 1848*) respicere tantum religiosos viros, non vero moniales, declaravit eadem Sacra Congregatio *25 febr. 1863.* Quoad moniales, vid. *Examen.*

De postulantibus non recipiendis. — 2862 Ex recenti decreto S. Congr. religiosorum « Ecclesia Christi » (*7 sept. 1909*) prohibitum est ne, absque venia Sedis Apostolicae, sive ad novitiatum sive ad emissionem votorum excipiantur, sub poena nullitatis professionis ii:

1° qui a collegiis etiam laicis ob inhonestos mores vel ob alia crimina expulsi fuerint;

2° qui a seminariis et collegiis ecclesiasticis vel religiosis quacumque ratione dimissi fuerint;

3° qui sive ut professi sive ut novitii ab alio ordine vel congregatione religiosa dimissi fuerint; vel, si professi, dispensationem votorum obtinuerint;

4° qui iam admissi, sive ut professi sive ut novitii in unam provinciam alicuius ordinis vel congregationis et ab illa dimissi, in eamdem vel in aliam eiusdem ordinis vel congregationis provinciam recipi nitantur.

Hoc decretum extensum postea est (*S. Congr. relig. 4 ian. 1910*) ad mu-

lierum quoque religiosas familias ita ut absque speciali venia Sedis Apostolicae et sub forma nullitatis professionis in eis sive ad novitiatum sive ad emissionem votorum non possint excipi postulantes:

1° quae, propria culpa, e collegiis etiam laicis, gravi de causa expulsae fuerint;

2° quae a scholis domesticis, in quibus puellae speciali cura in spem amplectendae vitae religiosae educantur, quacumque ratione dimissae fuerint;

3° quae sive ut professae sive ut novitiae ab alio ordine vel congregatione religiosa dimissae fuerint; vel, si professae, dispensationem votorum obtinuerint;

4° quae iam admissae sive ut professae sive ut novitiae in unam provinciam alicuius ordinis vel congregationis, et ab ea dimissae, in eamdem vel in aliam eiusdem ordinis vel congregationis provinciam recipi nitantur ».

Pariter non sunt admittendi in novitiatum tamquam aspirantes ad clericatum ii, qui studia primaria et gymnasialia seu humaniorum litterarum antea non peregerint. In casibus tamen specialibus, accedentibus gravibus causis, permittitur ut ad novitiatum inter clericos admittatur, qui annum quartum gymnasialem seu humaniorum litterarum rite expleverit, dummodo: *a*) decimum quintum aetatis annum excesserit: *b*) statim post novitiatum et antequam ad studium philosophicum seu lyceale ascendat, integrum curriculum omnium studiorum humaniorum litterarum seu gymnasialium in scholis domesticis vel aliis rite ordinatis compleat: *c*) et finale periculum bene superet. Quod si agatur de ingressu in novitiatum anno quarto gymnasiali non expleto, recurrendum est ad S. Sedem. *S. C. rel. 7 sept. 1909 ad 5.*

A quibus praescriptionibus S. Sedes professa est se dispensationem non concessuram, quemadmodum iam superioribus petentibus denegavit. *S. C. rel. 17 dec. 1909.*

De novitio ad seculum redeunte — 2863
Novitii per se licite omnino possunt ad seculum redire, nec petita superioris regularis licentia, nec causa allegata, nec regulariter loquendo tenentur refundere expensas pro se ab ordine vel congregatione factas.

De novitiatus regimine. — Circa 2864
hoc sequentia habe ex Vermeersch (*l. c. I. 191. 1*): « De novitiatus regimine est constit. Clementis VIII "Quum ad regularem" *19 martii 1603*, rursus promulgata ab Urbano VIII per S. Congr. Concilii decreto "Sacra Congregatio" *a. 1624*, quae etsi presse non obligat, nisi eas novitiatus domus, quae a sancta Sede sunt designandae, excellentem tamen omnibus praebent formam instituendi vitae religionis tirones.

En praecipua capita:

1° Cura novitiorum demandatur *magistro novitiorum*, qui sit sacerdos, 35 saltem ingressus aetatis annum et a 10 annis professus. Ei, si expedit pro numero novitiorum, adiungitur socius, qui triginta excesserit annos. Ambo oportet, ut vacent ab officio, quo a novitiorum bona institutione prohiberentur (§§ 13. 14.). Ma-

gister est unus confessarius ordinarius novitiorum. Licet tamen superiori, etiam locali, semel aut bis in anno, per se vel per alium ab eo deputatum, audire novitiorum confessiones (28).

2° Novitiatus a reliqua domo, quam habitant professi, debet esse separatus et clausus (7); et, si fieri potest, cum distincto oratorio et cum horto peculiari (10). In universum magna a professis separatio iniungitur.

3° Doceri debent novitii regularem disciplinam et regulas instituti (16).

4° Praescribuntur: *a*) In initio confessio generalis totius vitae: *b*) Confessio saltem bis in mense; *c*) Bis in die oratio mentalis et vocalis, secundum propriam cuiusque capacitatem; *d*) Pluries in die discussio propriae conscientiae; *e*) Quotidiana aperitio conscientiae; *f*) Missae et officio canonico quotidiana assistentia; *g*) Usus frequens sacramentorum; *h*) Quaedam recreationes, et, semel saltem in singulis quindenis, longior recreatio extra domum; *i*) Deputatio novitii, aetate et moribus provectioris, qui custodiat ianuam, et suppleat absentem socium in minoris momenti rebus (6-12; 16-21).

5° Commendatur etiam cura fratrum conversorum (22) ».

Nuperrime statutum est ut aliquod tempus novitii quotidie studiis impendant. Decretum super hoc, novissimum quum sit, iuvat hic referre. Dicit igitur:

« Ad explorandum animum illumque religiosa perfectione gradatim imbuendum, novitiatus institutus est, qui ideo, per unum saltem annum, sub magistro, spiritualibus tantum exercitationibus totus insumitur.

Quum autem experientia constet, assiduis pietatis officiis, licet opportune variis, adolescentium praesertim defatigari mentem, et ad continuos per diem religionis actus minus intentam afferri plerumque voluntatem; et quum in ipso novitiatu moderata aliqua studiis assignatio possit novitiis non parum utilitatis afferre, ne dediscant quae didicerunt, ac re ostendant quales sint ingenio, idoneitate et diligentia; Sacra Congregatio negotiis religiosorum sodalium praeposita in plenario coetu emorum Patrum, die 26 augusti 1910 ad Vaticanum habito, sequentia statuit, a singulis ordinibus et congregationibus religiosis apprime servanda:

1° Novitii, privatim, unam horam singulis diebus, festis tantum exceptis, studiis dedicabunt.

2° Studiis praeerunt magister novitiorum nel vicemagister, qui respondente scientia pollere debent, vel, aptius, aliquis ex professoribus humaniorum litterarum, qui domi vel prope commoretur. Horum erit, non ultra ter in hebdomada, per unam horam, praeter aliam, quotidie a novitiis studiis privatim addicendam, novitios in unum collectos, veluti in schola, instruere aut saltem eorum progressus in studiis exquirere.

3° Quamvis haec ut veri nominis schola censeri nequeat, non tamen veluti merum mortificationis exercitium habeatur. Ita igitur fiat, ut, inde, novitii omni cum diligentia in eam incumbant ac verum fructum ex ea-

dem percipiant; hinc autem, magistri apta methodo studia moderentur, de uniuscuiusque tyronis talento ac sedulitate iudicium adipiscantur et progressum curent. Genus autem studiorum cuiusvis ordinis vel congregationis naturae respondeat. Linguae patriae, et pro novitiis ordini sacro destinatis, linguae latinae quoque ac graecae studium commendatur, sive per repetitionem eorum, quae iampridem novitii didicerunt, praesertim grammatices, sive per lectionem eorum sanctorum patrum et antiquorum ecclesiae auctorum, quos litteris quoque enituisse constet, v. g. s. Ambrosii, s. Augustini, s. Hieronimi, Lactantii, s. Ioannis Chrysostomi, Eusebii et similium; item evangelii S. Lucae et Actuum apostolorum, graece conscriptorum.

Scripta quoque exercitia, v. g. extemporalia, exempla mariana, magna cum utilitate accedere poterunt. Quae quidem omnia et alia, sive patrio sive latino sermone redacta, ut novitii e suggestu legant vel memoriter recitent summopere convenit, ad veram pronuntiationem et quamdam publice dicendi dexteritatem acquirendam. Item opportunum erit, ut novitii inter se colloquentes, loco patrii sermonis, lingua aliquando utantur latina, qua poterunt etiam interdum breves sermones vel catecheticas instructiones ad sodales habere.

4° Qui scholae praeest annotet, in scriptis, cuiusvis novitii diligentiam ac progressus; et horum, item scriptum, mittat ad superiorem generalem vel moderatorem provincialem testimonium, reliquis addendum, antequam novitii, expleto novitiatu, ad professionem votorum admittantur.

Quae omnia sanctissimus dominus noster Pius papa decimus, referente infrascripto subsecretario, confirmare dignatus est, die 27 augusti 1910.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus ».

S. C. rel. 27 aug. 1910.

2865 ***De renuntiatione bonorum a novitio facta.*** — Concilium Tridentinum (*sess. XXV. c. 16. de reg.*) voluit, ut nulla novitii renuntiatio aut obligatio etiam cum iuramento vel in favorem cuiuscumque causae piae valeat, nisi cum licentia episcopi fiat ante duos menses proximos ante professionem (quod nunc intelligendum est de professione votorum solemnium, non vero simplicium ex praescripto Pii IX, *1 aug. 1862*), ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione; aliter vero facta, etiamsi cum huius favoris expressa renuntiatione, etiam iurata, irrita sit et nulla.

2866 ***De quibusdam novitiorum iuribus.*** — Novitii in favorabilibus veniunt in iure nomine religiosorum; et praelatus regularis (qui veram habeat iurisdictionem in suos, quod ordinarie contingit in praelatis ordinum votorum solemnium) potest cum eis dispensare in votis ecc. (Salmanticenses *Th. mor. tr. XVII. c. 3. n. 89;* S. Alph. *III. 257*); gaudent privilegio fori et canonis, nec non indulgentiis ordini concessis. Ferraris *Prompta bibl. v.* « *Novitiatus* » *n. 20.*

Novitii non subiiciuntur casibus reservatis a superioribus suae religio-

nis, nec casibus reservatis ab episcopo loci (Ferraris *l. c. n. 13*), et absolvi possunt a quolibet confessario approbato pro sua religione, imo etiam sine venia praelatorum ordinis a confessario, sive seculari, sive regulari, ab ordinario loci pro secularibus approbato. Ferraris *l. c v.* « *Approbatio* » *art 2 n. 5 sqq.*

De Vecchis a Bononia B. Praxis observanda in admittendis ad religionis statum novitiis; *Godefroy* La conduite canonique de l'église pour la reception des filles dans les monastères; *Bastineller* De donationibus ante et post ingressum monasterii; *Patritius* De recta dotium monasticarum ratione; de renuntiationibus monialium; La renonciation des réguliers in *Analecta iuris pont.* IX 777-800; La renonciation des religieuses in *Analecta iur. pont.* IX 933-969; *Nilles N.* Selectae disputationes academicae iuris ecclesiastici; II. De libertate clericorum religionem ingrediendi; *Vermeersch* De religiosis institutis et personis I. 134 seqq.; *Vermeersch* De interruptione novitiatus ob unius diei absentiam; *Vermeersch* De novitiatus interruptione; reliquam bibliographiam quaere sub *Congregationes religiosae, Religiosus.*

Nuditas. — Vid. *Aspectus obsceni.*

2867 **Nullitatis declaratio.** — **De declaratione nullitatis matrimonii** (*remissive*). — Pro declaratione nullitatis matrimonii, vid. *Causae matrimoniales.*

De declaratione nullitatis professionis religiosae. — Quoad professionis religiosae nullitatem notandum est, unicuique regulari ius esse reclamandi contra valorem suae professionis, intra quinquennium tamen (Conc. Trid. *sess. XXV. c. 19 de reg.*); et instituendus est in casu processus vere et proprie dictus iudicialis (*Const.* Ben. XIV « Si datam » *4 mart. 1748*), nec non deputandus est defensor professionis religiosae ex officio, qui professionis valorem tueatur. *Const. cit.* Benedicti XIV « Si datam ». Recursus autem faciendus est coram ordinario et superiore regulari tamquam iudicibus. Conc. Trid. *l. c.* Si ordinarius et superior regularis in iudicio dissentiant, causa definienda devolvitur ad apostolicam Sedem. *Constitut. cit.* Ben. XIV « Si datam ». Si sententia feratur pro nullitate, defensor debet appellare ad illum iudicem ecclesiasticum, ad quem de iure omnes aliae causae ecclesiasticae in gradu appellationis transeunt; et in hac secunda causae disquisitione iudices sunt ordinarius appellationis et superior regularis domus seu conventus in civitate vel in dioecesi ordinarii appellationis siti, aut saltem conventus vicinioris illius ordinis, ad quem pertinet reclamans. *Const. cit Ben. XIV.*

Si nullitas professionis religiosae desumitur ex emissione professionis facta extra coenobia pro novitiatu a S. Sede assignata, hanc causam nullitatis cognoscere privative pertinet ad S. Sedem. *Const. cit. Ben. XIV.*

Nisi habeantur binae sententiae conformes pro nullitate, regularis professus nequit ad alia vota transire. *Const. cit. Ben. XIV.* — Elapso quinquennio a die factae professionis, potest regularis petere a S. Sede beneficium restitutionis in integrum, quae tunc causam validitatis seu invaliditatis discutiet. *Const. cit. Ben. XIV.* Beneficium tamen restitutionis in integrum non conceditur, nisi con-

stet, adfuisse causas legitimas, propter quas intra quinquennium regularis non reclamaverit, et nisi is in promptu habeat argumenta, quae praevidere faciant felicem suae causae exitum. *Const. cit. Ben. XIV.* Cfr. *Acta S. Sedis III. 125;* Bouix *de iudiciis p. II. sect. 5. c. 4.*

2868 **De declaratione nullitatis quod ordinationem.** — Quoad nullitatem ordinationis in subdiaconum, vel quoad nullitatem obligationis exinde susceptae castitatis servandae, eo quod ordinatus quis fuerit ex metu gravi, processus iudicialis conficiendus est iuxta formam praescriptam a Benedicto XIV constitutione citata, quae agit de processu in causis nullitatis professionis religiosae, congrua tamen congruis referendo. Cfr. *Instr. process. iudic. edita a S. C. C. T. anno 1838 super nullitate s. ordinis subdiaconatus ex causa vis et metus;* Sentis *Decr. Clem. VIII. p. 41.*

2869 **Numerus.** — Numerus, peccatorum unde desumatur, vid. *Distinctio, Peccatum.* Explicandus est in confessione a poenitente; exquirendus a confessario. Vid. *Integritas.*

Nundinae. — Nundinae, quae cum strepitu fiunt, prohibentur ex iure canonico (*c. 1 de feriis X.* [*II. 9*]) fidelibus die festo. Excipiuntur tamen nundinae ad certum diem constitutae, si in diem festum incidant. B. P. *II. 744.* 2870

Nuntius apostolicus. — Nuntius apostolicus est legatus missus, quem romanus Pontifex ordinarie ex praelatis ecclesiasticis seligit episcopali charactere ornatis (ordinarie sunt archiepiscopi titulares), quemque ad aliquam rempublicam mittit ad gravia, sed ordinaria (nam pro extraordinariis et gravioribus mittitur legatus a latere) negotia cum stabili residentia in ea republica. Quid ipse possit, desumendum est ex tenore facultatum ipsi concessarum. Wernz *Ius. Decr. II. 681. 689.* Vid. *Legatus.* 2871

Quoad vindicatam auctoritatem nuntiorum apostolicorum confer, sis, litteras emi dni Lud. card. Iacobini ad excemm. nuntium apostolicum Matriti commorantem. *15 apr. 1885.*

Bibliographiam quaere sub *Legatus apostolicus.*

Nuptiae. — vid. *Matrimonium.*

O

2872 **Obedientia** — ***De obedientia filiorum familias erga parentes.*** — Parentibus *filius* debet obedientiam in omnibus licitis et honestis ad eorum curam pertinentibus, dum sub eorum potestate versatur. Hinc non tenetur per se obedire in electione status (S. Alph. *III. 335*), et amplecti potest statum religiosum, etiam invitis parentibus (S. Th. *2. 2. q. 189. a. 6.* Vid. *Filius*); non potest tamen ordinarie hoc vel illud matrimonium inire (Cfr. D'Ann. *III. 466*), militiae nomen dare, his invitis. G. B. *I. 370. 4.*

2873 ***De obedientia famulorum et discipulorum erga dominos aut magistros.*** — *Famulus* etiam domino se cundum contractum, quo operam suam eidem locavit (S. Th. *2. 2. q. 102. a. 1;* B. P. *II. 837 sqq.*), et *discipulus* magistro (G. B. *I. 385*) in his, quae ad ipsorum auctoritatem spectant, et dummodo mala non iubeant aut insinuent (cfr. B. P. *III. 845*), tenetur obedientiam praestare.

2874 ***De obedientia civium erga eos, qui obtinent socialem auctoritatem.*** — *Cives* vero tenentur auctoritati civili legitimae in iis, quae non sunt contra legem Dei vel ecclesiae (*Act. I. 29*), obedire. *I. Petr. II. 19; Rom. XIII. 1;* Cat. Rom. *de quarto praecepto n. 15;* cfr. *prop. 63am damn. in Syllabo.* Etiam tum, quum in aliqua societate aliquis *de facto* retinet auctoritatem, quam legitime non habet, quum, etsi iniuste, auctoritatem tamen socialem ipse retineat, eique ius sit tuendi ordinem civicum, non solum cives ei praestare debent ea omnia officia, quae iura humanitatis postulant, sed eidem debent civicam obedientiam in iis, quae spectant ad bonum publicum. Cfr. Taparelli *Saggio teoretico di diritto naturale, Napoli, Tramater, nn. 659. 669.*

2875 ***De obedientia religiosorum erga suos superiores.*** — *Religiosus* quoque vi suae professionis religiosae tenetur obedientiam praestare.

De iis, quibus obedientia praestanda est. — An religiosus vi voti obedientiam debeat Papae et Romanis Congregationibus. — Ii, quibus *vi voti* obedire tenetur religiosus, sunt ex sententia nunc a pluribus recepta primo et principaliter romanus Pontifex, a quo pendet omnis potestas religiosarum familiarum et instituto rum seu congregationum ecclesiasticarum; praeterea Sacrae Congregationes romanae, quibus rom. Pontifex utitur tamquam instrumentis ad suam potestatem in religiosos exercendam, et proinde in primis Congregatio religiosorum nec non pro suo respectivo munere S. Congregatio de Propaganda Fide. Cfr. *Conc. plen. Americae latinae a. 331;* Wernz *Ius Decr. III. 652;* Vermeersch *De regularibus I. 388 sqq.*

Alii tamen contrarium sentiunt, et non putant religiosos obligari vi voti, nisi relate ad superiores regulares. Ita inter alios Ballerini-Palmieri (*IV. 133*), qui haec habet: « Certum satis videtur votum obedientiae fieri solis praelatis religionis, non romano Pontifici, et per traditionem religiosam se (religiosum) religioni tradere, non apostolicae Sedi, quae numquam se obligatam censuit ad eum sustentandum; neque ex eo, quod Papa est supremus pastor in ecclesia, sequitur necessario, quod qui alteri fideli obedientiam vovet in eiusque dominium se tradit, voveat hoc ipso obedientiam supremo Pastori, eiusque dominio se subiiciat; sicut quivis potest civi alicui se tamquam servum mancipare, quin se constituat servum regis. Et sane, si votum obedientiae fit non soli praelato religioso, sed etiam, imo principaliter R. Pontifici, quum in Societate Iesu votum obedientiae omnibus, etiam scholasticis et coadiutoribus, commune comprehendat tam-

quam propriam materiam etiam missiones, aegre intelligitur, quorsum in eadem societate spectet quartum professorum votum solemne *obedientiae summo Pontifici circa missiones,* neque id satis explicavit Suarez *tr. X. de instit. Societatis lib. VI. c. 4. n. 26 sqq.* — Ex alia parte, ut romanus Pontifex illud in omni ordine religioso possit, quod omnes generatim ei concedunt (praesertim vota irritare), non videtur opus esse, ut votum obedientiae ei fiat, et ei se tradat religiosus, ut exinde potestatem dominativam Pontifex nanciscatur; nam plenitudo potestatis iurisdictionis a Christo acceptae, qua rom. Pontifex potitur, satis est ad potestatem virtualiter aut eminenter dominativam ei conferendam in religiosos... Potestas sane irritandi connexa est cum suprema potestate iurisdictionis in societate ».

His adde, in formulis professionis generatim solos nominari praelatos ordinis. Sic in formula professionis in Soc. Iesu profitens dicit: « Ego professionem facio, et promitto omnipotenti Deo... et tibi rev. patri N. N. praeposito generali S. I. perpetuam paupertatem, castitatem et obedientiam... Insuper promitto specialem obedientiam summo Pontifici circa missiones ». Porro si votum ipsum obedientiae fieret Pontifici, videretur nominandus in prima parte.

Sed et praeterea nemo forte unus ex religiosis profitentibus putat se obligari rom. Pontifici et Congregationibus romanis, quando professionem emittit.

Vermeersch autem *loc. cit.* sic rem explicat: « Existimarunt [quidam] per vota religiosa conferri superioribus peculiarem aliquam potestatem, quam dominativam appellarunt, eamque dein tribuerunt ipsi Pontifici, ut explicarent, quomodo in virtute obedientiae praecipere, votaque irritare ipse valeret. Nec plane recte, sed potius eadem decepti confusione, alii, qui bene quidem a S. Pontifice domesticam abiudicarunt potestatem, simul negaverunt, regulares vi voti teneri erga S. Sedem. Dum contra, sic se res habent. Votis suis et nominatim obedientiae voto, religiosus firmat religionis sacramento obedientiam, quae debetur iis, qui iusto titulo praesunt religiosae disciplinae, qua talis. Qui titulus est duplex. Alter, proprius vitae coenobiticae est herilis seu domestica auctoritas, privatae rationis, quae in qualibet domo vel familia requiritur, voluntaria autem religiosi deditione intenditur usque ad servitutem personae. Alter est publica potestas, divina missione collata Petro et apostolis ad regendam ipsam ecclesiam. Hanc dicimus iurisdictionem. Utraque vero ad condicionem personarum aptatur, ideoque in religiosos se prodibit amplissimam ».

Quibus superioribus in religione praestare debeat religiosus obedientiam. — 2876
Quoad superiores ordinis, ii superiores, quibus vi voti obedire debet religiosus, sunt superiores proprie dicti, idest ii, qui in provincia vel in universa familia religiosa, quam regunt, neminem sibi habent superiorem, nisi aliter statuant speciales constitutiones alicuius ordinis.

Suarez *de religione libr. X. cap. II n. 18 sqq.*

2877 **De peccato inobedientiae in religioso.** — Religiosus inobediens graviter peccat con-tra votum:

a) quando detrectat obedientiam in materia gravi (Suarez *loc. cit. c. 4. n. 9 sqq.*) superiori praecipienti in virtute s. obedientiae, vel in nomine Christi, aut aliis similibus formulis, quae seriam superioris voluntatem obligandi manifestant (Suarez *l. c. c. 4. n. 11 sqq.*; S. Alph. *IV. 38*); haec iubendi ratio a superioribus rarissime est adhibenda;

b) quando superiori praecipienti, etiam in re levi, cum contemptu respondet: nolo facere, hoc non faciam; in hoc enim habetur formalis contemptus auctoritatis (Lugo *de poen. disp. 20. n. 48 sqq.*; G. B. *I. 1121*);

c) quum ex inobedientia sequitur grave scandalum aliorum, aut grave incommodum communitati, vel aliis; quae tamen duo praevideri possent.

Extra hos casus peccatum non habetur nisi veniale, quamvis Suarez (*l. c. c. 4. n. 13*) nullam tunc agnoscat transgressionem contra obedientiam, et dicat, si in huiusmodi inobedientia culpa venialis adiungitur, hoc non esse, nisi ab extrinseco, vel ratione scandali, vel ratione alterius obligationis, quia regulariter tale opus non fiat bono fine et prudenti modo ac moderato affectu.

Aliquando etiam superior iubere potest sub poena tantum (et tunc inobediens etiam in conscientia tenetur poenam luere, Castropalao *Th. mor. tr. XVI de statu relig. disp. 4. p. 3. n. 4.*); hoc autem habetur, quum res communiter sic accipitur ex usu in ordine recepto.

Circa quae religiosus praestare debeat superioribus obedientiam, vel non. — Religiosus ad obedientiam tenetur vi voti. Debet autem obedire in omnibus, quae superior praecipit secundum (non supra, contra vel praeter, Suarez *de rel. lib. X. c. 8. n. 5*; Lessius *de iust. et iure lib. II. c. 41. n. 74 sqq.*) regulas et constitutiones ordinis; non vero in re impossibili aut evidenter illicita (Suarez *l. c. c. 8. n. 2*), aut graviter sibi noxia. Castropalao *Th. mor. tr. XVI de statu rel disp. 4. p. 4. n. 7.* 2878

Quae omnia sic bene exponit Vermeersch *de regularibus I. 291*: «Materia remota voti continetur iis omnibus, quae vel explicite regula exhibentur, vel reductive ad eam pertinent, quatenus ad observantiam regulae saltem valde sint convenientia; ita mutua obsequia, congrua poena delictis. Vovent enim religiosi obedientiam secundum suam regularem conversationem. *S. Th. 2. 2. q. 104. a. 5. ad 3.* Excluduntur ergo *a*) *inhonesta*, quae divinae legi repugnant; *b*) *contraria regulae*, ut praedicatio in religione contemplativa, nisi superior valeat dispensare; *c*) *nimis heroica*, quae sint *supra* vel *extra* regulam, ut religioso non hospitalari cura infirmorum pestilentiae contagio afflictorum, nisi sint eiusdem familiae, vel extrema sit necessitas spiritualis subsidii; militia, extra ordinem militarem; missiones ad exteras gentes, quae instituti fine non contineantur; macerationes extraordinariae; *d*) plane *inutilia* vel *ridicula*, quatenus in-

fra sunt regulam. Huiusmodi quidem postulari possunt ad exercendam obedientiam, pertinebunt tamen regulariter ad obedientiam perfectam, non ad necessariam. — Perspicitur, pro vario fine instituti, haec latius vel minus patere».

2879 **De virtute obedientiae relate ad religiosos.** — Virtus obedientiae latius patet quam votum, et praescribit obedientiam alacrem, promptam, integram, ex motivo supernaturali. Bouix *de iure reg. tom. II. p. VI. c. 3. § 1. prop. 24.*

2880 ***De obedientia clericorum erga suum episcopum.*** — Obedientia, quam *clerici* suo episcopo spondent in actu sacrae ordinationis, non est votum, sed solemnis et publica professio illius obedientiae, quam ex multis titulis iam debet clericus episcopo suo. Bargilliat *Prael. iur. n. 609. 6.* — Haec clericorum obedientia erga episcopum ad quae se extendat, vid. *Clerici.*

Cuneri De christiani principis officiis deque obedientia ei debita; *V. Margeric O.* Die Familie; *Hergenröther Ph.* Der Gehorsam gegen. die weltliche Obrigkeit und dessen Grenzen nach der Lehre der katholischen Kirche; *Schlesinger* Die katholische Familie; *Bogenberger J.* Kurze Vorträge über christliche Kindererziehung; reliquam bibliographiam vide sub *Clerici, Lex, Parentes* etc.

2881 **Obiectum.** — Obiectum relate ad actiones nostras dicitur id, quod actione ipsa prosequimur, sive id, quod volumus. Hinc ex obiecto primum omnes actus nostri speciem capiunt. Nam sicut res naturalis habet speciem ex sua forma; ita actio habet speciem ex obiecto, sicut et motus ex termino. Hinc prima bonitas actus moralis attenditur ex obiecto convenienti, et similiter primum malum ex obiecto disconvenienti. S. Th. *1. 2. q. 18. a. 2.* Quum autem hic quaestio sit de actu, in quantum moralis est, patet, obiectum, ex quo bonitas vel malitia desumitur, non esse ipsam rem in se consideratam, sed esse rem ut importantem ordinem et respectum ad rationem, cui est consentanea vel dissentanea.

Obligatio. — De natura obligationis. 2882 — Obligatio iuridice est iuris vinculum, quo necessitate astringimur ad aliquid dandum, vel faciendum, vel non faciendum. Cfr. Inst. Iust. *de obligationibus (III. 13) prooem.*

De quibusdam obligationis speciebus. — 2883 Est autem vel naturalis, quae solo iure naturali; vel civilis, quae sola aequitate iuris civilis (seu canonici); vel mixta, quae utroque sustinetur. Vinnius *Inst. imp. Comm. lib. 3. tit. 14. n. 4 sqq.* — Haec tenet in foro interno semper; civilis, dummodo sit iusta, et non innitatur falsa praesumptione facti; naturalis, nisi ista lex eam sustulerit nominatim. D'Ann. *I. 23.*

Obligationes, quae personae haerent, cum persona exspirant; reales transeunt ad successores. D'Ann. *I. 24.*

Obligatio alternativa tunc habetur, quum ex duobus alterum tantum debetur. *l. 25 de contr. empt. etc. D.* (*XVIII. 1*); D'Ann. *II. 328.*

Obligatio potest esse etiam cum clausula poenali, absoluta et conditionata, ut si contractus fiat sub conditione et in diem. De hoc vide *Conditio*, et cfr. B. P. *III. 562 sqq*; D'Ann. *II. 319.*

2884 **De obligatione in solidum.** — Saepe etiam sermo est de obligatione in solidum. Porro obligatio in solidum, seu solidalis, duplex distinguitur, tum scilicet crediti, tum debiti. Obligatio solidalis crediti tunc habetur, quum plures creditores obnoxium habent unum debitorem; obligatio solidalis debiti, quum plures debitores uni creditori obligantur. B. P. *III. 265.* Scilicet solidalis obligatio dicitur, quum res quidem ipsa divisionem recipit, sed pacto vel testamento cautum est (palam inquam), ut integra a singulis creditoribus, peti posset, vel a singulis debitoribus dari debeat. D'Ann. *II.329.* Et hoc, quamvis uni pure debeatur, aut unus pure debeat; alteri, vel alter, sub conditione, sub die, etc. B. P.; D'Ann. *loc. cit.* Effectus ergo solidalitatis obligationis in eo est, ut quilibet creditor ius habeat totum exigendi, et quum una res debeatur, ut, ea soluta, exstinguatur ius omnium creditorum. Haec non solum ex iure romano (*l. 2 de duobus reis constitut. D.* [*XLV. 2*]), sed etiam ex iure nostro (*C. C. a. 1184 sqq.*). Attamen est discrimen inter ius romanum et ius nostrum. Scilicet in iure romano non solum acceptio rei debitae, sed etiam remissio debiti ab uno creditorum facta liberabant omnino debitorem; iure nostro haec remissio liberat debitorem tantummodo ex parte, scilicet pro ea parte, quae obtingeret creditori, facta divisione debiti inter creditores. *C. C. a. 1185;* B. P. *loc. cit.* Vid. *Solidaritas.*

2885 **De obligatione divisibili et indivisibili.** — Obligatio etiam alia dicitur divisibilis, alia indivisibilis. Quoad hoc, haec clarissima habet Ballerini-Palmieri *III. 268*: « Obligatio divisibilis aut indivisibilis ratione obiecti dicitur. Aliquid est indivisibile non solum re, sed et mente, ut servitus viae, hypotheca; aliquid mente quidem et re etiam, si vis, dividi potest, sed non solutione, cuiusmodi sunt res singulares, quae certam habent formam, et in propria forma debentur, ut vas, domus; aliquid, quantumvis prorsus divisibile, fit destinatione, seu contractu aut testamento, indivisibile, ut, nisi totum detur, reiici a creditore possit, ac si nihil datum sit. Omissis hac in re abstrusis quaestionibus romani iuris, quae ad nos non spectant, clarior doctrina erit, si cum iure nostro dicamus: obligationem esse indivisibilem, cuius obiectum est res seu factum, quae divisionem non capiunt, vel cuius obiectum est res quidem aut factum, quae natura dividi possunt, attamen ratione habita modi, sub quo a contrahentibus spectatum est obiectum, desinit esse divisibile. Quaevis alia obligatio est divisibilis. Hinc ipsa obligatio in solidum potest esse divisibilis. *C. C. a. 1202 sqq.* ».

Cruderi G. De obligationibus, quae ex delicto nascuntur; *Hopperi Io.* Ad tit. Institutionum de obligationibus; *Pescionii B.* Comm. ad tit. Institutionum de obligationibus etc.; *Ricciardi P.* Tract. de obligationibus; *Pantiae Chr.* Comm. ad tit. Institutionum de obligationibus etc.; *Belloni N.* De Obligationibus; *Reusneri Jo. Jac.* Comm. de quatuor obligationum causis seu qualitatibus; *Rebellus F.* De obligationibus iustitiae, religionis et charitatis; *Flach P.* Disput. de obligationibus; *Strodi R.* De obligationibus; *Magiri D.* De actionibus et obligationibus;

Rennemanni H. Comm. de iure obligationum circa conventiones; *Eichelii Jo.* De confusione obligationum idest de concursu iuris creditoris et debitoris in unam personam; *Matthaei A.* Disputationes de obligationibus quadraginta duae etc.; *Dümmler J. C.* Diss. inquirens: praecepta iuris naturae an vi sua auctoritatem legum effectumque civilem in iudiciis nostris habere possint; *Bucher C. F.* Das Ruht der Forderungen nach dem neuesten Röm. Rechte; *Backer A. H.* De obligationibus dividuis et individuis; *Lelièvre A. F.* Resp. ad quaestionem: quid est obligatio naturalis ex sententia Romanorum?; *Reinhardt* Lehre des röm. Rechts von der Verbindlichkeit im allgemeinen und von der natürlichen Verbindlichkeit insbesondere; *De Scheurl Ch. A.* Comm. de dividuis et individuis obligationibus; *Koch C. F.* Das Recht der Forderungen nach gemeinem und nach preussischem Rechte; *Unterholzner K. A.* Quellenmässige Zusammenstellung der Lehre des röm. Rechts von den Schuldverhältnissen mit Berücksichtigung der heutigen Anwendung; *De Pfordten L.* De obligationis civilis in naturalem transitu; *Christiansen* Zur Lehre von der naturalis obligatio; *Bourgnon de Layre* Traité sur les obligations divis. et indivis.; *Poujol* Traité des obligations; *Carrier* Traité des obligations; *Savigny* Obligationenrecht; *Molitor* Les obligations en droit romain avec l'indication des rapports entre la législation romaine et le droit français; *Mommsen* Obligationenrecht; *Mommsen* Erörterung u. d. Obligationenrecht; *Koch* Recht der Forderungen; *Uebellohde A.* Die Lehre von untheilbaren Obligationen; *Larombière L.* Théor. et prat. des obligations; *Deflers* Des obligations divisibles et indivisibles en droit romain et en droit français; *Vernet* Textes choisis sur la théorie des obligations; *Maynz* Traité des obligations; *Schupfer* Il diritto delle obbligazioni; *Ruggieri* De obligationibus; *Pochintesta F.* Del diritto delle obligazioni secondo il codice civile italiano; *Hartmann* Untersuchungen über d. Obligation; *Jacoucci V.* Delle obbligazioni naturali nel diritto romano e nel diritto civile italiano; *Melucci P.* La teoria delle obbligaxioni solidali nel diritto civile italiano; *Kuntze* Die Obligationem im röm. u. heutigen Recht u. das Jus extraordinarium d. röm. Kaiserzeit; *van Wetter* Les obligations en droit romain; *Mitteis* Individualisirung d. Obligation; *Lomonaco G.* Delle obbligazioni e dei contratti in genere; *Ney* Obligationenrecht; *Vanni* Svolgimento storico del concetto di obbligazione nel diritto romano; *Lebano V.* Brevi osservazioni pratiche intorno al dualismo di talune regole delle obbligazioni civili e commerciali; *Carnazza G.* Le obbligazioni alternative nel diritto civile italiano; *Giorgi* Teoria delle obbligazioni nel diritto moderno italiano; *Crisafulli-Tedeschi* L'evoluzione del concetto delle obbligazioni; *Friedrichs* Universales Obligationenrecht; *Oertmann* Das Recht d. Schuldverhältnisse; *Perrin* Essai sur la réductibilité des obligations excessives.

Obligationes. — Obligationes filiorum; parentum; coniugum; dominorum; famulorum; magistrorum; civium; clericorum; religiosorum, vid. *singulas suis locis* — Quoad obligationes societatum, vid. *Actiones.*

Oblivio. — Peccata ex oblivione inculpabili omissa, si in memoriam poenitentis redeunt, accusari in prima proxima confessione debent (cfr. *prop. 11am damn. ab Alex. VII decr. diei 24 sept. 1665*), non vero quamprimum (Bonacina *de sacr. disp. V. q. 5 sect. 2. p. 4. n. 32*), imo nec ante communionem faciendam. S. Alph. *VI. 257.* 2386

Confessarius autem huiusmodi poenitentem, etiamsi nullo alio peccato inquinatum, absolvere debet. G. B. *II. 308.* Vid. *Integritas.*

2887 **Obreptio.** — ***De obreptione eiusque distinctione a subreptione.*** — Obreptio in rescriptis est expositio falsi; subreptio reticentia veri (S. Alph. *I. 185;* B. P. *I. 435*); sed saepe hae voces promiscue usurpantur. Reiffenstuel *in tit. 3 lib. I Decr. n. 153;* B. P. *l. c.*

2888 ***De vitanda subreptione et de effectibus admissae subreptionis.*** — Ad hoc, ut petitio subreptione non laboret, debent proponi ea omnia et sola, quae sive ius sive stylus curiae (nempe romanae) proponenda iubent. Cfr. *cc. 27. 42 de rescriptis X.* (*I. 3*).

Ideo, si quis ex his aliquid reticuerit, rescriptum non valet, quamvis et petens reticuerit ignorans ac bona fide (Sanchez *de matr. lib. VIII. c. 21. n. 59*), et romanus Pontifex, eo quoque expresso, quod reticitum est, gratiam fuisset certissime concessurus, Cfr. *c. 20 de rescriptis X.* (*I. 3*); *c. 23 de praebendis etc.* (*III. 4*) *in 6°*.

Sufficit tamen, ut ea sola dicantur, quae ius seu stylus curiae vult proponenda (Sanchez *de matr. lib. VIII. c. 21. n. 12;* Garcia *de beneficiis part. VIII. c. 3. n. 25*), neque necesse est alia addere, imo haec alia possunt etiam positive reticeri et consulto, quamvis, si romanus Pontifex cognosceret id, quod omittitur, gratiam nullatenus esset concessurus. D'Ann. *I. 237.*

2889 ***De vitanda obreptione et de effectibus admissae obreptionis.*** — Necesse etiam est, ut petitio non laboret obreptione, quum in omni rescripto semper saltem tacite insit clausula: « si vera sunt exposita » *c. 2 de rescriptis X.* (*I, 3*).

Haec tamen clausula refertur ad causam motivam, non ad impulsivam; quare invalidum semper erit rescriptum, ad quod obtinendum proposita fuerit una tantum causa eaque falsa, sive motiva fuerit sive impulsiva (Sanchez *de matr. lib. VIII. c. 21. n. 41;* validum si plures fuerint propositae causae, eaeque omnes motivae, et una tantum vera (*c. 4 de rescriptis X.* [*I. 3*]; cfr. *resp. S. Poen. 28 apr. 1897*); attamen, si quis plura petierit ita, ut pro singulis dispensationibus expetitis singulae afferentur causae, tunc aliud dicendum esset, quum rescriptum sit virtualiter multiplex, et reducatur ad casum, quo quis plura uno rescripto petit et impetrat, de quo mox; nullum contra erit, si omnes causae propositae fuerint impulsivae, et ex his una etiam tantummodo falsa. Pontius *de matr. lib. VIII. c. 17. n. 41;* Salmanticenses *Th. mor. tr. IX. c. 14. n. 36;* D'Ann. *I. 138.*

Si autem quis uno rescripto impetraverit duo, et quoad unum petitio fuerit subreptitia vel obreptitia, rescriptum valet quoad alterum, si subreptio vel obreptio facta fuerit bona fide; secus quoad neutrum valet. *c. 20 de rescriptis X.* (*I. 3*); D'Ann. *l. c.*

Notandum tamen est, hanc nullitatem constitui in perversitatis poenam, ut dicitur in citato capite de rescriptis; quare iuxta plures solum post iudicis sententiam locum habet, ut annotat D'Annibale *loc. cit.*

De causa motiva et impulsiva. — 2890 Porro causa motiva inducit ad substantiam concessionis, et ea est quae movet principem ad concessionem faciendam; impulsiva vero iuvat so-

lummodo ad modum concessionis ut scilicet concessio fiat facilius. Reiffenstuel *in tit. 3 lib. I. Decr. n. 183.*

Ea, quae constituunt causam motivam vel impulsivam tantum, determinari debent ex stylo curiae (D'Ann. *I. 238. 12*); sed in dubio praesumitur causa fuisse tantum impulsiva. Santi *in tit. 3 lib. I Decr. n. 11.*

2891 **De causa certa proposita ut dubia.** — Quaerunt autem canonistae, utrum sit obreptitia petitio, qua quis petit solvi a vinculo, quod proponit ut dubium, quum de facto sit certum. Probabilius omnino videtur, quod, si nulla alia causa ad dispensandum proponitur, sed potius pro causa proponitur ipsum dubium, petitio est subreptitia; si vero et aliae causae proponantur, petitio non est subreptitia, quum dubium habeatur potius ut causa impulsiva, non vero motiva.

2892 ***Quomodo ex subreptione vel obreptione inducatur nullitas rescripti.*** — Notandum est etiam, generatim nullitatem ex obreptione vel subreptione pro rescriptis gratiae incurri ipso iure (*c. 2 de filiis presb. etc.* [*I. 11*] *in 6; cc. 19. 31 tit. cit. X.* [*I. 3*]); rescripta vero iustitiae non irritari, nisi ope exceptionis. *cc. 9. 23 tit. cit. X.* (*I. 4*); Reiffenstuel *loc. cit. n. 170 sqq.*

2893 ***Relate ad quod tempus aestimanda sit subreptio vel obreptio.*** — Subreptio autem, vel obreptio, consideranda est relate ad tempus, quo gratia conceditur (*c. 6° de consanguinit. etc. X.* [*IV. 14*]; *c. 9 de rescriptis* [*I. 3*] *in 6°*); quare, si tunc desit veritas, nihil prodest, quod adfuerit antea vel postea (Sanchez *de matr. lib. VIII. c. 30. n. 2*), et etiam nihil nocet, si forte antea defuerit, vel postea cessaverit. D'Ann. *I. 239.*

De clausula « ex motu proprio ». — 2894 Quoad clausulam « ex motu proprio », quae aliquando rescriptis apponitur, notandum est, eam tollere vitium subreptionis (*c. 23 de praebendis etc.* [*III. 4*] *in 6°*; *c. 4 de praebendis etc.* [*III. 2*] *in Clem.*) non autem obreptionis (Barbosa *de clausulis, claus. 79. n. 22;* Reiffenstuel *in tit. 3 lib. I Decr. n. 207*); non sanare vitium inhabilitatis (Barbosa *l. c. n. 55*), nec operari in praeiudicium tertii (Barbosa *l. c. n. 17;* Bargilliat *Prael. iur. can. n. 414. f*).

De dubia subreptione vel obreptione. — 2895 In dubio subreptionis vel obreptionis rescriptum valet. S. Alph. *I. 185.*

Obscena. — Libri, qui res lascivas 2896 seu obscenas ex professo (idest data opera et in notabili parte, Vermeersch *Comm. in const.* « Officiorum ac munerum » *n. 13. 3*) tractant (idest huiusmodi obscena inculcant aut defendunt, vel de his disputant aut sermonem habent, eaque assumunt ad argumentum speciale totius libri aut alicuius eius partis, Gennari *Comm. alla costituz.* « Offic. ac muner. » *tit. I. c. 4*), narrant (idest qui fabulas aut milesias narrationes de rebus inhonestis et lubricis, non simpliciter amatoriis, aut eroticis, habent, Gennari *l. c.*), aut docent (qui nempe tradunt ex professo quomodo inhonesta peragantur, Gennari *l. c.*), omnino prohibentur.

Libri vero auctorum sive antiquorum sive recentiorum, quos classicos

vocant, si hac ipsa turpitudinis labe infecti sunt, propter sermonis elegantiam et proprietatem iis tantum permittuntur, quos officii aut magisterii ratio excusat; nulla tamen ratione pueris vel adolescentibus, nisi solerti cura expurgati, tradendi aut praelegendi erunt. *Const.* Leonis XIII » Offic. ac munerum» *XIII kal. febr. 1896 art. 9. 10.*

Quicumque librorum venditores, praecipue qui catholico nomine gloriantur, libros de obscenis ex professo tractantes neque vendere, neque commendare, neque retinere possunt. *Const. cit. a. 46.* Attamen eos, si classici fuerint, vendere poterunt iis, quibus in superioribus citatis articulis huiusmodi libri permittuntur. Nec debent bibliopolae specialem interrogationem omnibus ementibus proponere: an licentiam habeant; sed sufficit, si hoc ipsis, spectata ementis qualitate, probabile videatur. Vermeersch *loc. cit. num. 11. 1. d.*

2697 Circa ea, quae superius scripta sunt ex constitutione « Offic. ac munerum » quoad libros, quos classicos vocant, Génicot in suis « *Casus consc. Ed. 2. Lovanii, 1902. I. tr. 7. c. 3° cas. 4.* » proponit casum sequentem. « Arnobius, litterarum in quadam universitate professor, saepe discipulis suis legit integra capita e modernis libris in indicem relatis, vel qui ex professo obsceni sunt, ut eorum stylum laudet vel vituperet. Tradit quoque interdum huiusmodi libros iisdem adulescentibus, ut dissertationem de eorum merito litterario conscribant ». Huic casui hanc apponit solutionem: « 1° Arnobius, ratione magisterii (a. 10), servare et legere potest libros obscenos modernorum auctorum, qui, ob formam, qua gaudent et styli perfectionem, accenseri solent iis, quos vir, modernarum litterarum peritus, ignorare nequit: hi enim censeri possunt classici. Nec refert, utrum nominatim in indicem sint relati, an tantum regula generali (a. 9) prohibeantur, siquidem lex non discernit. At si constaret, eos etiam ob aliam rationem fuisse nominatim proscriptos vel sub aliam prohibitionem cadere, ratione magisterii non excusaretur, quum articulus 10^us^ tantum deroget praecedenti prohibitioni (a. 9) legendi libros e professo obscenos. Quare speciali facultate indiget Arnobius ad legenda ex. gr. pleraque opera Aem. Zola; quippe quae, praeter obscena, continere soleant apertas religionis oppugnationes putidique materialismi defensionem. Cfr. Vermeersch *n. 16.* Igitur, modo agatur de libris ob nullam aliam causam, quam obscenitatem prohibitis, poterit Arnobius etiam quosdam locos ex iis legere coram adulescentibus, fere sicut iidem loci in chrestomatiis edi possent. Prohibetur quidem eosdem non expurgatos *praelegere;* sed hoc verbum, stricte sumptum, videtur aliquid amplius significare, quam quaedam excerpta in schola legere, nempe adhibere tamquam auctorem vel saltem continuata ratione explicare. Sed semper cavendum, ne loci ex professo obsceni legantur: quod ipsum ius naturae, propter periculum adulescentibus facile oriturum, manifeste vetat. — 2° Profecto, regulariter et ubi nulla specialis causa urget, libros etiam

classicos, si ex professo obscena tractant, alumnis suis tradere vetatur Arnobius, nisi iidem sint solerti cura expurgati (a. 10): quales editiones expurgatas auctorum modernorum frustra quaesieris. Attamen haud improbabile idem licere putamus ubi, in casu particulari, urget quaedam necessitas: qualis non raro nostris diebus aderit, utputa ne adulescentes a catholicis professoribus instituti ea ignorent, quae passim ab aliis, de religione nihil curantibus, traduntur, ac propterea alumnis malarum scholarum aliquatenus inferiores appareant in examinibus, concursibus vel communi litteratorum existimatione. In his adiunctis censemus praesumi posse in casibus particularibus facultatem: quae ceteroquin frustra peteretur, quum alia facultas generalis legendi ex professo obscena dari non soleat, quam quae a. 10 conceditur. Sed patet singulis adulescentibus maxime cavendum esse periculum consensus in turpia: quod vix cavebitur, nisi locos, in quibus maior obscenitas apparet, omittant vel leviter percurrant ».

Haec quidem Génicot; sed auctor ephemeridis, cui titulus « Monitore ecclesiastico » eumdem casum sibi propositum ita solvit, ut postquam in prima parte cum Génicot quoad substantiam concordet, quoad alteram partem casus haec habeat: « Quamquam non deest, qui plus aequo indulgens sit, tenemus tamen, magistrum non posse sine gravi culpa tradere alumnis libros ex professo obscenos, ut dissertationes conscribant. Id expresse vetat constitutio *Officiorum l. c.*: — Nulla tamen ratione pueris vel adulescentibus, ***nisi solerti cura expurgati,*** tradendi aut praelegendi erunt. — Nulla convenientiae aut utilitatis ratio potest gravissimum periculum, cui adolescentuli (***giovinetti***) ob horum librorum lecturam exponuntur, honestare ».

Verum forte quis advertere posset, hos iuvenes, qui profecto adolescentuli dici nequeunt, quum agatur de iuvenibus, qui scholas superiores adeunt seu Universitates frequentant, eximi a prohibitione eo ipso, quod studiis superioribus ***litterarum*** (de his loquitur Génicot, ut apparet ex proposito casu) operam dant; videtur enim eos excusare ***officii ratio.*** Certe officium latine est debitum; hi autem, qui litteris student ad hoc, ut litterarum magistri proxime evadant, officio tenentur studendi classicis auctoribus, quorum scilicet ipsi pro suo munere exquisitiorem cognitionem debent acquirere. Quare hoc idem extendi certe non posset ad eos, qui in gymnasiis et lycaeis, seu in scholis secundariis, quas vocant, litteras docentur. Hi enim his exquisitioribus disquisitionibus litterariis operam non dant, sed institutionem litterariam nanciscuntur multo leviorem. Praeterea hi certe pueri vel adolescentes sunt; discipulos vero, qui universitates frequentant, forte quis adolescentes non dixerit; neque enim dicendum videtur, constitutionem leonianam eam vocem adhibuisse in sensu classici sermonis latini, quo adolescentes dicebantur non solum ii, qui vigesimum quintum aetatis annum non excesserant, sed generatim

usque ad tricesimum iuxta Varronem, imo aliquando Cicero eos adolescentes vocat, qui tricesimum quartum, imo quadragesimum quoque, attigerant, quemadmodum videre est apud Forcellini *Lexicon v.* « *Adolescens* ».

Verum Vermeersch (*Comm. in constit.* « *Officiorum ac munerum* » *n. 16. B. 4 sqq.*) haec habet: « Officium, quod assumptam status conditionem (*profession, état*) in genere significat, intelligendum hic esse (eruitur) spectans ad litterarum cultum, ita ut ii excusentur officio, qui *ex professo* litterarum opera vel conscribunt vel iudicant (*littérateurs de profession, hommes de lettres, critiques*). Non autem sufficit, ut *per accidens* quid scribas ad litteras pertinens. Potest tamen quis simul aliam exercere artem et satis litteris incumbere, ut excusetur... *Pueri vel adolescentes* profecto sunt, qui in gymnasiis humaniores docentur litteras. Quid de iis, qui *Universitates* frequentant? Si nativam et etiam iure receptam consideres vocum significationem, pueritia durat ad 18 annum, adolescentia saltem usque ad 25. Si ad rationem legis animum advertas, nonne iunioribus istis plus forte, quam ipsis pueris, periculi afferunt obsceni scriptores?... Et si excusatos velis officio eos, qui in universitatibus speciali litterarum culturae propter statum futurum incumbunt, non omnino repugnamus. Malumus tamen eos considerare potius *in via* ad officium, quam ut officio iam instructos. Nec necessitatem videmus, cur uti debeant non emendatis editionibus. Num autem praesumenda est constitutio nostra voluisse adolescentibus nostris novum dare praetextum, ad excusandam suam in hac re nimiam, nec satis deplorandam, licentiam? Fieri autem potest, ut etiam in certis gymnasiis necessitas audiendi magistros, qui spernant haec monita, vel parandi se ad pericula (*examens*) facienda, cogat adolescentes, ut adhibeant non emendatas editiones. Ipsi tunc, intra fines huiusmodi necessitatis, excusabuntur a positiva lege ».

Observantia vana. — Vid. *Vana observantia.*

Obulum S. Petri. — Vid. *Petri Sancti obulum.*

Occasio. — Peccati occasio generatim est ea circumstantia externa, quae sive ex natura sua, sive ex fragilitate hominis, qui in ea reperitur, ad peccandum inducit. 2898

Periculum autem huiusmodi vel est tenuiter probabile, vel graviter probabile, quod in relatione ad personas aestimandum est. Si primum, occasio dicitur remota (Lugo *de poen. disp. XIV. n. 149*; B. P. *V. 105*); sin alterum, proxima. Lugo *loc. nuper cit.*; Suarez *de poen. disp. XXXII sect. 2 num. 4.*

Proximam autem esse occasionem colligitur tum ex tristi experientia lapsus, tum ex vehementi tentatione, cui homo ex his vel illis circumstantiis exponitur. Lehmkuhl *Th. mor. II. 485.*

Occasio autem dicitur in esse, si quis eam penes se habet, secus dicitur non in esse. G. B, *II. 440.*

Voluntaria praeterea est, quae facile dimitti potest; necessaria, quae physice vel moraliter non potest removeri. G. B. *loc. nuper cit.*; B. P. *V. 108.*

Quicumque est in occasione remota absolvendus est, etiamsi eam nolit deserere (B. P. *V. 107*); absolvendus est etiam ille, qui in occasione proxima necessaria invenitur, dummodo remediis praescriptis uti velit. B. P. *V. 115*. Qui vero est in occasione proxima voluntaria, quam potest et non vult derelinquere, nequit absolvi. Cfr. *prop. 61am damnatam ab Inn. XI decr. diei 2 mart. 1679*; B. P. *V. 109*.

Confessarius debet poenitenti suggerere opportuna media ad minuendum periculum, quando illud deserere est poenitenti moraliter impossibile; quibus si poenitens utatur, et tamen relabatur, absolvi potest, exquisitioribus propositis. Cfr. B. P. *V. 116 sqq.*

2899 **Occisio.** — Occidere seipsum directe numquam licet; ad sui vero occisionem indirecte concurrere licet aliquando. Vid. *Suicidium*. — Malefactores occidere publica auctoritate licet, non vero privata. — Item iniustum perimere aggressorem quis potest, ad suam vitam defendendam; numquam vero directe innocentem, quamvis ob gravem causam ponere actionem in se bonam, ex qua sequatur mors innocentis liceat, ut in bello iusto tormenta contra urbem dirigere, etsi multi exinde innocentes pereant. Vid. *Homicidium, Duellum*.

Quoad procurationem abortus, vid. *Abortus;* et quoad craniotomiam vid. *Craniotomia*, et confer quoad hoc opusculum desumptum ex « Annales de la Société scientifique de Bruxelles », cui titulus: « Discussion sur le foeticide médical, Séance du 21 avril 1903 de la 4 section, Louvain, 1904 ».

Quoad irregularitatem. Ex occisione etiam iusta, dummodo facta non fuerit ad sui defensionem, quicumque voluntarie, active, efficaciter, et proxime ad eam concurrerit, per actionem natura sua ad id ordinatam, irregularitatem ex defectu lenitatis incurrit (Vid. *Lenitas*); ex homicidio autem voluntario irregularitas incurritur; nec solum ab ipso homicida, sed et a mandante, et ab eo, qui vi aut dolo fecit, ne altus se defenderet (*cap. 6 § 4. de hom etc. X.* [*V. 12*]), vel quocumque modo causam necis praebuit. Ab irregularitate ex homicidio voluntario, etiam occulto, dispensare ex ordinariis privilegiis episcopi nequeunt. — Haec omnia fusius in *Homicidium*.

Occultum. — Occultum dupliciter 2900 accipi potest, secundum ipsam rei naturam, et secundum acceptionem in iure usitatam.

Secundum ipsam rei naturam est illud, quod nullo pacto demonstrari potest, et Dei solum iudicio permittitur. Ita Fagnanus (*in cap. 7 tit. 2 lib. III Decr. n. 106 sqq.*) et Benedictus XIV (*Inst. LXXXVII. n. 44*).

Secundum vero acceptionem in iure usitatam occultum est illud, quod opponitur tum manifesto, quod nempe iam pluribus est notum; tum notorio, quod scilicet non potest aliqua tergiversatione celari. Si vero etiamsi probari possit per aliquot testes (Sanchez *de matrim. lib. VIII disp. 34. n. 55;* S. Alphons. *VI. 593*), adhuc tamen possit latere, remanet occultum et non evadit notorium (Salmanticenses *Th. mor. tr. XIII. c. 4. n. 53;* D'Ann. *Comm. in const. « Ap. Sedis » n. 234*): hinc, etiamsi aliquid cognoscatur a quinque

aut sex in aliquo oppido, vel a septem aut octo in aliqua civitate, qui tamen hoc ipsum non sint moraliter certo propalaturi, adhuc occultum est et iure dicitur. Ben. XIV *Inst. cit. n. 45;* S. Alph. *I. App. II. n. 33.*

In praxi vero sacrae Poenitentiariae est distinguere duplex occultum, occultum videlicet simpliciter et occultum omnino: vel enim dicit « dummodo impedimentum occultum sit », et significat impedimentum vel crimen occultum, licet aliquibus sit notum, puta quatuor vel quinque; vel dicit: « dummodo impedimentum sit omnino occultum », et significat impedimentum vel crimen occultum, quod nulla ratione probari potest. Fagnanus *loc. sup. cit.*

Quando in dispensationibus additur clausula « dummodo res sit occulta », intelligendum est, quod id, de quo agitur, sit occultum formaliter tantum saltem errore facti, quamvis materialiter notum sit (Thesaurus *de poenis p. I. c. 21;* Ben. XIV *Inst. cit. n. 48*); ut, si quis irregularis evaserit ex homicidio, et vel occisus mortuus reputetur ex infortunio vel ex morbo (occulum materialiter), vel existimetur, eum occisum fuisse ex iusta defensione (occultum formaliter errore facti), adhuc res est occulta pro dispensatione; imo, secundum quosdam, etiam tunc res ad hunc finem occulta dici potest, si cognoscatur eum ex odio occisum fuisse, ignotum vero sit, homicidam esse irregularem (occultum formaliter errore iuris). Laymann *Th. mor. lib. I. tr. 5. c. 9. n. 4;* cfr. tamen D'Annibale *I. 242. 54.*

Occultum etiam est delictum, quod olim fuit publicum, sed iamdiu a longo tempore commissum e memoria communitatis excidit. Ben. XIV *Instit. LXXXVII. n. 47;* D'Ann. *I. 242.*

Occultum etiam habetur delictum eius, qui in iudicio, etsi iniusto, absolutus est. Sanchez *de matr. l. II disp. 37. n. 12; l. VIII disp. 34. n. 57;* Suarez *de cens. disp. XLI sect. 2. n. 6.*

Episcopi, mite vicarii capitulares et quotquot episcopali iurisdictione praediti sunt, absolvere possunt a censuris simpliciter R. Pontifici reservatis, quae proveniunt ex delicto occulto, vi facultatis concessae a Conc. Tridentino (*sess. XXIV. c. 6 de ref.*) et confirmatae expresse a Pio IX in constitutione « Apost. Sedis » in fine, sed tantum pro foro conscientiae, quamvis etiam extra sacramentum poenitentiae (Lugo *de fide disp. XXIII. n. 67;* Salmanticenses *Th. mor. tr. X. c. 2. n. 54;* D'Ann. *I. 346. 11*), delinquentes quoscumque sibi subditos in propria dioecesi; quamvis, ut habet D'Annibale (*Comm. in const. « Apost. Sedis » n. 234*), probabile est, quod possint absolvere suos in aliena dioecesi, et vix non certum, quod alienos quoque possint in sua. D'Ann. *I. 346.* Vid. *Censura.*

Praeterea episcopi absolvere possunt in irregularitatibus omnibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum. Vid. *Irregularitas.*

Propter occultum tantum delictum possunt episcopi ferre sententias ex informata conscientia. V. *Informata conscientia.*

Pro occultis impedimentis matrimonii dispensationem concedit S. Poenitentiaria; et tunc in recursu seu in postulatione dispensationis non debet exprimi nomen personae, pro qua gratia expostulatur, sed ea, ficto nomine, vel omni nomine reticito, littera N. designanda est. Vid. *Poenitentiaria.*

2901 **Occupatio.** — Occupatio est realis apprehensio rei corporalis, quae nullius sit, animo eam sibi acquirendi. B. P. *III. 56.* His addunt nonnulli conditionem quamdam, scilicet nisi lege aliqua humana earum rerum dominium cuipiam alteri applicetur, ut est ex. gr. in bonis vacantibus, quae fisco cedunt.

Apprehenditur autem eo modo, quem quaeque res patitur aut fert usus, puta manu, pedibus, vulnere inflicto; nec prodest alii, si forte prior eam aspexerit, vel apprehendenti ostenderit. Lugo *de iust. et iure disp. VI. n. 98.* Hinc res nullius fiunt primi occupantis (*l. 3 de acquirendo rerum dominio D.* [*XLI. 1*]; *C. It. aa. 710. 711*), exceptis rebus immobilibus, quae cedunt reipublicae (*C. G. a. 539; C. It. a. 711*), et mobilibus hereditariis ex C. G. (*a. 768*) et It. (*a. 758*); licet primus occupans eas occupaverit in alieno (*l. 3 tit. cit. D.* [*XLI. 1*]), veluti apes, quae in arbore tuo consederant (*l. 5. § 4 tit. cit. D.* [*XLI. 1*]), vel vi aut dolo adhibito, utputa si in tuum fundum ingressus venatione ceperim aliquid (*l. 3. § 1; l. 5 § 3 tit. cit. D.* [*XLI. 1*], vel lege prohibente, ut in venationibus prohibitis. D'Ann. *II. 128.*

Est occupatio legitimum medium acquirendi dominium (*leg. 1. § 1 tit. cit. D.* [*XLI*] *1;* B. P. *l. c.*), et versatur praesertim circa animalia. Vid. *Animalia.*

Baccheri A. De iure, personis et rebus extra contractum acquirendis; *Heisselink D.* De dominio eiusque acquirendi modis per occupationem et accessionem; *Brouwer W.* De iure occupandi; *Saint-Léon* De l'occupation en droit rom.; *Voscia A.* Se l'occupazione sia modo per acquistare la proprietà delle cose immobili abbandonate; *Cirier* De l'occupation en droit romain; *Wolf* Ueber Dereliktion von Recht und Besitz; *Kuyn de Verneville* De l'occupation comme mode d'acquisition de la propriété en droit des gens; *Humbert* De l'occupation en droit romain; *Nardi Dei U.* Della derelizione e della successiva occupazione in diritto romano.

Octava. — Quoad octavas iuvat hic 2902 apponere quaedam recentiora decreta Sacrae Congr. Rit., scilicet: « Octavas quascumque in quadragesima in posterum non esse concedendas; indultae vero ab antiquiore aevo, non solum in feria IV cinerum atque in Dominica passionis, sed etiam in omnibus aliis dominicis quadragesimae esse omnino intermittendas vel abrumpendas. Per integram denique maiorem hebdomadam omnes prorsus octavae interdictae, etiam privilegiatis quibuscumque, maneant. Ampliora hactenus, si quae fuerint, privilegia octavarum pro vetito tempore Sacra Rituum Congregatio revocata per decretum praesens declarat ». *S. R. C. 22 maii 1894* (*3826*).

« Festum duplex habens octavam, quando in die sua celabrari iuxta rubricam haud valeat et infra totam suam octavam transferri nequeat,

transferendum esse in ipsam octavam diem, quamvis in dominicam incidat; dummodo non occurrat aliud festum vel ritu, vel primarii qualitate, vel dignitate superius; quo in casu sacra Rituum Congregatio iubet, ut illud de more transferatur in primam diem liberam iuxta rubricas ». *S. R. C. 23 apr. 1895* (*3853*).

2903 **Oculus.** — Oculo dextero tantum carens non est irregularis, secus si careat oculo sinistro. Vid. *Caecus.*

Odium. — Odium aliud abominationis, aliud inimicitiae. Vide *Abominatio*, *Caritas.*

2904 **Officia nova.** — Iuvat heic addere decretum generale, quod Sacra Rituum Congregatio dedit quoad impetranda nova sanctorum officia novasque missas. Decretum autem est sequens:

« 1. Exhibitae nobis petitiones sanctos beatosve tantummodo spectare debent in romano martyrologio conscriptos, aut publico cultu a sancta Sede decreto, vel confirmato iamdiu fruentes. At vero semper speciali proprii episcopi commendatione opus est: qui etiam, si exquiratur, sui capituli cathedralis consensum allegabit.

2. Ad ceteros sanctos beatosve quod attinet, etsi longo iam tempore publico fuerint cultu honorati, cum officio et missa propria, necesse est, ut iuxta communes regulas eorum cultus ab ecclesia comprobatus et confirmatus sit, antequam officium ipsum ac missa permittatur.

3. Postulationes ad obtinenda officia missasque proprias pro novis eorum sanctorum sive beatorum festis, qui, sub alio quidem titulo, publico iam fuerint cultu donati, raro admodum excipientur. Semper autem eae rationibus omnino peculiaribus ac solidis, specialissimaque commendatione, et, si id materia ipsa exposcat, historicis documentis apprime validis fulciantur oportet.

4. Ex calendariis perpetuis vel propriis cuiusque dioeceseos, quae huic Congregationi sacris ritibus tuendis praepositae approbanda exhibentur, ii sive sancti sive beati expungendi sunt, quibus conditiones in § 1 recensitae desunt; novaque item festa in § 3 indicata; quum de his singillatim ac serio agendum sit.

5. Quaelibet novi officii ac missae postulatio curationi liturgicae prius examinanda subiicietur; dein summa diligentia in conventu, cui emus cardinalis praefectus praesidet, discutienda. Cuius discussionis exitus si postulanti faverit, postulatio exhibita, una cum rmi promotoris fidei annotationibus, typis mandabitur. Documentorum fasciculus ita comparatus, ab uno e cardinalibus relatoribus, Sacrae Congregationi in ordinario conventu exhibebitur.

6. Si Sacra Congregatio petitioni favens annuat, illius sententia sanctissimo Patri confirmanda subiicietur; ac tantummodo post pontificiam confirmationem, officii et missae schema, quod exhibitum fuerat, cooperante hymnographo Sacrae Congregationis, cura cardinalis ponentis et rmi promotoris fidei recognoscetur et approbabitur.

7. Extensiones officii et missae, alicui peculiari ecclesiae vel dioecesi

iam concessae, ad alias dioeceses ecclesiasve, specialibus rationibus inniti debent. Eae vero a delectis per nos viris sacrae liturgiae expertis et a congressu supradicto, sicut primitivae postulationes, expendentur; et, si id ipse necessarium existimabit, in pleno Sacrae Congregationis conventu proponentur, antequam Pontifici comprobandae exhibeantur; quae quidem approbatio semper necessaria est, nisi forte primitiva concessio *singulis petentibus* facta fuerit.

8. Immutationes vel additiones, quas in officiis vel missis iam concessis fieri contigerit, eaedem examini ac discussioni sicut extensiones, de quibus in § praecedente sermo est, subiicientur. — Die 13 iulii 1896 (3926). — SSmus dnus noster Leo papa XIII in audientia die 13 iulii 1896, eminentissimo card. praefecto S. Rituum Congregationis facta, quum hasce supra expositas normas sedulo perlegisset, easdem singulas approbare dignatus est, atque earum observantiam quam accuratissimam praecipere ».

2905 **Officia votiva**. — Per decretum S. Rituum Congregationis *5 iul. 1883* (*3581*) concessum est indultum generale tam capitulis et ecclesiasticorum communitatibus quibuscumque, quam singulis de utroque clero, persolvendi officia votiva per annum loco officiorum ferialium, praeterquam in feria IV cinerum, totius tempore passionis ac sacri adventus a die 17 ad 24 decembris inclusive; quoad choralem quidem recitationem, de consensu capituli seu communitatis ab ordinario semel pro semper approbando; quoad privatam vero recitationem, ad libitum singulorum de clero.

Officia autem huiusmodi votiva per annum, missis votivis in missali romano positis fere respondentia, haec pro singulis hebdomadae diebus assignata sunt: nimirum pro feria 2 de Angelis, feria 3 de ss. Apostolis (Romae vero de ss. Petro et Paulo), feria 4 de s. Ioseph, feria 5 de ss. eucharistiae sacramento, feria 6 de passione D. N. I. Ch., sabbato de immaculata B. M. V. conceptione.

Libera autem electio quoad privatam recitationem concessa coarctatur solummodo ad officia votiva ad libitum in supra citato decreto contenta, ideoque pro officiis antecedentibus ad libitum servanda sunt decreta alias edita (*S. R. C. in Aquen. 19 sept. 1883 ad 1* [*3594*]); verba autem « quoad privatam recitationem ad libitum singulorum de clero » intelligenda sunt de eis tantum, qui nullo canonico titulo ad chorum tenentur. *S. R. C. 10 nov. 1883 ad 1* (*3596*).

Canonici non possunt privatim in simplicibus et diebus ferialibus haec officia ad libitum persolvere, si ea capitulum non adoptaverit. *S. C. C. 22 febr. 1897*.

Haec officia votiva, etiamsi non fuerint a communitatibus ecclesiasticis statim adoptata, possunt quandocumque semel pro semper eligi. *S. R. C. in Minoricen. 24 nov. 1899 ad 2* (*4048*).

Per concessionem officiorum votivorum factam decreto 5 iul. 1883 non sunt revocatae concessiones anteriores aliorum votivorum officiorum. *S. R. C. in Osnabrugen. 5 iun. 1908*.

2906 **Officium.** — In capitulis praeter dignitates, personatus et canonicatus simplices, numerantur etiam officia. *cc. 15. 41 de praeb. et dign.* (*III. 4*) *in 6°*. Officium autem est titulus beneficialis, annexam habens aliquam administrationem absque iurisdictione et absque praecedentia. Huiusmodi esset oeconomus, sacrista etc. Barbosa *de can. c. 4. n. 14 sqq.*; Bouix *de capitulis p. 1. sect. 1. c. 5.*

2907 **Officium defunctorum.** — In officio defunctorum ante lectionem « *Parce mihi* » dici debet versiculus « *A porta inferi erue, Domine, animas eorum* » etiam tum, quum officium pro uno tantum dicitur. *S. R. C. in Tuden. 7 sept. 1816 ad 24* (*2572*).

Tolerari potest, ut in diebus duplicibus minoribus et maioribus cantetur nocturnum defunctorum ac etiam totum officium, non quidem ex fundatione, sed ex sola pia voluntate petentium, quin immediate post cantetur missa; vel si postulata fuerit, cantetur de festo aut de die occurrente. *S. R. C. in Tuden. 23 maii 1846 ad 13* (*2915*). Attamen, finita absolutione ad tumulum, debet tumulus removeri, ita ut tempore missae tumulus non adsit. *S. R. C. in una Montis Politiani 10 ianuarii 1852 ad 1* (*2994*).

In officio defunctorum per se semper dicendus est post vesperas psalmus « *Lauda, anima mea* », et post laudes psalmus « *De profundis* », exceptis diebus commemorationis omnium fidelium defunctorum et depositionis defuncti. *S. R. C. in una ord. Camald. 9 maii 1739* (*2344*); *in Romana 10 ian. 1896* (*3877*). Attamen probatur usus, qui pluribus in ecclesiis, etiam urbis, obtinet, omittendi psalmos « *Lauda* » ad vesperas, et « *De profundis* » ad laudes in officio defunctorum, etsi cum uno tantum nocturno, sub ritu duplici recitato. *S. R. C. 9 iun. 1899 ad 3* (*4029*).

Officium divinum. — Vid. *Horae canonicae.*

Officium parvum B. M. V. — Antea 2908 officium parvum beatae Mariae Virginis ad lucrandas indulgentias, sive publice, sive privatim, latine recitandum erat. *S. C. Indulg. 6 maii 1887; 13 sept. 1888.* Attamen consuetudinem recitandi a confratribus officium parvum B. M. V. in lingua vulgari voluit tolerandam esse S. Congregatio Rituum (*S. R. C. in una SS. Concept. de Chile 20 aug. 1870* [*3221*]; *in Mexicana 15 ian. 1897* [*3945*]), et pro dioecesi Buscoducensi declaravit, posse episcopum ordinaria auctoritate approbare translationem huius officii in linguam vernaculam, officiumque ita translatum posse in lucem edi et adhiberi a fidelibus pro recitatione privata. *S. R. C. in Buscoducen. 24 apr. 1896* (*3897*).

Nuper tandem a S. Congregatione Indulgentiarum hoc denuo examinatum est postulatum: « An, non obstante decreto in una Sebenicen. dei 13 septembris 1888, expediat indulgentias a RR. PP. concessas Christifidelibus recitantibus parvum officium B. Mariae Virginis, ut exstat in fine breviarii romani, extendere ad illos, qui idem officium recitaverint in aliam linguam translatum, praevia recognitione et approbatione ordinarii loci, ubi vulgaris est lingua? »; et respon-

sum est: « *Affirmative* pro privata tantum recitatione ». *S. C. Indulg. 28 aug. 1903.*

Officium sanctum. — Vid. *Sanctum Officium.*

2909 **Olea sacra.** — **De diversis speciebus sacrorum oleorum, et ad quid unaquaeque inserviat.** — Tres distinguuntur:

Oleum infirmorum, quod non inservit nisi ad inungendos infirmos in periculo mortis (Rit. Rom. *tit. V. cc. 1. 2*), et ad consecrationem campanarum pro unctione externa. Pont. Rom. *p. II de bened. signi vel campanae.*

Oleum catechumenorum, quod inservit ad inungendos catechumenos in pectore et inter scapulas (Rit. rom. *tit. II c. 2. n. 15; c. 4. n. 40*), ad manus neosacerdotum consecrandas (Pont. rom. *p. I de ordinatione presbyteri*), ad consecrationes regum (Pont. rom. *p. I de benedictione et coronatione regis*), etc.

Chrisma, quod adhibetur in sacramento confirmationis (Pont. rom. *p. I de confirmandis*), in ceremoniis baptismi, iam collato sacramento (Rit. rom. *tit. II. c. 2. n. 23; c. 4. n. 46*), et ad consecrationes calicis, patenae (Pont. rom. *p. II de patenae et calicis consecratione*), altaris (Pont. rom. *p. II de consecratione altaris*), campanae pro unctione interna (Pont. rom. *p. II de bened. signi vel campanae*), etc.

2910 **De consecratione sacrorum oleorum.** — Triplex hoc oleum benedicitur ab episcopo feria V in Coena Domini.

Consecratio sacrorum oleorum fieri debet ex Pontificali romano (*tit. de officio in feria V in Coena Domini*) astantibus duodecim presbyteris, septem diaconibus et septem subdiaconibus; quod, si constitui non possit sacerdotum secularium numerus a pontificali requisitus, episcopus supplere debet regularibus sacerdotibus (*S. C. EE. RR. 19 iun. 1863*), nec potest subdiaconis et diaconis substituere clericos in minoribus dalmatica vel tunicella indutos absque manipulo et stola (*S. R. C. in Liburnen. 7 febr. 1874* [*3325*]; *in Ravennaten. 7 iul. 1876 ad 7* [*3402*]); sed debet petere dispensationem a S. Sede ob defectum tum presbyterorum tum ministrorum, toties quoties hic defectus occurrit, ut possit procedere ad consecrationem cum numero presbyterorum aut ministrorum minore illo, qui prescribitur in pontificali romano. *S. R. C. in Soanen. 19 iun. 1875* (*3549*). Cfr. etiam *S. R. C. in Torcellen. 21 ian. 1662* (*1225*); *13 ian. 1693* (*1896*) *ad 1.*

Stante autem penuria sacerdotum et clericorum in cathedrali, ipsi canonici cathedralis (*S. R. C. in Lauretana 9 maii 1606 ad 1* [*210*]), nec non canonici collegiatarum, tenentur ad assistentiam praestandam consecrationi ss. oleorum. *S. R. C. in Spoletana 11 aug. 1646* (*897*); *in Veglen. 16 sept. 1747* (*2398*).

De conservatione sacrorum oleorum. — Conservanda vero sunt sacra olea magna cum diligentia (*c. 1. de custodia euch. etc. X.* [*III. 44*]), et ex praescripto ritualis romani (*tit. II. c. 1. n. 34*; *tit. V. c. 1. n. 3*) in suis vasculis argenteis, aut saltem stanneis, bene obturatis, et inter se distin- 2911

ctis, propriam unoquoque inscriptionem habente. — Non licet sacerdotibus pro sua commoditate apud se in domibus suis retinere oleum sanctum infirmorum, sed servandum est rituale romanum (*tit. V. c. 1. n. 3*), excepto tamen casu magnae distantiae ab ecclesia; quo in casu omnino servanda est, etiam domi, rubrica quoad honestam et decentem tutamque custodiam. *S. R. C. in Gandaven 16 dec. 1826 ad 3* (*2650*); *in Toletana 31 aug. 1872 ad 5* (*3276*); *in Lauden. 23 iun. 1892* (*3779*).

2912 **De sacro oleo deficiente.** — Si forte oleum sanctum infirmorum infra annum aliquo modo ita deficiat, ut sufficere non posse videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto in minori quantitate superinfuso, reparari potest. Rit. rom. *tit. V. c. 1. n. 3.*

2913 **De translatione oleorum sacrorum.** — Nova olea sacra accipienda sunt a cathedrali et transferenda ad alias ecclesias a sacerdotibus, vel clericis, si possibile sit, in sacris constitutis (*S. R. C. in Annecien. 31 ian. 1896* [*3879*]); deficientibus autem clericis, possunt transmitti ad ecclesias per viros laicos, modo constet de horum laicorum, qui ad id deputantur, fidelitate (*S. U. I. in Leavenworthien. 1 maii 1901; de Pouso Alegre 14 ian. 1903*); numquam vero licet hoc facere per societates mercatorias ad transvehendas merces institutas, praesertim, si personae, quae harum societatum negotiis operam dant, sunt haeretici vel ethnici. *S. U. I. decr. nuper cit.*

2914 **De sacris oleis, quae supersunt.** — Si quid de veteribus oleis sacris, quum renovantur, remanserit in ampullis, ponitur in lampadibus ecclesiae ante sacramentum, ut comburatur. Reliquum autem, quod est in pixydibus sive capsulis, cum bombyce igne comburitur. Pont. rom. *de Coena Domini*. Nec liceret ea retinere, iisque retentis nova etiam olea consecrata in feria V in Coena Dni admiscere (*S. R. C. in Patavina 7 dec. 1844* [*2883*] *ad 3*), non obstante etiam immemorabili consuetudine. *S. R. C. in Mantuana 28 ian. 1910.*

De gratuita sacrorum oleorum distributione. — Aliquid pretii exigere pro distributione sacrorum oleorum simoniacum est: attamen modica taxa, stante legitima consuetudine, exigi valet pro ss. oleorum materia comparanda, remunerandisque ministris eadem distribuentibus. *S. C. C. 20 dec. 1879.* 2915

Löfler Die Weihe der heil. Oele; *Bernard* La bénédiction des saintes huiles à la messe pontificale du jeudi-saint.

Omissio. — Omissio importat praetermissionem boni, non autem cuiuscumque, sed boni debiti, S. Th. *2. 2. q. 79. a. 3.* 2916

Quaestio est inter doctores, an in peccato omissionis sit aliquis actus, vel nullus. « Utraque autem opinio secundum aliquid veritatem habet. Si enim intelligatur in peccato omissionis illud solum, quod per se pertinet ad rationem peccati, sic quandoque omissionis peccatum est cum actu interiori, ut quum aliquis vult non ire ad ecclesiam; quandoque vero absque omni actu vel interiori vel exteriori, sicut quum aliquis hora, qua tenetur

ire ad ecclesiam, nihil cogitat de eundo vel non eundo ad ecclesiam. Si vero in peccato omissionis intelligantur etiam causae vel occasiones omittendi, sic necesse est, in peccato omissionis aliquem actum esse. Non enim est peccatum omissionis, nisi quum aliquis praetermittit facere, quod potest facere et non facere. Quod autem aliquis declinet ad non faciendum illud, quod potest facere et non facere, non est, nisi ex aliqua causa, vel occasione coniuncta, vel praecedente. Et si quidem causa illa non sit in potestate hominis, omissio non habet rationem peccati; sicut quum aliquis propter infirmitatem praetermittit ad ecclesiam ire. Si vero causa vel occasio omittendi subiaceat voluntati, omissio habet rationem peccati; et tunc semper oportet, quod ista causa, in quantum est voluntaria, habeat aliquem actum, ad minus interiorem voluntatis. Qui quidem actus quandoque directe fertur in ipsam omissionem, puta quum aliquis vult non ire ad ecclesiam, vitans laborem; et tunc talis actus per se pertinet ad omissionem; voluntas enim cuiuscumque peccati per se pertinet ad peccatum illud, eo quod voluntarium est de ratione peccati. Quandoque autem actus voluntatis directe fertur in aliud, per quod homo impeditur ab actu debito; sive illud, in quod fertur voluntas, sit coniunctum omissioni, puta quum aliquis vult ludere, quando ad ecclesiam deberet ire; sive etiam sit praecedens, puta quum aliquis vult diu vigilare de sero, ex quo sequitur, quod non vadat hora matutinali ad ecclesiam. Et tunc actus iste interior per accidens se habet ad omissionem, quia omissio sequitur praeter intentionem. Hoc autem dicimus per accidens esse, quod est praeter intentionem. Unde manifestum est, quod tunc peccatum omissionis habet quidem aliquem actum coniunctum vel praecedentem, qui tamen per accidens se habet ad peccatum omissionis. Iudicium autem de rebus dandum est secundum illud, quod est per se, et non secundum illud, quod est per accidens. Unde verius dici potest, quod aliquod peccatum possit esse absque omni actu: alioquin etiam ad essentiam aliorum peccatorum actualium pertinerent actus et occasiones circumstantes ». S. Th. *1. 2. q. 71. a. 5.*

Onanismus. — Onanismus in eo consistit, quod vir, post inceptam copulam, ante seminationem se retrahat, et semen extra effundat, ut generationem impediat. 2917

Voluntarius, est semper peccatum mortale. — Hinc vir onanista numquam est absolvendus, nisi emendationem promittat; uxor vero a peccato excusatur, si gravi de causa viro onanistae debitum reddat, modo non assentiatur peccato, ab eoque virum conetur retrahere. Cfr. *resp. S. Poen. 1 febr. 1823, 8 iun. 1842.*

Imo attendendum est id, quod habet S. Alphonsus (*VI. 947*) circa hoc, scilicet: « Si agatur de debito reddendo.... probabilius videtur, uxor non solum posse reddere, sed etiam teneri. Ratio, quia iuxta dicta n. 944, quando culpa se tenet ex parte personae petentis, quum ipsa habeat ius ad copulam, nequit alter sine iniusti-

tia debitum negare, si non possit monendo a tali culpa illum avertere; et tunc patet, quod reddens ne materialiter quidem cooperatur peccato illius, quum non cooperetur seminationi extra vas, sed tantum copulae inceptae, quae per se omnino utique licita est ».

Attamen si moraliter certo uxor sciret, maritum velle copulam onanisticam, aut si maritus hoc ipsum expresse diceret, non obligarem mulierem ad reddendum, tum quia ex eo provenire possunt mala et incommoda ipsi mulieri, tum quia mulier dedit viro ius ad copulam maritalem, qualis non est onanistica.

Gaudere autem de effectu inde secuto, ex. gr. de immunitate a periculis, quae partum comitantur, etc. non est assentiri viri peccato.

Uxor indirecte vel directe maritum inducens ad hoc crimen graviter peccat; ab eo tamen, etsi sciat abusurum, gravi de causa debitum petere potest.

Confessarius viro onanistae, qui hoc crimen committit ob timorem numerosioris prolis, ex P. Ballerini (*Opus morale VI. n. 251*) consulere potest, ut cum uxore congressum habeat a quartodecimo die post incepta menstrua usque ad sequentem menstruorum recursum, quo tempore fere certum esse ipse dicit (et in hoc assentitur Capellmann *Pastoralmedicin ed. 6 pag. 156*), generationem non sequi. Non est tamen silentio praetereundum, alios hanc theoriam non recipere. Cfr. Eschbach *Disputationes physiologico-theologicae pag. 80; et* Roubaud *Traitè de l' impuissance pag. 49.*

Mulier petere etiam debitum potest a viro onanista gravi de causa, scilicet si ipsa esset in periculo incontinentiae, vel si deberet alias privari suo iure petendi plus quam semel vel bis cum perpetuo scrupulo, an ei sit satis grave incommodum, necne, tunc se continere. S. Alph. *VI. 947.*

Iuverit hic referre sequentem casum quoad onanismum sacrae Poenitentiariae propositum, scilicet:

« Ioannes parochus manus vestras humiliter osculatus casum sequentem reverenter exponi. — Titius parochianus, dives, honorabilis, litteratus ac bonus christianus, in confessione de usu matrimonii prudenter interrogatus, confitetur, se cum uxore, etiam aliquatenus repugnante, coitum semper abrumpere, ne sequatur proles; et a me quaesitus, fatetur, se semper extra vas mulieris seminare; a me redargutus statim reponit, se ita agere propter duplicem rationem: 1° ne prole numerosiore status familiae deiiciatur (iam enim habet filium et filiam); 2° ne uxor iterata graviditate nimium defatigetur. Qui de inanitate harum rationum a parocho admonitus, reponit hunc agendi modum ipsi probatum fuisse a quodam perillustri confessario in quodam recessu, quem nuper in quadam communitate peregit, *modo maritus in actu intendat sedationem concupiscientiae et non pollutionem.* — Ioannes parochus, miratus hunc praeclarum confessarium, qui nuper in quodam maiori seminario theologiae moralis lector fuerat, talem agendi modum probasse, nihilominus Titium in hoc agendi modo

perseverare volentem, absolvere non est ausus. Titius vero de sua dimissione offensus suum parochum ignarum ac superbum ubique praedicat, utpote sententiam aliorum corrigentem et onera importabilia poenitentibus imponentem. - Ioannes parochus, his omnibus permotus, quae in detrimentum parochi, imo et ipsius religionis multum cedunt, ab Ema. vra. humiliter ac reverenter exposcit: quidquid sit de praeterito, quomodo se gerere debeat cum Titio, qui probabilissime ad confitendum revertetur, et in sua agendi ratione pertinaciter perseverabit? — Sacra Poenitentiaria, mature consideratis expositis, respondit: Parochum, de quo in casu, recte se gessisse, atque absolvi non posse poenitentem, qui abstinere nolit ab huiusmodi agendi ratione, *quae est purus putus onanismus* ». *S. Poen. 13 nov. 1901.*

Et sane S. Officium ad quaestionem propositam, qua nota theologica esset digna haec propositio: « Ob rationes honestas coniugibus uti licet eo modo, quo usus est Onan », responderat: « propositionem esse scandalosam, erroneam et iuri naturali matrimonii contrariam ». *S. U. I. 21maii 1851.*

Notandum est, recentiores rei medicae peritos, immutatis nominibus, onanismum saepe dicere ipsam mollitiem. — Cfr. Knock *L'onanisme conjugal et le tribunal de la pénitence.*

2918 **Oniromantia.** — Oniromantia est divinatio per somnia. G. B. *I. 266.* Somnia vero ex causis tum naturalibus tum spiritualibus provenire possunt. Difficile est iudicare ex quanam causa proveniant, sed certe a Deo rarissime immittuntur, et fere ita ut a Deo illa esse persuasissimum sit somnianti. G. B. *I. 270.*

Opera. — Opera alia dicuntur ser- 2919
vilia, alia liberalia, alia communia.

Servilia proprie dicta ea sunt, quae ad servos per se spectant. — Hinc servilia sunt (et ab his fideles diebus festis sub gravi prohibentur, vid. *Labor*) ex. gr. arare (D'Ann. *III. 121* [5]), putare (Salmanticenses *Th. mor. tr. XXIII. c. 1. n. 228*), nere (D'Ann' *l. c.*), suere. S. Alph. *III. 272*; Salmanticenses *l. c.*

Liberalia e contra (et haec diebus festis licent) sunt: docere (Salmanticenses *l. c. n. 257*), legere, psallere (D'Ann. *l. c.*), scribere, exscribere. Salmanticenses *l. c. et n. 262;* S. Alphons. *l. c. n. 279.*

Communia ea sunt, quae et servilium et liberalium habent aliquid; haec, si proxime servilibus accedunt, idest si natura sua multo labore indigent, non licent, secus licent. D'Ann. *III 121.* — Hinc licet venari (S. Alph. *l. c. n. 283*; cfr. tamen Salmanticenses *l. c. n. 228*), piscari (cfr. *c. 3 de feriis X* [*II. 9*]; S. Alph. *loc. cit. n. 283*; B. P. *II. 736*), delineare (D'Ann. *l. c.*), acu pingere (S. Alph. *l. c. n. 281*; B. P. *II. 731*; cfr. tamen Salmanticenses *l. c. n. 231*), imo etiam penicillo, si fiat sine magno apparatu (S. Alph. *l. c. n. 280*; B. P. *II. 729*; cfr. tamen Salmanticenses *l. c. n. 231*) etc.

Etiam forensia diebus festis prohibentur (*cc. 1. 5 de feriis X.* [*II. 9*]); imo iure canonico (*c. 5 tit. cit. X.* [*II. 9*]) actus iudiciales habiti die festo sunt irriti.

Tres circiter horae servilis operis requiruntur ad mortale peccatum (S. Alph. *III 305*; Lehmkuhl *Th. mor. I. 550*); et ab omni peccato excusat caritas erga proximum, pietas in Deum, necessitas animae aut corporis, sive propria, sive aliena. Ordinarie loquendo, otii vitandi causa non excusat. S. Alph. *III. 302*. Vid. *Labor.*

2920 **Operarius** — Operarii sive opifices ii sunt, qui operas suas ad certum tempus alicui domino locant. Operarii non admittuntur ad familiam domini, nec proprie eius gubernationi subsunt, quemadmodum famuli; hinc ab iis discriminantur. Noldin *Th. mor. II. 293.*

Praecipuae operariorum obligationes in eo consistunt:

a) ut servent conditiones iusti contractus;

b) abstineant ab inferendis damnis dominis suis;

c) temperent sibi a vi et seditionibus, praesertim vero ab iniusta cessatione ab opere ex condicto (seu ab operistitiis, ut alii loquuntur).

Hinc ex primo peccant, graviter vel leviter pro vario negligentiae et diuturnitatis gradu, operarii, qui, dum ex contractu ad diligentem laborem tenentur, vel oscitanter laborant, vel tempus otiando terunt; quare per se ad restitutionem tenentur pro rata. - Ex adverso, quum ad conditiones iusti contractus teneantur operarii, si quando contractus est iniustus, ad contractum non tenentur; proinde si vel egestate coacti, vel quia secus operum expertes essent, in mercedem iusta minorem consenserint, non tenentur stare contractui, tum quia non consenserunt libere, tum quia operariis ex iustitia semper debetur salarium, quod iustum sit; quare si pacta merces infimum iustum pretium non attingat, possunt operarii occulte sibi compensare, quum existimari numquam possit, operarios donare voluisse dominis partem mercedis sibi debitam. Idem dicendum, si obligentur laboribus vacare festis quoque diebus.

Ex secundo peccant operarii, si opera sibi commissa male adimpleant; si qualitatibus rerum, quas ad opera perficienda assumunt, malis et vitiatis utuntur; si res domini pro suo munere non custodiunt.

Ex tertio peccant operarii, si ab opere cessant, sive ad perturbandum ordinem socialem, sive ad extorquendas iniustas conditiones pro sui operis retributione sive ad alios pravos fines. Nec solum peccant contra obligationes civium proprias, sed etiam contra iustitiam relate ad dominos, qui ex hoc damnum patiuntur; ac proinde tenentur ad restitutionem. - Attamen non exinde omnis cessatio ab operibus semper illicita existimanda est; nam profecto licitum est cessare ab opere, quando agitur de contractu iniusto, etiam ante tempus in contractu praescriptum.

Quoad cessationem ab opere vel 2921
operistitia haec habe ex Vermeersch *(Quaestiones de iustitia n. 474)* qui, postquam de illiceitate operistitiorum ex fine dixerit, sic prosequitur:

« Ex *modo,* contraria sunt iustitiae commutativae:

a) Quum *ante tempus* libera con-

ventione statutum, operarii intermittunt promissas operas, nisi id fecerint ad se redimendum ab *iniusta* vexatione, quod ad pretium vel laboris conditiones. Huc enim transferendae sunt regulae de iusta defensione.

b) Quando exercetur *iniusta aliorum coactio.* Operae pretium est hanc pressius definire.

α) Iniusta est coactio, qua vi, fraude, minis vel *mediis stricte damnosis* (quae laedant alicuius personam vel bona) ceteri operarii labore prohibeantur. His enim ius est exercendi et locandi vires eo, qui ipsis placuerit, pretio ac modo...

β) Nec licita est, nec vacua ab iniuria, *coactio* talis, *qua quis virtualiter interdicatur ab aqua et igne,* negata omni civili communicatione. Hoc enim genere coactionis utebantur Hiberni in suo *boycotting* et *plan of campaign.* Namque videtur ius esse uniuscuiusque, ut eo fruatur civili convictu, quo humanam queat ducere vitam.

c) His autem mediis seclusis, *licet,* in causa iusta et gravi, *moralem aliquam adhibere coactionem,* qua mere bono quodam indebito excludantur ii, qui nolint communes tueri rationes. Huc pertinet mulcta, quae statuatur secundum sodalitii leges, expulsio ex sodalitio, negatio subsidiorum in necessitate non extrema, etc.

N. B. Merito R. D. Pottier (*De iure et iustitia diss. 3. n. 176*) obligat in solidum operarios ad sarcienda damna iniusti operistitii. Saepe tamen, quum de restitutione agitur facienda ipsi magistro, poterit, constituta pace, praesumi quaedam debiti condonatio, eius saltem, quo vulgus obstringeretur. Non perinde dixerim de concitatoribus.

Ex *effectibus* odiorum et minarum operistitia, etiam si iusta, *graviter adversantur caritati et pietati in patriam:*

a) Quando *bonum,* cuius spes datur, *non tanti* est *momenti;*

b) Quando de talis *medii idoneitate* merito dubitandum est;

c) Quando *via suppetit* suavior et *melior* assequendi intentum finem ». Confr. quoad haec etiam Noldin *loc. cit. II. 297 sqq.*

Quando operariis liceat pravis aliorum actionibus cooperari, vide sub *Cooperatio.* Cfr. C. A. *a. 769.*

Bibliographiam quaere sub *Stipendium.*

Operatio caesarea. — Operatio caesarea in hoc consistit, quod uterus matris gravidae aperiatur. Littré et Robin *Dizion. di medicina e chirurgia v.* « *Cesareo* ». 2922

Mortua matre, certum est operationem caesaream semper fieri posse; imo et debere. G. B. *II. 67;* Lehmkuhl *Th. mor. II. 75.* - Vivente matre, numquam licet, quoties adest proximum periculum mortis matris inde secuturae (G. B. *l. c.*); secus licet, imo per se, speculative loquendo, eam pati mater tenetur, si infans non possit aliter baptizari (cfr. S. Alphons. *VI. 106*), quod nunc difficile eveniet, quum, medio instrumento, moraliter certo infans possit baptizari. B. P. *II. 915.*

Operae pretium erit heic addere casum his ultimis annis Sacrae Congr. S. Officii propositum, qui est sequens: « Parochus N. N. in hac dioecesi, iuxta

ritualis romani praescripta, iuxta etiam preces mulieris praegnantis et graviter decumbentis, super hac muliere, iam certo mortua, curavit, ut operatio caesarea fieret. Medicus absens erat, et operatio facta fuit ab alia persona capaci. Puer vivus erat, et fuit baptizatus. Propter hoc factum parochus fuit accusatus, sed a iudicibus civilibus sine ulla condemnatione remissus. Postea autem, et propter idem factum, dictus parochus a gubernio stipendio annuo fuit privatus. - Quaeritur ergo: 1° Parochus N. N. egitne recte, curando, ut fieret operatio, medico deficiente, ab alia persona capaci, morte quidem certa, sed non legaliter recognita? 2° Parochus, vel alius sacerdos, debetne curare, ut in iisdem supradictis circumstantiis, operatio, de qua agitur, fiat, etiam quando se qui debet privatio annui stipendii? - S. Congregatio respondit: - Detur decretum S. Officii diei 15 februarii 1780 ad vic. ap. Sutchuen. - Porro citatum decretum sic se habet: Ubi de rebaptizandis parvulis rituale romanum hoc praescribit, scilicet: *Si mater praegnans mortua fuerit, fetus quamprimum caute extrahatur,* hucusque inter christianos casus occurrit, sed regula praescripta numquam observata est, neque umquam promulgata. Rationes sunt: summa repugnantia, quam Sinenses habent ad eiusmodi sectionem, absoluta apud ipsos artis anatomicae imperitia, gravissimum periculum atroces calumnias contra religionem excitandi, gravesque persecutiones sustinendi cum discrimine salutis et vitae, saltem pro iis, qui sectionem tentare auderent si factum ad notitiam gentilium perveniret, quod admodum facile est. Causae praedictae possuntne silentium excusare? Resp. Etsi caute prudenterque agendum sit, ne, quum paucos quaeramus, multos amittamus, agendum esse tamen, et sectionis a rituali praescriptae notitia ingerenda, ne oblivisci videamur eos, quos abundantiori caritate manifestum est indigere. Erit proinde e missionariorum debito, paullatim et opportune commonere Sutchuenses de miserrima parvulorum perditione in uteris matrum decedentium, quibus opitulari nihilominus, quoad humanae possunt vires, postulat christiana caritas, postulat ecclesiastica sollicitudo. Neque improbum videri debere Sutchuensibus, ut ullis fidelibus, secare matrem mortuam, quum et Dominicum latus dissectum sit pro nostra redemptione. Illud potius rationi absonum, atque ab omni pietate remotum, pro inani integritate pudoreque servando defunctae genitrici, viventem natum aeternae morti addicere. Certe, non modestia, non virtus, unde tantum profluit malum. Haec autem fetus extractio de praegnantis defunctaeque alvo matris, quamvis patefacienda, ut dicimus, ac persuadenda sit, expresse tamen cavet, prohibetque Sanctitas sua, ne missionarii in casibus particularibus se ingerant in demandanda sectione, multoque minus in ea peragenda. Sat proinde missionariis fuerit, illius notitiam edidisse curasseque, ut eius perficiendae rationem perdiscant, qui chirurgicis intendunt, laici homines, tum vero, quum casus tulerit, eiusdem praxim

ipsorum oneri ac muneri reliquisse ». *S. U. I. 13 dec. 1899.*

2923 **Opinio.** — Opinio in genere est adhaesio alterutri e duobus contradictoriis cum formidine alterius. S. Th. *1. p. q. 79. a. 9 ad 4um.*

Opinio probabilis secundum Medina (*1. 2. d. 19 art. 6 dub. 4*) ea est, quam asserunt viri sapientes, et confirmant optima argumenta, quae sequi haud improbabile est. Quare, brevius, est iudicium nitens motivo gravi, licet cum formidine oppositi.

Improbabilis est ea opinio, quae motivo solido destituitur.

Si duas propositiones probabiles simul comparemus, hae vel possunt habere eamdem utraque probabilitatem, et tunc unaquaeque alteri aequiprobabilis est; vel una prae alia solidioribus veritatis motivis innititur, et haec probabilior est. Vid. *Probabilismus, Probabiliorismus, Aequiprobabilismus.*

Opinio probabilis alia est probabilis intrinsece, quum nempe eius probabilitas innititur rationibus ex intimis rei deductis; alia extrinsece, quum nempe eius probabilitas innititur auctoritati doctorum, idipsum veluti probabile admittentium. G. B. *I. 52.* Haec illam supponit. Ballerini *in Gury loc. cit. not. 1.*

Opinio alia est certe, alia dubie, alia tenuiter probabilis.

Ubi de solo licito vel illicito agitur, licet sequi opinionem vere et solide probabilem, relicta tutiore eaque probabili, vel etiam vere probabiliore. S. Alph. *Dissert. de usu mod. opin. prob.*; B. P. *I. 175 sqq.*; G. B. *I. 59 sqq.* Arendt *Crisis*; Bucc. *I. 119.* - Ubi agitur de valore actus necessario obtinendo, ut in conficiendis et conferendis sacramentis, non licet sequi opinionem probabilem de valore actus, relicta tutiore. Cfr. *prop. 1am damn. ab Inn. XI decr. diei 2 mart. 1679.* Vid. *Conscientia.*

Bibliographiam quaere sub *Conscientia.*

Oppressio. — Oppressio mulieris 2924
est peccatum grave, tum contra castitatem, tum contra iustitiam. S. Alph. *III. 443.*

Mulieri oppressae verius licet semen eiicere, fetum vero necare certo non licet. Lehmkuhl *Th. mor. I. 849.*

Quoad casum, quo opprimatur mulier virgo, aut vidua honeste vivens, vid. *Stuprum.*

Optio. — Optio est quoddam ius, 2925
cuius vigore antiquiores canonici gradatim vacantem praebendam, quae reservata non sit, propria dimissa, intra certum tempus eligere et consequi valent. Bouix *De capitulis part. I sect. 3. c. 1. § 3.* Duo autem in hac materia potissimi casus considerari queunt. Alter est, quando agitur de optanda praebenda separabiliter annexa canonicatui. Alter casus est, quando res est de optanda praebenda inseparabili nexu canonicatui addicta, si videlicet ita perpetuo adhaeret, ut unum sine altero obtineri nequeat, proindeque optans praebendam assequetur etiam novum canonicatum; quod genus praebendae optatur, interveniente auctoritate superioris, qui ius habet instituendi, dum fit mutatio tituli canonicalis, quod propria auctoritate fieri nequit. Pallottini *Coll. resol. Sacr. Congregat. Conc. v.* « *Optio* » *n. 18.* In primo autem casu,

quum non mutetur titulus canonicalis, nihil aliud requiritur, nisi acquisitio possessionis, quae iam supponit ius in beneficio seu praebenda. Garcia *de ben. p. IV. c. 3. n. 46.* Quare ista optio, quum non requirat liberam acceptationem, potest pertinere etiam ad amentem. *S. C. C. in Osnabrugen. 28 mart. 1903.*

2926 **Oratio.** — **De natura et divisionibus orationis.** — Oratio late est elevatio mentis ad Deum (S. Th. *2. 2. q. 83. a. 1 ad 2um*); stricte est petitio decentium a Deo. S. Th. *l. cit. a. 1. c.* Cfr. Koch *Lehrb. der Moralth.* § *94.*

Multiplex est: mentalis, vocalis; privata, publica. G. B. *I. 259.*

2927 **De obligatione orandi pro se et pro aliis.** — Orandum autem est pro se, non solum necessitate divini praecepti, sed verius etiam necessitate medii. S. Th. *l. c. a. 2. ad 1um et 3um.* – Hoc praeceptum obligat frequenter, non tamen sine intermissione. G. B. *I. 259.* Urget autem per se saepius in vita (Suarez *de oratione lib. I. c. 30. n. 15. etc.*); an singulis hebdomadibus, vel singulis mensibus, aut singulis annis, controvertunt doctores; certe nihil in hac re definiti et certi iuris est; per accidens vero in quavis gravi tentatione. G. B. *I. 260.*

Pro aliis orandum est ratione caritatis (S. Th. *l. c. a. 7.*), et plus vel minus secundum eius ordinem. — Cui obligationi pro omnibus, quibus specialiter non astringimur, orandi facit satis ille, qui neminem a sua oratione positive excludit, quando eas vocales orationes recitat, quae pro aliis quoque natura sua funduntur (ut oratio dominica, salutatio angelica, etc.), etsi de aliis positive non cogitet. Ballerini *in Gury I. 262 (2).*

Orare autem licet pro omnibus hominibus, etiam infidelibus et excommunicatis (D'Ann. *II. 19*), nec non pro animabus purgantibus (*II. Machab. XII. 46*), non autem pro beatis aut pro reprobis; nam pro illis iniuriosum (*c. 6. § 2 de celebr. miss. etc. X.* [*III. 41*]), pro his nefas est. D'Ann. *II. 19 (18).*

De iis, ad quos orationes nostrae dirigi possunt. — Orare autem possumus Deum, B. Virginem, et beatos, angelos hominesve (Conc. Trid. *sess. XXV decr. de invoc. etc. sanctorum*; S. Th. *l. c. a. 4*); an etiam animas purgantes, controvertitur. Salmantic. *Th. mor. tr. XXI. c. 9. n. 23.* 2928

De orationis efficacia. — Oratio, debitis praedita conditionibus, habet efficaciam infallibilem ex promissione Christi. Matth. *VI. 7 sqq.*; Luc. *XI. 11.*; cfr. B. B. *II. 316.* — Conditiones vero requisitae hae sunt, ut nempe oremus pie, devote, attente, cum perseverantia, cum humilitate et fiducia. S. Th. *loc. cit. aa. 14. 15.* — 2929

De orationis obiecto. — Obiectum autem orationis nostrae ea debent esse, quae obiectum sunt recti desiderii nostri (S. Aug. *Ep. ad Probam;* S. Th. *l. c. a. 6*; D'Ann. *II. 19*); primo igitur coelestia bona, quae nos manent, ac proinde ea, quae ad haec adipiscenda necessaria vel utilia sunt (S. Th. *l. c. a. 5*), deinde etiam temporalia bona (S. Th. *l. c. a. 6. c. et ad 1 refer. S. Aug. in lib. de serm. Dni in monte*), sed conditionate, si nempe nobis ad illa expediant, vel saltem ab illis nos non retrahant. S. Th. *l. c. n. 6 ad 4.* 2930

2931 **De precibus matutinis et vespertinis.** — Per se non peccant, qui omittunt preces matutinas et vespertinas; in praxi tamen confessarius non debet omittere, omnes ad praxim adeo salutarem suis monitis exhortari. G. B. *I. 261*; Génicot *Theol. mor. I. 249. IV.*

Ständlin K. F. Geschichte d. Vorstellungen u. Lehren v. d. Gebet; *Berg G. D.* Die christ.-kathol. Lehre v. d. Bittgebet; *Neuhans F.* Dogm. Abhandlung über d. Gebet; *Probst F.* Lehre u. Gebet in den drei ersten Jahrhunderten; *Tillmann G.* Das Gebet nach d. Lehre d. Heiligen; *Wiener W.* Das Gebet; *Christ P.* Die Lehre vom Gebet nach d. NT.; *Lemme L.* Die Macht des Gebetes; *Kähler M.* Berechtigung u. Zuversichtlichkeit d. Bittgebetes; *Lemme L.* Der Wert d. Gebetes; *Schmid F.* Die Wirksamkeit d. Bittgebetes; *Michel K.* Gebet u. Bild in frühchristl. Zeit; *v. d. Goltz E.* Das Gebet in d. ältesten Christenheit; *Diebelius O.* Das Vaterunser, Umrisse zu einer Geschichte d. Gebetes in d. alten u. mittleren Kirche; *Kösters L.* Zur Geschichte d. christl. Gebets; *Lefranc O.* La prière; *Dom Cabrol* Le livre de la prière antique.

Oratio funebris. — Vid. *Funebris oratio.*

2932 **Orationes.** — Orationes in missa dici debent secundum regulas liturgiae; nec ad arbitrium aut pro devotione celebrantis, nec ad postulationem stipendium offerentis, oratio aliqua, nisi in casibus per rubricas permissis, addi potest; quia missae nihil privata auctoritate addere licet. Cfr. Rubr. gen. miss. *tit. IX de orationibus.*

In missa privata de sancto simplici, seu votiva, vel de feria non privilegiata, dici potest collecta pro particulari defuncto « Inclina », vel « Deus, qui nos patrem et matrem » et aliae huiusmodi, dummodo non omittatur ulla ex collectis pro tempore assignatis, idest a rubrica praescriptis. Rubr. gen. miss. *tit. IX. nn. 12. 14.* — Et in his tantum missis possunt addi aliae orationes praeter eas, quae dicendae sunt ex rubricis aut ex praecepto ordinarii. *S. R. C. 17 iul. 1894 ad 8 (3832).*

Quum dici deberent plures orationes, quarum duae essent eaedem, secunda commutanda est cum alia de communi vel proprio, quae sit diversa; quod servandum etiam est in secretis et orationibus post communionem. Rubr. gen. miss. *tit. VII. n. 8.* Hinc Sacra Rituum Congregatio (*in una Congreg. SS. Cord. Ies. et Mar. 12 sept. 1840 ad 1* [*2822*]), praescripsit, ut, quum orationes omnes in missa « Dilexisti » et in missa « Vultum tuum » (de comm. Virginis tantum) plane eaedem sint, itemque secreta et postcommunio in missa « Cognovi » (de comm. nec Virg. nec Mart.), in casu concurrentiae commemoratio sumatur ex missa « Loquebar » (de comm. Virg. et Mart.), omittendo verba martyrem significantia.

Oratio « A cunctis », vid. *A cunctis.*

Oratio ad libitum, vid. *Ad libitum.*

Vide etiam *Commemorationes*, *Collecta*, *Conclusio.*

Oratorium. — **De diversis oratoriorum speciebus.** — 2933 Oratorium aliud est publicum, aliud semipublicum, aliud privatum. Ferraris *Prompt. bibl. v. « Oratorium » n. 1.*

Publicum illud est, quod auctoritate ordinarii ad publicum Dei cultum perpetuo dicatum, benedictum, vel etiam solemniter consecratum, ianuam habet in via, vel liberum a publica via fidelibus universim pandit ingressum. *S. R. C. 23 ian. 1899 (4007)*; *S. C. C. 18 iul., 9 sept. 1734, apud Ferraris l. c. nn. 3. 102.*

Privatum e contra stricto sensu dicitur oratorium, quod in privatis aedibus, in commodum alicuius personae, vel familiae, ex indulto S. Sedis erectum est. *S. R. C. decr. nuper cit.*

Quae medium inter haec duo locum tenent, oratoria *semipublica* sunt.

Ad removendam autem quamcumque ambiguitatem circa naturam horum oratoriorum semipublicorum, Leo XIII statuit et declaravit: oratoria semipublica ea esse, quae, etsi in loco quodammodo privato, vel non absolute publico, auctoritate ordinarii erecta sunt. commodo tamen non fidelium omnium nec privatae tantum personae aut familiae, sed alicuius communitatis vel personarum coetus, inserviunt.

Huius generis oratoria sunt, quae pertinent ad seminaria et collegia ecclesiastica; ad pia instituta et societates votorum simplicium, aliasque communitates, sub regula sive statutis, saltem ab ordinario, approbatis; ad domos spiritualibus exercitiis addictas; ad convictus et hospitia iuventuti litteris, scientiis aut artibus instituendae destinata; ad nosocomia, orphanotrophia, nec non ad arces et carceres; atque similia oratoria, in quibus ex instituto aliquis christifidelium coetus convenire solet ad audiendam missam (et haec ultima verba intelligi possunt de quibuscumque fidelibus, qui, assentiente domino loci et ordinarii auctoritate interveniente, accedant ad praedicta oratoria, pro audienda missa etiam in adimplementum praecepti festivi, *S. R. C. in Romana 3 aug. 1901*). Quibus adiungi debent cappellae in coemeterio erectae, dummodo in missae celebratione non iis tantum, ad quos pertinent, sed aliis etiam fidelibus aditus pateat. *S. R. C. decr. cit. 23 ian. 1899.*

De his, quae relate ad sacrum faciendum vel ad satisfaciendum praecepto audiendi sacrum, vel distribuendi s. communionem pro varia oratoriorum specie, sancita sunt. — De oratoriis publicis, semipublicis, privatis. — Oratoria publica, in his, quae ad sacrum faciendum vel audiendum pertinent, ecclesiarum iure censentur (*S. C. C. 2 dec. 1628*), atque ideo ab omnibus satisfit praecepto missae audiendae diebus festis. 2934

In oratoriis semipublicis, sicut auctoritate ordinarii sacrosanctum missae sacrificium offerri potest, ita omnes, qui eidem intersunt, praecepto audiendi sacrum satisfacere valent. *S. R. C. decr. cit. 23 ian. 1899.*

In privatis vero sacrum fieri non potest, nisi de indulto solius Romani Pontificis (Conc. Trid. *sess. XXII decr. de obs. et evit. in celebr. miss.; S. C. C. 10 mart. 1615*), et generatim semel in die (*Constit.* Ben. XIV « Magno » *2 iun. 1751*), et exceptis festis anni solemnioribus, idest festo Paschatis, feria 5ª in Coena Domini, festo Ascensionis, Pentecostes, ss. Apostolorum Petri et Pauli, Immaculatae Conce-

ptionis, Annunciationis et Assumptionis B. V., s. Iosephi sponsi B. M. V., omnium Sanctorum, Nativitatis Domini, Epiphaniae, Titularis ecclesiae loci, Patroni, et die anniversario dedicationis cathedralis ecclesiae. *Const. cit. Benedicti XIV*; *Decr. Clementis XI. 15 sept. 1703*; *S. R. C. in Romana 10 apr. 1896* (*3896*). Ceterum indultarius, quinam sint ii dies festi solemniores, edocendus est ab episcopo, ut docet Monacelli *Form. leg. pract. tit. XVI form. X sub n. 18.* Cui vero conceditur missa in eis celebrare die festo Nativitatis Dni, licet celebrare omnes tres. *S. C. C. 20 ian. 1725.*

Episcopus potest concedere per modum actus transeuntis, ex iusta et gravi causa (*S. C. C. 23 ian. 1847*), ut missa in oratorio privato celebretur. Cfr. Lucidi *De vis. ss. lim. I in cap. 1 n. 103 sqq.*

Notandum etiam est, in oratorio privato, quippe quod personale privilegium est, non licere sacrum facere, nisi praesente aliquo ex his, quibus principaliter indultum concessum est (*decr. cit. Clem. XI. 15 sept. 1703*; nisi in casu deferendi viatici, si aliunde deferri non potest, *S. R. C. in Veronen. 27 aug. 1836 ad 7* [*2745*]); nec missam in eo audiendo satisfacere praecepto, nisi eum, cui privilegium concessum est, eiusque consanguineos et affines, qui de familia eius sunt, aut simul habitant, etsi eius mensae non participent (Mon. eccl. *vol. XIV p. 332*), nec non famulos, quorum servitio opus habet, dum interest sacro (Ferraris *l. c. n. 52 sqq.*), imo et hospites nobiles (quocumque modo nobiles dici possint, Ferraris *l. c. n. 57*), et eum, qui accessit invitatus ad prandium. D'Ann. *III. 6.*

Nota autem, indultarium verius non teneri uti privilegio, si ecclesiam adire nequeat. Ballerini *in Gury I. 348* (*13*).

In indultis oratorii privati nunc intelligitur inclusa facultas distribuendi sacram communionem iis omnibus Christifidelibus, qui sacrificio missae assistunt; salvis iuribus parochialibus. *S. R. C. 8 maii 1907.* Vid. *Eucharistia n. 2037.*

De oratoriis cardinalium et episcoporum, et de missa ab his in suo oratorio vel super ara portatili celebrata. — Praeterea adverte, voluisse Leonem XIII. quum ea sanxit, quae superius de semipublicis oratoriis diximus, sarta et tecta manere iura ac privilegia oratoriorum, quibus fruuntur emi S. R. E. cardinales, rmi sacrorum antistites, atque ordines congregationesque regulares. 2985

Quare ad effectum audiendi sacrum et satisfaciendi praecepto, oratoria, quae exstant in domibus ordinariis cardinalium vel episcoporum, habenda sunt ut publica, idest omnes ibi missam audientes satisfaciunt praecepto. Imo fideles omnes, qui audiunt missam celebratam in propriae habitationis oratorio vel super ara portatili a S. R. E. cardinali (quod antiquum privilegium est), vel ab episcopo, sive dioecesano, sive titulari (quod concessit Leo XIII *decr. 8 iun, 1896*), ubicumque locorum degant, vel a quocumque alio presbytero, cui hoc a cardinali vel episcopo in sui commodum fuerit mandatum, praecepto ec-

clesiae, quoties opus fuerit, satisfaciunt.

2936 **De oratoriis regularium.** — Quoad regulares vero, haec habe ex Gasparri (*de euch. I. 221*): « Quod attinet ad regularium oratoria, Gregorius XIII (*3 maii 1575*) Societati Iesu concessit : — Ut in oratoriis et cappellis, quae ipsius societatis provinciales per se in domibus, collegiis et aliis locis, ubi aliqui societatis residebunt, approbaverint, et ad divinum dumtaxat cultum deputaverint, missae et alia divina officia, alterius licentia minime requisita, celebrari possint. — Hoc privilegium, vigore communicationis, ad alios quoque ordines religiosos extensum est. Proinde, ut in oratoriis domus regularis... missa celebrari licite valeat, non est necessaria episcopi loci licentia; sed, postquam provincialis in soc. Iesu, vel superior aequivalens in alio ordine religioso, oratorium approbaverit, et ad divinum dumtaxat cultum deputaverit, missae celebrari possunt ex relata Gregorii XIII concessione. Quidquid nonnulli in contrarium senserint, putamus in his oratoriis et extraneos regulares aut seculares admitti posse ad missae celebrationem, et plures missas eodem die posse celebrari, et omnes assistentes satisfacere praecepto ».

2937 **De quibusdam quoad oratorii exstructionem.** — Exstruendum autem est oratorium in loco decenti et ornato.

An liceat super oratorium habere dormitorium, vide sub *Dormitorium*.

Altare vero, si ligneum sit, cum sacro lapide parieti colligatum esse debet, ne portatilis imaginem praeseferat (*S. R. C. 3 dec. 1661* [*1219*]), sed tolerari posse videtur, si parieti adhaereat tantum. S. Alph. *VI. 424. 13.* — Porro haec omnia in aestimatione ordinarii esse debent; idcirco is antea visitare illud et potest, et debet. *Const. cit. Ben. XIV. 17 iun 1751.*

De oratorii consecratione vel benedictione. — 2938 Quoad consecrationem vel benedictionem oratoriorum, haec nota. — Oratoria publica sunt consecranda, vel saltem solemniter benedicenda. *S. R. C. decr. gen. 5 iun 1899* (*4025*).

Oratoria, quae exsistunt in aedibus episcopalibus, seminariis, hospitalibus, domibusque regularium, possunt consecrari aut solemniter benedici, sed non requiritur, ut eruitur ex decreto nuper citato S. Congr. Rituum ubi ad quintum dicitur : « In oratoriis autem, quae exsistunt etc., relativum titularis festum non celebrabitur, *nisi in casu, quo aliqua ex iis consecrata vel benedicta solemniter fuerint* ».

Oratoria privata nec consecrari nec solemniter benedici possunt, sed benedicenda tantum sunt formula, quae pro domo nova aut loco in rituali romano habetur. *S. R. C. decr. nuper cit.* Catalanun *In rit. rom. tit. 5. c. 19 n. 10.*

Quaedam notanda circa potestatem episcoporum quoad oratoria. — Potest episcopus iustis de causis prohibere, ne in publicis oratoriis et capellis laicorum vel clericorum secularium sacrae functiones et missae ante missam parochialem celebren-

tur, dummodo missa parochialis celebretur hora convenienti, et laudabilis consuetudo aut privilegium non obstet. *S. C. EE. RR. 15 febr. et 14 mart. 1879.*

In oratoriis etiam publicis ssmum sacramentum asservari nequit absque indulto apostolico. Vid. *Eucharistia, Filiales ecclesiae.*

Iuverit autem hic addere decretum in Nivernen. diei 8 mart. 1879, quod quaedam continet ad oratoria spectantia, quodque expresse confirmatum fuit in supradicto decreto de oratoriis semipublicis *23 ian. 1899.* Decretum est sequens:

« Rmus D. Stephanus Lelong, episcopus Nivernensis quae sequuntur Sacrae Rituum Congregationi exposuit, opportunam declarationem seu resolutionem humillime expostulans, videlicet:

I. Potestne episcopus iure ordinario concedere licentiam etiam plures missas qualibet die celebrandi:

1° in cappellis seu oratoriis publicis piarum communitatum, etiam earum, quae clausuram non habent;

2° in cappellis seu oratoriis piarum communitatum, quae, licet non habeant ingressum in via publica, inserviunt tamen quotidianis exercitiis totius communitatis;

3° in cappellis seu oratoriis ad personas quidem privatas pertinentibus, sed quae sunt publica vel semipublica, eo sensu quod habeant ingressum in via publica vel prope viam publicam, ita ut semper cuilibet volenti intrare permittatur?

II. Potestne episcopus alia oratoria, praeter cappellam seu principale oratorium, erigere in piis communitatibus, sive ob numerum sacerdotum ibi degentium, ut ab omnibus missa dici possit, sive in gratiam infirmorum, qui nequeunt adire cappellam, seu oratorium principale?

III. Potestne episcopus iure proprio concedere facultatem asservandi sanctissimum Sacramentum:

1° in ecclesiis seu cappellis publicis, quae tamen titulo parochiali non gaudent, etsi utilitatibus paroeciae inserviant;

2° in cappellis piarum communitatum publicis, idest quarum porta pateat in via publica, vel in area cum via publica communicante, et quae habitantibus omnibus aperiuntur;

3° in cappellis seu oratoriis interioribus piarum communitatum, quando non habent cappellam, seu oratorium publicum in sensu exposito, ut evenit ex. gr. in seminariis?

IV. Potestne episcopus iure proprio licentiam concedere uni sacerdoti secundam missam diebus dominicis aut festivis de praecepto celebrandi:

1° in oratoriis seu cappellis, quae a S. Sede, vel vi indulti ab ea concessi, fuerunt approbata, quando propter distantiam a parochiali ecclesia ista secunda missa proficere potest voto parochianorum, qui aliter missam non audirent, vel saltem difficillime;

2° in duabus ecclesiis in eadem parochia exsistentibus, quando pro utraque deservienda unicus adest sacerdos, et tamen non sine detrimento religionis missa in una tantum celebraretur;

3° in eadem ecclesia, quando aliter pars sat notabilis parochianorum missam non audiret;

4° quando valde utilis est, vel etiam necessaria ista secunda missa, ut communicari a fidelibus cum maiori facilitate et aedificatione frequentius possit?

Sacra itaque Rituum Congregatio, referente eiusdem secretario, hisce postulatis sic respondit:

Ad I. Episcopus utatur iure suo in omnibus casibus expositis.

Ad II. Si porro ex piarum communitatum conditione necessaria sit erectio alterius oratorii, pro eius erectione facultas erit a S. Sede obtinenda.

Ad III. Implorandum est indultum a S. Sede quoad omnia postulata.

Ad IV. Posito quod episcopus iam facultatem obtinuerit a S. Sede ad concedendum sacerdotibus suae dioecesis indultum bis in die festo sacrum litandi, erit suae prudentiae hac speciali facultate in casu necessitatis pro populi bono uti: si vero eiusmodi facultate ipse non sit instructus, eam impetrare poterit. Atque ita respondit ac declaravit. *Die 8 mart. 1879.*

2939 **De titulari quoad oratoria.** — Nota tandem, cappellas principales seminariorum solemniter benedictas, cum speciali titulo, gaudere privilegiis, quae competunt sanctis vel mysteriis titularibus cuiusvis ecclesiae, sive oratorii publici solemniter benedicti, nempe ut in oratione «A cunctis» et in suffragiis sanctorum ad laudes et ad vesperas titularis nominetur. *S. R. C. decr. gen. 5 iun. 1899 (4025); decr. gen. 27 iun. 1899 (4043), 14 mart. 1903.*

De reducendo oratorio ad usum profanum. — Quaeri etiam potest, an oratorium possit in usum profanum converti. Porro Gasparri (*loc. cit. I. 222*) haec habet: « Gattico (*de oratoriis domesticis cap. XVIII. n. 5*) docet, huiusmodi oratoria semiprivata seu semipublica, utpote ad divinum tantum cultum deputata, non posse amplius in profanos usus converti, nisi aliter qui eadem approbaverat iudicaverit, ex. gr. superiorem seminarii non posse sine licentia episcopi oratoriolum, in quo sacerdotes missam celebrant, supprimere, et in cubiculum dormitorium convertere. Huic sententiae subscribimus, quia decet ut episcopus, aut superior regularis, qui oratorium designaverat, moneatur de alia eiusdem oratorii destinatione, eique consentiat. Ceterum haec oratoria non subsunt formali visitationi episcopi, dum dioecesim perlustrat, et ideo non tenentur ad procurationes, nisi in casibus iure expressis; nec in eis erigi possunt beneficia ». 2940

Attamen Monitore ecclesiastico (*vol. XIV pag. 36*) ad hanc quaestionem respondet, distinguendo inter oratoria solemniter benedicta et oratoria quae hac solemni benedictione non fuerunt sanctificata. Illa putat non posse in profanum usum converti, quia per solemnem benedictionem Dei tantum cultui dedicata sunt. Haec putat posse converti in profanum usum propter contrariam rationem, et praecise haec est ratio, cur privata oratoria non sunt solemniter benedicenda. Cfr. Gattico *l. c. c. XII. n. 20.*

De calendario in oratorio sequen- 2941

do. — De hoc iam satis diximus sub *Celebratio missae,* et confer, sis, ea, quae ibi diximus. Notandum autem hic est alind dubium propositum S. Congreg. Rituum et ab ea resolutum, scilicet: « Utrum sacerdotes regulares celebrantes in oratorio interno sororum cuiuspiam modernae congregationis et fidelibus minime patenti, missam iuxta calendarium sui ordinis debeant celebrare; an potius iuxta ordines dioeceseos, in quo sorores huiusmodi, calendarium proprium ex privilegio vel usu legitimo non habentes, moram trahunt? » Et Sacra Congregatio respondit: « *Negative* ad primam partem; *affirmative,* ad secundam, iuxta decretum 3927 Parisien. seu congr. fratrum S. Vincentii a Paulo 17 iul 1892 ad 1 ». *S. R. C. in una Ord. FF. Min. Prov. Angliae 29 iul. 1904 ad 6.*

Iuverit autem hic referre etiam decretum in hac responsione citatum, seu decretum *in Parisien.* (*3927*). Est autem sequens:

« Rmus dominus Alfridus Leclerc sacerdos et praepositus generalis congregationis fratrum s. Vincentii a Paulo, Sacrae Rituum Congregationi humillime exposuit, nonnullis in locis a sacerdotibus suae religiosae congregationis sacras functiones peragi, missasque, ut plurimum, celebrari in oratoriis piarum sororum seu religiosarum, quae proprium calendarium non habent. Hinc eidem Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium una cum postulato exhibuit; nimirum:

I. Utrum, in casu, missae debeant esse conformes calendario congregationis fratrum s. Vincentii a Paulo; an calendario dioecesano? Et quatenus negative ad primam partem;

II. Orator suppliciter efflagitat privilegium, quo omnes sacerdotes suae congregationis, in dictis oratoriis missam celebrare valeant iuxta proprium calendarium, ut ex identitate missae cum officio maior in celebrante pietas foveatur.

Sacra porro Rituum Congregatio referente secretario, re mature perpensa, rescribendum censuit;

Ad dubium: *negative,* ad primam partem; *affirmative*, ad secundam.

Ad postulatum: *negative.*

Atque ita rescripsit die 17 iulii 1896 ».

Gattico J. B. De oratoriis domesticis et de usu altaris portatilis iuxta veterem ac recentem ecclesiae disciplinam; *Carrach* De iure condendi cappellas; *A Brixia F.* De oratoriis domesticis diss. posth.; *De Bonis J.* De oratoriis publicis; *De Bonis I.* De oratoriis privatis comm. etc.; *Van Gameren* De oratoriis publicis et privatis dissertatio; *Uhrig A. I.* Das öffentl. Oratorium; *Craisson D.* Oratoires privés ou chapelles domestiques; *Arndt* Die Rechtsverhältnisse der Oratorien; *Kreutzwald* Art. Kapelle in KL² VII. 105; *Parayre R.* Des chapelles domestiques; *Mayer K.* Sind d. Kapellen i. d. bischöfl. Konvikten oratoria publica od. privata? *Recoscum S.* Was ist Kirche, was Kapelle?

Ordinarius. — Hac voce in iure denotantur illi, qui potiuntur iurisdictione in utroque foro; hinc ordinarii sunt, praeter romanum Pontificem, qui habet plenitudinem omnis iurisdictionis in ecclesia, episcopi, vicarii generales, vicarii capitulares, abbates, superiores generales ordinum 2942

regularium etc.; non vero parochi. Sic Leo XIII per S. C. S. O. (*20 februar. 1888*) sancivit in dispensationibus matrimonialibus, quae committuntur ordinario loci vel oratorum ordinario, nomine ordinarii venire episcopos, administratores seu vicarios apostolicos, praelatos seu praefectos habentes iurisdictionem cum territorio separato, eorumque officiales seu vicarios in spiritualibus generales, et sede vacante vicarium capitularem vel legitimum administratorem. Vid. *Delegatio, Episcopus* etc.

Ordinis potestas. — Vid. *Iurisdictio.*

2943 **Ordo.** — ***De huius sacramenti natura et gradibus.*** — Est sacramentum novae legis, quo traditur spiritualis potestas, et confertur gratia ad munia ecclesiastica obeunda. Conc. Trid. *sess. XXIII cap. 3 can. 3.* Septem numerantur ordines seu gradus (Conc. Trid. *l. c. cap. 2 can. 2*), quorum tres, sacerdotium, diaconatus et subdiaconatus dicuntur maiores (Conc. Trid. *l. c. c. 2*), ceteri, idest acolythatus, exorcistatus, lectoratus, ostiariatus, minores. Conc. Trid. *loc. nuper cit.*

De materia et forma *(remissive).* — Materia et forma variae sunt pro variis ordinibus. Vid. singulas *suis locis.*

2944 ***De ministro sacrae ordinationis.*** — **Quinam sit ordinarius et extraordinarius** — Minister huius sacramenti ordinarius est episcopus consecratus (Conc. Trid. *loc. cit. cap. 4 can. 7*; *Const.* Leon. XIII « Apostolicae curae » *id. sept. 1896*); extraordinarius quoad tonsuram et quatuor minores ordines ac subdiaconatum, committente Rom. Pontifice, simplex sacerdos. Cfr. Conc. Trid. *sess. XXXIII. c. 10 de ref.*; Wernz *Ius Decr. II. n. 27.*

De abbatibus regularibus. — Iure 2945
autem communi nunc vigente, hanc pontificiam delegationem habent abbates regulares, qui sacerdotes sint et ab episcopo benedicti (aut ex speciali privilegio rite benedictis aequiparati, cfr. *S. C. C. in Vratislav. 12 febr. 1724*), vel qui ter humiliter benedictionem ab episcopo petierint, vel infra annum ab electione, quoad tonsuram et minores ordines tantum. Conc. Trident. *sess. XXIII. c. 10 de ref.* Hanc autem potestatem delegatam licite non exercent, nisi in suos subditos regulares (Conc. Trid. *loc. nuper cit.*); an valide et in alios exerceant, controvertitur apud doctores (Cfr. De Angelis *in tit. 11 lib. I. Decr. n. 2.* § *Quaesitum*; Lucidi *de vis. sacr. lim. p. 1. vol. I. c. 6.* § *1. n. 31*; Santi *in eumd. tit. n. 26. sqq.*) sed verior videtur sententia negans. Vid. *Abbas.*

De valida et licita ordinatione re- 2946
late ad ministrum. — Episcopus consecratus valide omnes ordinat, licite (etiam ad primam tonsuram, *c. 4 de temporibus ordinat. etc.* [*I. 9.*] *in 6°*) suos subditos tantummodo. Conc. Trid. *sess. XXIII. c. 8 de ref.*; *Const.* « Ap. Sedis » *susp. sub n. 3.*

De clericis secularibus. — Sui sunt re- 2947
late ad episcopum ordinandi titulo originis (Vid. *Origo*), domicilii (Vid. *Domicilium*), beneficii (Vid. *Beneficium*), familiaritatis (Vid. *Familiaritas*). *cc. 1. 3 de tempore ordinat.* (*I. 9*) *in 6°*; *arg.* Conc. Trid. *sess. XIV. c. 2 de ref.*; *Const.* Innocent. XII

« Speculatores » *5 nov. 1694.* (Hanc constitutionem Innocentianam servandam esse in universa ecclesia respondit Clemens XI *die 20 nov. 1719;* et S. C. de Prop. Fide *die 21 iul. 1821*). His antiquioribus titulis novus accessit ex decreto Sacrae Congr. Concilii (*20 iul. 1898*) nempe incardinationis, ex quo episcopus potest ordines conferre ei, quem antea legitime suae dioecesi incardinavit seu ascripsit. Vid. *Excardinatio*, *Incardinatio Laici*.

Ordinandus habere igitur potest plures episcopos proprios, a quibus potest ordines recipere, ut si non fortuito in aliqua dioecesi natus sit, in alia habeat domicilium, in alia beneficium, in alia a triennio sit vere familiaris illius episcopi. In hoc casu quatuor habet episcopos proprios, quoad ordinationem, inter quos eligere potest, a quo velit ordines recipere; imo et variare potest, modo ab uno, modo ab altero, ordines recipiendo (*S. C. C. 13 novembris 1717, 26 ianuar. 1732 apud Richter Conc. Trid. p. 186. n. 6;* cfr. etiam *const. cit. Innocentii XII « Speculatores »*); etiamsi agatur de ordinibus maioribus (*S. C. C. 27 febr. 1666 apud Richter l. c.*), dummodo variatio non fiat in fraudem, quod tunc obtinet, quum quis ab uno episcopo proprio reiectus ad alium confugit. *S. C. C. 26 ian. 1658.*

2948 **De regularibus.** — Regulares ordinandi sunt ab episcopo, in cuius dioecesi est monasterium, in quo commorantur (Conc. Trid. *sess. XXIII cap. 10; Const.* Ben. XIV « Impositi nobis » *27 febr. 1747; S. C. C. decr. 15 mart. 1596 confirmat. a Clem. VIII*), ipso autem impedito (idest si extra dioecesim abeat, vel ordinationes proximo legitimo tempore per leges canonicas constituto non sit habiturus; de quo constet per attestationem authenticam vicarii generalis vel cancellarii aut secretarii episcopi dioecesani, *Const. cit. Ben. XIV*), a quocumque alio episcopo, a quo ordinandus examinandus est quoad doctrinam (*decr. nuper cit. S. C. C.*; Vid. *Examen*) et etiam ipso non impedito, si speciale privilegium habeant, ut a quolibet antistite catholico possint ordinari. *Const.* Greg. XIII « Pium et utile » *22 sept. 1582*; *Constitut.* Leon. XII « Inter religiosas » *11 mart. 1828.* Vid. *Dimissoriae*.

Regulares qui commorantur in monasterio nullius dioecesis, ordinandi sunt ab episcopo viciniore (*S. C. C. 24 aug. 1619 apud Richter Conc. Trid. pag. 198. n. 6;* Gasparri *de sacr. ordinat. II. 937*), qui in hoc casu (et etiam in casu sedis vacantis in dioecesi, ubi habetur monasterium ordinandi, *S. C. C. 24 aug. 1619, 20 iul. 1675*), succedit in omnibus episcopo dioecesano; quare ipsi ea omnia applicanda sunt, quae de episcopo dioecesano diximus. Lucidi *de visit. sacr. lim. I. c. II. art. 3. n. 107.*

Superiores generales recentiorum congregationum, qui indultum habent concedendi suis subditis litteras dimissoriales ad ordines suscipiendos, ea tamen conditione, ut easdem litteras dirigant ad episcopum dioecesis, intra cuius limites pia domus ordinandi reperitur, nisi episcopus iste

abfuerit aut ordinationem non sit habiturus, pro iis alumnis, quos ad aliquod seminarium extra domum religiosam miserunt, dirigere debent litteras dimissoriales ad episcopum dioeceseos, in cuius seminario praefati alumni studiis dant operam, dummodo tamen, seu postquam, ipsi saltem per integrum annum ibidem iam commorati fuerint. *S. C. EE. RR. 7 iun. 1899.*

2949 **De alieno episcopo licite ordinante.** — Verum etiam alienus episcopus licite ordinat eum, qui habet litteras dimissorias episcopi sui. Conc. Trid. *loc. cit.; Const. « Ap. Sedis » loc. cit.*

2950 **De litteris testimonialibus** (*remissive*). — Aliquando episcopus, etiam proprius, ad hoc ut aliquem subditum ordinet, opus habet litteris testimonialibus alterius episcopi. Vid. *Testimoniales.*

De poenis in male ordinantes et male ordinatos. — Hic recensendae sunt poenae contra episcopos male ordinantes et contra male ordinatos; hae autem sunt:

a) Suspensionem l. s. R. P. simpliciter reservatam per triennium a collatione ordinum (omnium, Gasparri *de sacr. ordin. II. 900*], non autem tonsurae [D'Ann. *III, 296*]) ipso iure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii vel patrimonii cum pacto, ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta. *Const. « Ap. Sedis » susp. sub n. 2.*

b) Suspensionem l. s. R. P. simpliciter reservatam per annum ab ordinum administratione ipso iure incurrunt ordinantes alienum subditum etiam sub praetextu beneficii statim conferendi, aut iam collati, sed minime sufficientis, absque eius episcopi litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore (idest per semestre, Gasparri *de sacra ordin. II. 730*; D'Ann. *Comm. in const. « Ap. Sedis » n. 201*; Bucc. *Comm. in eamd. const. num. 102*) moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque ordinarii eius loci litteris testimonialibus. *Const. « Ap. Sedis » susp. sub n. 3.*

c) Suspensionem l. s. R. P. simpliter reservatam per annum a collatione ordinum ipso iure incurrit, qui excepto casu legitimi privilegii, ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii, vel patrimonii, clerico in aliqua congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo. *Const. « Ap. Sedis » susp. sub n. 4.*

d) Suspensionem l. s. R. P. simpliciter reservatam ab ordine suscepto ipso iure incurrunt, qui eumdem ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato, vel suspenso, vel interdicto, nominatim denunciatis, aut ab haeretico, vel schismatico notorio; ille vero, qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habet ordinis sic suscepti, donec dispensetur. *Const. « Ap. Sedis » susp. sub. num. 6.*

e) Clerici seculares exteri, ultra quatuor menses in Urbe commorantes, ordinati ab alio, quam ab ipso suo ordinario, absque licentia card. Urbis vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio ordinario, posteaquam in

praedicto examine reiecti fuerint ; nec non clerici pertinentes ad aliquem e sex episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim, dimissorialibus sui ordinarii ad alium directis, quam ad card. Urbis vicarium ; vel non praemissis ante ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana sacerdotum a missione nuncupatorum, suspensionem l. s. R. P. simpliciter reservatam ab ordinibus sic susceptis, ad beneplacitum s. Sedis, ipso iure incurrunt ; episcopi vero ordinantes ab usu pontificalium per annum, *Const.* « Ap. Sedis » *susp. sub n. 7.*

Praeter istas suspensiones, sunt et aliae, quas tulit Tridentina synodus. Sunt autem hae :

a) Ordinati cum dimissoriis capituli vel vicarii capitularis infra annum datis, si non sint arctati, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio ecclesiastico, praesertim in criminalibus, gaudent ; si fuerint in maioribus, ab exsecutione ordinum ad beneplacitum futuri praelati sunt ipso iure suspensi. Conc. Trid. *sess. VII. c. 10. de ref.*

b) Ordinatus ab episcopo non suo, sine testimonialibus sui ordinarii, ab exsecutione susceptorum ordinum, quamdiu proprio ordinario videbitur expedire, est suspensus ; ordinans vero est suspensus a collatione ordinum per annum. Conc. Trid. *sess. XXIII. c. 8 de ref.*

c) Ordinatus a proprio episcopo in aliena dioecesi, sine expressa licentia ordinarii loci, ipso iure suspensus est ab exsecutione ordinum ; episcopus vero ordinans ab exercitio pontificalium. Conc. Trid. *sess. VI. c. 5 de ref.*

d) Episcopus titularis, qui quolibet in loco alienum subditum, absque eius proprii praelati expresso consensu, aut litteris dimissoriis, promovet ad sacros, vel minores ordines, vel ad primam tonsuram, etsi id faciat titulo seu praetextu familiaritatis, ipso iure est suspensus ab exercitio pontificalium per annum ; taliter vero promotus ab exsecutione ordinum sic susceptorum, donec suo praelato visum fuerit. Conc. Trid. *sess. XIV. c. 2 de ref.*

De subiecto sacrae ordinationis. 2951
— Subiectum ordinis est solus mas baptizatus (cfr. *I. Cor. XIV. 54 ; I. Tim. II. 11. sqq. ; Hebr. V. 1. sq. ; c. 10 de poenit. etc. X* [*V. 38*] ; Gasparri *de sacra ordin. I. 122 sqq.* ; Wernz *Ius Decr. II. 80*), qui, ut rite ordines suscipiat, nonnullis dotibus praeditus esse debet (cfr. *tit. de temporib. ordin. et qualit. ordinand. X*, [*I. 11*] *et eumd. tit.* [*I. 9*] *in 6° ; tit. de aet. et qual. etc. praefic. X.* [*I. 14*] *et eumd. tit.* [*I. 6*] *in Clem.*), et ab aliquibus impedimentis liber. Vid. *Irregularitas.*

Praeter alia, ad ordines recipiendos requiritur certa aetas et scientia determinata.

De aetate requisita. — Aetatem re- 2952
quisitam pro tonsura generatim dicunt doctores esse septemnium completum (*c. 4 de temp. ordin. etc.* [*I. 9*] *in 6°* ; Pont. rom. *tit. de ordinib. conferendis* ; Gasparri *de sacr. ordinat. I. 487* Wernz *Ius. Decr. II. 112*), quia Tridentinum (*sess. XXIII. c. 4 de ref.*) vult, ut tonsura initiandi sint

confirmati, et eam scientiam habeant, quam statim dicemus.

Ad minores ordines nulla aetas est definita, sed post septemnium etiam hodie conferri posse videntur statim. Pont. rom. *l. c.*; Honorante *Prax. secr. Card. Vic. cap. II. not. VI*; Gasparri *l. c. I. 489*; Wernz *l. c.*

Ad subdiaconatum requiritur annus vicesimus secundus inchoatus (Conc. Trid. *sess. XXIII. c. 12 de ref.*); ad diaconatum vicesimus tertius etiam inchoatus (Conc. Trid. *l. c.*). et ad presbyteratum similiter vicesimus quintus inchoatus. Conc. Trid. *l. c.*

Ad episcopatum vero requiruntur triginta anni completi. *c. 7 de elect. etc. X.* (*I. 6*) *confirm. a Conc. Trid. sess. VII. c. 1 de ref.*

In aetate dispensat unus Rom. Pontifex (Gasparri *l. c. I. 492*), qui tamen hanc facultatem, plus minusve restrictam, episcopis longinquarum dioecesium (cfr. facultates quinquennales S. C. P. F. *form. III. n. 13*) delegat, ob operariorum penuriam. Hi vero, si hanc delegatam facultatem habuerint, ea uti possunt non solum cum clericis secularibus, sed cum regularibus quoque. *S. U. I. 26 ian. 1896.*

2953 **De scientia requisita.** — Scientia requisita in singulis ordinibus haec est ex Tridentino:

Pro prima tonsura requiritur, ut initiandus sciat rudimenta fidei et legere ac scribere (Conc. Trid. *sess. XXIII. c. 4 de ref.*);

Pro minoribus ordinibus, ut ordinandi calleant linguam latinam (Conc. Trid. *l. c. c. 11 de ref.*).

Pro subdiaconata et diaconatu, ut ordinandi instructi sint litteris, et iis, quae ad ordinem exercendum pertinent (Conc. Trid. *l. c. c. 13 de ref.*);

Ad sacerdotium, ut ordinandi idonei sint ad populum docendum ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad administranda sacramenta. Conc. Trid. *l. c. cap. 14 de ref.*

Regulares omnes, etiam recentio- 2954
rum congregationum, ex recenti iure non possunt admitti ad subdiaconatum, nisi per annum; ad diaconatum, nisi per biennium; ad presbyteratum, nisi per triennium theologiae studuerint, praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo. *S. C. EE. RR. decr.* « *Auctis admodum* » *4 nov. 1892.* Ut ad hos sacros ordines promoveantur, debent praeterea regulares ordinum vere religiosorum vota solemnia nuncupasse; institutorum votorum simplicium vota perpetua, vel saltem per triennium permansisse in votis simplicibus temporaneis quoad ea instituta, quae ultra triennium perpetuam differunt professionem. *Decr. cit. S. C. EE. RR. 4 nov. 1892.*

Notandae autem sunt hic declara- 2955
tiones circa articulum sextum citati decreti « Auctis admodum » quas dedit s. Congr. religiosorum. « In articulo sexto decreti *Auctis admodum* editi a sa. me. Leone XIII, inter alia, haec statuuntur: " Professi tum votorum solemnium tum simplicium ab ordinariis locorum ad sacros ordines non admittantur, nisi, praeter alia a iure statuta, testimoniales litteras exhibeant, quod saltem per annum sacrae theologiae operam dederint, si agatur de subdiaconatu; ad minus per

biennium, si de diaconatu; et quoad presbyteratum, saltem per triennium, praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo „.

Porro circa genuinum sensum huius articuli, varia dubia sacrae Congregationi negotiis religiosorum sodalium praepositae exhibita sunt, quae ad sequentia capita reduci possunt:

I. Utrum superiores ordinum vel iustitutorum religiosorum praefatas testimoniales litteras licite dare, et ordinarii seu episcopi licite acceptare possint, si anni, de quibus agitur ,non fuerint completi, seu non vere academici vereque scholares, sed potius abbreviati, non quidem ex incuria, sed quia vel omissae fuerunt vacationes, vel horae lectionibus in schola tradendis multiplicatae, vel alia quacumque de causa?

II. Utrum studentes, expleto unius, duorum vel trium respective annorum curriculo theologico, possint statim ad subdiaconatum vel diaconatum vel presbyteratum item respective promoveri, ideoque inceptis vacationibus, in fine anni scholastici dari solitis, quin circulum duodecim mensium complere teneantur?

III. Utrum iidem studentes, triennio theologico rite completo, teneantur adhuc per alium annum, seu per quartum annum scholasticum, theologicis studiis in scholis incumbere?

IV. Utrum verba eiusdem decreti *Auctis admodum* - praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo - respiciant tantum philosophica seu lycaealia studia, vel etiam gymnasialia seu humaniorum litterarum, imo primariam etiam institutionem?

V. Utrum studia philosophica seu lycaealia, humaniorum litterarum seu gymnasialia, et primaria necessario ante ingressum in novitiatum ex integro peragi debeant?

VI. Utrum praefata studia, non publice in scholis rite ordinatis, sed privatim peracta valorem habeant legalem, seu qui sufficiat ad licite dandas et licite acceptandas litteras testimoniales ad sacros ordines?

VII. Utrum ad valorem legalem studiorum theologicorum, philosophicorum seu lycaealium, et humaniorum litterarum seu gymnasialium sufficiat disciplinae principalis seu theologiae, philosophiae et linguae latinae peritia, vel potius requiratur, ut in unaquaque schola tradantur etiam disciplinae accessoriae, iuxta normam in bene ordinatis seminariis regionis vigentem et saltem in substantialibus servandam?

VIII. Utrum et quanam ratione in litteris testimonialibus ad sacros ordines authentice constare debeat de peractis ex integro, tum curriculo seu curriculis theologicis, tum philosophicis seu licaealibus, et humaniorum litterarum seu gymnasialibus studiis ut praefatae litterae licite dari possint a superioribus, et licite acceptari ab ordinariis seu episcopis?

Et sacra eadem Congregatio, de speciali mandato sanctissimi Domini nostri divina providentia Pii papae X respondet prout sequitur:

Ad I. *Negative* in omnibus; et quaelibet abbreviatio studiorum abusiva omnino habenda est, et penitus illicita.

Ad II. *Affirmative*, dummodo tamen

complexus trium huiusmodi annorum saltem triginta tres menses integros comprehendat.

Ad III. *Affirmative*, ideoque complexus quadriennii theologici, computatis vacationibus seu feriis, quadraginta quinque menses integros comprehendere necesse est.

Ad IV. Respiciunt et philosophica seu lycaealia, et humaniorum litterarum seu gymnasialia, et primaria studia. Ideoque haud legalia habenda sunt theologica studia, si alumnus cursum philosophicum seu lycaealem rite non expleverit: neque legalia erunt philosophica seu lycaealia studia, si alumnus humaniorum litterarum seu gymnasiale curriculum minime compleverit; neque valorem, habebit humaniorum litterarum seu gymnasiale studium, si alumnus per primariam institutionem rite habitam minime praeparatus fuerit. Porro ad legitimum transitum de scholis primariis ad gymnasiales, de gymnasialibus ad lycaeales, de lycaealibus ad theologicas, requiritur testimonium de bene superato periculo seu examine, a moderatoribus respectivarum scholarum in forma authentica obtentum; quod si gravi aliqua de causa haberi nequeat, suppleri potest per speciale examen, coram peritis magistris subeundum ante transitum ad superiorem gradum seu scholam.

Ad V. *Negative* quoad studia philosophica seu lycaealia; affirmative quoad primaria et gymnasialia seu humaniorum litterarum. In casibus tamen specialibus, accedentibus gravibns causis, permitti potest, ut ad novitiatum inter clericos admittatur, qui annum quartum gymnasialem, seu humaniorum litterarum rite expleverit, dummodo: *a*) decimum quintum aetatis annum excesserit; *b*) statim post novitiatum, et antequam ad studium philosophicum seu lycaeale ascendat, integrum curriculum omnium studiorum humaniorum litterarum seu gymnasialium in scholis domesticis vel aliis rite ordinatis compleat; *c*) et finale periculum bene superet. Quod si agatur de ingressu in novitiatum anno quarto non expleto, recurrendum ad Sanctam Sedem.

Ad VI. *Negative*. In casibus tamen extraordinariis, qui respiciunt particularem aliquem alumnum tantum, qui diligenter studiis incubuit, et in periculo seu examine idoneus inventus fuerit, recurrendum ad sacram Congregationem pro convalidatione, exhibita iurata fide examinatorum, et de tempore transacto in studio privatim peracto et de bene superato periculo; nisi res sit, non de omnibus disciplinis unius anni scholaris, sed de una tantum vel altera disciplina accessoria, gravi de causa a particulari aliquo alumno privatim exculta; tunc enim, praehabita iurata fide examinatorum, ut supra, convalidatio dari poterit a superiore generali, accedente voto deliberativo sui consilii.

Ad VII. *Negative* ad primam partem; *Affirmative* ad secundam.

Ad VIII. Superiores in litteris testimonialibus, expressis verbis, sequentia declarare debent et testari: *1° quoad curriculum theologicum*, candidatum a tali anno, mense et die, ad talem usque annum, mensem et diem, et in tali schola studiis theolo-

gicis ad sacrum ordinem, ad quem praesentatur, necessariis rite incubuisse, et in finali periculo seu examine idoneum inventum fuisse; *2° quoad inferiora studia* eidem curriculo *praemittenda: a*) eumdem candidatum, rite peractis primariae institutionis studiis, humaniorum litterarum studia in tali schola, et per tot annos academicos seu scholares, ex integro explevisse, bene superato finali periculo; *b*) praefatum candidatum, recte expletis humaniorum litterarum studiis, philosophicum curriculum ex integro in tali schola, et per tot annos academicos seu scholares, complevisse, et finale periculum auspicato superavisse.

Mandavit insuper Sanctitas Sua, ut salvis quae de integritate et duratione studiorum in praesenti documento dicuntur, sacra Congregatio, exquisito ab omnibus moderatoribus generalibus elencho disciplinarum, quae singulis annis scholasticis seu academicis assignatae sunt in respectiva religiosa familia, una cum tabulis horariis singularum scholarum aliisque opportunis informationibus, instructionem de studiis apud clericos ordinum et institutorum religiosorum rite et integre peragendis praeparet, in plenaria emorum Patrum eiusdem Congregationis coetu examinandam; et probante summo Pontefice, publici iuris faciendam.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

Romae, e secretaria eiusdem sacrae Congregationis, die 7 septembris 1909 ».

Confer etiam negativam responsionem datam quibusdam superioribus generalibus ordinum seu institutorum religiosorum petentibus relationem a quibusdam praescriptionibus superioris decreti vel saltem exemptionem ab *immediata* eius executione. *S. C. relig. 17 dec. 1909.* 2956

Nota insuper in Italia et in insulis Italiae ditioni subiectis religiosos omnes, sive ad instituta votorum simplicium sive ad votorum solemnium pertinentes, non posse ad sacros ordines promoveri, nisi prius ab episcopo loci diligenti doctrinae examine probati fuerint idonei. Hoc autem statutum est, sublata quacumque omnino consuetudine etiam immemoriali et expresse reprobata quacumque consuetudine in futurum inducenda. Hoc autem examen qua ratione instituendum sit episcopi definire debent, quibus etiam curandum est ut candidati non solum in iis rebus, quae ad ordinem adeundum spectant, sed in aliis quoque de theologia dogmatica tractationibus periculum faciant. *Mot. prop. Pii X « Religiosorum ordinum » 19 mart. 1906.* 2957

Ceterum non solum in Italia sed ubicumque, exclusis tamen extra Italiam legitimis privilegiis, episcopi debent regulares ordinandos diligenter examinare (Conc. Trid. *sess. XXIII. c. 12 de ref.; S. C. C. 15 mart. 1596; Const.* Ben. XIV « Impositi nobis » *27 febr. 1747*); regulares autem in hoc examine ab episcopo reprobati non possunt a superioribus ad alios episcopos mitti ut ordinentur. *S. C. C. 14 mart. 1620.* 2958

De tempore quoad ordines con- 2959

ferendos. — Quoad tempus quo ordines conferri possunt, haec notanda:

Tonsura conferri potest quocumque die et hora. Pont. rom. *tit. de clerico faciendo.*

Minores ordines dari possunt extra missarum solemnia diebus dominicis et festivis duplicibus, sed mane tantum. Pont. rom. *tit. de minoribus ordinibus.* Hi vero dies festi sunt dies a populo colendi et servandi (*S. C. C. 24 mart. 1835;* Gasparri *l. c. I. 52*), imo etiam dies festi, qui erant de praecepto ante reductionem Urbani VIII. *S. R. C. in Clar. 16 mart. 1833* (*2705*).

Maiores ordines non possunt conferri ab episcopis, nisi in sabbatis quatuor temporum, aut sabbato sancto, vel sabbato ante dominicam Passionis. *cc. 1. 2. 3 de tempor. ordin. etc. X.* (*I. 11*); Pont. rom. *tit. de ordinib. conferendis.*

Episcopi consecrantur diebus dominicis aut natalitiis apostolorum, et cum venia romani Pontificis etiam aliis diebus festivis. Pont. rom. *tit. de consecr. electi in episc.*

Nota autem episcopum, gaudentem indulto conferendi ordines extra tempora et non servatis interstitiis, eo uti posse etiam erga alienos subditos suorum ordinariorum dimissorias habentes. *S. C. S. 13 aug. 1909.*

2960 **De paramentis in collatione ordinum.** — Quaesitum est cuiusnam coloris paramenta induere debeat episcopus conferens ordines sacros privatim in sabbato sancto, et responsum est eum uti debere paramentis coloris violacei, quae mutet in alia coloris albi ad versiculum *Peccatores* litaniarum, ad normam ceremonialis episcoporum. *S. R. C. 17 iul. 1894 ad 5* (*3832*). Paramenta autem pro ordinandis in sacris debent esse coloris, quo utitur celebrans seu episcopus ordinans in missa, nisi aliud postulet necessitas. *S. R. C. decr. nuper cit. ad 6.*

De indulto conferendi ordines extra tempora (*remissive*). — Quamvis ex iure, ut nuper vidimus, statuta sint tempora, quibus sacri ordines conferendi sunt, privilegia tamen et indulta, ut ordines extra statuta tempora conferrentur, nec raro data sunt, nec cum magna difficultate dantur in praesenti. Quoad haec indulta, vid. *Extra tempora.*

De loco quoad ordines conferendos. — 2961 Quoad locum ad ordines conferendos haec statuta sunt.

Tonsura et minores ordines conferri possunt quocumque in loco (Pont. rom. *tit. de ordinib. confer. et tit. de clerico faciendo*), honesto tamen ac decenti. Schmalzgrueber *in tit. 11 lib. I Decr. n. 17;* Gasparri *l. c. I. 91.*

Ordines vero maiores conferendi sunt ab episcopo in propria dioecesi, non autem in aliena sine licentia episcopi loci (Conc. Trid. *sess. VI. c. 5 de ref.;* Gasparri *l. c. I. 92. 97*); et, nisi aliqua iusta causa (*Const.* Bened. XIV «Ad audientiam» *15 febr. 1758*) contrarium suadeat, non privatim, sed in loco sacro publico (Conc. Trid. *sess. XXIII. c. 8 de ref.;* Gasparri *l. c. I. 104*), imo, quantum fieri potest, in ecclesia cathedrali dioecesis. Conc. Trid. *loc. nuper cit.; S. R. C. in Avenionen. 16 sept. 1747 ad 2* (*2397*); Wernz *Ius Decr. II. 75;* Gasparri *l. c. n. 100.*

Consecratio episcopalis, si fiat extra Urbem, ex Tridentino (*sess. XXIII. c. 2 de ref.*) facienda est in ecclesia, ad quam promovetur consecrandus, vel saltem in provincia.

De interstitiis servandis (*remissive*). — Quoad interstitia servanda in collatione ordinum, vid. *Interstitia.*

2962 ***De ordinationibus per saltum.*** — Ordinationes *per saltum,* idest uno ordine praetermisso, prohibentur (*c. un. de cler. per saltum prom. X.* [*V. 29*]; Conc. Trid. *sess. XXIII. c. 11 de ref.*); quae ordinatio tamen illicita est, sed valida (*c. un. nuper cit. X.* [*V. 29*]; Gasparri *l. c. I. 496;* Wernz *l. c. II. 73*), si iuxta quosdam (Billot *de eccl. sacr. vol. 2. th. XXXI;* Wernz *l. c.;* cfr. tamen Gasparri *l. c. I. 22 sqq.*) excipias episcopatum, omisso presbyteratu.

Clericus ordinatus per saltum eo ipso suspensus est (quae tamen suspensio in disciplina vigente proprie non est censura, sed simplex prohibitio; Gasparri *l. c. I. 498;* Wernz *l. c. II. 73 not. 89*) ab ordine sic suscepto (Santi *in tit. 29 lib. V Decr. n. 2*), et, si ministraverit in ordine omisso, fit irregularis iuxta plures (Wernz *loc. nuper cit.;* Gasparri *l. c. I. 349*). - Episcopus tamen cum promotis per saltum, si non ministraverint, ex legitima causa dispensare potest (Conc. Trid. *sess. XXIII. c. 14 de ref.*), ut postpositos ordines recipiant, susceptos deinde exerceant, et etiam ad superiores ordines promoveri possint.

2963 ***De aliis quibusdam.*** — Ad licite suscipiendos ordines requiritur etiam titulus. Vid. *Titulus.*

Quoad examen ordinandorum, vid. *Examen.*

An neganda sit absolutio clerico habituato in vitio turpi ad ordines sacros ascendere volenti, controvertitur; sed verior videtur sententia affirmans, quam tenet S. Alphonsus *VI. 64.* Cfr. B. P. *IV. 228 sqq.*

Controvertitur etiam, utrum ordinati, omittentes preces ipsis ab episcopo iniunctas in collatione ordinum, graviter vel leviter peccent. G. B. *II. 527. 8°.* - Certum autem est quoad hoc, ordinatos in subdiaconos et diaconos non debere, praeter psalmos cum respectivis antiphonis ad nocturnum spectantes, quem episcopus ordinans ipsis recitandum praescribit, recitare etiam *Venite exsultemus,* hymnum et lectiones. *S. R. C. 10 iul. 1903.* Quoad haec, vid. *Preces.*

Quoad communionem in ordinatione, vid. *Presbyteratus.*

De ordine relate ad matrimonium. — **Quoad clericos minorum ordinum.** — Clerici minorum ordinum licite et valide contrahunt matrimonium (*c. 1 de clericis coniug. X.* [*III. 3*]); sed tunc, si sunt beneficiati, eo ipso privantur ecclesiasticis beneficiis. *c. 5 tit. cit. X.* (*III. 3*). 2964

Quoad clericos maiorum ordinum. — Clerici maiorum ordinum ad valide contrahendum matrimonium omnino inhabiles sunt. *cc. 1. 2 qui clerici vel vov. etc. X.* (*IV. 6*); Conc. Trid. *sess. XXIV de sacr. matr. can. 9.* 2965

Haec inhabilitas repetenda est ex lege ecclesiastica (Feije *de imp. et disp. matr. n. 505*), quae illam non tam voto, quam ipsi ordini sacro, videtur annectere. Cfr. B. P. *VI. 763 (b).*

Attamen ad eam incurrendam necesse est non solum, ut quis valide fuerit ordinatus, sed etiam ut sufficienter cognoverit obligationem coelibatus ordini sacro annexam, nec ordines susceperit ex metu gravi. Cfr. Feije *l. c. n. 507* citant. plures resolutiones S. C. C. in hunc sensum.

2966 **De clericis graeci ritus.** — Quod diximus de clericis maiorum ordinum valet non solum pro clericis ritus latini, sed etiam pro clericis ritus graeci, cum hac differentia, quod in ecclesia orientali clerici maiorum ordinum (episcopis exceptis) possunt uti matrimonio, quod ante susceptionem sacrorum ordinum contraxerunt, in ecclesia occidentali hoc non possunt; sed tum illi, tum isti, inhabiles sunt ad novum matrimonium contrahendum post susceptos sacros ordines. *Const.* Ben. XIV « Eo quamvis » *4 maii 1745; Const.* eiusdem Ben. XIV « Anno vertente » *19 iun. 1750; Const.* eiusdem Ben. XIV « Etsi pastoralis » *26 maii 1742. quae pro italo-graecis data est; S. C. P. F. 24 mart. 1858;* Papp-Szilagyi *Ench. iuris eccl. orient. cath. part. II. § 101;* Feije *loc. cit. num. 507.*

Nota quod quamvis in ecclesia orientali hypodiaconatus non annumeretur ordinibus sacris, hypodiaconi tamen quoad matrimonium eodem iure tenentur, ac diaconi et presbyteri. *Inst. S. C. P. F. 24 mart. 1858.*

2967 **De dispensatione ab impedimento ordinis sacri.** — Unus romanus Pontifex ab hoc impedimento dirimente ordinis sacri dispensare potest; sed raro, praesertim cum presbyteris, hac sua facultate usus est.

Clerici in sacris constituti matrimonium (etiam quod ex aliis causis non valeret, imo etiam civile, *S. U. I. 22 dec. 1880*) contrahentes, nec non mulieres cum his matrimonium contrahere praesumentes incurrunt excommunicationem l. s. ordinario reservatam. *Constit.* « Apost. Sedis » *ser. 3. n. 1.* Et si matrimonium hoc consummaverint, incurrunt irregularitatem ex bigamia similitudinaria. Vid. *Bigamia.* Vid. etiam *Impedimenta matrimonii.*

2968 ***De irregularitate, quam incurrit solemniter ministrans in ordine non suo.*** — **De clerico.** — Quemadmodum irregularis est clericus promotus per saltum, qui exercet ordinem omissum, ita generaliter irregularis est clericus, qui solemniter ministrat, idest exercet ordinem, quem nullo modo habet. — Is irregularitatem incurrit (*c. 1 de clerico non ordinato ministr. X.* [*V. 28*]), idest prohibetur, quominus ad superiores ordines ascendat.

Ad hanc irregularitatem incurrendam necesse est:

a) ut clericus solemniter, idest veluti ex officio ministret (hinc si clericus non subdiaconus, etiam sine ulla necessitate, cantet in missa solemni epistolam *sine manipulo,* irregularitatem non incurrit, Gasparri *l. c. I. 335*);

b) ut hoc ipsum faciat temeraria praesumptione (*c. 1 tit. cit. X.* [*V. 28*]), a qua excusat ignorantia etiam crassa ac supina, et etiam affectata (Gasparri *l. c. I 204*).

c) ut talem actum ordinis serio exerceat. Suarez *de censuris disp. XLII,*

n. 16; Laymann *Th. mor. lib. I. tr. 5. part. 5. cap. 3. n. 2.*

Quid si exercet simulate? ait D'Annibale *I. 411 (29)*; et respondet: in his, quae ex intentione agentis statum capiunt, effugit irregularitatem, v. g. si a peccatis absolvit; in aliis non item, ut ecce si baptizat solemniter. Sed verius videtur irregularitatem et in illis non effugere, quum lex haec videatur afficere solam exteriorem usurpationem ministerii ordinis. Gasparri *l. c. I. 337.*

2969 **De laico.** — Quaestio est utrum et laicus, exercens aliquem ordinem, irregularitatem incurrat. Et certum est, eum peccare letaliter, et puniri posse tamquam falsarium ex crimine falsi (Pirhing *in tit. 28 lib. V Decr. n. 4*); sed, an irregularitatem incurrat, controvertitur. Sunt qui affirmant (Suarez *de irregularitate disp. XLII. n. 2;* Valentia *tom. 4 disp. 4. q. 2 punct. 1*), et indubitanter (Wernz *Ius Decret. II. 137*); sunt qui negant (Laymann *Th. mor. lib. I. tr. 5. p. 5. c. 3. n. 3;* Bonacina *Th. mor. tom. 1 de censur. disp. VII. q. 3 punct. 6. n. 1;* Schmalzgrueber *in tit. 28 lib. V Decr. n. 23;* Gonzalez *in cap. 1 tit. 28 lib. V Decr.;* D'Ann. *I. 411. 23;* De Luca Marianus *Praelect. iur. can. II. 25*). Certum autem est, irregularitatem hanc pro laico ad summum esse dubiam, quum rubrica, quam s. Raymundus huic titulo apposuit, expresse habeat « de clerico non ordinato etc. » (cfr. Gonzalez *l. c.*), et absque dubio sit, ubicumque plures lecturae possunt elici ex uno textu canonis, legis, vel statuti, illam esse amplectendam, quae magis convenit, et adaptatur rubricae, sub qua textus ille positus est; nec non res et personas, de quibus in textu sermo est, induere rationem et qualitatem, quam rubrica significat. Cfr. Schmalzgrueber *disp. prooem. § VII. n. 301.* Praeterea inconcussum principium est, nullam irregularitatem incurri, nisi in iure sit expressa (*cap. 18 de sent. excomm.* [*V. 11*] *in 6°*), et quidem aperte (B. P. *VII. 409*), nec valet in hoc a simili collectio etiam ad aliquid gravius. Hinc irregularitas ista, quae in casu dubia est dubio iuris, in praxi nulla irregularitas est. Gasparri *l. c. I. 335, 162.*

De dispensatione ab hac irregularitate. — Dispensatio ab irregularitate, quam incurrit clericus exercens ordinem, quem non habet, spectat ad romanum Pontificem; solummodo, si delictum manserit occultum (Schmalzgrueber *l. c. n. 30*), possunt ab ea et episcopi dispensare, ex Tridentino *sess. XXIV. c. 6 de ref.* 2970

Decr. Grat. D. XXIII-XXV; D. XXVI-XXVII; D. XXXIII-XXXIV; D. XLVIII-LI; D. LIII-LIX; D. LXIV-LXXIII; D. LXXVII-LXXVIII; D. LXXXI; C. I q. 1. 7; C. VII. q. 2; C. IX. q. 1; C. XXIII; C. XXVIII q. 3; tit. de temp. ordin. et qualit. ordinand. X. (I. 11); idem tit. (I. 9) in 6°; tit. de scrutinio in ordinib. faciendo X. (I. 12); tit. de ordinatis ab episcopo qui renunciavit episcopatui X. (1. 13); tit. de sacra unction. X. (1. 15); tit. de sacram. non iterandis X. (I. 16); tit. de filiis presbyterorum ordinandis vel non X. (I. 17); idem tit. (I. 11) in 6°; tit. de servis non ordinandis etc. X. (I. 18); tit. de obligatis ad ratiocinia ordinandis vel non X. (I. 19); tit. de corpore vitiatis ordinandis vel non X. (I. 20); tit. de bigamis non ordinandis X. (I. 21); idem tit. (I. 12) in 6°; tit. de clerico aegrot. X. (III. 6); tit. de

haereticis X. (V. 7); idem tit. (V. 2) in 6°; tit. de schismaticis X. (V. 8); tit. de apostatis et reiter. bapt. X. (V. 9); tit. de homicidio X. (V. 12); idem tit. (V. 4) in 6°; tit. de clericis pugnantibus in duello X. (V. 14); tit. de clerico percussore X. (V. 25); tit. de clerico excomm. etc. ministrante X. (V. 27); tit. de cler. non ord. ministr. X. (V. 28); tit. de clerico per saltum prom. X. (V. 29); tit. de eo qui furtive ordin. suscepit X. (V. 30); tit. de purg. vulgari X. (V. 35); tit. de poenis X. (V. 37); Conc. Trid. sess. VI. VII. XIV. cc. 2. 3 de ref., XXII c. 2 de ref., XXIII. de ref.; Const. Pii II « Cum ex sacrorum » 17 nov. 1461; Const. Pii V « Rom. Pont. » 14 oct. 1568; Const. Sixti V « Effrenatum » 29 oct. 1588; Const. Urb. VIII « Secretis » 11 dec. 1624; Const. Inn. XII « Sanctiss. Dnus » 14 dec. 1693; Const. Inn. XII « Speculatores » 4 nov. 1694; Const. Ben. XIII « Commissi nobis » 6 maii 1725; Const. Ben. XIV « Eo quamvis » 4 maii 1745; Const. Ben. XIV « Impositi nobis » 27 febr. 1747; Const. Ben. XIV « In postremo » 10 oct. 1756; Const. Pii IX « Ap. Sedis » 12 oct. 1869; *Nausea* De clericis in ecclesia ordinandis; *Turrianus* De hierarchicis ordinationibus; *Madius I.* De sacris ordinibus et quibusdam aliis scitu dignis in utroque foro; *Hallier F.* De sacris electionibus et ordinationibus; *Allatius L.* De aetate et interstitiis in collatione ordinum: *Morini Jo.* Commentarius de sacris ecclesiae ordinationibus; *Burgoing* Institutio spiritualis ordinandorum; *Marinus I.* Comm. de sacr. eccles. ordinat.; *Wildvogel* De charactere indelebili diss.; *Morenus* Tractatus moralis titulos promovendi ad ecclesiasticos ordines expendens; *Schneider F. F.* De promotionibus per saltum; *Clericati* De ordinis sacramento decisiones; *Thomassin L.* Vet. et nov. eccl. discipl. p. 1 lib. 1 c. 1 sqq., l. 2. c. 29 sqq.; *Schmier* De potestate ordinis; *Hörmonseder* Ordinandus examinatus et approbatus; *Mayr C.* Ordo hierarchicus canonico-dogmatice expressus idest ordo consecrationis ministrorum ecclesiae ad usum ordinandorum; *Oberhauser* De dignitate utriusque cleri tam saecularis quam regularis; *Dietz* Die heiligen Weihen; *Thiele L.* Dissertatio de charactere indelebili qui ex rom. cath. ecclesiae doctrina in ordinis sacramento in anima imprimitur; *Brandi S.* La condanna delle ordinazioni anglicane. Studio storico teologico; *Gasparri P.* Tractatus can. de sacra ordinatione; *Parisot* Les ordinations per saltum; *de Langogne P.* Bulle d'Innocent VIII aux abbés de Citeaux pour les ordinations « in sacris »; *Boudinhon A.* L'ordination au sous-diaconat et au diaconat faite par un simple prêtre; *Gaugusch D.* Ehehindernis des höheren Weihe; *Schneider Ph.* Der kanon. Gehorsam; *Gilbert* Le mariage des prêtres; *Milasch N.* Die Cheirotonie als Ehehindernis; *Wojucki E.* Die Wiederverehelichung der Priester in der morgenländischen Kirche; *Bucceroni I.* De excommunicatione lata in clericos maiores matrimonium contrahere praesumentes; *Stiefenhofer D.* Die Geschichte der Kirchweihe vom 1-7 Jahrh.

Ordo religiosus. — Generatim ordines religiosi aut regulares dicuntur religiones proprie dictae iuxta stylum curiae romanae, seu ea instituta religiosa, in quibus emittuntur vota solemnia (Bouix *de iure regularium p. II. sect. 1. c. 1*); illa enim, in quibus emittuntur vota tantum simplicia, dicuntur congregationes religiosae. Vid. *Congregationes religiosae, Religiosus.* 2971

Organum. — In omnibus dominicis et omnibus festis per annum occurrentibus, in quibus populi a servilibus operibus abstinere solent, decet in ecclesia organum et musicorum cantus adhiberi; inter eas non connumerantur dominicae adventus et qua- 2972

dragesimae, excepta dominica tertia adventus et quarta quadragesimae, item exceptis festis et feriis infra adventum aut quadragesimam occurrentibus, quae cum solemnitate ab ecclesia celebrantur, ut in die annuntiationis, feria V in coena Domini, sabbato sancto, et similibus, et quandocumque occurreret celebrare solemniter et cum laetitia pro aliqua re gravi. *Cer. episc. lib. I. c. 28.* Contraria consuetudo pulsandi organum in dominicis adventus et quadragesimae tolerari nequit (*S. R. C. in Taurinen. 11 sept. 1847 ad 1* [*2959*]; *22 iun. 1874 ad 1* [*3333*]; *in Cuneen. 2 iun. 1883 ad 16* [*3576*]); et est abusus eliminandus. *S. R. C. in Florentina 22 iul. 1848 ad 1* (*2965*).

Hinc non possunt pulsari organa in cantu praefationis et orationis dominicalis, quoties missae decantantur. *S. R. C. 27 ian. 1899* (*4009*).

Attamen occasione primae communionis puerorum, vel ob devotionem erga s. Ioseph mense martio, possunt pulsari organa etiam tempore quadragesimae, *S. R. C. in una Soc. Iesu 11 maii 1818 ad 11* (*3448*).

Cavendum autem est, ne sonus organi sit lascivus aut impurus, et ne cum eo proferantur cantus, qui ad officium, quod agitur, non spectent, nedum profani aut ludicri; nec alia instrumenta musicalia praeter ipsum organum addenda sunt. *Cer. episc. loc. cit.* Vid. *Musica sacra.*

Quoad hoc confer etiam *Communicatio in divinis.*

Orientales. — Vid. *Lex.*

2973 **Origo. — De ipsa origine.** — Locus originis ille dicitur, in quo quis naturaliter natus est, aut nasci debuit, idest in quo habebat domicilium pater (*l. 6 ad municipalem etc. D.* [*L. 1*]; *l. 3 de munic. et origin. C.* [*X. 33*]), vel, si agatur de illegitimo, mater (*l. 9 tit. cit. D.* [*L. 1*]), tunc quum in lucem editus est.

De titulo originis relate ad ordines recipiendos. — Regula generalis. — Titulus originis est titulus legitimus, ut quis habeatur subditus alicuius episcopi quoad ordines sacros recipiendos. *cc. 1. 3 de tempor. ordin. etc.* [*I. 9*] *in 6°; Const.* Inn. XII « Speculatores » *5 novemb. 1694.* 2974

Hinc episcopus proprius ratione originis pro ordinibus conferendis ille est, e cuius dioecesi aliquis oriundus est. Ex illa autem dioecesi aliquis oriundus censetur, in qua, dum natus est, pater eius domicilium constitutum habuit, ut ex superius dictis patet. Neque refert, quod ipse natus fuerit alibi, quia v. g. parentes eius extra locum domicilii sui, dum ipse nascebatur, versabantur, officii ex. gr., legationis, aut negotii gerendi causa, nam adhuc fictione iuris in loco domicilii natus censetur. *l. 6 tit. cit. D.* (*L. 1*); Schmalzgrueber *in tit. 11 lib. I Decr. num. 37.* Si vero pater tempore nativitatis filii nullibi habebat domicilium, filius est oriundus e loco originis paternae, et ab eo episcopo potest ordines recipere. Gasparri *de sacr. ordin II. 808.* At si pater post nativitatem filii ibi domicilium contrahat, ubi filius fortuito natus est, tunc non origo patris, sed domicilium a patre legitime contractum attendi debet, ut definiatur quis sit episcopus proprius filii ratione originis.

Const. Inn. XII cit. Ea, quae de patre diximus relate ad filios legitimos, transferenda sunt ad matrem, si agatur de illegitimis. Honorante *Praxis Secr. Card. Vic. c. 1 not. 9 dub. 2;* Gasparri *II. 824 sqq.*

2975 **De exceptionibus a proposita regula.** — Ab hac universali regula excipiuntur:

a) *expositi*, quorum parentes ignorantur; hi ordinari possunt ab episcopo loci, in quo permanenter (idest ut ibi alantur etc.) expositi sunt (Honorante *loc. cit.*), et iuxta quosdam (Schmalzgrueber *loc. cit. n 38*) etiam ab episcopo loci originis, si de eorum origine constat;

b) *nati in loco nullius dioecesis*, qui subiiciuntur quoad ordines episcopo viciniori (Schmalzgr. *loc. cit.*);

c) *pagani et iudaei conversi;* hi enim fiunt originarii illius dioecesis, in qua baptizantur. *Const.* Paul. III « Cupientes » *31 mart. 1542*; Honorante *l. c. not. 10;* Schmalzgrueber *l. c.;* Gasparri *l. c. II. 807.* — Plura quoad casus particulares relate ad episcopum originis vide apud Gasparri *l. c. II. 806 sqq.*

Nota autem, competentiam alicuius episcopi ad ordines licite alicui conferendos ratione originis numquam cessare, quum numquam originem quis deserere possit (*l. 6 tit. cit. D.* [*L. 1*]), neque voluntate sua mutare. *l. 4 tit. cit. C.* [*X. 33*]; cfr. Gasparri *l. c. II. 856;* De Luca Mar. *Prael. iur. can. II. 42.* Cfr. etiam *S. C. C. in Caietana 27 ian. 1905.*

Ornamenta sacra. — Vid. *Paramenta sacra.*

2976 **Ornatus.** — Ornatus mulierum potest esse ex virtute et ex vitio. S. Thom. *2. 2. q. 169. a. 1 sqq.* Vitium habetur per excessum, et per defectum.

Mortaliter peccant mulieres sese ornantes ad provocandos alios ab libidinem; venialiter, si ex vanitate, vel superflue, aut praeter conditionem status et consuetudinem loci sese ornent. S. Th. *l. c. a. 2. c.*

Licite aliquid ornamenti superaddunt, ut placeant marito vel sponso. Cfr. *I. Cor. VII. 34; I. Tim. II. 9.*

Ornatum moderatum mulier dimittere ad vitandum scandalum non tenetur. Suarez *de caritate disp. X. sect. 3. n. 10.*

Mulieres generatim, quae, novum ornatum vel novum modum se componendi introducentes, non leve periculum praebent libidinis, peccant letaliter; speciatim quae vestem virilem induunt, per se quidem non peccant graviter; sed peccatum potest esse grave ex circumstantiis periculi libidinis vel scandali. S. Aph. *II. 52 sqq.* Quae vero iam introducta consuetudine utuntur, non sunt damnandae letalis, nisi certum sit, eas esse aliis scandalo, sed ab eo sunt deterrendae. D'Ann. *II. 70.*

Oscula. — Oscula in partibus inho- 2977
nestis alterius, vel in partibus minus honestis, sunt semper grave peccatum (B. P. *II. 975 sq.*); item in partibus honestis, si fiant ex delectatione venerea, gravia sunt (S. Thom. *2. 2. q. 154. a. 4. c.*; S. Alph. *III. 415*); si autem fiant iuxta morem patriae etc., omni culpa carent. S. Thom. *l. c.*; S. Alph. *III. 417.*

Oscula honesta in signum amoris sponsis licent (Reiffenstuel *Th. mor.*

tr. IX dist. 4. q. 7. n. 77; B. P. *II. 998 sq.*), et, si iis quaerant delectationem sensibilem, non excedunt veniale. Salmanticenses *Th. mor. tr. IX. c. 15. n. 91*; B. P. *II. 1001 sqq.*

Oscula exercita ob delectationem veneream, contrahunt malitiam specie diversam pro variis personarum circumstantiis. S. Alph. *III. 416*; G. B. *I. 414*; B. P. *II. 973 sqq.*

Oscula columbina, seu quae fiunt morose lingua in os introducta, ordinarie mortalia sunt. Croix *Th. mor. lib. III. p. I. n. 900.*

Oscula quaelibet honesta in partibus, tum honestis, tum etiam minus honestis, amoris fovendi causa, inter coniuges licent, etiamsi per accidens sequatur involuntaria pollutio. B. P. *VI. 375 sqq.*; G. B. *II. 731.*

2978 **Ostensorium**. — Qua materia ostensorium conficiendum sit, non est praescriptum; at in eius summitate apponenda est visibilis crux. *S. R. C. in Ariminen. 11 sept. 1847* (*2957*).

Benedicendum est, vel saltem benedicenda est lunula, quae sacras species tangit. Benedictio haec impertiri debet ab eo, cui est facultas benedicendi paramenta sacerdotalia, et mediante formula, quae in missali et rituali inscribitur: benedictio tabernaculi seu vasculi pro sacrosancta eucharistia conservanda; vel etiam mediante propria benedictione approbata, quae in appendice ad rituale romanum proponitur. De Herdt *Sacr. lit. praxis 1. 173.* Vide *Benedictio, Lunula.*

2979 **Ostiariatus.** — Ostiariatus est ordo, quo confertur alicui specialis potestas aperiendi et claudendi ianuam ecclesiae, nec non admittendi dignos, et excludendi indignos.

Materia sunt claves ecclesiae; forma: « Sic agite quasi reddituri Deo rationem pro iis rebus, quae his clavibus recluduntur ». Pont. rom. *tit. de ordinatione ostiariorum.*

Notandum quod, quamvis una clavis possit esse materia sufficiens pro ordinatione ostiarii, servanda tamen est rubrica, quae praecipit, *claves* esse tradendas (*S. R. C. in Romana 20 iun. 1899 ad 5* [*4035*]), quae sive argenteae sint, sive ferreae, sive ligneae, dummodo aptae sint ad aperiendum, constituunt materiam remotam huius ordinis; nec necesse est, ut sint claves ecclesiae, sed quacumque clavi potest quis uti. *S. C. P. F. ad vic. ap. Cocincinae 23 mart. 1844.*

Quando ostiarius, archidiacono comitante, claudit, et aperit fores ecclesiae, non necessario debet eas claudere et aperire cum clavi, ut si in foribus oratorii, ubi confertur ordo, non adesset clavis. *S. R. C. in una Marsorum 12 nov. 1831 ad 5* (*2682*).

Similiter quamvis in pontificali praescribatur, ut neo-ostiariis tradantur ab archidiacono funes campanarum, sufficit tamen sive tradere unam, ubi una tantum est campana, sive nullam, ubi vel turris campanarum ab ecclesia distat, vel nulla est campana; et tunc satis est eis traderé tintinnabulum altaris, quod pulsent. *S. R. C. in Erien. 21 sept. 1873 ad 2. 3. et 4* (*3315*).

Ova. — Benedictio ovorum in sabbato sancto non est de iuribus mere parochialibus. *S. R. C. decr. gen. 10 dec. 1703 ad 6* (*2123*). 2980

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX1758.037 C001 V002
SYNOPSIS RERUM MORALIUM ET IURUS PONTIFI
3 0311 00044 2793

WITHDRAWN

BX
1758
.037 Ojetti, Benedicto. 39107
AUTHOR
V.2 SYNOPSIS RERUM MORALIUM
TITLE
ET JURIS PONTIFICII.
DATE DUE BORROWER'S NAME

3 0864 00044 2793